JURIS CANONICI

COMPENDIUM.

JURIS CANONICI

UNIVERSI,

PER FACILIOREM METHODUM AD VERAM PRAXIM SINCERE REDACTI,

COMPENDIUM

EX PROBATISSIMIS AUCTORIBUS CATHOLICIS,

AUCTORE

FRANCISCO L. M. MAUPIED,

MISSIONARIO APOSTOLICO, CANONICO HONORARIO REMENSI,

DOCTORE IN SACRA THEOLOGIA ET SACRIS CANONIBUS IN ALMA UNIVERSITATE ROMANA;
DOCTORE IN SCIENTIIS, ETC., IN ACADEMIA PARISINA;
OLIM PROFESSORE IN FACULTATE THEOLOGIÆ IN SORBONA; EX ACADEMIA
RELIGIONIS CATHOLICÆ ROMANA, ETC., ETC.;

ACCURANTE J.-P. MIGNE,
BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,
SIVE,
CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

TOMUS POSTERIOR.

VENEUNT DUO VOLUMINA 12 FRANCIS GALLICIS.

EXCUDEBATUR ET VENIT APUD J.-P. MIGNE EDITOREM,
IN VIA DICTA *D'AMBOISE*, OLIM PROPE PORTAM LUTETIÆ PARISIORUM VULGO *D'ENFER*
NOMINATAM, SEU *PETIT-MONTROUGE*, NUNC VERO INTRA MŒNIA PARISINA.

1861

ELENCHUS

VOLUMINIS SECUNDI JURIS CANONICI.

Parisiis. — Ex Typis J.-P. MIGNE.

JURIS CANONICI

UNIVERSI,

PER FACILIOREM METHODUM AD VERAM PRAXIM SINCERE REDACTI,

COMPENDIUM

EX PROBATISSIMIS AUCTORIBUS CATHOLICIS.

PARS TERTIA.

DE PERSONIS.

(CONTINUATIO.)

LIBER VII. — DE CLERICIS GENERATIM.

In præsenti libro de præcipuis obligationibus et juribus omnibus clericis ab episcopis usque ad simplices clericos communibus, tractabimus.

CAPUT PRIMUM.

De clerici nomine et quinam sub eo nomine veniunt.

§ I. — De clerici nomine.

Clerici nomen venit a verbo Græco *cleros*, quod Latine *sors*, seu *hæreditas* dicitur. (C. *Cleros* 1, dist. 21.) Et ideo dicuntur clerici, quia sunt de sorte Domini, et Domini partem habent. Hinc clerici describuntur, ***quod sint homines Christiani qui, a negotiis curisque sæcularibus remoti, servitio et cultui divino specialiter sunt deputati.*** C. *Cleros* cit. et cap. *Duo sunt genera Christianorum* 7, causa 12, quæst. 1, ibi : ***Duo sunt genera Christianorum, est autem unum genus, quod mancipatum divino officio et deditum contemplationi et orationi, ab omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt clerici et Deo devoti, videlicet conversi... Aliud vero genus est Christianorum, ut sunt laici.*** Λαὸς enim Græce, est *populus* Latine...

§ II. — Quinam in materia favorabili veniunt sub nomine clerici.

I. Clericorum nomen bifariam potest sumi ; scilicet large, seu generaliter ; et stricte, seu specialiter, magisque proprie.

II. Clericorum nomine large, seu generaliter capto in materia favorabili veniunt omnes omnino clerici, sive sint primæ tonsuræ, sive in minoribus et majoribus ordinibus sint constituti ; sive etiam sint canonici ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ; sive sint in quacunque dignitate constituti, etiamsi sint episcopi, sive etiam sint cardinales. (Ita ex pluribus juris capitibus. Ferrar., verb. *Clericus*, art. 1, n. 5 et seqq., et alii ab ipso citati.)

III. Imo in materia favorabili veniunt etiam monachi, quinimo et moniales. (C. *Si quis suadente* 29, causa 17, quæst. 4, ubi clerici et monachi in materia favorabili, totumque statum ecclesiasticum respiciente æquiparantur.) Et licet ibi facta non sit mentio expressa de monialibus, nihilominus canonem illum comprehendere etiam moniales fuit postea declaratum. (C. *De monialibus* 33, *De sentent. excommun.*) Et quantum ad hoc etiam conversi et conversæ, novitii et novitiæ. Item tertiarii et tertiariæ Mendicantium in congregatione et communitate viventes. Item moniales Tertiariæ in

propriis domibus viventes, virginalem et cælibem vitam ducentes ex voto castitatis de ordinarii licentia emisso, ex constit. Leonis X *Dum intra*, 1 Mart. 1518. Item eremitæ habitum eremiticum ex legitima facultate deferentes, et sub speciali obedientia episcopi, vel alterius prælati alicui ecclesiæ, vel eremitorio in communitate, vel separatim deservientes, isti censentur personæ ecclesiasticæ. Item omnes illi, qui assumpto habitu religioso, monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynam quærunt, et prope monasterium earum degunt. Sic etiam laici, qui habitu clericali incedunt et inserviunt congregationi presbyterorum, qui collegialiter sub certo superiore modo religioso vivunt. Item equites S. Joannis Hierosolymitani, vulgo dicti (*chevaliers de Malte*) ; ipsi enim tria vota substantialia a Sede apostolica approbata emittunt. (Ita Ferrar. et alii, et colligitur ex cap. *Duo sunt genera* 7, causa 12, quæst. 1 et similibus.)

§ III. — Quinam in materia odiosa sub stricto clerici nomine veniunt.

I. Clericorum nomine stricte, seu specialiter in materia odiosa, cum scilicet agitur de damno, vel incommodo clericis inferendo, veniunt duntaxat soli inferiores clerici sæculares, id est presbyteri, diaconi et alii ministri et primæ tonsuræ initiati ; non autem canonici, abbates aliique in dignitate ecclesiastica constituti, nisi secus exprimatur vel aliunde de opposito constet. Arg. regul. 15 Juris in 6 : *Odia restringi et favores convenit ampliari*. Et regul. 4, eod., etiam in 6 : *In pœnis benignior interpretatio est facienda*. Et tenent communiter doctores.

II. Sic nomine clericorum in odiosis, non veniunt episcopi, eorumque superiores et multo minus S. R. E. cardinales ; nec veniunt canonici aliique in dignitate constituti ; nec etiam monachi seu regulares utriusque sexus, nisi istud exprimatur, vel ex subjecta materia, aliisque circumstantiis secus appareat. (Sic ex multis juris capitibus tenent communiter doctores.)

CAPUT II.

De clericorum obligationibus.

§ I. — De vita clericali generatim.

1. Clerici in genere, seu large et generaliter sumpti, obligantur ad illud vitæ genus quod Deo gloriam et proximo ædificationem præstet. Ista obligatio fundatur ipsa natura status clericalis et innumeris canonibus explicatur. Hanc sic inculcat concilium Tridentinum, sess. 22, c. 1, *De reform.* : *Sic decet omnino clericos, in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, aliisque omnibus rebus, nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum præ se ferant ; levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant, ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur, quo majore in Ecclesia Dei et utilitate et ornamento hæc sunt, ita etiam diligentius sint observanda, statuit sancta synodus, ut quæ alias de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, necnon sæcularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus, arbitrio ordinarii imponendis, observentur.*

« Quanquam omnes clericos dictæ obligationes respiciant, observandum est tamen eas leges *positivas*, quæ plurima, vel prohibent, vel præcipiunt, spectare potissimum et stricte loquendo clericos *in sacris* constitutos, vel eos qui beneficia vel officia ecclesiastica obtinent : clerici vero *in minoribus* constituti, cum possint ad sæcularia vota redire, nec aliunde de altari vivant, non adeo rigorose his legibus tenentur. Isti tamen ad *vitam clericalem* censentur astricti, quandiu clericalem habitum gerunt, et de clero censentur, præsertim si sumptibus ecclesiæ aluntur in seminariis, etc. Alioquin Ecclesiæ injuriam inferunt, scandalumque præstant ; et exinde ob contemptas canonum leges rei efficiuntur peccati, cujus gravitas ex circumstantiis, præsertim ex scandalo, metienda est. » (*Manual. compend. auct.* Lequeux, t. I, p. 556)

II. Obligationes clericorum *in specie* quatenus legibus Ecclesiæ fundantur, spectant tum ad ea quæ *prohibita* sunt, et ideo sunt *vitanda* clericis, tum ad ea quæ præcepta sunt, et ideo sunt ab eisdem præstanda. (*Ibid.*)

§ II. — Obligationes clericorum quoad vitanda.

Ea quæ prohibentur ad quatuor reduci possunt.

I. Prohibentur certæ professiones, seu actiones, quæ cum mansuetudine clericali oppositionem habent.

1. Interdicta est clericis gestatio armorum militarium et militia. (C. *Clerici* 2, *De vita*

et honest.) Et contrarium facientes excommunicantur, non tamen ipso facto, nisi sint religiosi; nam hi, si arma teneant intra septa monasterii absque licentia superioris, ipso facto sunt excommunicati (Clement. *Ne in agro*). Excipitur, quando justa est causa ferendi arma, v. gr. in obsidione, vel itinere per loca infesta latronibus; nam tali vel alia causa urgente, tam religiosis quam sæcularibus clericis arma gestare licet impune. (Ita multi apud Schmalzgr., part. I, tit. I, *De vit. et honest.*, n. 33.) Attamen clericus arma gestans, quæ lege, vel statuto sæculari simpliciter, vel certo tempore, aut loco prohibita sunt, spoliari iisdem a ministris curiæ sæcularis nequit, nisi a prælato proprio ter monitus non paruerit; tunc enim, cum privilegium fori ipso facto amiserit, a judice sæculari juste eidem auferentur arma. (Ut notat Gonzalès, apud Schmalzgr., *ibid.*, n. 43.) Clerici non possunt esse belli duces ordinantes aciem et dirigentes tormenta bellica et hujusmodi (C. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*), licet possint interesse bello justo, ac milites ad pugnandum hortari. (C. *Hortatu* 10, et c. *Ut pridem* 17, causa 23, et quæst. 8, et c. *Petitio tua* 24, *De homicid.*)

2. Clericis absolute prohibitum est, ne judicium sanguinis exerceant, aut sententiam sanguinis dictent, proferant, vel exsecutioni sententiæ intersint, et ne quidquam faciant, per quod ad vindictam sanguinis tendatur. (Cap. *Clericus* 5, *Ne clerici vel monachi.*) Ideoque clerici et religiosi testimonium prohibentur dicere in causa sanguinis. (C. *Testimonium* 9, causa 11, quæst. 1.) Possunt tamen testificari etiam in causa pro reo ad ejus defensionem et innocentiam ostendendam. (Farin. et Pirhing. apud Schmalgr., part. III, tit. XX, *De testibus*, n. 55.) Præcipitur clericis, ut carnificum, seu laniorum et tabernariorum muneribus abstineant. (Clement. diœc. 1, *De vita et honest.*) Prohibetur clericis, ne mimis, histrionibus et joculatoribus intendant. (C. *Clerici* 15, *De vit. et honest.*) Imo clerici, qui se goliardos, buffones, joculatores faciunt, si artem hujusmodi ignominiosam per annum, vel postquam ter moniti sunt breviore tempore exerceant, infames fiunt, omnique etiam canonis privilegio ipso jure privantur. (C. unic. *De vit. et honest.* in 6.)

3. Prohibitum est clericis et religiosis publice, seu in scholis vel universitatibus publicis jus civile et medicinam audire. (C. *Nam magnopere* 3, *Ne clerici vel monachi.*) Privatim tamen, ac domi non prohibentur religiosi, aut clerici sæculares studere juri civili et medicinæ, præsertim si id faciant pro pleniori intellectu juris canonici ac theologiæ. (Ut tenet communior doctorum, teste Fagnan. in c. *Super specula* 10, *Ne clerici vel monachi*, n. 8 et seqq.) Hodierna autem praxis Romæ obligat clericos saltem sæculares audire jus civile simul cum jure canonico, in universitatibus. Unde concludendum est quod antiqua prohibitio non spectat nisi forte ad religiosos. Præterea non est religiosis et clericis prohibitum jus civile et medicinam publice docere et legere. (Ut tenent Abbas, Barbosa, Pirhing, Fagnan. et alii; et colligitur ex c. *Super specula* cit.) Est prohibitum clericis in sacris artem chirurgiæ exercere: cap. *Sententiam* 9, *Ne clerici vel monachi*, ibi: *Ne ullam chirurgiæ artem subdiaconus, diaconus, vel sacerdos exerceat quæ ad ustionem vel incisionem inducit.* Quod etiam specialiter prohibetur religiosis. (C. *Tua nos* 19, *De homicidio.*) Est etiam clericis et religiosis prohibitum ne, etsi citra adustionem et incisionem medicinam exerceant. (Arg. c. *Multa sunt negotia* 1, *Ne clerici vel monachi.*) Hoc tamen limitant doctores in casu, quo urgente necessitate et cessante periculo mortis, aliquis clericus artem medicinæ et chirurgiæ exerceat ex pietate et charitate erga pauperes, in defectu aliorum medicorum et chirurgorum. (Ita multi apud Ferrar., verb. *Clericus*, art. 3, n. 79.) Et addit: « De facto indulgetur a sacr. congr. Concil. etiam presbyteris, ut possint artem medicinæ exercere absque incursu irregularitatis, cum clausula tamen: *Gratis et amore Dei erga omnes, attenta penuria medicorum.*

An vero in regionibus, ubi episcopi ejiciunt clericos ab omni officio clericali vel eosdem relinquunt absque ullo beneficio, nec eisdem sustentationem præstant, fiant irregulares clerici qui honestam sustentationem, artem medicinæ exercendo, lucrantur? Cum in dictis regionibus tales clerici nullum habeant ob sacrorum canonum desuetudinem, recursum efficacem ad suum jus clericale quærendum, videntur de jure naturali suam honestam sustentationem negotia sæcularia alias honesta exercendo, lucrari posse; nam lex necessitatis pro

eisdem clericis leges canonicas abrogare videtur, usquedum ab auctoritate superiori sacrorum canonum observationi provideatur. Hocque dicendum est de omnibus negotiis sæcularibus honestis, ut infra probatur.

II. Prohibentur ea quæ cum paupertate clericali oppositionem habent, eo quod inducant suspicionem affectus ad terrena.

1. Unde clericis omnibus in sacris constitutis, aut in minoribus congruam sustentationem habentibus, sive ex beneficio ecclesiastico, sive ex bonis patrimonialibus, est prohibitum negotiis sæcularibus sese immiscere, cupiditatis et turpis lucri gratia. (C. 2, 3, 4, 9, 11, 50, dist. 88; c. *Clerici officia* 15, *De vita et honest.*; c. *Cum multa negotia* 1, *Ne clerici vel monachi*; et cap. *Secundum* 6, tit. eod.) — Unde tales clerici exercendo negotiationes prohibitas peccant mortaliter, et possunt suspendi a divinis, imo et excommunicari, si tertio admoniti, non resipiscant. (C. *Negotiatorem* 9, dist. 88; c. *Sed nec procurationes* 4, *Ne clerici, vel monachi*; c. *Clericus* 4, dist. 91, ubi imponitur eis degradationis pœna; et aliis capp.)

2. Dantur tamen plures casus, in quibus clerici negotiationem exercentes nullam culpam et pœnam incurrunt. *Primo*, si clerici negotiationem exercent non turpis lucri gratia, sed meræ necessitatis causa, ut se suosque alant, cum aliunde non habeant unde vivant, et bona ad eorum victum non sufficiant; cap. *Multa sunt negotia* 1, *Ne clerici vel monachi*, ibi: *Nec tamen justum negotium est contradicendum propter necessitates diversas, quia legimus sanctos apostolos negotiatos fuisse, et in Regula beati Benedicti præcipitur provideri, per quorum manus negotia monasterii procurantur.* —*Secundo*, quando clerici bona sua patrimonialia, ac beneficiorum, quæ obtinent, excoli faciunt, animaliaque ad hunc effectum necessaria emunt et vendunt. Ita sacr. congr. Episc. et Regul. pluries; apud Ferrar. verb. *Clericus*, art. 3, ubi etiam affert plures sac. congr. Concilii declarationes, ex quibus satis aperte colligitur, posse clericos dare operam negotiationibus illius speciei, quæ dicitur artificium, non autem negotiationi propriæ sumptæ. Ut autem hoc facilius percipiatur, advertenda est differentia intercedens inter negotiationem proprie sumptam, et artificium. Negotiatio enim proprie sumpta est, quando emitur res, ut omnino integre, et immutata carius vendatur, ita ut ex sola transmutatione de persona in personam sequatur lucrum. Artificium vero est, quando emitur res, ut inde habeatur materia ad operandum propriis manibus, eamque reducendum ad aliam formam; deducitur ex cap. *Ejiciens* 11, dist. 88, ubi sic expresse dicitur: *Quicunque rem comparat non ut ipsam rem integram, et immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi, ille non est negotiator; qui autem comparat rem, ut illam ipsam integram, et immutatam dando lucretur, ille est mercator, qui de templo Dei ejicitur.* Ex quo textu et aliis facile resolvuntur casus particulares. (Vide Ferrar. verb. *Clericus*, art. 3, et alios auctores.)

Unde licet negotiatio proprie sumpta sit clericis interdicta, ex citatis textibus, tamen artificium, et manualis operatio absque fine turpis lucri non interdicitur clericis; imo ipsis recommendatur, sicut agricultura, dummodo fiat absque neglectu officii ecclesiastici. Cap. *Clericus* 3, dist, 91, ibi: *Clericus victum, et vestitum sibi artificiolo, vel agricultura absque officii sui detrimento ponet.* Et cap. *Cleric.* 4, ead. dist. 91, ibi: «*Clericus, quantumlibet verbo Dei eruditus, artificiolo victum quærat.* Quinimo tale artificium, et manualis labor, seu operatio ad multa bona inservit, ut observat sanctus Thomas, 2-2, quæst. 87, art. 3.

3. Inter negotia, artes et officia clericis prohibita, multa alia reperiuntur. Primo prohibentur clerici præsertim beneficiati, aut in sacris constituti agere officium procuratoris, et advocati in sæculari judicio, seu foro, apud quem postulare non possunt, nisi pro seipsis, pro ecclesia, aut si necessitas immineat, pro personis conjunctis, aut miserabilibus. (Textus sunt clari, c. *Quia episcopus*, causa 5, quæst. 3; c. *Nullus*, causa 11, quæst. 1; c. *Credo* et seq., causa 21, quæst. 3; c. *Clerici* 1, et c. *Cum sacerdotis sit officium*, *De postulando*, cum similibus.) — Quod est intelligendum, etiamsi laici essent principes, aut alii magni domini. C. *Sed nec* 4, *Ne clerici vel monachi*, ibi: *Sed nec procuratores villarum, aut jurisdictiones etiam sæculares sub aliquibus principibus et sæcularibus viris, ut justitiarius eorum fiat, clericorum quispiam exercere præsumat.*

4. Prohibentur clerici esse principum vices gerentes, vicedomi, cancellarii, loco-

rum præfecti, aut præpositi, judices, administratores, vel quomodocunque alia ratione officiales. C. *Clericus* 5, *Ne clerici vel monachi*, ibi: ***Jubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis, aut præpositi sæcularis.*** (Concordant cap. *Clerici* 15, *De vit. et honest.* et multa alia.)

5. Prohibentur clerici, præsertim sacerdotes, ne inserviant laicis in officiis vilibus domus, feminisque nobilibus ancillentur, ac obsequia præstent, ac si essent homines infimæ conditionis. (C. *Sacerdotibus* 2, *Ne clerici vel monachi;* et expresse de mandato Sanctissimi, sacr. congr. Episc. per litteras encyclicas, 16 Martii 1697.)

6. Specialiter prohibetur clericis officium tabellionis, seu notarii publici agere. C. *Sicut te* 8, *Ne clerici vel monachi*, ibi: ***Fraternitati tuæ mandamus, quatenus clericis in sacr. ordin. constitutis tabellionatus officium per beneficiorum subtractionem appellatione postposita, interdicas.*** (Concordat cap. *Ut officium* 11, *De hæretic.* in 6.)

Possunt tamen clerici tam regulares, quam sæculares esse notarii, aut tabelliones in causis fidei pro favore ejusdem. (Textu expresso in c. *Ut officium*, cit.) Possunt etiam esse notarii Papæ, aut in curia Romana; item episcoporum et in curia episcopali et ubi est consuetudo, præcipue in causis ecclesiasticis coram judice ecclesiastico. (Ut in c. *Multorum*, causa 17, quæst. 2, et in c. *Monachus*, dist. 77; et doctores in c. *Sicut te, Ne clerici vel monachi.*)

7. Clericis est prohibitum exercere tutelam testamentariam, et dativam extraneorum. (Rota... et sacr. congr. Episc. pluries; apud Ferrar. verb. *Clericus*. art. 3.) Possunt tamen clerici, si velint, tutelam legitimam consanguineorum, usque ad quartum gradum subire, ut colligitur ex cap. *Pervenit* 28, dist. 86; et tenent doctores. Non debent tamen administationem suscipere, nisi accedente vel episcopi, vel sacr. congr. Episc. licentia. Quo vero ad tutelam testamentariam et dativam extraneorum sine Papæ vel sacr. congr. indulto clerici ab episcopo non dispensantur nisi pro pupillis, pauperibus, orphanis et viduis, aliisque miserabilibus personis, pro quibus, quando alius tutor aptus non posset inveniri, possunt etiam cogi, sicuti possunt etiam cogi pro assumenda tutela legitima consanguineorum. (C. *Pervenit* 26, dist. 86; c. *Licet* 1; c. *Defensionis* 2, dist. 87, et communis.)

8. Quoad negotia clericis vetita attendenda est dispositio Benedicti XIV in constit. *Apostolicæ servitutis*, ubi sub pœnis a sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis jam fulminatis, rigorose vetat omnibus clericis omne sæculare negotium nomine proprio, aut alieno, et sub quocunque colore, aut prætextu exercitum; et sub eisdem pœnis expresse ipsis præcipit ut statim dimittant quodcunque negotium ipsis spectans via hæreditatis, aut quocunque alio titulo, aut separatim, aut unitim aliis, quamvis ab istis esset exercitum. Et si nequeant statim illud dimittere sine gravi detrimento, mandat, quod teneantur obtinere a sacr. congr. Concil., aut ab ordinario loci expressam facultatem solum concedendam, attentis circumstantiis pro aliquo brevi congruo tempore, intra quod tamen debebit negotium exerceri indispensabiliter a persona laica: et si intra id temporis exerceatur a clericis, aut eodem tempore elapso, statim non dimittatur negotium, vult dictos clericos subjacere præfatis pœnis, et spolio, non obstante quocunque privilegio et indulto. — Ad rem etiam facit epistola Clementis XIII, *Cum primum*, super observantia canonicarum sanctionum adversus clericos negotiatores et sæcularibus negotiis sese immiscentes editarum.

III. Prohibentur certa oblectamenta, quæ cum religione et gravitate clericali oppositionem habent.

1. *Venatio* frequens, et voluptuosa præcipue cum armis, et clamorosa, est clericis interdicta. C. *Episcopum* 1, *De clerico venatore*, ibi: ***Episcopum, presbyterum, aut diaconum canes, aut accipitres, aut hujusmodi ad venandum habere non licet. Quod si quis talium personarum in hac voluptate sæpius detentus fuerit; si episcopus est tribus mensibus a communione, si presbyter duobus; si diaconus ab omni officio suspendatur.*** Et c. *Omnibus* 2, eod. tit. Concil. Lateran. IV, can. 15, et concil. Trident. sess. 24, cap. 12, *De reform.*, ubi canonicis præcipitur ut « ab illicitis venationibus, aucupiis, « choreis, tabernis, lusibusque abstineant. » Barbosa, *Jur. ecclesiast. univers.* lib. I, cap. 40, n. 79, sic asserit: « Postremo clericis non licet canes habere, vel accipitres ad venan-

dum; nec venationes facere periculosas, seu clamorosas, veluti aprorum, et cum armis. »

Attamen sentiunt « fere omnes canonistæ consimili sensu, quamvis non iisdem verbis, cum quibus et nos concludimus, quod quamvis non sit licita clericis venatio voluptuosa, tumultuosa, et clamorosa, et moderata nimis frequenter facta, ut usquemodo diximus; est tamen eis licita venatio quieta, et moderata raro facta, et non pro sola voluptate venationis, sed vel causa necessitatis ad tollendas feras noxias vineis, segetibus, etc., vel causa utilitatis, ut dum ex tali venatione partem redituum vel alias fructum notabilem percipiunt, vel causa honestæ recreationis, seu distractionis pro tuenda, et recuperanda sanitate. Sic glossa in cap. *Episcopum* cit. verb. *Voluptate*, ibi: « Ergo videtur quod causa necessitatis, vel recreationis licitum sit, quod possit concedi aliis clericis excepto episcopo, cui omnino non licet (dist. 34, cap. 1), dummodo clamorosam venationem evitent.. Et sic tenent communiter doctores, argum. ex cap. *Episcopum* cit. et cap. 12 sess. 24 Trident., ubi præcipitur clericis abstinere *ab illicitis venationibus*. Cum enim ibi non dicatur absolute a venationibus, aut ab omnibus venationibus, sed ab illicitis, supponitur aperte aliquas esse ipsis licitas, quales revera videntur esse venationes quietæ et modestæ, et raro factæ propter aliquam ex tribus causis supra adductis. Et hoc venandi genus saltem approbasse videtur sacr. congr. Immunitatis *sæpius*, ex cujus decretis possunt episcopi concedere clericis facultatem arma gestandi ad præscriptum sacrorum canonum, et cum legitima causa, uti esset aliqua ex tribus assignatis supra pro venatione licita. » (Ita FERRARIS., et alii ab ipso citati, verb. *Clericus*, art. 6, n. 17 ad 21.)

« Venatio quæ fit retibus, vel laqueis moderatæ et honestæ recreationis gratia, ut piscatio, et hujusmodi, est licita clericis. (Communis, *ibid.* n. 22.)

Nihilominus « Laudantur illi ordinarii, qui sub determinatis et arbitrariis pœnis interdicunt omnibus suis clericis hujusmodi venationem (clamorosam, etc) et delationem armorum. Quæ tamen pœnæ non debent esse nimis rigorosæ præcipue in prima vice; censuit enim sacr. congr. Episc. sæpe quod in prohibitione venationis, vel delationis armorum etiam prohibitorum facta quibuscunque etiam clericis non debet apponi pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, nec privatio privilegii clericalis, sed aliæ pœnæ sacrorum canonum... Potest vero ab episcopo prohiberi delatio sclopi (*fusil*) sub pœna suspensionis a divinis ipso facto incurrenda, dummodo sint in sacris. (Sic sacr. congr. Concil. 12 August. 1645.) Hæc prohibitio intelligenda est de armorum et venationis abusu. Clerici tamen, qui non abusive, et frequenter, sed raro, bis, v. gr. ter, aut quater in anno, moderatione et modestia servata, ac nunquam dimisso habitu clericali in saltu, vel in agro ad venandas aves recreationis causa, sclopo venatorio uterentur, non essent processandi, nec puniendi, sed cum eis esset connivendum, et dissimulandum. Gloss. in cap. 1 *De cleric. venatore*; Monacell. t. II, tit. XV, form. 4, n. 23; Pignatelli, tom. III, consult. 59, n. 13, ubi dicit venationis abusum, et non usum esse clericis prohibitum. Eo vel maxime, quod clerici venatores nonnisi trina monitione præcedente, puniendi sunt. Et sic alii plures.

Sententia asserens omnem quamcunque venationem a sacris canonibus interdictam esse clericis, magis juri conformis pluribus videtur. (Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, c. 61.)

2. *Tabernarum frequentatio.* - Clerici caupouas vel tabernas, nisi itineris causa ingredi prohibentur c. *Non oportet* 2; c. *Nulli cleric.* 3; et cap. *Clerici* 4, dist. 44), in quorum ultimo sic præcise statuitur: *Clerici edendi, et bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.* Et concordat can. 13 apostolorum, et cap. *Clerici officia* 15, *De vita et honest. cleric.*

A fortiori, textu expresso in cap. *Nulli clerico* 3, dist. 44, ibi: *Nulli clerico tabernam, aut ergasterium habere liceat, si enim eos ingredi prohibentur, multo magis ministrare in ea. Si quis vero tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.* Concordat Clement. 1, *De vita et honest. cleric.* ibi: *Diœcesanis locorum districte præcipimus, ut clericos carnificum, seu macellorum, aut tabernariorum officium publice, et personaliter exercentes nominatim, et tertio moneant, ut sic ab hujusmodi officiis intra convenientem terminum monentium ipsorum arbitrio moderandum desistant, et quod ipsa nullo unquam tempore reassu-*

mant. Qui si taliter moniti, ab ipsis non destiterint, aut ipsa (ut præmissum est) exercendo reassumpserint quandocunque, conjugati omnino, non conjugati vero in rebus, et si omnino incedunt ut laici, in personis, privilegium clericale, quandiu præmissis institerint, eo ipso amittant. Quod tamen procedit, si hujusmodi artes exerceant per se, et personaliter, secus si per alium (Ita Glossa, in dict. cap. et auctores.)

Per tabernas autem, et cauponas intelliguntur, in quibus panis, vinum, et carnes coctæ, et alia hujusmodi venduntur. (Ita Glossa verb. *Tabernariorum*, in dict. Clement. 1 *Diæcesanis ;* et communiter auctores.) Sed ex consuetudine generaliter ubique recepta etiam Romæ, hosteriæ (*hôtels*) in quibus tantummodo honestæ personæ recipiuntur ad solam honestam refectionem, necnon domus restaurationis (vulgo *restaurants*) non veniunt sub nomine tabernarum a canonibus clericis interdictarum pro sua refectione etiam in loco suæ residentiæ. Non prohibentur etiam clerici acceptare invitationem ad prandium in loco tabernæ honesto et separato per dominum ejusdem tabernæ, factam urbanitatis causa, dummodo absit occasio scandali. In tali enim casu, nihil venditur, sed hospitalitas et urbanitas practicantur.

3. Sed in quocunque casu, crapula, et ebrietas sub gravissimis pœnis usque ad suspensionem ab officio et beneficio est clericis interdicta. Can. 41 et 42 apost. cap. *Episcop.* dist. 35, cap. *A crapula* 14, *de vit. et honest.* ibi : *A crapula et ebrietate omnes clerici diligenter abstineant, unde vinum sibi temperent, et se vino... Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a superiore commonitus satisfecerit, ab officio, et beneficio suspendatur.* Concordat concil. Trident. sess. 22, cap. 1, *De reform.*, sub eisdem pœnis per antiquos canones statutis, et etiam majoribus arbitrio ordinarii, infligendis abstinentiam a comessationibus, et ebrietatibus injungens... Observandum tamen est quod hic in sensu sacrorum canonum aliud est crapula, et aliud est ebrietas. Crapula enim est excessus cibi, seu immoderata voracitas, et ingluvies, qua stomachus prægravatur. Dicitur autem *crapula* quasi *cruda epula*. Glossa in dict. cap. *A crapula*, quia homines ita voraciter epulantes nimiamque ciborum superfluitatem ingurgitantes, perfecte non digerunt, sed materiam indigestam emittunt. (C. *Sint tibi* 18 ; et c. *Ne tales* 28, dist. 5, *De consecrat.*) Ebrietas vero est excessus vini, et immoderata potatio, et sic distinguunt Glossa.. et auctores.

4. Clericis est severissime prohibitus alearum, seu taxillorum ludus et maxime ille ludus, qui magis fortuna, quam arte, vel industria ludentium regitur ; ut habetur expresse ex can. 41 et 42 apostol. Concordat c. *Episcopus* 1, dist. 35, ibi : *Episcopus, aut presbyter, aut diaconus aleæ, aut ebrietati deserviens, aut desinat, aut certe damnetur. Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens : aut desinat, aut communione privetur.* (C. *Clerici officia* 15, *De vit. et honest.* ; et *Conc. Trident.* sess. 22, c. 1, ubi renovat antiquas prohibitiones sub iisdem pœnis et etiam gravissimis, si necesse fuerit.)

Quare ex tam multiplici rigida prohibitione, simulque adjunctis pœnis, nonnisi peccato mortali imponi solitis, communiter colligunt doctores, quod clericus lucri gratia, et pro notabili quantitate taliter ludens, peccet mortaliter, præsertim si frequenter aut publice cum scandalo aliorum id fiat. (Ita communis.) Cæterum vel semel taxillis, aut cartis etiam, ludere ex cupiditate lucri notabilis, lethale peccatum est. (Ferrar. verb. *Clericus*, art. 5, n. 2 in nota edit. Neap.)

Secus vero esset dicendum, si privatim, ac sine scandalo, ex bonis patrimonialibus, aut reditibus beneficiorum suorum, sed solum in quantitate modica spectato statu suo, et redituum copia, recreationis causa luserit, præsertim cum nostris hisce temporibus rigori antiquorum canonum per consuetudinem derogatum videatur. Tum quia canones relati loquuntur de illis, *qui aleæ et ebrietati deserviunt*, id est, crebro, et per longum tempus ludunt, seu lusui hujusmodi *valde* serviunt, ut explicat Glossa in dicto cap. *Episcopus*, et tenent auctores, inter quos Layman, lib. III *Theolog. moral.* tract. IV, cap. 21, n. 1. Insuper addit clericos ludentes raro, et moderate, ad recreationem, omnino excusari a peccato, si lex diœcesana ipsis non prohibeat tales fortunæ ludos, et consuetudo loci permittat, ac quodammodo cohonestat. (Ita etiam Pirhing, lib. III *Decretal.* tit. I, n. 25 ; Monacelli, tom. III, tit. 2, formul. 6, n. 6.) Sic etiam est clericis permissus omnis ille

ludus, qui consistit in ingenio, aut virtute corporis. (Communis.)

5. Clerici non possunt choreas, aut saltationes ducere, nec ubi ducuntur publice interesse. (C. *His igitur*, dist. 23; c. *Non oportet*, dist. 5, *De consecrat.*; *Concil. Trident.* sess. 22, c. 1.) Et ex iisdem capitibus et similibus clerici vitare tenentur comœdias, hastiludia, et alia hujusmodi vana spectacula.

Plures tamen theologi tenent clericis non esse peccatum mortale, comœdiis interesse, ubi nec res turpes repræsentantur, nec modus repræsentandi est turpis, vel si hæc duo concurrant, audiuntur ob solam vanam curiositatem, absque periculo probabili lapsus in aliquod peccatum mortale, et cessante scandalo. At vero Benedictus XIV, *De synod. diœces.* lib. II, cap. 10, n. 11, absolute asserit, temere nimii rigoris censuram appingi synodali statuto, quo ecclesiastici a choreis, comœdiis, aliisque spectaculis longe abesse jubentur; et *num.* 12, nimis laxam pronuntiat doctrinam prædictorum theologorum.

Sed nec ullo modo possunt clerici recitare in comœdiis profanis; et contra recitantes in ipsis posse episcopum statuere pœnam excommunicationis ferendæ sententiæ, declaravit sacr. congr. Concil *in Sulmonen.* 22 August. 1655. Nec mimis, joculatoribus, et histrionibus intendere debent; textu expresso in cap. *Clericis officia* 15, *De vit. et honest.*

IV. Prohibetur illa cum mulieribus cohabitatio et frequentatio, quæ castitati clericali potest præjudicium inferre.

1. Clerici non possunt frequentare domicilia feminarum : cap. *Clericus* 20. dist. 81, ibi : *Clericus solus ad feminæ tabernaculum non accedat, neque frequenter properet sine majoris notæ sacerdotis jussione. Nec solus presbyter cum sola femina fabulas misceat; nec archidiaconus sub prætextu humilitatis, aut officii frequenter intret domicilia matronarum, aut forte per clericos, aut domesticos matronæ mandet aliquid secrete. Si quid agnitum fuerit, et ille deponatur, et illa a liminibus ecclesiæ arceatur.* Concordat cap. *Sed si forte* 21, et cap. *Cum omnibus* 27; et cap. *Clerici* 32, dist. 81, in quo ultimo sic habetur : *Clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines nisi ex jussu vel permissu episcoporum, aut presbyterorum non accedant. Et hoc non soli faciant, sed cum conclericis, vel cum quibus episcopus, aut presbyter jusserit, nec ipsi episcopi, et presbyteri soli habeant accessum ad hujusmodi feminas, sed ubi aut clerici præsentes sint, aut graves aliqui Christiani.*

2. Imo non solum clericis est prohibitum frequentare domicilia feminarum, sed insuper est eis vetitum feminas ad sua domicilia admittere. (C. *Hospitiolium* 17, dist. 32.) Concordat cap. *Oportet* 23, et cap. *Volumus* 24. dist. 81; et cap. *Inhibendum* 1, *De cohabitat. cleric. et mulier.*, ibi : *Inhibendum est ut nullus sacerdos feminas, de quibus suspicio esse potest, retineat sed neque illas, quas canones concedunt.*. Quotiescunque enim mulieres, quæ cum clericis cohabitare permittuntur, sunt aliquo modo suspectæ, non tantum extraneæ et famulæ, sed, etsi consanguineæ sint, separandæ sunt, et arcendæ ab illorum domibus, licet sint senilis ætatis. (NICOL. *Lucubrat. can.* l. III. tit. II. *De cohab. cler. et mulier.*, n. 1, sac. cong. Episcop. pluries.)

3. Sinistra autem suspicione cessante, licitum est clericis, et a jure concessum, in domo sua retinere rei domesticæ gratia, seu ob aliud honestum motivum, matres, avias, materteras, amitas, sorores, filias fratrum aut sororum, aliasve stricto naturali fœdere conjunctas, textu expresso in cap. *Cum omnibus* 27, *dist.* 81, concordat cap. *Interdixit* 16, dist. 32, et cap. *A nobis* 9 *De cohabit. cleric. et mulier.* Quinimo, cessante suspicione, licitum est clericis domi retinere etiam alias feminas extraneas pro re domestica sibi valde utiles et necessarias. Citat. cap. *Interdixit* ex sancta synodo Nicæna; dummodo sint provectæ ætatis; et remittitur prudentiæ, et vigilantiæ episcoporum, ut attenta ætate, qualitate, et morum honestate tam clericorum quam mulierum, seu famularum eis concedant, vel interdicant cohabitationem, prout eis melius in Domino expedire videbitur. Possunt enim episcopi de jure prohibere presbyteris et clericis, ne domi retineant famulas, nisi fuerint ab ipso approbatæ, et absque sua licentia. Sac. cong. Episc. 22 Nov. 1593. Dato autem quod mulier esset presbytero, seu clerico conjuncta in gradu consanguinitatis de jure permisso, tunc non videtur imponenda necessitas licentiam ab episcopo impetrandi, etiamsi retineatur cum qualitate famulatus, ut censuisse videtur sac. cong. Conc. 26 Feb. et 26 Mart. 1695. Dum-

modo tamen non sit suspecta, quia in tali casu non posset retineri, etiamsi esset sibi stricto fœdere sanguinis conjuncta (Ex dict. cap. *Inhibendum*).

4° De clericis concubinariis vide, lib. VI, cap. XIX, § 5 tom. I, p. 1572.

§ III. — Obligationes clericorum quoad ea quæ sunt præcepta.

Ea quæ sunt præcepta, et quæ præstari debent a clericis, referri possunt ad quatuor.

I. Ad recitationem divini Officii tenentur clerici ex triplici titulo, scilicet ex titulo sacri ordinis, ex titulo beneficii ecclesiastici, et ex titulo religionis choro astrictæ. (Communis.)

1. Titulo sacri ordinis obligantur sub mortali ad recitandum divinum Officium, seu Horas canonicas omnes majoribus ordinibus initiati, scilicet subdiaconi, diaconi et presbyteri, quamvis nullum habeant beneficium, nec aliquo voto ad id sint astricti. (Communis.)

2. Titulo beneficii ecclesiastici obligantur sub mortali ad idem divinum Officium recitandum omnes beneficiati, sive curati sive non, et etiam beneficiarii simplices, quamvis non sint in sacris ordinibus constituti. Item tenentur ad recitationem divini Officii habentes præstimonia, et præstimoniales portiones. (Constit. S. Pii V *Ex proximo.*)

Beneficiati, si post sex menses ab obtento beneficio, divinum Officium sine impedimento, et culpabiliter (secus si inculpabiliter, ob impotentiam, oblivionem, etc.), non recitaverint, tenentur ad restitutionem fructuum pro rata omissionis, seu respondentium tempori quo non recitaverint. Tenentur in conscientia ad talem faciendam restitutionem per eleemosynas pauperibus erogatas, ante omnem sententiam et declarationem judicis. Possunt tamen tales beneficiarii eleemosynas ob omissionem Horarum debitas pauperibus sibi applicare, si vere sint pauperes. (Sic Viva, ad propositionem 20 *De damnatis ab Alexandro VII*, n. 10, ubi testatur de communi aliorum.)

3. Titulo *religionis professæ choro astrictæ* obligantur sub mortali ad recitandum divinum Officium, seu Horas canonicas, sive publice in choro, sive privatim, omnes ac singuli regulares (exceptis novitiis, et laicis seu conversis), qui profitentur religionem choro astrictam, et hac ratione generalis consuetudinis, quæ in omnibus religionibus choro addictis cum tali obligatione acceptata est, quamvis ad id non sint obligati, nec ex vi ordinis sacri nondum recepti, nec ex vi beneficii non habiti, nec ex vi regulæ aut voti. (Sic, paucis exceptis, doctores communiter.)

Alia scitu utilia et necessaria de divino Officio vide apud theologos et moralistas.

Notandum tamen est quod divinum Officium recitari debet ab omnibus juxta Breviarium et ritum Romanum; vel saltem juxta alium a sancta Sede approbatum. Secus obligationi non satisfit.

II. Tenentur clerici ad modestiam specialem retinendam in toto vitæ genere.

1. Innumeri canones inculcant clericis obligationem servandi in toto vitæ genere simplicitatem, imo paupertatem. Quod de episcopis dixit concilium Carthaginense, anni 397, a fortiori cæteros omnes spectat et obligat : *Episcopus vilem supellectilem, et mensam ac victum pauperem habeat, et dignitatis suæ auctoritatem fide et vitæ meritis quærat.* (Cap. *Episcopus* 7, dist. 41, et cap. *Clericus* 8, ejusdem dist. ibi : *Clericus professionem suam et habitu et incessu probet, et ideo nec in vestibus nec calceamentis decorem quærat.*

2. Qualiter omnis luxus sæcularis in vestitu, in supellectili, etc., a clericis sit vitandus, innumeri canones inculcant. *Clerici*, inquit concil. Lateran. IV, *clausa deferant superindumenta, nimia brevitate aut longitudine non notanda. Pannis rubeis aut viridibus, necnon frenis calcaribus deauratis aut aliam superfluitatem gerentibus non utantur, fibulas omnino non ferant, neque corrigias auri vel argenti ornatum habentes, sed nec annulos, nisi quibus competit ex officio dignitatis.* (C. *Clerici* 15, *De vita et honestate clericorum.*)

Aliunde non minus ab ecclesiæ mente alienus est abjectus sordidusve habitus. Hæc regula teneatur Ambrosii, *De officiis*, lib. I, *Honestati et necessitati nihil desit; nihil accedat nitoris.* (Ita Lequeux, *Manuale*, t. I, p. 557 et seq.)

« Communis Ecclesiæ usus obtinuit, ut colore violaceo episcopis relicto, cæteri clerici utantur fusco, seu nigro. Excipiuntur quidam regulares, qui colore utuntur præscripto a sua regula, et S. R. E. cardi-

nales, quibus Innocentius IV, in Lugdunensi concilio anno 1240, rubri galeri, et purpuræ usum concessit. » (SCHMALZGR. part. I, lib. III *Decret.* tit. I, *De vita et honest.* n. 34.) Excipiuntur etiam prælati curiæ Romanæ, quibus varia insignia a diversis pontificibus concessa sunt. « Clerici non gerant fibulas, aut corrigias auri, vel argenti ornatum habentes : item non utantur manicis, et sotularibus consutitiis, frenis, sellis, pectoralibus, calcaribus deauratis. » (C. *Clerici* cit. — ID. *Ibid.*)

Notandum est tamen Benedictum XIV, *De synod. diœces.* lib. XI, cap. 4, vituperasse constitutionem synodalem, « in qua prohibebatur clericis usus fibularum in calceis, adjecta in transgressores haud levi pœna : ejusque constitutionis ratio petebatur ex cap. *Clerici* 15, *De vita et honest. cleric.*, ubi Innocentius III, inter cætera ornamenta clericis interdicta, fibulas etiam recenset, inquiens : *Fibulas omnino non ferant.* At nos amico episcopo suasimus ut hanc constitutionem deleret; neque his temporibus aptari diximus laudatam Innocentii III decretalem, utpote quæ de fibulis loquitur diversis sane ab illis quæ nunc communiter apud honestos viros sunt in usu. . . . Fibulæ autem, quæ hodie ad calceos colligandos sunt in usu, nisi sint gemmis distinctæ, nullam præ se ferunt vanitatem, sed solius commoditatis causa adhibentur etiam ab hominibus infimæ plebis et pauperrimis. Quocirca illas clericis interdicere esset male feriatorum hominum linguas ad dicteria et scommata incitare, absque ullo ecclesiasticæ disciplinæ profectu. » Unde dicendum est fibulas non esse insigne ecclesiasticum, sed tantum ornamentum laicale plus minusve commodum et etiam clericis ex usu non prohibitum.

3. « Annulos in digitis gestare non debent (clerici) nisi sint episcopi, vel in ecclesiastici officii dignitate constituti. (ABBAS, in c. *Clerici* cit.) Extendunt nonnulli exceptionem istam etiam ad doctores clericos, et fundantur, quia annulus unum est ex insignibus, quibus inaugurantur doctores, dum creantur. Et confirmatur ex Clement. 2, *De magistr.*, ubi doctoratus, vel magisterium honor, adeoque dignitas dicitur. Ego extensionem istam limito ad illos, qui sunt professores scientiarum in academiis, quibus jurisdictio, vel superioritas aliqua in studiosos competit. De cæteris autem puto probabilius negandum, cum Layman., Pirhing, et Schamb. » (SCHMALZGR. lib. III *Decretal.* tit. I, n. 34 et 35.) Attamen annuli usus in missa tantummodo prohibetur protonotariis non participantibus, et doctoribus quibuscunque, et canonicis cathedralium. (S. congr. Rituum 13 Februar. 1625, et 20 Novembr. 1628.) Possunt tamen canonici missam celebrare cum annulo aureo, et de rigore uti, sed sine gemma, et sine aliqua effigie. (Ead. sacr. congr. Rituum, 4 August. 1663.) Benedictus vero XIII, in concil. Rom. tit. XVI, cap. 3, statuit in missæ celebratione esse deponendum. Et tandem sacr. congr. Rituum, 11 Aprilis 1840, *Hydruntina*, respondit « Quoad vero annuli usum serventur decreta pluries edita præsertim *in Beneventana* diei 13 Septembr. 1670 *ad dubium* 12 quo annuli delatio in missa est vetita omnibus sacerdotibus, etiamsi sint protonotarii titulares, dignitates, et canonici cathedralis. » — Ex quibus declarationibus patet annulum doctoratus insigne deferri extra missam licitum esse, et ejusdem delationem presbyteris doctoribus solummodo in missæ celebratione vetitam esse.

III. Tenentur clerici ad habitum illum gerendum qui deceat professionem clericalem.

1. Habitus clericalis in duobus præcipue consistit : veste talari debiti coloris, et in tonsura capitis. Habitum et tonsuram clericalem deferre tenentur clerici in sacris ordinibus constituti, et etiam clerici inferiores, si beneficium ecclesiasticum habeant. C. *Clericus* 8, dist. 41; c. *Clerici officia* 15, *De vita et honestat. cleric.*; Clement. *Quoniam* 2, *De vit. et honest.* et concil. Trident. sess. 14, cap 6 *De reform.* ibi : *Etsi habitus non faciat monachum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant. Propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quæ aut in sacris fuerint, aut dignitates, personatus, officia, aut beneficia qualiacunque ecclesiastica obtinuerint, si postquam ab episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem, illorum ordini, et dignitati congruentem, et juxta ipsius episcopi ordinationem, et manda-*

tum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus, reditibus, et proventibus ipsorum beneficiorum, necnon si semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, et beneficiorum hujusmodi coerceri possint, et debeant, constitutionem Clementis V, in concilio Viennensi editam, quæ incipit, Quoniam, ***innovando et ampliando.***

Quinimo post concil. Trident. fuit edita a Sixto V constitutio incipiens *Cum sacrosanctum*, sub dat. v Idus Januarii 1588; in qua statuit quod clerici beneficiati non deferentes habitum et tonsuram clericalem ipso facto absque ulla monitione, citatione, aut judicis decreto ipsis beneficiis privati dicantur, adeo ut ipsa beneficia vacent, et uti vacantia, aliis conferri valeant, quoties clericalem habitum non deferant. Et non juvat allegare non usum dictæ constitutionis Sixtinæ, quoniam Garcias, Barbosa, Cortiad., id tenentes fuerunt reprobati.

2. Clerici vero in prima tonsura, aut etiam in minoribus ordinibus constituti, et beneficia ecclesiastica, seu jus ad illa nondum habentes, non tenentur deferre habitum et tonsuram clericalem nisi causative, quatenus velint gaudere privilegiis clericalibus, ut tenent communiter doctores; et clare deducitur ex dicta Clement. *Quoniam*, ex concil. Trident. loc. cit. et constitutione Sixti V citata.

3. *De veste clericali.* — Qualitas et forma præcisa habitus claricalis, licet in jure communi non reperiantur in omnibus, et per omnia determinata, et stabilita, habentur tamen tum in jure communi, tum in conciliis, tum in constitutionibus pontificiis varia præscripta circa habitum, seu vestitum clericorum. In primis enim præscribitur, ne clerici utantur vestibus sæcularibus sub pœna excommunicationis. (*Concil. Roman.* i, sub Zacharia, cap. 3; et cap. *Episcopi* 3, causa 21, quæst. 4.) Et tam in habitu quam in cama sacrorum canonum mens est et constans intentio ut clerici a laicis distinguantur. *Secundo* ut pannis, vestibus, calceamentis, vanitatem et superfluitatem gerentibus non utantur. *Tertio* ut clausa deferant desuper indumenta, nimia brevitate, vel longitudine non notanda. (C. *Clerici officia* 15, *De vit. et honest. cleric.* Quod idipsum etiam statuit Sixtus V, constit. *Cum sacrosanctum* ibi : *Tonsuram* ***et habitum clericalem, vestes scilicet talares deferant.*** Unde potest episcopus de jure vestem talarem clericis præscribere, ipsique eam deferre tenentur, ex constit. Sixti V cit. et concil. Trident. sess. 14, c. 6; et sess. 22, cap. 1, *De reform.* et pluribus sacr. congr. Concil. declarationibus.

Per talarem autem vestem in rigore intelligitur illa, quæ pertingit usque ad talos; Garcias tamen part. 1, *De benef.* c. 1, n. 21 et 22, cum aliis notat ex epicheia et æquitate etiam illas judicari vestes talares, quæ juxta consuetudinem locorum clericis sint decentes, quamvis non sint nimis longæ, neque usque ad pedes descendant. Unde pro discernenda decentia vestium clericalium erit attendendum an ipsæ sint conformes communi usui proborum clericorum, seu consuetudini provinciarum, civitatum, aut locorum in quibus clerici commorantur, quoniam, ut recte observat cardinalis de Luca in adnotatione ad concil. Trident. disc. 24, num. 22 et seq., « in civitatibus, aliisque locis civilibus, in quibus cum decore vivitur, vestes clericales sunt longæ ultra talos; in parvis autem, vel obscuris locis, ob clericorum paupertatem, vix ad genua descendunt, ita tamen, ut ob diversum usum a sæcularium vestibus adhuc distinguantur, attendendo simul ad diversitatem regionum vel personarum varios usus secundum consuetudinem locorum, nam consuetudo est optima legum interpres. »

Ex eadem generali consuetudine vestes talares cum plus minusve longa cauda reservatur prælatis jurisdictionem habentibus.

Nihil in jure præscribitur de galero clericorum nisi pro cardinalibus et episcopis; nec etiam de zona aut cingulo; neque de collari; sed prohibetur superfluum pectorale et incommodum ornamentum in quibusdam regionibus *rabat* dictum. (C. *Clerici officia* 15, *de vit. et honest.* et Clement. *Quoniam* 2, eod. tit.) Hæc diversa ex consuetudine qua clerici a laicis in galero, collari et calceamentis distinguantur, determinanda sunt; potestque in istiusmodi vestibus præscribere episcopus, dummodo superfluitatem redolentia contra sacros canones non statuat. De pectorali tamen *rabat* dicto, idem dicendum videtur quod de fibulis dixit Benedictus XIV, *De synod. diœc.* lib. ii, cap. 4, scilicet illud pectorale *rabat* nec vetitum nec præscribendum esse in regionibus

in quibus est in usu; secus vero in aliis regionibus; nam ibi prohibetur a lege generali (Cap. *Clerici officia* cit.)

4. *De tonsura.* — Varia fuit tonsuræ forma in decursu temporum; hodie tamen ab Ecclesia generaliter receptum est, ut corona capillorum a monachis, aliisque regularibus necnon a Romano pontifice retenta, reliqui clerici sæculares loco ejusdem coronæ solummodo circulum aliquem modicum in superiori parte capitis abrasum gerant. Et in specie pro minoribus ordinibus pro quantitate et longitudine tonsuræ, seu coronæ assignatur mensura unius regalis, seu minoris hostiæ; pro subdiaconatu paulo major; major etiam pro diaconatu; pro sacerdotio mensura hostiæ majoris; pro episcopatu longe major totum fere caput circumcingens, ut definitum est in concil. Toletano IV, et concil. Placentino sub Urbano VI. Hujus autem coronæ mystica significatio potissimum declaratur in cap. *Duo sunt genera* 7, causa 12, quæst. 1, his verbis: ***Hi namque*** (scilicet clerici) ***sunt reges, id est, se et alios regentes, et ita in Deo regnum habent; et hoc designat corona in capite.***

5. Clerici in sacris, vel beneficiati, licet in prima tonsura, aut etiam minoribus ordinibus constituti, si per longum tempus tonsuram et habitum clericalem non deferant et comam sine justa causa nutriant, peccant mortaliter, ut colligitur ex multis juribus et concil. Trident. sess. 14, cap. 6; et constit. Sixti V *Cum sacrosanctum.* Quæ imponunt transgressoribus maximas pœnas. Clericus non deferens habitum clericalem, nec tonsuram et comam relaxans, supponitur excommunicationi. (C. *Si quis ex clericis* 23, dist. 23; et cap. 4 *De vita et honestate.*) His tamen pœnis non subjiciuntur clerici in prima tonsura, aut minoribus ordinibus constituti, si beneficium ecclesiasticum, aut saltem jus ad illud non habeant.

6. Dantur tamen plures casus, in quibus omnibus clericis habetur justa causa non deferendi habitum et tonsuram pro aliqua differentia temporum, locorum et circumstantiarum communis. *Primo* nullam incurrit culpam et pœnam clericus incedens absque habitu et tonsura clericali, quando id faciat ex causa justi timoris. Cap. *Clerici officia* 15, *De vit. et honest. cleric.* ibi: ***Nisi justa causa timoris exegerit habitum transformari,*** ut esset in clerico, qui transiturus esset loca infidelium, vel hæreticorum et hujusmodi cum periculo vitæ, aut metu servitutis, verberum, aut alterius gravis incommodi. *Secundo*, nullam incurrit culpam et pœnam, qui non defert tonsuram propter infirmitatem, vel non defert habitum proprio ordini congruentem ratione magnæ paupertatis. *Tertio*, nec etiam qui domi suæ atque in occulto habitum clericalem dimittit. (Glossa in Clement. *Quoniam*, et communis.) *Quarto*, nullam incurrit culpam et pœnam clericus itinerans, vel peregrinans, qui in itinere brevioribus utitur vestibus. (Arg. cap. *Episcopi* 3, causa 21, quæst. 4; et ita rescripsit sacr. congr. Episc. 18 Octobr. 1589.) *Quinto*, excusatur clericus, qui semel habitum dimisit; is enim propter unicam habitus dimissionem non debet beneficio, vel fori privilegio privari, sed requiritur ut tantum perseveret, quod publice pro laico habeatur. (Ita multi... apud Ferrar. verb. *Clericus.* art. 1.)

IV. Tenentur clerici ad continentiam servandam. In præsenti quæstione distinguendum est inter clericos in minoribus ordinibus et clericos in sacris constitutos.

1. Juris certi et indubitati est matrimonium contrahere licitum esse clericis, in quocunque ordine minore sint constituti. Ita enim aperte constat ex c. *Si qui* 8; c. *Placuit* 13; et c. Seq. dist. 32; c. *Quia tua* 8, causa 12, quæst. 1; c. *Si qui* 1, *De clericis conjugatis.*)

Sed ex iisdem capitibus et c. *Quod a te* 3; c. *Diversis* 5, *De cleric. conjug.*, certum est clericos etiam minores, si uxores duxerint, ad beneficia ecclesiastica obtinenda redditos esse inhabiles, et si quæ antea obtinuerint, iis esse pleno jure privatos. (Ita Schmalzgr. lib. III *Decret.* part. I, tit. II *De cleric. conjug.*, et alii ab ipso allati.) Hæc privatio beneficiorum intelligi debet de solo matrimonio contracto et rato; nam per contractum sponsalium de futuro clerici in minoribus constituti ipso jure beneficia non amittunt. (Id. *ibid.* n. 7.) Intelligi debet non tantum de beneficiis, sed etiam de gratiis exspectativis, accessu, regressu et quibusvis aliis juribus spiritualibus ad beneficia ecclesiastica, quæ ante initum matrimonium clericis ex collatione, nominatione, præsentatione competebant; vacant enim ipso jure, instar beneficiorum. Aliæ vero gratiæ, quæ jus ad beneficia nullum tribuunt, uti

est dispensatio cum illegitimo ad obtinendum beneficium, per contractum matrimonii non amittuntur. (*Ibid.* n. 8.)

Attamen per matrimonii contractum clericus minor non amittit pensiones, quas antea obtinuit ab Ecclesia pro ministerio mere temporali, quia fuit advocatus ecclesiæ, sacrista, cantor, organœdus, etc., ideoque post matrimonii contractum hæc officia continuando merito pro iis, tanquam laboris stipendium, pensionem sibi assignatam percipit. (*Ibid.* n. 9.)

2. *De clericorum in majoribus constitutorum continentia.* — « Distinguendum adhuc inter matrimonium contrahendum et contractum. *Matrimonio contrahendo* sanctissimi ordines ita obstant, ut clerici, qui in his constituti sunt, nec licite, nec valide contrahere illud possint, ut aperte desumitur ex cap. *Si qui* 1, *De clericis conjugatis* et similibus; et definitum est a Trident. sess. 24, c. 9. Estque lex ista universalis omnino etiam clericos Ecclesiæ Græcæ obligans, nam nec isti, postquam aliquando in sacris sunt constituti, ducere amplius uxores, possunt ex concilio Quinisexto, can. 3.»

« Si vero loquamur de matrimonio contracto, istud quidem Græcæ Ecclesiæ clericis nequaquam obstat, quin promoveri adhuc ad ordines majores possint, in Latina tamen Ecclesia suscipiendis ordinibus impedimentum objicit ita ut ad eos clerici conjugati nequaquam admittantur, præterquam si perpetuam continentiam voverint et unicam eamque virginem duxerint; prout statuit Alexand. III, c. 2, *Sane de cleric. conjug.* Proceditque hoc etiam de prima tonsura et minoribus ordinibus; nam neque ad istas admitti possunt præter casum proxime exceptum.»

« Quæritur an et quomodo sacri ordines obstent licito usui matrimonii? Resp. distinguendum inter clericos Græcæ et Latinæ Ecclesiæ. *Græcæ ecclesiæ clerici*, si matrimonium ante clericatum, vel subdiaconatum contraxerint, eo uti non prohibentur etiam post susceptum presbyteratum. (C. *Aliter* 14, dist. 31; c. *Olim* 6, *De cleric. conjug.*, et c. *Quæsitum* 7, *De pœnit.* et *remiss.*) Quoad *Latinæ Ecclesiæ clericos* videndum, an cum uxoris suæ consensu, an sine illo ordines sacros susceperint. Nam si *primum*, non tantum possunt, sed etiam compelluntur cohabitare suis uxoribus, utpote quas jure per matrimonium sibi acquisito spoliare non potuerunt; *si vero alterum*, matrimonii usus iisdem penitus est interdictus: hinc etiam uxores eorum vel castitatem vovere, vel omnino religionem profiteri debent.» (*Ibid.* n. 18 ad 21.)

3. « Cœlibatum sacris ordinibus nec divino, nec naturali, sed solum humano ecclesiastico jure annexum esse tenent communius theologi et canonistæ alicujus nominis et notæ.

« Utrum vero obligatio, qua tenentur clerici sacrorum ordinum ad continentiam servandam, oriatur ex mera constitutione Ecclesiæ præcipientis continentiam, an etiam ex voto, quod Ecclesia annexuit ordini sacro? *Primum* affirmant multi ex c. *Presbyteris* 8, dist. 27; c. *A multis* 9, *Qui cler. vel vov.*, et Trident. sess. 24, c. 9, qui textus omnes legis ecclesiasticæ expresse meminerunt, nulla mentione facta de voto. — Contra ex solo voto oriri obligationem istam contendunt plurimi, ex c. *Cum olim* 6, *De cleric. conjug.*; c. un. *De voto* in 6; et extravag. *Antiquæ, Joannis XXII*, eod., ubi mentio fit voti in Latina Ecclesia annexi sacris ordinibus. Quæ sit autem verior sententia non liquet.

4. « Quæritur, quæ sit pœna eorum, qui post susceptum libere sacrum ordinem, insuper habito voto continentiæ, et præcepto illius, temere præsumunt uxores ducere? Resp. Præterquam quod matrimonium ita contractum invalidum sit, de jure canonico gravissimæ in eos statutæ pœnæ sunt, antiquo quidem... sed hodie loco illarum : 1° Clerici, qui in subdiaconatu, et aliis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, ad dimittendas illas, et pœnitentiam de scelere commisso agendam per suspensionis, et excommunicationis sententiam compellendi sunt. (C. *Si quis, de cleric. conjug.*) Imo facto ipso excommunicationem incurrunt. Clem. unic. *De consanguinit. et affinit.*, a qua tamen, quia jure reservata non est, absolvi possunt ab episcopo. — 2° Fiunt irregulares, ut nec in susceptis ordinibus ministrare, nec ad altiores ascendere possint. (C. *Monachum* 32, causa 27, quæst. 1.) Potest tamen episcopus in ea irregularitate dispensare, ut patet ex c. *De diacono* 1 et seq. *Qui cler. vel vov.*), dummodo talis clericus doleat de peccato sup, et pœnitentiam injunctam peragat, absque scandalum aliorum. *Excipitur*, nisi cum vidua vel corrupta contrahat :

quia tunc contrahit irregularitatem bigamiæ interpretativæ, in qua episcopus dispensare potestate ordinaria nequit. — 3° Redduntur suspecti de hæresi, ita ut contra eos procedi possit per inquisitores Sacri Officii... — 4° Incurrunt etiam pœnam stupri si virginem sub figura et prætextu matrimonii violaverint, quamvis verba de præsenti et benedictiones præcesserint. — 5° Denique beneficiis, si quæ habent, privantur. (C. *Decernimus* 2; c. *De iis* 5; c. *Presbyter* 9, dist. 28.) Sed probabilius hanc beneficiorum privationem non incurrunt ipso jure, iis vero solum privandi sunt per sententiam. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 18 ad 37.)

CAPUT III.

De clericorum obedientia et subjectione.

§ I. — Erga Papam.

I. Omnes clerici primo debent summo pontifici venerationem, obedientiam et subjectionem, de jure divino, est de fide. Præterea, « omnes Christifideles de necessitate salutis subsunt Romano pontifici. » (C. *Unam sanctam* 1, *De majoritate et obedient.*; *Extravag. commun.* lib. I, ibi : *Porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.*)

Ultra hanc generalem obligationem pro omnibus Christifidelibus, multi clerici, ut v. gr. doctores, canonici, parochi tenentur ad professionem fidei emittendam et juramentum erga sanctam Sedem præstandum.

II. Papæ igitur et sanctæ Sedis mandatis, præscriptis et constitutionibus per se tenentur obedire omnes clerici, dummodo ad eorum notitiam veniant. Ideoque in quantum ad eos et ad eorum officia spectant canonum statuta, ea custodire debent absque alia speciali præscriptione; nam « juris canonici statuta omnes ligant, ex cap. 1 *De constitutionibus*, tit. II, lib. I *Decretal.* ibi : *Canonum statuta custodiantur ab omnibus. Et nemo in actionibus vel judiciis ecclesiasticis suo sensu, sed eorum auctoritate ducatur.* Et : *Potestas legem condendi et mutandi est penes vicarium Christi.* (C. *Translato* 3, ejusdem tit. et lib.) Et *constitutiones decretorum singularibus sunt opinionibus præferendæ.* (C. *Ne innitaris* 5, ejus tit. et lib.) Ad excusandam igitur sacrorum canonum inobservantiam allegari nequit quod episcopus canonicas leges custodire non jusserit; nam lex, dum nota est, per se obligat.

III. Qui non obediunt constitutionibus canonicis, inobedientiæ notam, seu quodammodo infamiam incurrunt, prout ex cap. *Illud* 5, *De majorit. et obedient.* notat Host., Abbas, et Pirhing, qui n. 28, addit infamiam istam talem esse, quæ sublato peccato, ex quo provenit, per pœnitentiam tollitur. Præterea in casibus a jure determinatis, alias pœnas de jure incurrunt.

§ II. — Erga episcopum.

I. Obedientia debetur *episcopo* a diœcesanis sibi subditis, in iis omnibus, quæ ad curam animarum pertinent. Neque refert, etiamsi sint imperatores, reges, aut principes; nam omnes principes terræ, et cæteros homines episcopis obedire beatus Petrus præcipiebat, ut dicitur c. *Omnes* 4, *De major. et obed.* A fortiori proprio episcopo reverentiam et obedientiam debent clerici. Sacerdos in sua ordinatione promittit *obedientiam* episcopo; hæc vero promissio intelligenda est juxta leges ecclesiasticas et canonicas sanctiones : nam talis promissio non est votum obedientiæ. Atqui « religiosus ex vi voti obedientiæ tenetur superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit secundum regulam, et institutiones sui ordinis, et etiam quando dubitat, an res, quæ illi præcipitur, sit vere secundum dictam regulam et an licita sit, necne; dummodo non cognoscat evidenter esse malam et illicitam. Sed non tenetur obedire superiori in iis, quæ clare sunt contra suam regulam et constitutiones sui ordinis; nisi superior sit talis, qui possit in ipsis dispensare, et causa legitima adsit. » (Communis, apud FERRAR. verb. *Votum*, art. 2, n. 13, 15 et 16.) Promissio sacerdotalis in ordinatione non habet vim voti, ergo non potest obligare nisi secundum leges ecclesiasticas et canonicas sanctiones. — « Hinc, ait sanctus Ligorius, quæritur, ad quid teneantur sacerdotes vi hujus obedientiæ? Noster SS. P. Benedictus XIV, in constitut. *Ex quo dilectus*, emanata die 14 Januarii an. 1747, sic explicat : *Agnoscimus presbyterum hujusmodi promissionis vigore ea lege inter alias astrictum teneri, ut a servitio Ecclesiæ, cui addictus fuerit, discedere nequeat sine licentia episcopi.* Hoc tamen intelligendum, nisi presbyter, etiam parochus, velit transire ad aliquod monasterium, vel regularem canonicam, ut habetur in can. *Duæ sunt*, causa 19, quæst. 2.

Tunc enim (ut ibi statuit Urbanus II) potest libere discedere, etiam contradicente episcopo. » (S. LIGOR. lib. VI, tract. V, cap. 2, n. 828.)

Fagnanus, ex c. *Conquerente De offic. ordinar.* lib. I *Decretal.*, infert, cum Abbate, ut episcopus petere non possit a clericis suæ diœcesis aliqua servitia, quæ in jure non sunt expressa. (C. *Quia cognovimus*, causa 10, quæst. 3.) Et sic responsum fuisse a sacr. congr. testatur; et ita communiter. Ergo obedientiæ sacerdotalis promissio obligat tantum in iis quæ in jure sunt expressa.

II. Episcopo ab omnibus clericis debetur reverentia, quæ consistit in honore, qui exhibetur in assurgendo, caput inclinando, genuflectendo, et his similibus. Licet multoties reverentia, et obedientia accipiantur ut synonyma. Ad hanc autem reverentiam episcopo exhibendam tenentur etiam exempti, et etiam principes supremi, reges, etc. (C. *Solitæ* 6, *De major. et obed.*; FAGNAN. *ibid.* n. 14 et seq.)

III. In specie, simplices sacerdotes non habentes officium, neque beneficium in ecclesia cathedrali, non possunt per episcopum cogi ad publicas processiones, et canonicis inserviendum in functionibus ecclesiasticis, seu munere diaconi, vel subdiaconi, non obstante exiguo numero canonicorum, ut pluries declaravit sacr. congr. Concil.; nisi adesset contraria consuetudo, vel nisi ageretur de clericis pro necessitate, et utilitate cathedralis ad titulum patrimonii ordinatis : ut respondit sacr. congr. Episcop. et sacr. congr. Concil. pluries.

« Clerici aliive presbyteri non confessarii, cogi non possunt, sed hortari ad interessendum conferentiis casuum conscientiæ, ut pluries declaravit sacr. congr. Concil. Episcopus non potest clericis beneficiatis addere nova onera in fundatione beneficiorum a fundatoribus non apposita. Non potest a clericis exigere charitativum subsidium, nisi sit pauper; nec etiam in hoc casu a clericis non beneficiatis. »

Episcopus non potest cogere clericos in minoribus constitutos ad suscipiendos ordines majores sub pœna privationis privilegiorum clericalium. (S. congr. Immunit.)

Clerici sæculares transire possunt ad religionem non petita episcopi licentia, imo ipso contradicente. (Textu expresso, in c. *Duæ sunt* 2, causa 19, quæst. 3; et BENED. XIV, const. *Ex quo*.)

Clerici peregrinari non debent nisi de licentia episcopi. (C. *Non oportet* 35, *De consecrat.* dist. 5; c. *Magnæ* 7, *De voto.*) Nec possunt testimonium judiciale perhibere in foro sæculari sine licentia episcopi; quæ licentia dari debet pro causis civilibus, dummodo ex eo aliquo modo criminalitas oriri non possit, et juramentum in tribunali episcopi præstetur; hæc autem episcopi licentia gratis expedienda est. Clericus sponte deponens sine licentia coram judice laico, potest ab episcopo puniri pœna arbitraria. (Communis ex multis juribus apud FERRAR. verb. *Clericus*, art. 8. (Clericus vero qui coactus deponeret coram judice laico, non potest puniri.

IV. Episcopus in delictis difficilis probationis sibi notis potest extrajudicialiter, et sine processu seu ex informata conscientia clericos, et presbyteros a divinis suspendere. (*Concil. Trident.* sess. 14, c. 1; et sic declaravit pluries sacr. congr. Concil.) Et tenentur clerici suspensionem custodire; secus irregulares fiunt. Nec possunt a tali suspensione appellare, sed tantum recurrere ad sacr. congr. Concil.

Episcopus potest de facto absque judiciali monitione excommunicare clericos, sive laicos, qui se opponunt visitationi, ut pro validitate censurarum respondit sacr. congr. Concil. pluries.

Alia de hujus capitis materia vide in lib. III *De episcopo*, cap. VIII, et in lib. V *De seminariis*, cap. VIII, t. I p. 1159.

V. Clerici curati, juxta consuetudinem Ecclesiæ tempore investituræ tenentur juramentum obedientiæ præstare episcopo, ut cum aliis notat Pirhing, *De majorit. et obed.* n. 19. Simplices vero clerici, qui nec curam, nec administrationem habent, « satisfaciunt, si promissionem obedientiæ præstent verbaliter, aut manualiter : quod adeo verum est, ut si scriptam, aut juratam a tali clerico petat episcopus, eidem injuriam facit juxta c. *Legebatur*, *De major. et obed.* Quia excedit limites officii sui ; in iis autem, in quibus limites officii sui excedit superior, subditus ad obtemperandum non obligatur. » (SCHMALZGR. *De major. et obed.* n. 15.)

VI. Qui decretis, seu statutis episcoporum (juri communi tamen non oppositis), aliorumque prælatorum, seu superiorum eccle-

siasticorum per contumaciam non obtemperant,... excommunicari debent, prout habetur c. *Si quis* 2, *De major. et obed.* Hæc autem pœna excommunicationis non est infligenda, nisi propter inobedientiam, quæ sit vel secundum se gravis culpa, vel propter adjunctas circumstantias, cui insuper contumacia accedat, ut communiter tradunt doctores. » (Id. *ibid.* n. 18.)

CAPUT IV.

De juribus clericorum.

§ I. — De probatione clericatus.

I. Ut clericus juribus et privilegiis suis gaudere possit, debet probare se esse clericum. (C. *Presbyteri* 2, dist. 68; c. *Legum* 9, causa 2, quæst. 1.) Ratio clara est, ait Schmalzgrueber (*De vita* et *honest.* n. 48), quia clericatus homini neque communiter inest, cum omnes nascantur laici, et tales esse plerique perseverent; qualitas autem, quæ neque a natura, neque communiter inest, non præsumitur, sed ab allegante probanda est. »

II. « Variis modis probatur clericatus : 1° quidem per litteras formatas, ut vocant, sive authenticas episcopi, testificantis ejusmodi clerico collatam primam tonsuram, vel ordinem. — 2° Per librum ordinatorum reservatum in archivio episcopali, cum ex eo, tanquam ex originali litteræ testimoniales susceptorum ordinum transsumuntur.) — 3° Per attestationem notarii, seu instrumentum publicum de ipso clericatu confectum. — 4° Ex confessione partis adversæ, præsertim quoad præjudicium ipsius confitentis. — 5° Testimonio unius etiam testis omni exceptione majoris, attestantis se ordinationis actui interfuisse, vel talem clericum sibi notum ut certo sacerdotem, etc.; quod intelligendum de probatione extrajudiciali, non præjudicante tertio, ex. gr. licentiam impetrandam pro celebranda missa; in judicio enim, in quo lis est super beneficio, ex. gr. non admittitur unius testimonium, sed clericatus, per duos saltem testes, vel aliter probari debet... » (Id. *ibid.* n. 49.)

III. In omnibus casibus judici ecclesiastico competit clericatus discussio. (C. *Si judex* 12, *De sent. excom. in* 6.)

§ II. — De jure clericorum ad suos ordines exercendos.

I. Ex eo quod clericatus probari debeat, sequitur clericos peregrinos non posse in aliena diœcesi ad exercitium sacrorum ordinum admitti absque approbatione requisita. (*Conc. Trident.* sess. 23, *De reform.* c. 16, decernit : *Nullus clericus peregrinus, sine litteris sui ordinarii commendatitiis, ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admittatur.*) Antiquissimam esse hanc disciplinam probare possemus ex innumeris monumentis. Mandat præterea conc. Trident. sess. 22, *Decret. De observandis in missa : Singuli* (episcopi) *in suis diœcesibus interdicant ne cui vago et ignoto sacerdoti missas celebrare liceat.* Hæc decreta Tridentina spectant solummodo presbyteros peregrinos, vagos et ignotos, non autem bene notos presbyteros, quamvis ex aliena diœcesi; et etiam unius testis omni exceptione majoris testimonium sufficit, ut aliquis sacerdos istiusmodi testi notus admitti possit ad missam celebrandam, ut ait Schmalzgrueber supra, et idem auctor part. III, tit. XXII *De clericis peregrinis*, n. 3 addit : «Quinam hic veniant nomine peregrini? Resp.: Ii, qui vagi et ignoti sunt ex mente Trid. sess. 23 cit., cap. 16. ibi : *Incertis vagentur sedibus;* nam ii, qui noti sunt, et fere etiam, qui ex vicinis diœcesibus adveniunt, ad sacrificium missæ celebrandum passim admitti solent, quin hujusmodi probationes, aut commendatitiæ, vel testimoniales litteræ ab ipsis exhibeantur, aut exigantur, ut docet praxis quotidiana, et observat Zipæus in Analysi. » Imo, « quod qui non habet litteras testimoniales sui episcopi, nullo jure est suspensus, sed potest celebrare secluso scandalo, resolvit P. Henriq. in *Sum.* lib. X, c. 34, § 6, litter. I, Navar. causa 5, sub tit. *De celebrat. miss.;* Pat. Valer. Reginald. in *Praxi fori pœnit.* lib. XXIX, n. 42. vers. *Tantopere.* » (Adnot. ad Concil. *Trident.* sess. 23, cap. 16.) Ratio est quod sacerdos, nulla censura impeditus, jus habet ad celebrandum; quo a nemine privari potest.

II. Sed ubi aliquis presbyter est peregrinus, et ignotus, subjicitur sacris canonibus; ideoque « sine litteris sui ordinarii commendatitiis, ab ullo episcopo ad divina celebranda et sacramenta administranda admitti nequit. » Non sunt vero deneganda litteræ commendatitiæ ab episcopo sacerdotibus et clericis, qui non habent beneficia requirentia residentiam in titulum. (Adnot. ad cap. 16, sess. 23 *Trident.*)

Ad episcopum autem loci, seu *territorii*,

pertinet permittere, aut per se, aut per alios, ut clericus advena aliquod officium ibidem exerceat, quod innumera concilia præscripsere, et Trident. supra cit. Ille vero episcopus debet sacerdotis ignoti litteras commendatitias verificare, quarum veritate perspecta, nequit talem sacerdotem a missæ celebratione repellere. Sed non sufficiunt litteræ ordinationis, nisi etiam commendatitiæ offerantur; et merito, ne aliquis, a jure impeditus, se divinorum celebrationi ingerat. Diximus *per se, aut per alios*, quia plerumque recepta consuetudo permittit quod admittantur per parochum ad paucos dies, quos constat esse ordinatos et sui episcopi gratia gaudere. Cæterum in hisce rebus varia diœcesium statuta observari debent cum prudenti urbanitatis et charitatis decentia.

III. Quod de presbyteris dictum est, respective intelligendum venit de omnibus aliis clericis quoad suos ordines.

IV. Sacerdotes vero, aliique ministri inferiores, qui pertinent ad ipsam diœcesim, censentur generatim *vi ordinationis suæ* ab episcopo approbati, ut, consentiente parocho, exerceant illas functiones suo ordini proprias, quæ nullam supponunt jurisdictionem aut missionem. Etenim ad hoc ipsum a suo episcopo fuerunt ordinati. Sed, quia eosdem potest episcopus, vel ad tempus, vel in perpetuum, pro culpæ gravitate, suorum ordinum exercitio suspendere, aut etiam privare, nequit parochus sic suspensos aut privatos ad ullas functiones admittere.

§ III. — De aliis clericorum juribus.

I. Omnes clerici in prima tonsura constituti vestem clericalem deferendi jus habent, a quo privari nequeunt nisi per sententiam judicialem et ex causis a jure determinatis. *Communis* ex multis canonibus et conciliorum præscriptis.

II. Clerici in sacris ordinibus constituti jus habent ad beneficium ecclesiasticum unde honeste vivere possint, nisi ordinati fuerint ad titulum patrimonii aut religiosæ paupertatis. Et, si beneficium seu officium unde sustentari queant non habent, tenetur episcopus ipsis alimenta præstare, et defuncto episcopo ordinante, tenetur capitulum et episcopi successor. (Textu expresso in c. *Episcopus* 4, et c. *Cum secundum* 16, *De præbendis*, et c. *Si episcopus* 37, eod. tit. in 6.) « Nisi talis ordinatus de sua paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere. » Unde nequeunt episcopi clericos in sacris etiam suspensos omni vitæ subsidio privare; soli etenim judicialiter depositi clerici jus suum amiserunt ad clericalem sustentationem... Jure tamen naturali tenetur episcopus sic depositis de sustentatione providere, si aliunde non habeant, dummodo in ejusdem obedientia maneant.

III. Omnes clerici requisitis qualitatibus gaudentes, jus habent ad concursum pro parochiis et præbendis per viam concursus conferendis, et etiam in aliena diœcesi; et a dicto concursu repelli nequeunt ab episcopo. (Est communis doctorum, et sic decisum fuisse a sacr. congr. Concil. refert ex Nicol. MONACELL. t. I, t. v, formul. 20, n. 1; GARCIAS, *De benef.* p. 9, c. 2, n. 208 et 209, et alii; et sacr. congr. Episcop. 29 August. 1591; apud BARBOS. *De potest. paroch.* part. I, cap. 2, n. 48.) Et dignior per concursum repertus jus habet ut ab episcopo aut collatore eligatur. (*Concil. Trident.* sess. 24, *De reform.* cap. 18; S. PII V, const. *In conferendis*, et Benedict. XIV, const. *Cum illud.*)

Quoad vero praxim Galliarum, qua gubernium sacerdotes idoneos et digniores ab episcopis ad parochias (vulgo cantonales) et canonicatus nominatos acceptare renuit, nullum adesse videtur remedium nisi lugendum. Cum tamen acceptatio gubernio a Concordato 1801 non conceditur nisi pro parochis, possunt episcopi canonicos, vicarios generales, etc., invito gubernio, instituere; sed in tali casu necesse est ut sic instituti habeant unde honeste sustentari queant absque gubernii pensione, si eamdem solvere injuste recusat.

IV. Omnes clerici jus habent ut non damnentur et puniantur inauditi et absque defensione. Hoc patet jure naturali et divino, et ex omnibus juribus.

V. Clerici in dignitate, officio, titulo, parochia, præbenda instituti nequeunt inviti descendere de majori ad minorem. (C. *Cum ex illo, De translat. episc.* lib. I *Decret.*) Quamvis enim in dicto capite agatur de episcopis, jus tamen generale est et a jure naturali fluit, quo prohibetur alicui gratis injuriam facere. Et in dicto capite *Cum ex illo*, sic habet Fagnanus, n. 9 : « Nota in dignitatibus ecclesiasticis non esse licitum descendere, id est de majori ad minorem transire, ut hic est expressum. » Et in cap. *Legimus*, in fin., dist. 93, ibi : « Qui provehitur, de mi-

nori ad majus provehitur. » Et in cap. *Licet, De translat.* : « Nam gradatim conferuntur honores. » Et n. 15 : « Hujusmodi transitus ab episcopatu ad minorem dignitatem est contra canonica instituta, ut hic, et in concordantibus supra citatis. » In quibus ut cap. *Legimus* agitur etiam de presbyteris et diaconibus. Pergit Fagnanus, *ibid.* cap. *Quanto*, n. 50, ubi sic argumentatur pro translatione episcopi : « Idem suaderi potest exemplo inferiorum sacerdotum, qui etiam inviti possunt a suis episcopis ex una ad aliam ecclesiam transferri. » (C. *Quæsitum, De rerum permut.*) — Ad quod, *ibid.* n. 88, respondetur retorquendo argumentum. Quoniam etsi inferiores sacerdotes transferri possint inviti, tamen ad hoc requiritur causa necessitatis, vel utilitatis ecclesiarum, ut probatur in juribus in contrarium adductis, et notat Archid. in c. *Episcopus de loco*, in fine causa 7, quæst. 1.

Sed in hac solvenda quæstione palmare est caput *Gesta* 2, dist. 74; ibi sic scribit Gregorius papa Natali episcopo Salonitano, lib. I *Regest.* epist. 19 : *Gesta quæ nobis in concilii vestri confecta secretario direxistis, in quibus archidiaconus Honoratus adducitur, plena esse cognovimus semine jurgiorum: cum uno eodemque tempore una persona nolens ad sacerdotii ordinem provehitur, quæ tanquam immerita a diaconatus officio removetur, et sicut justum est, ut nemo crescere compellatur invitus; ita censendum puto similiter, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio dejiciatur injuste.* — Tempore Gregorii jam archidiaconatus erat dignitas presbyteratu amplior, quoad jurisdictionem exteriorem; archidiaconus erat administrator ecclesiæ; sed quia Honoratus archidiaconus Natali episcopo Salonitano displicuerat, quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat, Natalis episcopus dictum archidiaconum degradaverat. Contra talia ab episcopo Natali gesta, rursus scripsit sanctus Gregorius Antonino subdiacono, lib. II, epist. 16, indict. 10. Et quod valde notabile est, instituit Antoninum subdiaconum delegatum Sedis apostolicæ ad discutiendam causam exsequendamque sententiam contra Natalem episcopum cum potestate etiam eumdem excommunicandi. Quæ sic exponuntur in cap. *Honoratus* 8, dist. 74 : *Honoratus archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ a sanctæ memoriæ decessore meo, missa supplicatione, poposcerat, ut ab antistite suo invitus provehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullatenus cogeretur. Hoc enim fieri sibi non provehendi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc jam sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri, coepiscopoque nostro interdixerat, ne prædictum Honoratum archidiaconum invitum proveheret, neve dolorem conceptæ ingratitudinis diutius in corde retineret. Cumque et a Nobis hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solum mandata Dei negligens, sed et scripta nostra contemnens, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus est arte callida degradare. Unde actum est, ut eo de archidiaconatus loco submoto, alium asscisceret, qui ejus obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum archidiaconum arbitramur antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam subtili voluimus, et tunc sanctæ memoriæ decessor meus, et nunc ego indagatione discutere, sed ipse suorum sibi actuum conscius, personam ad judicium postposuit destinare. Proinde experientiam tuam præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendam, quatenus conveniens in Salona, Natalem fratrem, coepiscopumque nostrum saltem tot scriptis admonitum studeat adhortari, ut supra memoratum archidiaconum in suo statim loco suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter, ut consuevit, forte distulerit, usum ei pallii qui ab hac sede concessus est, ex auctoritate Sedis apostolicæ contradices. Quem si etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseverare perspexeris, Dominici quoque corporis et sanguinis eumdem antistitem participatione privabis.*

De mandatis igitur Dei, de jure canonico nullus clericus insons ab ordinis sui ministerio injuste dejici potest, nec a suo loco degradari, etiam sub arte callida fortioris honoris. Et episcopus contrafaciens contumaciter, excommunicationi auctoritate Sedis apostolicæ subjiciendus est; ex quo consequitur quod sic agens episcopus mortaliter peccat, quia excommunicatio non infligitur nisi propter mortalia.

Tempore sancti Gregorii non exstabant multi parochi, nec vicarii parochorum, sed tantum collegium clericorum episcopi, et alicubi presbyteri rurales. Jus tamen ut-

pote mandatis Dei et Ecclesiæ præceptis fundatum idem manet, et applicandum venit omnibus quibuscunque clericis qui eo ipso de suo loco absque legitima et rationabili causa removeri et præsertim descendere nequeunt. Quod confirmatur can. ***Episcoporum* 5, *Posteriores prioribus episcopi non præponant*,** dist. 74, ibi : ***Episcoporum etiam, quorum vita non reprehenditur, posteriorem priori nullus præponat, nisi forte superbia elatus quod pro necessitate ecclesiæ episcopus jusserit, implere contemnat.***

VI. Potest tamen episcopus pro necessitatibus ecclesiarum et rerum ecclesiasticarum clericos invitos promovere, et in his casibus clerici contemnentes a locis suis dejici debent : textu expresso c. ***Si qui clerici* 3**, et c. ***Placuit* 4**, dist. 74; ibi : ***Placuit ut quicunque clerici, vel diaconi pro necessitatibus ecclesiasticarum rerum non obtemperaverint episcopis suis, volentibus ad honorem ampliorem in ecclesia sua promovere, nec illic ministrent in suo gradu, unde noluerunt recedere.***

VII. Clerici tamen possunt suo officio et loco in quo ordinati sunt renuntiare, nec inviti retineri debent : textu expresso c. ***Quorumdam* 6**, dist. 74, ex sancto Gregorio papa lib. II, epist. 34, quod sic summatur : ***In quo loco quisque ordinatus est, invitus teneri non debet.*** Quod nihilominus de his intelligendum est, qui non causa necessitatis, sed causa ingratitudinis callide ab episcopis suis promoveri queruntur; et patet ex decreto Simplicii papæ, c. ***Ubi* 7**, dist. 74.

§ IV. — De clericorum præcedentiis.

I. De canonicorum, parochorum, etc., præcedentiis in suis locis jam diximus. Hic tantum agemus de clericis generatim.

II. Præcedentia semper dignioribus danda est. (S. congr. Rituum, 1 Septembr. 1607.)

III. Præcedentia semper debetur clero sæculari supra regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis. C. *Alia* 6, causa 16, quæst. 1, cum similibus; sacr. congr. Rituum pluries. Et die 3 Augusti 1601 decrevit et ordinavit, ut in generalibus processionibus fratres seu monachi vel ordines regulares antecedant, et presbyteri seu clerici sæculares subsequantur, et ultimum locum teneant, nec mistim cum regularibus incedant. Et confirmatum est a Clemente VIII const. *Quæ ad removendum*, Gregorio XV, const. *Alias a felicis.*

IV. Præcedentia inter presbyteros sumitur ex antianitate ordinis, non ex gradu doctoratus, quia presbyteratus ordo longe dignior est, quam gradus doctoratus. (S. congr. Rituum pluries.) Inter tamen presbyteros ex eadem antianitate ordinis, præcedentia debetur presbytero doctori supra non doctorem, quia doctoratus est honor et quasi dignitas. (Clement. *Cum sit* 2, lib. V, tit. I.)

. Beneficiatus in ecclesia sui beneficii præcedentiam habere debet supra alios beneficiatos in eadem ecclesia non sacerdotes. (S. congr. Rituum *In nullius provinc. Florentinæ* de mense Januar. 1633.) Quod etiam dicendum est de vicariis parochorum, quia de juris mente supponuntur beneficiati in ecclesia parochiali in qua assumuntur vicarii. Ideoque habent præcedentiam supra alios beneficiatos in eadem ecclesia non sacerdotes. Et ad hoc facit declaratio sacr. congregat. Rituum *in Prænestina*, 12 August. 1701, qua : « Præcedentia inter simplices presbyteros debetur antianis, nisi presbyteri minores suppleant vices et munus parochi. » (Apud MONACELL. tom. IV Supplement. ad III tom. n. 100.)

V. Præcedentia, quæ debetur parochis perpetuis, eadem debetur parochis et curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent prærogativis parochorum perpetuorum, ut respondit sacr. congr. Concil. ***in una Comensi*** 27 Mart. 1706. Et hoc procedit etiam in eorum substitutis et subrogatis. (Sacr. congr. Rituum, 20 Januar. 1691 ; apud MONACELL. loc. cit. n. 106.)

VI. Quod de presbyteris dictum est, intelligendum etiam est de clericis; præcedentia debetur diaconis supra subdiaconos, subdiaconis super clericos in minoribus ordinibus, et clericis in minoribus ordinibus supra primæ tonsuræ initiatos. Sed in eodem ordine præcedentia debetur antianis.

CAPUT V.

De clericorum privilegiis et immunitatibus.

§ I. — Quid sit immunitas.

Aptius definitur immunitas dicendo quod sit : ***Jus quo ecclesiæ et alia loca sacra necnon personæ ecclesiasticæ ac res ipsarum liberæ ac immunes sunt a muneribus et oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiæ debitæ repugnantibus.*** Immunitas recte dividitur in localem, rea-

lem et personalem. Immunitas *localis* est quæ convenit ecclesiis aliisque locis piis seu religiosis. Immunitas *realis* est quæ competit rebus ecclesiasticis, id est bonis ad ecclesias vel personas ecclesiasticas pertinentibus. Immunitas *personalis* est quæ competit personis ecclesiasticis. — Hic agitur tantum de immunitate reali et præcipue personali.

§ II. — De immunitatum et privilegiorum clericorum origine et fundamento.

Quæstio num immunitas ecclesiastica sit de jure divino an potius humano, magni momenti est, et sursum atque deorsum versata, non modo a jurisconsultis, sed etiam a theologis. Nam alii contendunt clericos privilegio fori uti de jure divino; alii in contrarium nituntur id esse de jure humano. Variæ tamen theologorum et canonistarum sententiæ ad concordiam reduci videntur; ideoque ut certa apud omnes dicenda est sequens propositio:

Immunitas realis et personalis est de jure divino.

Probatur: I° Certum est de fide quod, si agatur de rebus spiritualibus, quæ scilicet directe referuntur ad doctrinam fidei et morum, ad disciplinam canonicam, observantias ecclesiasticas, ordinem clericalem, sacramenta, cultum divinum, clerici immunes sint de jure divino a jurisdictione et potestate laicorum. Etenim summus pontifex de jure divino ex institutione Christi positus est ad regimen Ecclesiæ, cum ei dedit potestatem pascendi oves suas, solvendi et ligandi, deditque claves regni cœlestis, et voluit ut aliquando conversus confirmaret fratres suos. Ex quibus pontifex factus est in spiritualibus caput totius orbis Christiani, et præsertim clericorum qui militantis Ecclesiæ partes sunt magis connexæ. Hi igitur ex eodem jure divino facti in spiritualibus sunt subditi summi pontificis a quo regi debent; nam ex quo jure est potestas capitis, ex eodem est subjectio subditorum. (Ita Ferrar., verb. *Immunitas*, adnot. *Ex aliena manu*. n. 19.)

II° Certum est et ad fidem pertinens, quod omnimoda clericorum personalis et realis exemptio sit de jure divino. Christus enim instituit hierarchiam ex omnibus clericis constantem ad docendum omnes gentes, divinumque cultum præstandum, sacramenta omnibus administranda; huic hierarchiæ Christus contulit omnes divinas potestates et missionem divinam pro omnibus gentibus et hominibus. Hierarchia vero ex hominibus assumpta est et assumitur, visibilis et corporea esse debet, et consequenter potestatem habet *manducandi et bibendi*, ut ait Apostolus, I Cor. II, 4. Propterea, ut ibidem, v. 14, addit: *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Ergo ex divina institutione hierarchia tenet nedum spiritualia, sed etiam temporalia jura. — Atqui absurdum esset dicere jura sive spiritualia, sive temporalia divinitus hierarchiæ collata, et ejusdem potestates missionemque divinas potestati et jurisdictioni hominum subjici, cum hæc omnia collata fuerint a Christo ad regendos omnes homines. Omnes enim homines hierarchiæ divinitus subjiciuntur; atqui subjecti in superiores jurisdictionem et potestatem habere nequeunt.

Ideoque sacr. concil. Trident. sess. 23, definivit tanquam de fide, can. 6: *In Ecclesia catholica esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris.* Atqui institutio divina hominum potestati et jurisdictioni subjici nequit. Ergo episcopi, presbyteri et ministri, id est clerici omnes, quibus constat hæc divina institutio eximuntur ab omni laicali jurisdictione, de jure divino.

Fagnanus in cap. *Ecclesia S. Mariæ*, tit. *De constit.* lib. I *Decretal.* fusius probat ecclesiasticas personas exemptas esse a jurisdictione laicali jure divino. Ferraris, verb. *Clericus*, art. 2, n. 77 et seqq., probat etiam clericos gaudere privilegio fori jure divino. Et uterque Ferraris et Fagnanus allegant multos theologos et canonistas defendentes hanc sententiam, quam dicit Ferraris, post Sperellum, fuisse canonizatam a Rota Romana.

Et cum ipsis probatur 1° ex Scriptura sacra, tum veteri tum nova. *Genesis* enim XLVII, vers. 22, sub Pharaone Ægypti rege habetur sacerdotes et levitas exemptos fuisse a jurisdictione sæculari et a lege solvendi tributa, et refertur in cap. *Non minus* 4, *De immunit. eccles.*, ubi idcirco graviter arguuntur plurimi Christiani principes, « quod deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone, qui legis divinæ notitiam non habebat, ubi nota illa verba *legis divinæ*. » Et similiter colligitur ex cap. ultimo, vers. 28 *Levit.*; et

ex cap. III *Numeror.*, vers. 10; et cap. XLV, vers. 14 et 15; et ex lib. I *Esdræ*, cap. XVII, vers. 24.

2°. Idem habetur ex *Matthæi* cap. XVII, vers. 25 et seqq., ubi Christus seipsum et Petrum a tributo solvendo eximit; nam cum ab ipso exigeretur tributum, dixit Petro: ***Reges terræ a quibus accipiunt tributum*** (vel censum), ***a filiis suis, vel ab alienis?*** Et respondente Petro: ***Ab alienis***, subintulit Christus: ***Ergo liberi sunt filii.*** Nomine autem filiorum intelliguntur omnes sacerdotes et clerici, qui cum Christo, ac Dei servitio peculiariter dedicati sint e familia ejus esse censentur. Non enim illa verba intelligenda sunt de exemptione solius Christi, ut veri Filii Dei, nam statim jussit Christus, ut ad vitandum scandalum Petrus inventum in ore piscis staterem daret pro utroque; ***Ut autem non scandalizemus eos, da eis pro me et te;*** adeoque uterque de jure exemptus dignoscebatur, Christus quidem ut verus Filius Regis regum; Petrus vero veluti repræsentans Ecclesiam sponsam Christi, et ecclesiasticas personas, tanquam domesticus ejus, cum etiam in humana politia non solum filii regum, sed etiam eorum domestici liberi sint a tributis. Et sic inferunt SS. Hieronymus in dicto cap. XVII Matth.; Augustin., lib. I *Quæst. Evangel.*, quæst. 23; Maldonat. in c. XVII Matth., Pirrhing, etc.

3° Probatur insuper variis textibus juris canonici privilegium fori clericorum esse de jure divino. Et in primis ex c. *Continua* 5, causa 11, quæst. 1, ubi refertur, quod in prima generali synodo Nicæna, ante emanatum quodcunque aliud privilegium super exemptione clericorum, ad quorumdam querelas contra clericos coram se depositas, sic pronuntiaverit Constantinus Magnus: ***Vos a nemine dijudicari potestis, qui ad Dei solius judicium reservamini.*** Id ipsum fusius habetur in c. *Futuram* 15, causa 12, quæst. 1, ibi: ***Vos a nemine dijudicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini; dii etiam vocati estis, et idcirco non potestis ab hominibus judicari.*** Concordat c. *Si imperator* 11, dist. 96, ibi: ***Non a legibus publicis, non a potestatibus sæculi, sed pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis clericos et sacerdotes voluit ordinari et discuti;*** hoc est judicari. Ubi nota illa verba, *omnipotens Deus voluit*, et illa, *ordinari et discuti*, per quæ demonstratur ordinationem et discussionem, seu judicium clericorum de jure divino pertinere ad solos episcopos et respective judices ecclesiasticos. Unde Glossa, ibid. vers. ***Et discuti***, sic notanter concludit: « Ergo antequam esset aliqua constitutio, etiam clerici non erant de jurisdictione sæculari; unde omnes constitutiones quæ emanarunt, quod clerici non sint judicandi nisi ab episcopis, non sunt nisi juris declaratio. » Et clarissime facit cap. *Sylvester* 13, causa 11, quæst. 1, ubi sanctus Gelasius papa reprehendit graviter attentatum cujusdam clerici ad sæculare judicium pertrahentis, ibi: ***Et contra leges divinas et publicas, pulsatis clericis, forum suum putatis auferri.*** Ubi nota illa verba *contra leges divinas*. Quid enim clarius? Similiter habetur in cap. ***Nimis de jure divino*** 30, ibi: ***Nimis de jure divino quidam laici usurpare nituntur, cum viros ecclesiasticos, nihil temporale obtinentes ab eis, ad præstandum juramenta compellunt.*** Et expresse demonstratur in cap. ***Quanquam*** 4, ***De censibus*** in 6, ibi Bonifacius VIII: ***Cum igitur ecclesiæ ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum jure humano, quin et divino a sæcularium personarum exactionibus sint immunes***, etc. Et multis aliis canonicis textibus, id non obscure asserentibus adducuntur pro omnibus concil. Lateranen. V, sess. 9, ibi: ***Cum a jure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attributa sit.*** Et concilium Tridentinum, sess. 25, ***De reform.*** cap. 20, ubi expresse contestatur: ***Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam.*** (Apud Ferrar., verb. *Clericus*, art. 2, n. 78 et seq.)

Porro, ubi agitur de fide et de jure divino et rebus divinis et ecclesiasticis, magis standum est judicio papæ ad quem pertinet determinare de fide, quam in judicio profert, quam quorumlibet sapientum in Scripturis opinioni; item sacrorum conciliorum de fide et jure divino, etc., sententiæ præferendæ sunt omnium doctorum sententiis, quia papa et concilia infallibilitate et assistentia Spiritus sancti gaudent. Præterea constitutiones decretorum singularibus sunt opinionibus præferendæ. (***Ne innitaris***, tit. II, ***De const.***, lib. I ***Decretal.***; et hoc certum est apud omnes.)

Atqui dum tot summorum pontificum et conciliorum generalium decreta astruunt immunitatem personalem et realem clericorum esse de jure divino, non potest attendi aliquorum et etiam plurimorum opinionibus doctorum, qui videntur tenere istiusmodi immunitatem esse tantum de jure humano. Cum præsertim omnes Catholici agnoscant immunitates ecclesiasticas saltem a jure divino emanare tanquam ab auctoritate Ecclesiæ divina sancitas. Argumenta contra immunitatem de jure divino in temporalibus non videntur probare. Etenim 1° ex pluribus capitibus juris in quibus immunitas dicitur a jure pontificio stabilita seu regulata, concludunt eamdem immunitatem oriri a jure humano; sed respondendum est quod omnes omnino concedunt, dicta juris decreta solummodo specialiter determinare immunitates quas in genere Ecclesia tenet a jure divino. — 2° Ex eo quod ipsi clerici in sacris constituti a summo pontifice judici laico traduntur ut eos puniat, argumentantur dicendo privilegium fori non esse de jure divino; sed respondi debet tales clericos jam amisisse dictum privilegium quod jure divino pertinet ad Ecclesiam et ecclesiasticas generatim personas; at vero eodem jure divino potest summus pontifex eosdem clericos excommunicare et omnibus juribus et etiam jurisdictione spoliare, et sic spoliati non sunt amplius de foro Ecclesiæ; ideoque tanquam laici judici laico traduntur. — 3° Contendunt privilegia clericalia non esse de jure divino, quia jam pleraque horum privilegiorum a potestatibus laicalibus usurpata et oblitterata sunt per Ecclesiæ patientiam. Hoc vero argumentum nihil probat nisi usurpationem laicorum; et ex altera parte nimis probaret; sunt enim multa jura ab omnibus ut divina affirmata, quibus tamen patientia Ecclesiæ uti non potest ob civilium potestatum usurpationes et contentiones; sed non ideo talia jura amisit Ecclesia.

Theologorum et canonistarum contestatio optime dirimitur in nostro sensu a sancta synodo Trident. supra, ubi affirmat Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem *Dei ordinatione* (quoad fontem et originem, seu jus generale) et *canonicis sanctionibus* (quoad specialem determinationem et casus singulos et res et personas diversas) constitutam.

De immunitate ecclesiastica in temporalibus multiplices profecto ac infinitæ penes sunt apud doctores sententiæ. Ex his singulæ fere aliquid veri in se continent, et forte in plerisque alia discrepantia non est quam vocis et significationis, ut bene ait auctor R. De M. *Instit. juris canon. publ. et privati*, t. II, p. 392, cujus auctoris concordia inter varias opiniones nobis magis arridet. Probat ex firmissimis argumentis immunitatem bonorum ecclesiasticorum esse 1° a jure naturali ut inducente et suadente (quod ab ominibus tenetur, iis solis exceptis qui omni religioni sunt infensi); 2° hanc immunitatem esse a jure gentium ut confirmante; 3° esse a jure divino fundamentaliter et quoad principium, non autem quoad determinationem; 4° esse a jure ecclesiastico quoad determinationem, seu ut jus a Christo collatum determinante et applicante; 5° esse, aut esse debere, a jure civili ut reverenter obsequente, seu ut per civilem legem sanciente legem divinam et ecclesiasticam, non autem ut proprie instituente.

§ III. — De immunitatibus personarum in specie, seu de privilegio fori.

I. Nomine personarum ecclesiasticarum veniunt omnes clerici, tum sæculares tum regulares utriusque sexus, etiam novitii, et alii enumerati in cap. 1 hujus libri.

II. Omnes personæ vere ecclesiasticæ gaudent immunitate personali, indeque liberæ, immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione et foro cujusvis potestatis et personæ laicalis, tum in causis civilibus (ex c. *Bona quidem* 1, dist. 96; c. *In canonibus* 57, causa 16, quæst. 1; c. *Ecclesiæ S. Mariæ* 20, *De constitutionibus*, lib. I *Decretal.*; c. *Qualiter et quando* 17, *De judiciis*; c. *Si delinquenti* 12, *De foro competent.* cum similibus), tum in causis criminalibus. (C. *Nemo unquam* 1; c. *Nullus judicum* 2; c. *Relatum* 13, causa 11; c. *At si clerici* 4, *De judiciis*, cum similibus.) Et hoc est privilegium fori, ex quo nullus clericus non possit amplius a judice sæculari in judicium trahi, carcerari, vel puniri, sed duntaxat a judice ecclesiastico, ut colligitur ex cap. *Si imperator* 11, dist. 96, et est communis.

III. Clerici tamen minoristæ non gaudent privilegio *fori*, nisi habeant aliquam ex tribus illis conditionibus, quas requirit in

ipsis concilium Tridentinum, sess. 23, c. 6, *De reform.*, his verbis : *Is etiam* (id est prima tonsura initiatus, aut in minoribus ordinibus constitutus) *fori privilegio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum et tonsuram deferens, alicui ecclesiæ ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum, aut in aliqua schola, vel universitate, de licentia episcopi, quasi via ad majores ordines suscipiendos versetur.* Sufficit vero quælibet trium conditionum a concilio Tridentino requisitarum ut talis clericus gaudeat privilegio fori. Unde clericus habens beneficium ecclesiasticum gaudet privilegio fori, licet clericalem habitum et tonsuram non deferat, et ecclesiæ non inserviat. (S. congr. Concil. teste Fagnan. in cap. *Inter cætera* 5, *De rescriptis*, n. 3) Imo gaudet privilegio fori clericus primæ tonsuræ, qui beneficium ecclesiasticum a se possessum resignavit, reservata sibi pensione, licet in habitu et tonsura non incedat. (Ita Fagnan. in cap. *Ad audientiam* 31, *De rescriptis* n. 127 et 131.)

Clericus tonsuratus, vel minorista, non habens beneficium, nec titulum, nec pensionem, ut fori privilegio gaudeat, requiritur et sufficit unum ex tribus infrascriptis, videlicet quod clericalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiæ inserviat; vel in aliquo seminario aut in aliqua schola, vel in universitate de licentia episcopi versetur. (S. congr. Concil. pluries.) Ita tamen, ut habitum clericalem et tonsuram simul deferat ; non enim sufficit gestatio habitus, vel coronæ pro gaudendo privilegio fori. (S. congr. Concil., 21 Januar. et 28 April. 1626.)

IV. Attamen clericus si habitum a se gestari solitum aliqua occasione ad breve tempus deposuerit, non ideo fori privilegium amittit. (S. congr. Concil. teste Fagnan. in c. *Si quis* 1, *De foro compet.*, n. 20.)

Clericus qui post commissum delictum, sine ulla fraude clericatum assumpsit, gaudet privilegio fori, tam quoad personam, quam quoad bona. Si vero in fraudem clericatum assumpsit, gaudet privilegio fori tantum quoad personam, non autem quoad bona.

Clericus, qui dimisso habitu et tonsura deliquit, et postea habitum et tonsuram reassumit, etiam propria auctoritate, et Ecclesiæ inservit, gaudet privilegio fori, nisi reassumpserit habitum in fraudem. (S. congr. Concil. pluries.) De hac materia vide plura apud Fagnan., Schmalzgr. et Ferrar. verb. *Clericus*, art. 2.

Privilegio fori gaudent nedum clerici cœlibes, sed etiam clerici conjugati, modo hi clerici alicujus ecclesiæ servitio, vel ministerio ab episcopo deputati, eidem ecclesiæ serviant, vel ministrent, et clerici habitu et tonsura utantur. (Textu expresso c. *Clerici* unic. *De clericis conjugatis* in 6 ; et *Concil. Trident.*, sess. 23, c. 6, *De reform.*) Clerici conjugati ad hoc, ut gaudeant his privilegiis, debent habere copulative omnes tres supradictas conditiones, quarum una deficiente, nullo prorsus gaudent privilegio clericali, ut patet ex cit. cap. *Clerici*.

Non gaudent tamen clerici conjugati exemptione ab oneribus realibus, nisi succedant loco personalium, vel adsit consuetudo ad eorum favorem. (S. congr. Immunit., 6 Mart. 1631.) Ideoque tenentur præstare consuetas exactiones, seu collectas, et tributa, et alia servitia consueta. (Textu expresso, in cap. *Clerici* unic., *De clericis conjugatis* in 6 ; et cap. *Ex parte* 9, *De clericis conjug.*)

§ IV. — De immunitate et exemptione bonorum clericorum in specie.

I. Hac immunitate non gaudent clerici conjugati, ut mox dictum fuit.

II. Omnes vero alii clerici ex solo charactere clericali, etiamsi sint in minoribus, nec habeant requisita concilii ad privilegium fori, etiamsi in susceptione ordinis protestati fuerint nolle eximi ab oneribus laicalibus, sunt exempti ab impositionibus, collectis et aliis oneribus laicalibus. Gaudent etiam exemptione pro bonis patrimonialibus in totum, et etiam pro acquisitis et donatis. (Ita per omnia sacr. congr. Immunit. multoties ; apud Ferrar., verb. *Clericus*, art. 7.)

Clerici, et ecclesiastici sunt omnino exempti ab onere hospitandi milites, etc. (Ead. sacr. congr.)

Clerici et ecclesiastici sunt taliter exempti a gabellis laicalibus, ut nec etiam sponte possint illas solvere sine beneplacito apostolico. Unde sponte solventes impositiones laicales, absolvuntur a censuris. (Ead. sacr. congr. Immunit., 31 Maii 1639.)

III. In communibus tamen reipublicæ utilitatibus et necessitatibus possunt episcopi cum clero laicis præbere subsidia voluntaria, de prævio tamen Romani pontificis con-

sensu. (Textu expresso, in cap. *Non minus* 4, et in c. *Adversus* 7, tit. XLIX, *De immunit.* lib. III *Decretal.*) Sic v. gr. possunt voluntarie tributa solvere causa belli, pestis et hujusmodi ; pro novis muris ædificandis, pro excavatione alveorum et fovearum, refectione pontium, reparatione fluminum, pro introducenda aqua in civitate, pro excavatione facienda canalis et similibus, ut in variis sacr. congr. Immunit. decretis habetur.

Ut autem clerici licite solvant has collectas et impositiones laicorum, sex requiruntur de jure. (C. *Non minus*; et c. *Adversus* citat.) — 1. Requiritur ut episcopus simul et clerus super hoc deliberent et consentiant ; hoc non potest episcopus sine clero, nec clerus sine episcopo. (Textu expresso, *Episcopus simul cum clericis.*) Quo fit ut nec cum capitulo episcopus id possit, quia, in tangente totum clerum, non sufficit quod episcopus habeat consensum sui capituli, sed requiritur quod interveniat consensus cleri, ut colligitur ex Clement. 1 et 2 *De censibus.* — 2. Requiritur ut evidens utilitas vel necessitas subsit de quibus spectat ad episcopum et clerum judicare. — 3. Ut hujusmodi necessitas vel utilitas sit communis, scilicet tam laicorum quam clericorum. — 4. Ut ad solvendas communes utilitates vel necessitates non sufficiant solæ facultates laicorum. — 5. Ut contributio ab episcopis et clero fiat sponte et sine aliqua exactione vel compulsione laicorum. — 6. Requiritur ut Romanus pontifex prius consulatur.

§ V. — De pœnis contra violatores immunitatum ecclesiasticorum.

I. In c. *Nullus* 2, *De foro competenti*, excommunicationis pœna infligitur contra clericorum privilegium fori attentantibus. « Idque merito ; nam judex laicus, arrogans sibi potestatem in clericos, eosque ad tribunal suum trahens, judicans, et condemnans, irrogat injuriam Ecclesiæ, et sacrilegium facit, pœna utique non minore vindicandum. Estque hoc ita verum, ut neque consuetudo ulla, etiam immemorialis, potestatem istam concedere ei possit ; quia ejusmodi consuetudo est contra libertatem ecclesiasticam, et irrationabilis, atque invalida, cui sanctissimi canones semper resistunt, ita ut nunquam possit præscribi. » (PIRHING. hic, n. 85; ENGLE, n. 49 ; et colligitur ex c. *Clerici* 8, junct. v, *Consuetudine, De judic.* — Ita SCHMALZGR., lib. II *Decretal.*, part. I, tit. II, *De foro compet.*, n. 79.)

II. Bulla *Pastoralis*, IN COENA, excommunicationem majorem pontifici Romano reservatam infligit : 1. Omnibus et quibuscunque judicibus laicis qui se de causis beneficialibus, et decimarum ac aliis causis spiritualibus, et spiritualibus annexis tanquam judices interponunt. (§ 14.) — 2. Omnibus qui personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum coram se ad suum tribunal, etc., præter juris canonici dispositionem trahunt, vel trahi faciunt, etc. (§ 15). — 3. Omnibus etiam clericis, qui sententias, et decreta, aut alias fori ecclesiastici judicium eludentes, ad cancellarias, et alias curias sæculares recurrunt, etc. (§ 16.) — 4. *Ibid.* § 19, textu expresso : *Item excommunicamus, et anathematizamus omnes et quoscunque magistratus, et judices, notarios, scribas, exsecutores, subexsecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exsequendo, sine speciali, specifica, et expressa hujus sanctæ Sedis apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint consiliarii, senatores, præsidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.*

III. Clerici non possunt, nec inviti, nec voluntarii, constituere sibi judicem laicum, etiamsi proprium juramentum et adversarii consensus accedat, sub excommunicationis pœna. (C. *Si diligenti* 12, tit. II, *De foro. compet.* lib. II *Decretal.*) In quo capite affertur ratio, his verbis : *Manifeste patet quod non solum inviti, sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia subeant, cum non sit beneficium hoc personale, cui renuntiare valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum, cui privatorum pactio derogare non potest. Nec juramentum licite servari potuit, quod contra canonica statuta illicitis pactionibus informatur.*

IV. *De pœnis violantium immunitatem bonorum ecclesiasticorum.* — 1. Ultra gravis-

simam sacrilegii culpam, triplex potissimum pœna incurritur a violantibus immunitatem bonorum ecclesiasticorum. — *Prima pœna* est, quod omnia eorum acta contra talem immunitatem, omnesque constitutiones, et sententiæ, quæ a collectantibus ecclesias, vel ecclesiasticas personas, ac compellentibus ad contribuendum etiam pro necessitatibus communibus sunt editæ, vel de ipsorum mandato promulgatæ, ipso jure sint irritæ, nec ullo unquam tempore valituræ. (Textu expresso in c. *Adversus, De immunit.*) — *Secunda pœna* est quod teneantur restituere ea omnia quæ ab ecclesiis et ecclesiasticis personis aut bonis earum exegerunt. (Cit. c. *Non minus* 4, *De immunit.*) — *Tertia pœna* est, quod incurrant ipso jure et facto excommunicationem majorem. (C. *Non minus* 4; c. *Adversus* 7, *De immunit.*; cap. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6; Clement. *Quoniam*, unic; et extravagant. *Quod olim* 1, *De immunit. eccles.* et expresse constit. URBANI VIII, *Romanus pontifex*, quæ apud FERRAR. verb. *Bona ecclesiastica*, art. 2, sub n. 68, refertur in extenso; et tandem expresse bulla Cœnæ *Pastoralis*, § 18.)

Hujus excommunicationis pœnam incurrunt omnes et singuli sine expressa speciali licentia Romani pontificis exigentes ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis, aut eorum bonis collectas, decimas, talias, præstantias, et quæcunque alia hujusmodi, sub quocunque prætextu et diversis etiam exquisitis modis, item qui sic imposita etiam a sponte dantibus et concedentibus (hoc est sine alia vi, aut coactione præter exactionem seu impositionem) recipiunt. — Quinimo etiam successores in officio imponentium collectas, vel onera ecclesiasticis, excommunicationem incurrunt, nisi intra mensem satisfecerint restituendo vel constringendo ad restitutionem eos quibus collectæ applicatæ sunt. Ita expresse per omnia ex iisdem capitibus et bullis.

A præfata excommunicatione incurrenda, nulla consuetudo etiam immemorabilis, nulla præscriptio, nullum privilegium, nullusque alius titulus excusat. (C. *Quanquam*, cit. bull. *Pastoralis*, in Cœna; const. URBANI VIII, *Romanus pontifex*.)

A præfata excommunicatione aliisque pœnis extra articulum mortis nullus præter Romanum pontificem absolvere potest; et in articulo mortis nullus absolvere potest, nisi violatores prius cautionem præstent de satisfaciendo, seu restitutionem faciendo, et mandatis Ecclesiæ integre parendo, et similia non ulterius faciendo, ut habetur expresse in cit. bulla *Cœnæ*.

2. Clerus non potest solvere collectas absque incursu censurarum. Sacr. congr. Immunit. in Volaterrana 18 Septemb. 1629.

4. Attamen pro bonis acquisitis clerici tenentur solvere onera realia, non autem personalia. Sacr. congr. pluries et Rota romana in Brundusina.

4. Omnes usurpantes bona ecclesiastica easdem pœnas et eamdem excommunicationem majorem eodem modo omnino reservatam pontifici incurrunt. (Ex *Concil. Trid.* sess. 22, cap. 11, et bulla *Pastoralis* in Cœna, et const. URBANI VIII, *Romanus pontifex*, et ex multis capitibus juris.) Hanc excommunicationem incurrunt : 1° Omnes jurisdictionem ecclesiasticam sibi tanquam propriam usurpantes. — 2° Omnes sequestrantes, vel subripientes inique fructus alicujus beneficii. — 3° Omnes sequestrantes vel usurpantes quotidianas distributiones. — 4° Omnes usurpantes fructus, reditus, vel proventus ecclesiæ, seu beneficii vacantis, et papatus sede vacante. — 5° Omnes usurpantes glandes, oleas, silvas, fenum, triticum, uvas, pensiones domorum vel prædiorum, census, decimas, et alia ad ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, vel beneficiorum pertinentia. — 6° Omnes vi, aut clam arbores alieni beneficii cædentes et usurpantes. — 7° Omnes impedientes quominus recipiantur ab iis, ad quos pertinent, proventus ecclesiarum vel piorum locorum. — 8° Omnes sive publica sive privata auctoritate bona seu jura ecclesiastica usurpantes. — 9° Omnes etiam ecclesiastici bona seu jura ecclesiastica usurpantes; imo ex Tridentino clerici ultra excommunicationem privantur beneficiis obtentis, fiunt inhabiles ad alia consequenda, et sunt suspendendi a suorum ordinum exsecutione. (Sess. 22, cap. 11.) — 10° Omnes ecclesiastici consentientes occupationi, vel usurpationi bonorum ecclesiasticorum, incidunt in excommunicationem concilii et bullæ Cœnæ. (Ita FERRAR., et ab eo citati multi auctores, verb. *Bona*, art. 1, n. 16 et seqq.)

§ VI. — In quibus casibus clerici coram judice sæculari conveniri possint.

I. Resp. plures esse hujusmodi casus. Talis est : 1. Si causa sit feudalis. — 2. Si bona immobilia a principio ecclesiis vel clericis donata sint cum reservatione jurisdictionis, sive cum pacto, vel conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius exsistebant. Talis enim conditio, quippe justa, servanda est. — 3. Si agatur contra laicum ad evincendum ab ipso rem, quam emit a clerico; tum enim clericus venditor, si laudatus ab emptore fuerit, ei assistere, et comparere debet etiam coram judice laico. — 4. Si clericus ratione officii alieno nomine conveniatur tanquam tutor, curator, vel procurator alicujus laici ; tunc enim sortitur forum coram judice sæculari, sicut forum coram judice ecclesiastico sortitur laicus ratione administrationis rerum temporalium pertinentium ad ecclesiam. — 5. Si clericus laicum conveniat coram judice laico; tunc enim poterit laicus eumdem clericum vicissim coram eodem judice in causa civili reconvenire. — 6. Si clericus sit hæres laici, et lis cum defuncto jam fuit cœpta, quia judicium, ubi acceptum semel , ibi et finem accipere debet. (Schmalzgr. lib. II *Decretal.* tit. II, *De foro competenti*, n. 80.)

II. Certum est quod possit papa ex plenitudine potestatis delegare judici laico causas civiles et etiam criminales, quæ inter clericos versantur.

III. Causæ civiles clericorum delegari laico etiam ab episcopo vel alio prælato ecclesiastico possunt, ut de iis cognoscat et judicet; dummodo delegatio non fiat laico ad universitatem causarum civilium; ratio est, quia jurisdictio delegata ad universitatem causarum æquiparatur ordinariæ, et quasi ordinaria censetur. Atqui ordinariam jurisdictionem in clericos episcopus saltem, aut alius papa inferior committere nequit laico; quia clericis tollere privilegium a jure communi concessum nequit.

IV. Episcopus et quicunque inferior papa non potest criminales causas clericorum delegare et committere laico; nec potest clericus consentire in laicum judicem etiam cum licentia et consensu episcopi. (C. *Significasti* 18, *De foro competent.* Schmalzgr. *ibid.* n. 83.)

§ VII. — De privilegii fori amissione.

« Privilegium fori amittunt clerici , ait Schram. lib. III, § 929 : 1. Si histriones, galiardas, vel buffones agant. (C. unic. *De vit. et honest. cleric.* in 6.) — 2. Si ter moniti et puniti propter excessus enormiores in suo proposito maneant. (C. 10 *De judic.*) — 3. Si criminis assassinii rei sint. (C. 1 *De homicid.* in 6.) — 4. Si post trinam monitionem non desistant agere carnifices, macellarios , aut tabernarios , et simul ut laici incedant, privilegium omnino perdunt ; si ut clerici incedant, hoc privilegium solum quoad res amittunt. » (Clement. 1, *De vit. et honest. cleric.*)

§ VIII. — De præsenti rerum statu quoad immunitates ecclesiasticas.

I. Præfata in præsenti capitulo sunt quæ ex jure communi, seu ex jure pro universa Ecclesia scripto obtinent; quia vero usurpatione potestatum civilium et adversus Ecclesiam rebellione adeo spretæ atque restrictæ fuerunt sacræ immunitates, vix aliqua supersunt hodiedum vestigia ecclesiasticæ disciplinæ, ita ut in pluribus regionibus Ecclesia Dei in hominum servitutem redigatur. Sed ex hac juris divini et ecclesiastici violatione nequit induci legitimitas usurpationis civilium potestatum. Nam , ut recte advertit P. Friderich. *De for. compet.* n. 223, « Si ea, quæ injuria et violentia acta sunt, in exemplum adducuntur, adduci præter alia complura etiam factum Neronis, utrique apostolorum claves cum vita extorquentis, potest, et generosa consequentia inde inferri, quod reges et pontifices sint subditi parricidarum, a quibus corona et vita privantur. » (Schmalzgr. lib. II *Decretal. De for. compet.* n. 73.) Quidquid igitur contra Ecclesiæ libertatem et privilegia a Deo collata attentaverint laicales potestates quæcunque et ubilibet, remanet tamen per se immotum jus divinum Ecclesiæ , atque pro ipsius Ecclesiæ sapientia, et temporum opportunitate , exserendum. Quia nunquam a quocunque hominum potest contra jus divinum præscribi. Ideoque omnes quocunque modo et sub quocunque prætextu immunitatum ecclesiasticarum violatores excommunicationem majorem , de qua supra, semper et ubique incurrunt; nam a præfata excommunicatione incurrenda, nulla consuetudo, etiam immemorabilis, nulla præscriptio, nullum privile-

-gium, nullusque alius titulus excusat. Cap. *Quanquam* 4, *De censibus*, n. 6; ibi : *Contraria consuetudine quacunque* (quæ dicenda est corruptela verius) *non obstante.* Et expresse bulla Cœnæ 24, ibi : *Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis, et litteris apostolicis, generalibus, et specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus aliis cujuscunque ordinis, status, vel conditionis, dignitatis et præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præfertur pontificali, imperiali, regali, seu quavis ecclesiastica et mundana præfulgeant dignitate, vel eorum regnis, provinciis, civitatibus, seu locis a prædicta sede ex quavis, causa, etiam per viam contractus, aut remunerationis, et sub quavis alia forma et tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam continentibus, quod excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de privilegiis, indulgentiis, indulti hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus propriis, cognominibus et dignitatibus eorum mentionem, necnon consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, et aliis quibuslibet observantiis scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quominus includantur, in eis se juvare valeant, vel tueri ; quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus pro expressis habentes, penitus tollimus, et omnino revocamus, cæteraque contraria quæcunque.* Nec valet objicere quod bulla Cœnæ Domini non sit ubique recepta, et consequenter non ubique obliget, cum lex non recepta, vel non promulgata, non obliget secundum plures doctores. Non valet, inquam, quia Alexander VII anno 1665, die 24 Septembris inter alias propositiones etiam sequentem ordine 28 damnavit : « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. » Imo dato, et non concesso, quod leges aliæ non obligent in locis, in quibus non sunt receptæ et promulgatæ, obligant tamen leges et constitutiones pontificiæ pro immunitate ecclesiastica editæ (inter quas præcipua est bulla Cœnæ), non obstante prætextu legis non receptæ, aut non promulgatæ, prout expresse sancivit Urbanus VIII in allata constit. incip. *Romanus pontifex*, § 4, ibi : *Etiam sub prætextu quod bullæ, seu constitutiones apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, aut contrario usu decennali, et quantumlibet longissimo, ut prætenditur, abrogatæ.* Unde bulla Cœnæ etiam in locis, ubi non est promulgata, quoad ea quæ pro immunitate ecclesiastica reali et personali disponit, certissime obligat, et vim suam habet, ut clarissime patet ex citatis verbis Urbani VIII. (Ita invicte FERRAR. verb. *Bona*, art. 3, n. 12 et seqq.)

II. Hodie tamen in pluribus regionibus multæ de immunitatibus ecclesiasticis concessiones potestatibus civilibus factæ sunt per concordata inter easdem et sanctam Sedem inita. Quæ concordatariæ concessiones servari debent.

III. Quoad Gallias, per Concordatum anni 1801 concessum fuit gubernio Gallico : 1° ut a gubernii duce nominarentur episcopi ; 2° ut delimitatio et creatio diœcesium a summo pontifice fieret de consensu gubernii ; 3° ut delimitatio et creatio parochiarum ab episcopis fieret cum consensu et participatione gubernii ; 4° ut parochi (vulgo *de canton*) accepti fuerint gubernio ; 5° ut bona ecclesiastica jam tunc temporis alienata manerent proprietas incommutabilis emptorum. Nullæ aliæ concessiones factæ sunt a summo pontifice ; ideoque manent inconcussæ aliæ immunitates, sive reales, sive personales clericorum in ecclesia Galliarum, jure divino et canonico.

Attamen per leges civiles et omnes sive gubernatores, sive judices, sive administratores et exsecutores quotidie violantur sacræ immunitates ecclesiasticæ non solum in temporalibus, sed eheu ! sæpius etiam in spiritualibus. Unde quotidie multitudo ingens talium usurpantium, occupantium et violantium jura sacra Ecclesiæ incidit in pœnis canonicis et in lata excommunicatione. Quibus igitur omnibus restat unicum remedium in praxi iisdem applicandi regulas juris et moralis theologiæ de ignorantia facti et juris.

§ IX. — De *canonis* privilegio

I. Per privilegium *canonis* intelligitur illud, vi cujus omnes offendentes, seu manus violentas injicientes in clericos, vel monachos ipso facto excommunicationem incurrunt ; et dicitur *canonis*, quia continetur in canone 15 concilii II Lateranensis

sub Innocentio II, cap. *Si quis suadente diabolo* 29, causa 11, quæst. 4, ibi : *Si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrerit, quod in clericum vel in monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et nullus episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis periculo urgente), donec apostolico conspectui præsentetur, et ejus mandatum suscipiat.*

II. Clerici gaudent privilegio canonis solum jure ecclesiastico et positivo inducto. (Fagnan. in c. *Perpendimus* 23, *De sent. excom.* Et est indubitatum apud omnes.)

III. Omnes illi clerici, monachi, et moniales, qui veniunt sub nomine clericorum in favorabilibus, ut in capite I hujus libri, gaudent privilegio canonis.

IV. Clerici omnes sive in sacris, sive in minoribus dimittentes habitum clericalem, et tonsuram ex sola vanitate, vel negligentia, non perdunt privilegium canonis ante trinam monitionem. (C. *In audientia* 25, et c. *Contingit* 45, *De sent. excom.*) Perdunt autem statim ante monitionem privilegium canonis, si ex iniquitate, et malitia habitum clericalem et tonsuram dimittant; seu deposito habitu, et tonsura clericali enormitatibus se immisceant. (C. *Cum non ab homine* 14, *De sentent. excom.*) Item clerici realiter degradati, et solemniter depositi. (Ex c. *Degradatio*, in 6, *De pœnis* lib. v, tit. ix.)

V. Omnes utriusque sexus personæ excommunicationis capaces, si manus violentas in clericum, vel monachum injecerint, hanc excommunicationem incurrunt per glossam in dicto cap. *Si quis;* et exponitur cap. *Mulieres* 6, *De sent. excom.*

VI. Ad incurrendam hanc excommunicationem requiritur gravis injuria, et in ratione sacrilegii, peccatum mortale, ita ut hæc simul concurrant, et prava voluntas intendens clericum, vel monachum graviter lædere, et externus effectus, seu ipsa gravis læsio in rebus corporis, vel honoris ipsius, unde si unum ex istis deficiat, non contrahitur hæc censura, quia canon tria copulative ad hanc incurrendam videtur requirere, scilicet factum consummatum, dum dicit *manus injecerit*, animum injuriandi, dum dicit *suadente diabolo*, et violentiam, dum dicit *violentas manus*, uti notat inter alios Sperellus decis. 54, n. 12.

« Per ly *manus violentas injecerit*, comprehenditur quælibet actio exterior injuriosa personam ecclesiasticam, vel res ei adhærentes violenter tangens sive immediate, sive mediate, sive fiat manu, sive pede, sive brachio, aut quovis alio instrumento capaci ad lædendum..., uti esset clericum occidere, mutilare, vulnerare, percutere, eum violenter detinere in publica aut privata custodia, eripere aliquid per vim et injuriam de manibus, vel corpore ipsius, ut librum, pileum, aut vestem ei adhærentem, ipsum conspergere aqua, pulvere, capillis, eum persequi, ut in fluvium aut fossam incidat, equo decidat, et similia. (Glossa in dicto cap. *Si quis*, verb. *Manus*, et c. *Nuper* 29, *De sentent. excom.*, et in cap. *Si quis pulsatus* 13, causa 33, quæst. 3.) Injicere manus violentas in equum, cui clericus insidet, illum occidendo, vulnerando, percutiendo, aut detinendo; licet enim hujusmodi violentiæ clerico illatæ graves non sint comparative corporis, sunt tamen graves atque mortales comparative honoris, qui contumeliose læditur, uti notavit Innocent. III in cap. *Nuper* 29, *De sentent. excom.* » (Ferrar. verb. *Excommunicatio*, art. 10, n. 2 et seqq.)

VII. *Canonis* excommunicationem incurrunt : 1. Nedum manus violentas in clericum, vel monachum, suadente diabolo injicientes, sed etiam id mandantes, dummodo effectus sequatur. (C. *Mulieres* 6, *De sentent. excom.*) — 2. Qui licet non mandent violentam manuum injectionem in clericum vel monachum, suo tamen nomine (non vero alterius nomine), gratia, vel intuitu factam signo aliquo externo ratihabeant. (Textu expresso c. *Cum quis* 23, *De sentent. excom.* in 6.) — 3. Qui clericum vel monachum etiam absque ulla læsione corporali recludunt, vel detinent in carceribus publicis, vel privatis; vel in aliqua domo, vel alio in loco injuriose, et violenter retinent, ne exire possint; et quo voluerint, libere progredi nequeant. (C. *Nuper* 2, *De sentent. excom.*) — 4. Consulentes, auxilium ferentes, consentientes, sociantes. (C. *Quantæ* 47, *De sentent. excom.*, et Clement. 1, *De pœnis.*, et c. *Sicut* 1, *De homicid. voluntar.* lib. v, tit. xii.) — 5. Omnes illi qui ex officio, vel alio titulo tenentur, et possunt sine suo gravi incommodo hanc violentam manuum injectionem impedire, et non impediunt, sicque tacite consentiunt, et permittunt, uti

superiores omnes ecclesiastici, sive sæculares potentes impedire suos subditos ab his violentiis, et non impedientes; parentes non impedientes filios, et dominos, et officiales non convertentes servos et milites cum possint. (C. *Quantæ* 47, *De sent. excom.*) — 6. Percutientes clericum etiam in sui percussionem consentientem; quia canon iste non tam pronuntiatus est in favorem clerici, quam in favorem status clericalis. (C. *Conting.*, *De sent. excom.*, ubi etiam præcipitur excommunicari clericus permittens se percuti.) Imo clericus seipsum percutiens incurrit excommunicationem, si hoc faciat ex malitia, et passione, animo irato, et non ex fervore devotionis, quia injuriam facit ordini clericali, pro cujus decore et indemnitate potissimum promulgatus est canon, *Si quis suadente.* — 7. Qui venenum clerico vel monacho propinant. — 8. Percutientes clericum, vel monachum etiam mortuum, vel male tractantes ejus cadaver. (FERRAR. verb. *Excommunicatio*, art. 11, n. 14 et seqq.)

VIII. Ab incursu hujus excommunicationis excusantur: 1. Qui laborant ignorantia invincibili, tam juris, ut si quis invincibiliter ignorat, ob clerici percussionem esse statutam excommunicationem, quam facti, ut si quis ignorat eum, quem percutit, esse clericum. (C. *Si vero* 4, *De sentent. excom.*) — 2. Qui clericum percutiunt ad sui defensionem vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ. (C. *Ex tenore* 10, *De sentent. excom.*, et c. *Significasti*, *De homicid. volunt.*) — 3. Qui fortuito, et subitanea ira, vel passione, sine sufficienti deliberatione, clericum lædunt, ut colligitur ex cap. *Si vero* 3, *De sentent. excom.* — 4. Excusantur clerici se ad invicem percutientes ex mero joco, et levitate, et non ex odio, invidia, aut indignatione, quia, ut expresse habetur cap. *Super* 1, *De sentent. excom.* « Non potest in ipsis injectio violenta notari. » — 5. Excusantur percutientes clericum vel monachum inventum turpia agentem cum matre propria, filia, sorore, et uxore, ut habetur expresse in c. *Si vero* 3, cit. : dummodo percutiant statim ac in crimine deprehenduntur, non autem post temporis spatium, quo justus dolor sedari potuit. — 6. Mulieres percutientes clericum, vel monacum pudicitiam suam facto tentantes. (C. *Si vero* 3; c. *Ex tenore* 10, *De sentent. excom.*) — 7. Percutientes clericum privilegiis clericalibus a suo episcopo privatum, vel publice exercentem macellum, vel munus tabernarii, vel artem mechanicam post trinam episcopi monitionem. (C. unic. *De vit. et honest. cleric.*; Clement. 1, eod. tit.) — 8. Officiales laici percutientes clericum involuntarie, et casualiter arcendo turbam et omnes, qui ratione officii, quod in ecclesia obtinent, repellunt turbantes divina officia. (C. *Venientes* 16, et c. *Cum voluntate* 54, *De sentent. excom.*) — 9. Excusantur clericum percutientes correctionis causa, ut magistri, seu præceptores, qui correctionis causa moderate castigant discipulos clericos. (C. 1, et c. *Ex tenore* 10, et c. *Cum voluntate* 54, *De sentent. excom.*) Item parentes, et propinqui, qui disciplinæ gratia filium, propinquum moderate, seu leviter percutiunt. Advertendum est tamen quod si magistri, patres, propinqui sint laici, habeant solum jus corrigendi clericos in minoribus constitutos, non autem in sacris. (Textu expresso in dict. cap. *Cum voluntate.*) — 10. Excusantur præ cæteris prælati ecclesiastici, si correctionis causa clericos, vel monachos sibi subditos nedum in minoribus, sed etiam in majoribus ordinibus constitutos juxta gravitatem culpæ castigaverint, dummodo id faciant per se, vel per alium clericum, vel monachum. (C. *Ex tenore*; c. *Cum voluntate*, citat.) Si autem per laicum fecerint, tam prælatus mandans, quam laicus mandatum exsequens, excommunicationem incurrit. (C. *Universitatis* 24, *De sent. excom.*) Sed hodie fere universalis consuetudo huic canoni contraria est, et episcopi clericos delinquentes castigant per laicos; idque merito ob multas ab auctoribus allatas rationes, ut videre est apud Schmalzgr. *De clerico percussore*, n. 10.

IX. *Quinam ab excommunicatione canonis absolvere possint, vel non?* — Ad faciliorem hujus tituli intelligentiam prænotandum est quod percussio, seu violenta manuum injectio in clericum dividitur in levem, mediocrem, et enormem. (C. *Pervenit*, *De sentent. excom.*)

1. Levis est, quæ fit sine relictione maculæ, seu signi percussionis in corpore, ut quæ fit manu, pede, digito, baculo, lapide nullam maculam externam, seu contusionem relinquente. — Quæ tamen percussio, seu injuria de se non gravis et enormis, potest esse enormis ratione qualitatis personæ

offensæ, ut cum percutitur licet leviter episcopus, abbas, a subdito suus superior, a filio suus pater, a discipulo suus magister. (C. *Cum illorum* 32, *De sentent. excom.*) Ratione loci in quo offenditur, cum fit publice, v. gr. in theatro, in foro, in conspectu superioris, judicis, in ecclesia, in cœmeterio. (Ex cap. *Qui sævis*, causa 17, quæst. 4.)

2. Mediocris est, quæ fit cum relictione maculæ, seu signi in corpore sine mutilatione, aut lethali vulnere, ut quæ fit cum dentium, aut magna capillorum evulsione, cum carnis suppellatione, cum parva sanguinis effusione, cum vultus fœdatione, vestium effractione, et similibus.

3. Enormis est, quæ fit cum vulneratione, mutilatione, aut magna sanguinis effusione, non a naribus, sed a magno vulnere proveniente. (C. *Cum illorum* 32, *De sentent. excom.*)

4. In articulo mortis et in absentia superioris, ad quem de jure spectat absolutio, quilibet sacerdos potest absolvere ab hac excommunicatione, etiam per percussionem enormem contracta, sicuti a qualibet alia, cum onere, ut elapso periculo absolutus compareat coram superiore ad exsequendum quod ille præscripserit. (C. *Eos qui*, *De sent. excom.* in 6; et c. *Excommunicamus*, *De sentent. excom.* inter *Extravag. commun.*)

5. Extra articulum mortis possunt ab excommunicatione canonis etiam per percussionem mediocrem et enormem contracta absolvere legati a latere omnes undecunque advenientes. (C. *Ad eminentiam*, *De sentent. excom.*) Legati autem missi, sive nuntii apostolici possunt solum absolvere eos, qui sunt in provincia suæ legationis. (Expresse colligitur ex c. *Penultim. De offic. legati.*)

6. Extra mortis articulum possunt episcopi absolvere ab hac excommunicatione contracta ob percussionem levem etiam publicam. (C. *Pervenit* 17, *De sentent. excom.*) A contracta vero ob percussionem mediocrem et enormem possunt absolvere tantummodo, si sit occulta, ex Trident. sess. 24, *De reform.* cap. 6. Et si fuerit publica, possunt absolvere impeditos secundum juris sanctiones.

7. Prælati regulares (pro quibus in hoc non veniunt superiores locales conventuum, ex decreto visitationis apostolicæ 13 Martii 1601) possunt suos subditos et novitios absolvere ab hac excommunicatione etiam contracta ob percussionem enormem; modo non sit percussio clerici sæcularis.

Moniales exemptæ possunt absolvi ab hac excommunicatione a suis prælatis regularibus; non exemptæ ab ordinariis.

§ X. — De clerico percussore,

I. « *Quæ sit pœna clerici alium etiam laicum illicite percutientis?*— Resp. c. *Si quis* 1, *De clerico percussore.* Primo jubetur corripi pro excessu percussionis et qualitate delicti, ac delinquentis ad arbitrium superioris; et si non resipuerit deponi. Ex quo sequitur: 1° Quod si se emendaverit, non sit deponendus. Et hinc iterum sequitur 2° non esse deponendum clericum de gradu et statu clericali propter unicam, vel alteram simplicem percussionem; quia post correptionem exspectanda est emendatio.»

« Excipitur autem, si clericus aliquem lethaliter, vel enormiter percussisset; nam hic etsi istud vel semel tantum fecisset, deponendus esset, etiam sine ulla monitione. » (Arg. can. prim. dist. 25; et c. *Præterea* 2, *De clerico percussore.*)

II. « *Quæritur, quando clericus percussor deponi possit etiam ob percussionem non enormem?* —Resp. Tunc, quando consuetudinem habet percutiendi, ita ut facile procedat ad verbera, etiam pro minimis rebus, præsertim juncto scandalo; nam hic, si admonitus se non correxerit, non debet in gradu, seu statu clericali permanere, cum clericos deceat imitatio mansuetudinis Christi. » (Pirhing. hic, n. 2; Konig. *ibid.* n. 2; Schmalzgr. *De clerico percussore*, n. 8, 9 et 12.)

CAPUT VI.

De clericis quoad bona ecclesiastica et eorum reditus.

I. Clerici bona ecclesiastica nequeunt absque juris formalitatibus vendere vel alienare; et delinquentes omnibus pœnis a jure latis subjiciuntur. Quod vide lib. III, cap. IX, tom. I, p. 636; et lib. VI, cap. XV, § 3, tom. I, p. 1527.

II. Reditus superfluos bonorum ecclesiasticorum tenentur clerici in pios usus erogare; quod vide apud theologos moralistas.

III. « Clerici de reditibus suis ecclesiasticis possunt facere donationes ad pias causas, item remuneratorias proportionatas meritis, non autem profanas; quod si id faciant in

magna quantitate, peccant mortaliter, nisi forte parati sint compensationem facere et tantumdem refundere in causas pias ex bonis patrimonialibus et aliis, quorum liberam administrationem et dominium habent.» (SCHMALZGR. *De donationibus*, n. 31.)

IV. Testari prohibentur «clerici beneficiati, non quidem absolute (nam de patrimonialibus et quasi patrimonialibus integra ipsis ut disponendi, ita etiam testandi potestas est), sed de beneficialibus seu intuitu Ecclesiæ principaliter quæsitis et congruæ sustentationi superfluis, ut clare habetur c. *Quorumdam* 1; c. *Ad hæc* 8, et c. *Quia nos* 9, *De testamentis*. Procedit autem hoc spectato jure communi; nam ex privilegio pontificio potestas testandi clericis dari potest, non solum ad causas pias, sed etiam ad profanas.» (ID. *De testamentis*, n. 82.)

CAPUT VII.

De clericis quoad censuras et pœnas ecclesiasticas.

(De hac materia *vide* quod jam dictum est lib. III *De episcopis* c. VIII, tom. I, p. 5[illegible] et seq., et lib. VI *De parochis*, cap. XIX, tom. I, p. 1568; et quod dicetur infra *De censuris et pœnis*.)

LIBER VIII. — DE REGULARIBUS ET MONIALIBUS.

Ut dictum est, in cap. 1 lib. VI præcedentis, regulares saltem in materia favorabili inter clericos a sacris canonibus annumerantur; præterea, utpote a Christo fundamentaliter instituti ad vitæ Christianæ perfectionem assequendam et practicandam, efformant in Ecclesia quamdam hierarchiæ ecclesiasticæ sequelam et quasi pretiosiorem sortis Domini partem. Ideoque specialiter auctoritati et providentiæ vicarii Christi in persona Petri commissi fuerunt a Domino qui omnes oves suas et agnos suos pascere Petro dedit. Etenim consilia evangelicæ perfectionis Petro interroganti revelavit et mandavit Christus; in cap. XIX Matth. vers. 11, dixit Dominus discipulis: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est.* Vers. 12. *Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere, capiat.* Igitur non omnes vocantur ad hujus perfectionis gradum in perfecta castitate servanda, sed tantum *quibus datum est*, et qui possunt capere. In eodem capite, vers. 21, ait (adolescenti) Jesus: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me.* Ecce paupertatem et obedientiam; omnia vendere et sequi Christum, quod præcise dicitur apostolis et discipulis et eorum successoribus. Et vers. 27: *Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te; quid ergo erit nobis?* Vers. 28. *Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel.* Ecce perfectionem apostolicam et ejusdem auctoritatem judicandi, quæ utraque relucere debet in apostolorum successoribus; sed pro omnibus perfectionem quærentibus addit Dominus vers. 29: *Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit.* Ecce totalem evangelicam perfectionem Petro interroganti traditam. Idem legitur in cap. X Marci, v. 28 et seqq., et in cap. XVIII Lucæ, v. 28 et seqq. Ad quod etiam faciunt multi alii textus evangelici. Sic igitur Petro ejusque successoribus traditur a Christo doctrina, interpretatio et legislatio evangelicæ perfectionis, in quo stat status religiosi essentia.

Ad hanc disciplinæ canonicæ regionem perlustrandam, septem instituimus totius tractatus partes, hoc ordine dispositas: 1° de status religiosi natura et origine; — 2° de diversis regularium ordinibus et regulis et de canonica omnibus communi regula; — 3° de canonica norma novas erigendi religiosas familias novosque earumdem conventus; — 4° de extraordinaria conditione canonica, tum monialium absque clausura, tum regularium vi dispersorum, tum hodiernorum Galliæ religiosorum et sancti-

monialium;—5° de norma canonica statum religiosum ingrediendi, seu de novitiatu et professione;—6° de jure regularium ad extra; — 7° tandem de jure eorumdem ad intra. Et hæc fere est divisio data in suo tractatu de jure regularium a D. Bouix.

—

SECTIO I. — DE STATU RELIGIOSO.

—

CAPUT PRIMUM.

De status religiosi natura et origine.

§ I. — Quænam essentialiter requiruntur ad constituendum statum religiosum.

I. « *Religio* varias significationes habet. Accipitur enim 1° pro virtute, qua Deo debitus exhibetur cultus; 2° pro communitate, seu universitate verum Deum rite colentium per fidem, vel etiam bona opera: et sic comprehendit omnes Christianos; unde etiam *religio Christiana* dicitur; 3° pro communitate, quæ per specialem vivendi modum se Deo ejusque obsequio dedicat: quod dupliciter fieri potest, *minus stricte* per ordinem susceptum, votum castitatis, vel aliud quoddam vinculum; et *strictius* per tria vota substantialia in religione ab Ecclesia approbata. » (SCHMALZGR. *De regularibus*, tit. XXXI, lib. III *Decretal.* n. 1.) « Sic accepta religio, status religiosus dicitur, quia hominem in certo, et ex natura sua perpetuo statu collocat: illi autem, qui eam profitentur vocantur religiosi, et regulares: *religiosi* quidem a religione, quam profitentur; *regulares* autem a regula sub qua vivunt. » (*Ibid.* n. 2.)

II. Probatur hæc status religiosi natura: 1. « Distinctio consiliorum a præceptis, inquit Suarez, tam certa fide nititur, et tam expresse habetur in sacra Scriptura, et traditur ab universa catholica Ecclesia, ut sine manifesta hæresi negari non potuerit. » (*De religione*, tract. VII, lib. I, c. 6, n. 6) *Deus vult omnes homines salvos fieri* (*I Tim.* II, 4); ad salutem vero consequendam necesse est credere et servare Dei mandata, ut ait Christus: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* (*Matth.* XIX, 17.) Hæc est vita Christiana communis; sed aliam perfectiorem vitam revelavit et instituit Christus, cum addit eod. cap. Matth. XIX, vers. 21: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus...* præterea dixerat de castitate: *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* (*ibid.* 11); et Paulus apost. *I Cor.* VII, 25: *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium.*

2. Consonat doctrina sanctorum Patrum.

3. Tanquam de fide definitum est a concilio Tridentino, sess. 24, canon. 10, ibi: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cœlibatus; et non esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu, quam jungi matrimonio, anathema sit.*

Ergo de fide est dari distinctionem consiliorum a præceptis, et consilia esse meliora et perfectiora.

III. Ex quo varii status vitæ Christianæ adæquate dividuntur in statum vitæ communis, et statum perfectionis.

Status vero perfectionis adæquate dividuntur in statum perfectionis exercendæ, et in statum perfectionis acquirendæ.

1. Episcopatus est status exercendæ seu acquisitæ perfectionis; est communis et omnino tenenda doctrina. « Omnino asserendum est, inquit Suarez, episcopos, ratione pastoralis muneris esse in statu perfectionis, non tanquam in via, sed tanquam in termino; qui proprie dicitur status perfectorum et perficientium. Ita docet D. Thomas.., nec aliquis scholasticorum dissentit.» (*De religione*, tract. VII, lib. I, c. 15, n. 5)

An vero presbyteri ratione sacri ordinis, et parochi ratione pastoralis sui officii censendi sint esse in statu perfectionis, diversimode discussum reperies apud auctores. Negari tamen non potest clericos saltem in sacris ordinibus constitutos esse in quodam perfectionis statu, ex can. 10 sess. 24 Trident., cum teneantur ad virginitatem et cœlibatum.

2. Status perfectionis acquirendæ multos admittit gradus; nam status aliquis dicendus est status perfectionis, hoc ipso quod amplectatur consilium aliquod, et non sistat in mera præceptorum observatione; quod multis modis fieri potest. Sed ad completum statum perfectionis acquirendæ requiruntur tria consilia evangelica, pauper-

tatis, castitatis et obedientiæ ; et hæc tria sufficiunt. « Cum enim homo tria principalia habeat, nempe animam, corpus et bona temporalia, hæc omnia per tria illa vota plene Deo consecrantur. Et sic omnia perfectionis impedimenta tolluntur. Unde de his tribus votis ad propositum sic loquitur Joan. XXII, in extravagant. *Quorumdam* 1, *De verbor. significat.* circa finem, ibi : *Religio namque perimitur, si a meritoria subditi obedientia subtrahantur; magna quidem paupertas, sed major integritas; bonum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa, nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo.*

IV. Unde definitur : Religio seu proprie dictus status religiosus *est fidelium ad Christianæ charitatis perfectionem tendentium, editis tribus substantialibus votis paupertatis, castitatis, et obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus.* (Est in re communis.)

Religiosus autem proprie dictus, seu regularis « est persona, quæ, emissis tribus votis substantialibus, in aliqua religione ab Ecclesia approbata vivit, ibique abjectis hujus sæculi curis, et perfectionis impedimentis, propriaque abnegata voluntate et carnis oblectamentis, ad id solum incumbit, ut ad perfectionem veniat, Deoque perfecte serviat. » (Sic in re communis.)

Diximus *status religiosus proprie dictus*, et *religiosus proprie dictus*, nam, ut bene ait D. Bouix, *De regularibus*, part. I, t. I, pag. 46, « juxta receptum communiter usum, distinguitur status religiosus completus stricte sumptus, a statu religioso incompleto seu minus stricte sumpto ; et ad constituendum statum religiosum late sumptum, sufficere alicujus consilii observantiam voto firmatam ab omnibus pariter admittitur. » Ita Schmalzgrueber supra citatus, et sic etiam Suarez, *De religione*, tract. VII, lib. II, c. 1, n. 1. Si perlegantur doctores cæteri, reperientur quoad rem in conclusione assertam unanimes. Omnes scilicet distinguunt statum religiosum late sumptum ab eodem statu stricte sumpto ; et admittunt ad prioris essentiam non requiri votum de tribus consiliis evangelicis, sed sufficere observantiam cujuslibet consilii voto firmatam. Quando autem absque addito adhibentur voces illæ *status religiosus*, de statu religioso proprie dicto seu completo plerumque intelliguntur. » (D. Bouix, *ibid.*)

V. « Quæritur *primo*, quænam requirantur ad substantiam veræ seu stricte sumptæ religionis ?

Resp. Quatuor maxime :

1. « Ut serventur tria consilia evangelica, paupertatis, castitatis, et obedientiæ. (C. *Cum ad monaster.* 6, in fine. *De statu monach.*) Ratio est quia, cum status religiosus ex vi institutionis suæ tendat ad perfectionem, debet observare ea, de quibus Christus in Evangelio dixit : *Si vis perfectus esse*, etc. (*Matth.* XIX, 21.)

2. « Ut hæc consilia evangelica voto, perpetuam obligationem continente, firmentur. (S. Thom. 2-2, quæst. 186, art. 6.) Ratio est quia status perpetuitatem denotat, saltem ex parte voventis.

3. « Ut hæc vota emittantur in aliqua religione a sede apostolica approbata, ita ut non tantum approbetur ipse vivendi modus, sed etiam expresse, ut vera religio, ut constat ex cap. *Ne nimia* 9, tit. XXXVI *De domibus relig.* lib. III *Decretal.*, et cap. unic. *Religiosum*, eod. tit., lib. III, in 6. Quibus textibus religionum approbatio causis majoribus, Sedi apostolicæ reservatis, connumeratur.

4. « Ut is qui hæc vota religiosa emisit, vivat sub certa aliqua regula, seu constitutionibus, et sub prælati seu superioris jurisdictione, aut potestate speciali, qui illa vota per se, vel per alium loco sui constitutum, acceptet, et ipsum religiosum sibi subjectum habeat. » (Ita Schmalzgr. part. IV, lib. III *Decret.* tit. 31 *De regularibus*, n. 13 ; et colligitur ex multis juribus.)

VI. « Quæritur *secundo*, an de essentia religionis sit, ut vota, quæ in illa emittuntur, sint solemnia ?

« Non defuerunt doctores qui affirmativam defenderent ; sed tenenda est negativa sententia, videlicet ad constituendam vere et proprie dictam religionem satis esse emittere in illa vota simplicia. Est indubitatum hodie post constitutionem Gregorii XIII incip. *Ascendente*, ubi statuitur eos, qui in societate Jesu tria vota substantialia, tametsi simplicia, emiserunt, vere et propria religiosos esse. Neque aliud natura ipsius status religiosi exigit.

1. Quia, ut multis ostendit Pontius.. primis Ecclesiæ sæculis in religionibus SS.

Basilii, Augustini, Benedicti non solemnia, sed simplicia edebantur vota.

2. Solemnitas votorum, ut ex cap. unic. *De voto*, in 6. et constit. Gregorii XIII cit. constat, ex sola Ecclesiæ institutione inventa et introducta est. Ergo sicut Ecclesia approbare potuit religionem cum votis solemnibus, ita etiam cum simplicibus.

3. Etiam per vota simplicia potest se perpetuo et irrevocabiliter tradere religioni, et traditio sic facta a superiore religioso acceptari, ita ut vovens vi talis traditionis teneatur per media in tali religione præscripta ad perfectionem Christianam tendere : hoc autem, et non plus ad statum religiosum, ex natura institutionis suæ, requiritur. Ergo, etc.» (Id. *ibid.* n. 14 et 15.) Et confirmatur conclusio ex decreto recenti sacr. congr. super statu regularium, die 19 Martii, 1857.

VII. Istæ conclusiones veniunt applicandæ religionibus late sumptis, in quibus emittitur unum tantum votum, proindeque simplex, ut v. gr. in congregatione fratrum Instructionis Christianæ in Britannia minori præclaro viro J. M. de La Mennais institutorum, qui tantum obedientiæ votum emittunt, quorumque institutum et regulam sancta sedes laudavit per breve.

In talibus late sumptis religionibus requiritur ut consilia evangelica serventur et voto perpetuo firmentur ; ut is qui tale votum emisit, vivat sub certa aliqua regula, et sub superioris jurisdictione, qui votum per se, vel per alium loco sui constitutum acceptet, et ipsum religiosum sibi subjectum habeat. Qui vero vota tantum temporaria emittunt, ad dictam late sumptam religionem pertinent, pro voti tempore, et saltem ut novitii. Ideoque tales late sumpti religiosi et eorum novitii in materia favorabili reputantur inter clericos, et gaudent privilegio fori et canonis, ut colligitur ex cap. *Duo sunt genera* V, causa 12, quæst. 1 ; et Glossa, in cap. *Qui vere* 12, causa 6, quæst. 1, verb. *Vero*, asserente quod eremitæ gaudent privilegio clericorum, licet non renuntient propriis. Et cap. *Religiosos*, *De sentent. excom.* in 6 ; et ex constit. Leonis X, *Dum intra*, edita 1 Martii 1518 in concilio Lateranensi sess. 11, in qua moniales tertiariæ in propriis domibus viventes, virginalem et cælibem vitam ducentes ex voto castitatis de ordinarii licentia emisso, privilegiis clericorum gaudere declarantur.

Attamen de hujusmodi religionibus dicendum est idem ac de quibusdam religionibus militaribus dicit Ferraris, verb. *Religiones regulares*, art. 1. n. 29, his verbis : « Professi autem in illis religionibus militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota substantialia, nempe perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ, quamvis sint et dici possint religiosi cum addito *militares* (seu alio), non sunt tamen, nec dici possunt absolute et simpliciter, proprie et rigorose religiosi, quia dicta tria vota sunt de essentia religionis proprie dictæ, ex jure divino. » (Sic Rodriguez.. et alii communiter.)

VIII. Ex dictis igitur, 1. Status religiosus exsistit ut late sumptus per unum saltem votum perpetuum perfectionis evangelicæ servandæ sub aliqua regula et superioris jurisdictione in aliquo instituto ab Ecclesia approbato.

2. Status religiosus proprie et stricte dictus exsistit per tria substantialia paupertatis, castitatis et obedientiæ perpetuæ vota sive simplicia, sive solemnia, quæ in aliqua religione ab Ecclesia approbata emittuntur. Nam Ecclesia, seu sedes apostolica potest admittere et approbare ut veram religionem etiam sine votis solemnibus, et cum solis votis simplicibus, ut expresse declaravit Gregorius XIII, constit. incip. *Ascendente Domino*, statuendo, quod religiosi præclarissimæ societatis Jesu, qui, peracto novitiatu, primam professionem emittunt, pro veris habeantur religiosis, non obstante, quod non nisi simplicia tunc edant vota, et non solemnia. (Ferrar. verb. *Votum*, art. 2, n. 8.)

IX. Certum est Ecclesiam posse prohibere et irritum facere quemlibet statum religiosum ab ipsa non approbatum; et revera legem ejusmodi tulit Innocentius III in concilio Lateranensi in hunc modum : *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* (C. 9, tit. xxxvi, lib. iii *Decretal.*) Fuitque ea lex a Gregorio X, in concilio generali Lugdunensi, anno 1273, confirmata, cap. *Religionum*, tit. xvii, lib. iii, in 6.

Probabilius tamen videtur Ecclesiæ approbationem ad religiosi status essentiam non pertinere ; nam etsi status religiosus sit

in sua essentia de jure divino, approbatio tamen alicujus religionis requiritur duntaxat de jure ecclesiastico, non vero de jure divino.

Attenta sola natura status religiosi, ad ejus essentiam non pertinet vita communis. Sed, spectato jure ecclesiastico novo et hodierno, ad substantiam veræ religionis requiritur vita communis; nam secundum præsentem Ecclesiæ consuetudinem sedes apostolica non approbat nisi statum cœnobiticum, seu in communi viventium sub uno capite, seu prælato ecclesiastico, et sub una regula approbata ad Christianam perfectionem tendentium. (*Communis.*)

§ II. — De distinctione et differentia inter simplicia et solemnia vota.

I. Ex jam dictis status religiosus exsistit per vota sive simplicia sive solemnia; unde substantialiter et per se de jure divino non differunt vota simplicia et solemnia. Etenim votorum solemnitas est institutionis meræ ecclesiasticæ; ut declaravit Bonifacius VIII in cap. *Quod votum,* tit. xv, lib. III, in 6, his verbis : *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* Item Gregorius XIII, constit. *Ascendente*, an. 1584, eos qui negabant scholasticos societatis Jesu, utpote simplicibus votis constrictos, vere religiosos esse, perstrinxit in hunc modum : *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse.*

Cum solemnitas trium votorum substantialium sit de jure duntaxat ecclesiastico, tota eorum distinctio et differentia a votis simplicibus a lege ecclesiastica pendet; ex quo sequitur ut per dispositionem Ecclesiæ vota simplicia fieri possent solemnia, et vice versa solemnia fieri possent simplicia.

II. Juxta probabiliorem sententiam, quam defendit Suarez, trium votorum solemnitas consistit in vi, per Ecclesiæ dispositionem ipsis addita, certos quosdam effectus producendi, et irritos vel saltem irritabiles faciendi certos quosdam actus religiosi, accidentali votorum perfectioni contrarios. « Etenim solemnitas voti castitatis irritat contractum matrimonialem subsequentem, et etiam antecedentem si matrimonium non fuerit consummatum. Item voti paupertatis solemnitas irritat quemlibet actum dominii, sive quoad bona jam possessa, quibus spoliatur religiosus ipso facto emissi solemniter paupertatis voti, sive quoad bona adventitia, quorum acquirendorum incapax efficitur. Tandem voti obedientiæ solemnitas non quidem irritat, sed superiorum arbitrio irritabiles reddit promissiones, quas religiosus post emissam professionem, facit Deo, vel hominibus ..... Vis votorum præfatos actus reddendi irritos et irritabiles, non constituit solemnitatem, nisi sit *absoluta.* Etenim vis illa votorum posset esse duntaxat *relativa* ad tempus, quo religiosus liber a votis non dimittitur. Et ita de facto exsistit vis illa votorum in societate Jesu, quoad quædam ipsius membra. Vide D. Bouix, *De regularibus*, t. I, p. 114 et seq., ubi addit : « Cæterum totam hanc, de votorum solemnitate, doctrinam (ne cui forte nova videatur) monemus hausisse nos ex Suaresio ; qui et summariam illius veluti formulam expressit his verbis :

« Voti religiosi solemnitas in duobus consistit : unum est, ut traditioni seu oblationi personæ religiosæ omnino *absolutæ*, et ex utraque parte (scilicet religionis et religiosi) *immutabili*, conjunctum sit : alterum est, ut habeat *vim inhabilitandi* personam ad effectus morales supra declaratos. Hæc enim duo conjunctim necessaria sunt, et alterum sine altero non sufficit, ut in superioribus declaratum est, et in votis scholariorum et coadjutorum societatis (Jesu) est manifestum. » (*De religione*, tom. III, lib. II, c. 14, n. 10.) Et hæc est prima differentia inter solemnia et simplicia vota.

III. Secunda differentia est ut vota solemnia emitti nequeant nisi in religione stricte approbata, ut vera religio, a sancta Sede apostolica; dum e contra vota simplicia emitti possunt tum in religione stricte approbata, tum in religione late sumpta.

IV. Tertia differentia in eo constat quod vota solemnia sint solo Romano pontifici reservata, ita ut nullus alius in istis votis dispensare possit; dum e contra vota simplicia dissolvi et remitti possunt a legitimo superiore religionis approbatæ, sed probabilius non ab alio. Votum vero religionis non approbatæ non est reservatum in se, attamen ratione contractus ultro citroque obligatorii religiosum inter et congregationem, nequit tale votum ab alio remitti, quam ab ipsa congregatione vel a summo pontifice, prout supremo bonorum ecclesiasticorum domino. Id patet ex mo-

nito SS. D. nostri Benedicti XIV sive bulla *Convocatis* edita 25 Novembr. 1749, § 32, pro anno jubilæi 1750, ubi dicitur: *Denique quoad vota noverint* (confessarii) *sibi abstinendum ab eorum* (votorum) *commutatione, in quibus agitur de præjudicio tertii. Quare in eo, quod pertinet ad vota, quantumvis simplicia, seu* PERSEVERANTIÆ, *seu alia emitti solita in aliqua congregatione vel communitate, et in vota obligatoria a tertio acceptata, non se ingerant.* Ita præfatus pontifex noster apud F. Theodorum a Spir. S. in tract. *De jubil.*, novissime edito Romæ eodem anno 1750, qui cap. 11, § 2, n. 10, quæstionem proponens, an votum, vel juramentum perseverandi emissum in congr. a sacerdotibus, sive mulieribus oblatis possit commutari in vim Jubilæi? Respondet negative, hanc rationem adducens: *Nec quia reservatum, sed quia emissum est per modum contractus onerosi ultro citroque obligantis. Nunquam enim summus pontifex confert facultatem commutandi votum, ubi læditur jus aliorum, ex cap.* CUM SIT, DE RESCRIPTIS. *Nec obstat quod votum hoc perseverandi principaliter fiat in Dei cultum, secundario in congregationis obsequium; quia hoc non adimit, quin sequatur inter voventem vel jurantem, et congregationem contractus ex utraque parte obligatorius, et proinde quin jus congregationi quæsitum læderetur, si ejus irrequisito consensu votum emissum commutaretur: ex eadem ratione sequitur, commutari non posse votum, ab alumnis collegiorum emissum pro missionibus ad infideles, etc., cum de tertii præjudicio tractatur*, etc. Ita prædictus auctor; et idem SS. P. Benedictus XIV in bulla *Inter præteritos*, edita die 3 Decembr. 1749, n. 66, sic ait: *Quod vero attinet ad commutationem votorum, in quibus de tertii præjudicio agitur, quæ quidem pœnitentiariis interdicitur, apposite sane scribit Suar. t. II,* DE RELIG. *lib.* VI, *c.* 5, *n.* 7: *Circa vota perseverantiæ quæ a quibusdam fiunt, dum aliquam congregationem ingrediuntur, quæque naturam assumunt contractus et reciprocæ obligationis inter ipsos et congregationem quæ eosdem recipit, in quibus pœnitentiarii dispensare non possunt.* (Apud S. Liguor. lib. IV, tract. II, c. 3, *De voto*, dub. 8, n. 525 in fin.)

§ III. — De status religiosi origine.

De natura status religiosi hucusque dicta sufficiunt ad claram rationem hujusce status; nunc ad ejusdem originem devenimus.

I. Tria vota, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiæ perpetuæ, sunt omnino de essentia religionis, adeo ut sine illis religio aliqua proprie dicta nullatenus consistere possit. Communis et certa, ut dictum est supra.

II. Tria dicta vota sunt de essentia religionis ex jure divino; adeo ut nec papa possit dispensare in sensu composito, quod aliquis sit et maneat proprie religiosus, et tamen non sit astrictus tribus allegatis votis; quamvis ex aliqua gravissima causa bonum commune concernente possit dispensando ex religioso facere non religiosum, et ei concedere facultatem ad sæculum redeundi et nubendi. Ita communiter ex textu in cap. *Cum ad monasterium* 6, *De statu monachor.* in fine, ubi Innocentius III sic expresse dicit: *Abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulæ monachali, ut contra eam nec summus pontifex possit licentiam indulgere.* Et glossa, ibid. verb. *Abdicatio*, dicit: « Papa non potest dispensare, ut monachus habeat proprium exsistendo monachus, sed de monacho potest facere non monachum. Ex quo clare sequitur, quod dicta tria vota non solo jure humano, sed divino requiruntur ad essentiam religionis; quia si solo jure humano essent ad eam necessaria, papa in iis sine dubio posset dispensare. »

III. Et ratio est, quia status religiosus secundum suam essentiam seu substantiam, non ab aliquo puro homine, sed immediate a Christo Domino fuit institutus; Christus enim ipse homines ad tria illa consilia evangelica est cohortatus, et ad vota perpetua de illis facienda, ut colligitur ex Matthæi XIX, 21, de paupertate: *Vade, vende omnia quæ habes*, etc.; de castitate, *ibid.*, vers. 12: *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum.* De obedientia, quæ fit per abnegationem sui et suæ propriæ voluntatis, ex Matth. XVI, 24: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum*, etc. Adeoque dici debet esse de jure divino, non præcipiente, sed consulente, ut docent communiter doctores; « hæc est, ait Suarez, sententia omnium Catholicorum recte sentientium. »

« Si spectetur status religiosus secundum

se, ait Schmalzgrueber, et quoad substantiam suam, institutus est ab ipso Christo Domino in nova lege; si vero quoad peculiarem et determinatum modum vivendi, sive regulam, originem suam debet institutioni Ecclesiæ . . . . , constat ex variis textibus Evangelii, quibus Christus Dominus ad tria consilia evangelica observanda, et ad vota perpetua de illis facienda cohortatus est homines ..... Nec inanis fuit hæc cohortatio, sed eidem apostoli magna promptitudine et fervore obsecuti sunt : quod ostenderunt, dum omnium nomine respondens Petrus, *Ecce*, inquit (*Matth.* XIX, 27), *nos reliquimus omnia, et secuti sumus te;* ut adeo ipsi primi fuerint religiosi Novi Testamenti, et consequenter status religiosi institutio non sit novitia, quemadmodum hæretici nostri temporis criminantur. » (Lib. III *Decretal.* part. IV, tit. XXXI, *De regularibus*, num. 3.) Ita docent sancti Patres, Augustinus, Hieronymus, Joan. Chrysost. etc., sanctus Thomas, et Theologi.

« Hinc recte concludunt communiter doctores, quod verus et perfectus status religiosus secundum essentiam cum tribus dictis votis fuit primo et immediate institutus a Christo Domino, et eo invitante et hortante, statim ab initio Ecclesiæ ab ipsis apostolis et aliis Christi discipulis fuit susceptus, ut patet ex dictis supra. Secundum autem peculiares et certas vivendi regulas religionis substantiæ seu essentiæ superadditas (post jam institutam a Christo Domino religionis, sive religiosi status substantiam) fuerunt a perfectis et sanctis fundatoribus variæ religiones institutæ, et ab Ecclesia approbatæ ; ita ut quælibet earum suum specialem habeat fundatorem seu institutorem : quamvis enim Christus religionem, seu statum religiosum instituerit secundum substantiam; tamen accidentalia ejusdem reliquit Ecclesiæ determinanda ; sicuti quamvis Christus ipse instituerit sacramenta quoad substantiam, tamen accidentalia eorum reliquit Ecclesiæ determinanda. Sic communis doctorum. » (FERRAR. verb. *Religiones regulares.* art. 1, n. 14 et 15.)

IV. Hinc ex diversitate accidentalium religio alia est contemplativa, alia activa et alia mixta. (Communis.) — *Contemplativa* est quæ, præter observantiam trium votorum ex primæva sua institutione, principaliter in contemplatione rerum cœlestium et divinarum se exercet, ut religiones monasticæ SS. Basilii, Benedicti, Bernardi, Brunonis, etc. — *Activa est*, quæ principaliter se exercet in operibus misericordiæ tum spiritualibus tum temporalibus circa proximum, ut religiones militares et hospitalarii. — *Mixta est*, quæ utramque includit, scilicet contemplativam et activam, uti sunt religiosi SS. Augustini, Dominici, Francisci, societatis Jesu, etc.

Insuper religiones aliæ sunt clericales, aliæ monachales, aliæ mendicantes, et aliæ militares. — *Clericales* principaliter ordinantur ad cultum divinum promovendum et salutem animarum procurandam, et tales sunt canonici regulares, Jesuitæ, etc. — *Monachales* ordinantur ad vitam contemplativam et solitariam; tales sunt Benedictini, Cistercienses, Carthusiani, Camaldulenses et hujusmodi. — *Mendicantes*, ex primæva sua institutione paupertatem non tantum in particulari, sed etiam in communi observant, nulla penitus bona immobilia possidentes, contentæ iis solis, quæ « vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, vel honesto acquiruntur labore et industria. » (Arg. c. *Exiit* 3, *De verb. signific.* in 6...) Tales religiones de jure communi approbatæ, sunt quatuor, scilicet religio Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini et Carmelitarum. (Textu expresso in c. *Religionum diversitatem*, unic. *De religiosis domibus*, in 6.)

Dicitur autem notanter *ex primæva sua institutione*, quia ex variis posterioribus concessionibus ac privilegiis apostolicis, et ex ordinatione concilii Tridentini, sess. 25, *De regularibus*, c. 3, concessum est omnibus religionibus, tam virorum quam mulierum, etiam olim vere Mendicantibus (sola religione sancti Francisci Minorum de observantia, et Capuccinorum excepta) bona immobilia, dominiumque rerum habere in communi, ita ut soli dicti Minores de observantia, et Capuccini, in propria acceptione juris antiqui, Mendicantes sint.

Religiones *militares* sunt quæ in primario suæ institutionis fine potissimum ordinantur ad militandum pro defensione religionis Christianæ et Ecclesiæ; et tales sunt ordo Teutonicus, Melitensis, et plures alii. Professi in illis religionibus militaribus in quibus, ut in ordine militari S. Joannis Hie-

rosolymitani, seu Melitensi, emittuntur tria vota substantialia, sunt veri ac proprie dicti religiosi. Professi autem in illis religionibus militaribus, in quibus non emittuntur omnia dicta tria vota, quamvis sint et dici possint religiosi cum addito *militares*, non sunt tamen nec dici possunt absolute et simpliciter, proprie et rigorose religiosi.

Et hæc diversitas accidentalis ab institutione Ecclesiæ procedit.

§ IV. — De utilitate status religiosi.

« Utilissimum semper fuit, et adhuc est Ecclesiæ catholicæ, quod in ea fuerint et adhuc sint religiones. (Communis.) Nec indiget probatione, cum teste experientia et fatentibus pontificiis oraculis, religiosi tum precibus et exemplis, tum doctrinis et laboribus innumera Ecclesiæ attulerint bona, et ab ea averterint mala, adeo ut merito Christus ipse sanctæ Theresiæ dixerit: *Væ mundo, si religiosi non essent!* » (FERRAR. verb. *Religiones regul.* art. 1, n. 30.)

CAPUT II.

De diversis regularium ordinibus et regulis, et de canonica omnibus communi regula.

§ I. — Quotuplices ordinum religiosorum regulæ, et cujus sit earum approbatio et confirmatio.

I. Religiones in specie, quamvis plures sint tum virorum, tum mulierum, tamen fere omnes sub quatuor principalioribus regulis, S. Basilii videlicet, S. Augustini, S. Benedicti, et S. Francisci militant, exceptis aliquibus infra assignandis, quæ in pluribus quatuor præfatis regulis se uniformantes, propria statuta et peculiares constitutiones pro regulis habent. (Ita communiter.)

II. Olim ab eo tempore, quo in Ecclesia pro monachis, sive religiosis scripto Regulæ cœperunt institui, semper dictæ Regulæ consueverunt approbari et confirmari ab episcopis, ut tradunt communiter doctores, et desumitur clare ex concilio Chalcedonensi, c. 4 relatum in cap. *Quidam monachorum* 10, causa 18, quæst. 2. Et talis consuetudo duravit usque ad tempus concilii Lateranensis, an. 1215, cujus concilii fit mentio cap. *Ne nimia* 9, *De religiosis domibus*; in cujus summario expresse dicitur : «Novam religionem non licet constituere sine auctoritate Romani pontificis.» Et quod religionum approbatio et confirmatio fuerit postea reservata soli Romano pontifici, habetur clarius ex cap. *Religionum diversitatem*, unic. *De religios. domib.* in 6; et cap. *Quod votum* unic., *De voto*, in 6.

§ II. — De prima principaliori Regula et militantibus sub ipsa.

I. Prima igitur regula principalior est S. Basilii ab eodem sancto instituta anno 361, pontifice Felice II, imperatore Juliano Apostata. Sanctissimus hic monachorum antiquorum Orientalis Ecclesiæ statum reformavit, et ea omnia quæ ab Antonio Magno, Hilarione, Pachomio, utroque Macario, et aliis Patribus pro instituendis illius temporis monachis et religiosis sibi fuerant tradita, litteris mandavit, atque quibusdam demptis, aliis vero additis, confecit Regulam, quæ fuit approbata et confirmata ab illius sæculi episcopis, ut in concilio generali VII, Nicæno II, Regulæ ejusdem fit mentio, tanquam de Regula juris per Ecclesiam approbata et confirmata.

II. Sub divi Basilii Regula militant ferme omnes monachi Græci et Orientalis Ecclesiæ; sub hac regula militavit aliquando congregatio Armenorum, qui postea Regulam S. Augustini apud Latinos assumpsit. Item sub S. Basilii Regula militarunt quandoque Carmelitæ, quam Regulam una cum qualitatibus a sancta Theresia additis et sic a Gregorio XIII, const. *Pia* 22 Junii 1580 confirmatam observat religio Carmelitarum discalceata.

§ III. — Secunda principalior Regula et militantes sub ipsa.

I. Secunda principalior Regula est S. Augustini ab eodem sancto instituta circa annum Domini 390. Duo a sancto Augustino instituti fuerunt ordines, scilicet Eremitarum et Canonicorum regularium.

II. Sub utriusque hujus Regula plures militarunt, et militant congregationes, et quidem ut ex Bordono refert Reiffenstuel congregationes XXXIV Canonicorum regularium, et congregationes XVII Eremitarum, et inter omnes, comprehensis etiam ordinibus militaribus, 97 refert Tamburinus. — Inter quas *canonicorum Lateranensium* ordo institutus fuit in primæva Ecclesia a Christi discipulis, teste Benedict. XII, const. *Ad decorem*, et alii idem affirmant. — Præmonstratensium canonicorum regularium congregatio a sancto Norberto instituta; et omnes aliæ canonicorum regularium congregationes. — Præ-

dicatorum ordo institutus est a sancto Patre Dominico Hispano canonico regulari S. Augustini, et approbatus et confirmatus fuit solemniter sub Regula S. Augustini, et propriis constitutionibus.

§ IV. — Tertia principalior Regula et militantes sub ipsa.

I. Tertia principalior Regula est S. Benedicti, ab eodem sancto instituta circa annum 500, vel 520 adumbrata et concepta, deinde in Casino monte absoluta.

II. Sub hac regula militant omnes Benedictinæ congregationes, item Cluniacenses, Camaldulenses, Cistercienses, Bernardinæ, et plures equitum ordines militares.

§ V. — Quarta principalior Regula et militantes sub ipsa.

I. Quarta principalior Regula est S. Francisci, cujus religio incepit anno 1208.

II. Sub Seraphici S. Francisci religione et Regula militant omnes illi Fratres Minores Franciscani, quorum alii vocantur *Observantes*, alii *Recollecti*, alii *Discalceati*, alii *Reformati*. Sub eadem Regula in sua primæva puritate militant PP. Capuccini. Plures alii regulares et etiam militares sub eadem regula, non in suo vigore, et ad litteram, sed cum certis dispensationibus apostolicis, militant.

§ VI. — De aliis diversorum ordinum Regulis particularibus.

Particulares aliæ religiones et congregationes sub nulla dictarum quatuor principaliorum Regularum militantes, sed proprias regulas et constitutiones habentes multæ sunt; inter quas præcipuæ sunt Carthusiensium ordo, Carmelitarum ordo, Minimorum S. Francisci de Paula ordo, clericorum regularium Societatis Jesu ordo, clericorum regularium de Oratorio congregatio; scholarium piarum congregatio; monialium Visitationis B. Mariæ Virginis congregatio; Piorum Missionariorum congregatio; Missionariorum presbyterorum sæcularium (*Lazaristæ*) congregatio, et puellarum Charitatis societas, etc.

§ VII. — De Regula communi et particularibus Constitutionibus.

I. Quatuor magnæ Regulæ, et aliæ propriæ regulæ diversarum religionum, quæ sub aliqua e quatuor magnis regulis non militant, utpote a summo pontifice approbatæ, necnon in unaquaque religione perpetuæ, constituunt veram pro unaquaque religione regulam canonicam. Regulæ vero hujusmodi canonicæ et etiam supra eamdem apponi debent sacri canones, juris capitula et constitutiones apostolicæ; his enim legibus canonicis obligantur omnes omnino religiones, nisi specialiter spectent ad quamdam peculiarem religionem aut congregationem.

« Constitutiones vero et statuta, a solis prælatis aut capitulis religionum sunt ordinata : imo multoties sine auctoritate pontificia aut approbatione, ac pro temporum varietate sæpius mutantur. » (SUAREZ, *De religione*, tom. IV, lib. I, c. 2, n. 5.) Consonat sanctus Franciscus Salesius : *Comme disent les docteurs, les Règles des religions proposent les moyens de se perfectionner au service de Dieu : et les constitutions montrent la façon avec laquelle il les faut employer : comme, par exemple, cette Règle commande qu'on vaque soigneusement aux prières ; et les constitutions particularisent le temps, la quantité et la qualité des prières qu'il faut faire.* (*Règle des sœurs de la Visitation*, Préface.)

III. Variæ religiones et congregationes ejusdem ordinis non regula inter se differunt, sed solis constitutionibus unicuique particularibus.

§ VIII. — De quarumdam denominationum significatione.

In stricto sensu ab Ecclesia et auctoribus usurpato : 1. Per *Religiones*, seu, quod idem est, per religiones stricte dictas, seu formales, intelligenda sunt instituta, quæ essentiam status religiosi habent, cum votis solemnibus. — 2. Per *congregationes* autem *religiosas*, primario intelligenda sunt instituta, quæ essentiam status religiosi habent, sed cum votis duntaxat simplicibus ; secundario intelligendæ sunt etiam *congregationes improprie religiosæ*, id est instituta, quæ non habent quidem essentiam status religiosi, sed tamen formam illius imitantur et aliquid ex ipso retinent : puta solum votum castitatis, vel solum votum obedientiæ, vel tria vota temporaria, vel similem modum vivendi absque ullis votis. — 3. *Ordinis* vocabulum habetur communiter tanquam genus, sub quo tanquam species comprehenduntur, tum *religio formalis*, tum *congregatio proprie religiosa*, tum etiam *congregatio improprie religiosa*. Auctores tamen non pauci, recentiores præsertim, *religiones* et *religiosos ordines* pro synonymis usurpare

videntur. — 4. *Instituti religiosi* vocabulum sumi potest, vel in stricto sensu, quatenus essentiam status religiosi denotans ; vel in lato sensu, quatenus includens etiam vivendi modos, qui statum religiosum imitantur, et aliquid ex ipso habent, quamvis ab ejus essentia deficiant. In hoc lato sensu adhibetur tanquam genus, sub se continens, tum religiones stricte dictas, tum congregationes proprie religiosas, tum etiam congregationes improprie religiosas.

§ IX. — De *approbatione* Ecclesiæ quoad ordines religiosos.

I. Approbatio alicujus ordinis vel instituti religiosi est, ex Suaresio : ***Judicium de probitate rei et licentia et facultas illam exsequendi.*** (*De religione*, tom. III, lib. II, c. 15, n. 11 et 18.) Unde qui asserit aliquod religiosum institutum approbatum fuisse a Sede apostolica, perinde est ac si diceret : Judicatum fuit ipsum esse honestum in se, et data est facultas ipsum inchoandi, socios ipsi aggregando, et cætera juxta idem institutum peragendo.

II. Plures sunt approbationis gradus alicujus instituti religiosi, quos ordinarie gradatim eidem instituto concedit sancta Sedes apostolica. In primo gradu laudantur institutum et ejusdem Regula et Constitutiones, et aliquando confirmatur tanquam mera confraternitas. In secundo gradu erigitur in congregationem proprie religiosam, cum votis duntaxat simplicibus, sub una e regulis approbatis, vel propria, et confirmantur ejusdem Constitutiones. In tertio et ultimo gradu eadem congregatio erigitur in ***veram ac formalem religionem***, seu in ***ordinem religiosum***; et tunc inter ordines regulares stricte sumptos sic approbatum annumeratur institutum, et eorum legibus generalibus subjicitur, privilegiisque communibus gaudet. (*Vide* apud D. Bouix, ***De regularibus***, t. I, p. 186 et seqq.)

CAPUT III.

De canonica norma novas erigendi religiosas familias, novosque earumdem conventus.

§ I. — Quæcunque approbatio religionum et congregationum summo pontifici est reservata.

Lege universali Ecclesiæ prohibitum fuit ne quis novam religionem vel novum ordinem inducat, et ne quis ingrediatur religionem non approbatam a Sede apostolica.

I. Concilium œcumenicum Lateranense, Innocentio III pontifice habitum, sic decrevit, cap. 13 : ***Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat : sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis.*** Et fuit incorporatum in corpore juris, cap. 9, tit. XXXVI, lib. III *Decretalium*. Et sic summatur : ***Novam religionem non licet constituere sine auctoritate Romani pontificis.***

II. Concilium œcumenicum Lugdunense, sub Gregorio X celebratum anno 1273, idem iterum sancivit et ampliavit his verbis : ***Religionum diversitatem nimiam*** (*ne confusionem induceret*) *generale concilium* (Lateranense sub Innocentio III) ***consueta prohibitione vetavit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diversorum ordinum, præcipue Mendicantium*** (*quorum nondum approbationis meruere principium*) ***effrenatam quasi multitudinem adinvenit ; repetita constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat ; cunctas affatim religiones et ordines Mendicantes, post dictum concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, et quatenus processerant revocamus.*** (C. ***Religionum***, tit. XVII, lib. III *Decretal.*, in 6.)

III. Approbatio requisita ut quis novam religionem possit inchoare aut ingredi, intelligenda est de approbatione Romani pontificis ; non autem de approbatione ordinarii, sive episcopi sive inferioris prælati. Hoc patet ex summario capitis ***Ne nimia*** supra cit. et textu expresso capitis ***Religionum*** cit. ibi : ***Qui nullam confirmationem Sedis apostolicæ meruerunt.*** Idem omnino evincit decretalis ***Sancta Romana***, extravag. Joan. XXII, tit. VII, ***De domibus religiosis ;*** nam ibi decernitur irritas esse et fuisse nullas religiones et congregationes prætensas, utpote erectas contra canones... Quidam autem ex illis prætensis religiosis, objiciebant se approbatos fuisse ab episcopis : ***Ut ipsorum error et impietas*** (sunt verba constitutionis) ***religio reputetur..., quidam... eorum dictum habitum et vivendi ritum a quibusdam episcopis, seu eorum superioribus, vel aliis ecclesiarum prælatis habuisse profitentur.***

Sed dicit pontifex his episcopis et prælatis non licuisse hoc facere, obstante concilii Lateranensis et Lugdunensis decreto: *Quos* (nempe habitum et vivendi ritum) *nec eis* (nempe episcopis et prælatis) *concedere licuit, contra formam concilii generalis*. Unde non sufficit episcopi approbatio, sed omnino requiritur pontificia. Conclusionem firmat insuper unanimis doctorum consensus, apud Bouix, *De regularibus*, t. I, p. 197 et seqq.

IV. Requiritur approbatio pontificia, non tantum qua novum institutum judicetur bonum in se ac sanctum, sed etiam qua facultas detur illud inchoandi seu exsequendi.

« Præfata lex non tantum est prohibens, sed etiam irritans quamlibet religionem a Sede apostolica non approbatam, » ut patet ex canonibus allatis, et Clement. *Cum de quibusdam*, tit. II, *De religiosis domibus*, lib. III, et communi doctorum sententia.

V. Prædicta lex intelligenda est, non tantum de religionibus, sed etiam de congregationibus religiosis, de congregationibus improprie religiosis, de quocunque novo vivendi modo, etiam sub regula jam approbata; his omnibus necessaria est approbatio pontificia. Et lex prædicta prohibet ipsum etiam tentamen erigendi novam religionem aut congregationem religiosam, absque dicta approbatione.

VI. Prædicta lex intelligenda non est de meris sodalitiis seu confraternitatibus, ut patet ex requisitis a jure ad earum erectionem, scilicet auctoritas et approbatio episcopi.

VII. « Prædicta lege impeditur, ne quis solitarie seu privatim, in domo sua degens possit esse verus religiosus: non tamen prohibetur ne quis solitarie vivens vota substantialia religionis emittat et particularem habitum deferat.

VIII. « Qui volunt novam religionem vel congregationem religiosam instituere, etsi nequeant, ante pontificiam approbationem, vitam communem cum hac vivendi forma inchoare, licite tamen possunt de proposito suo deliberare, illudque in scriptis exprimere, et se ad illud, post obtentam licentiam, exsequendum disponere.

IX. « Ergo a tempore Innocentii III, quæcunque approbatio religionum et congregationum, etiam improprie religiosarum, Sedi apostolicæ fuit reservata. » Vide hæc omnia demonstrata apud D. Bouix, tract. *De regularibus*, part. II, tom. I, p. 193 ad 202.

§ II. — Licite inchoantur et constituuntur hodie ex ordinariorum licentia novæ congregationes.

I. Lex prædicta, novas religiones absque licentia pontificia prohibens, vigere desiisse videtur, et consuetudine jam inductum est, ut novæ religiosæ congregationes de sola episcoporum licentia inchoarentur.

1. Etenim noto notius est pullulasse, recentioribus præsertim temporibus, novas congregationes, absque pontificia auctoritate inchoatas et institutas.

2. Facta paulo antiquiora hanc consuetudinem probant; sanctam Joannam Valesiam, absque licentia apostolica suum institutum incepissse, cum licentia ordinarii, satis innuit ipsa bulla approbationis Alexandri VI, *Ea quæ*, Idibus Februarii 1501. In constitutione *Sacrosancti*, 8 Januarii 1666, Alexander VII confirmat et approbat moniales Hospitalarias, quæ sub regula S. Augustini, in diœcesi Andegavensi primum institutæ fuerant, et multa in loca deinceps novis erectis monasteriis propagatæ. Porro in bulla ipsa expresse habetur, primum monasterium *de licentia et approbatione ordinarii Andegavensis* fuisse erectum et fundatum; et pariter cætera monasteria in aliis diœcesibus *de simili licentia* erecta fuisse. De licentia autem Sedis apostolicæ nulla fit mentio. Id innuit constitutio *In apostolicæ*, VII Kalend. Februar. 1724, quoad congregationem *Fratrum scholarum Christianarum* a venerabili de La Salle fundatam; et const. Gregorii XVI *Omnium gentium*, 29 April. 1836, quoad institutum clericorum *Societatis Mariæ* (*Les Maristes*) nuncupatorum. — Idem probatur pluribus aliis factis.

II. Satis hodie constat Sedem apostolicam in præfatam consuetudinem consentire; id probatur ex constitutionibus citatis, quæ approbant et confirmant religiosa instituta absque approbatione pontificia inchoata. Idem probat inducta jam ab aliquanto tempore apud Romanam curiam praxis, quoad noviter erectas ejusmodi congregationes. Praxim illam testabatur em. cardinalis Orioli, anno 1848, in expositione causæ, coram sacr. congr. Episcoporum et Regularium pendentis, ut habetur in publicatione periodica cui titulus *Correspondance de Rome* (seconde édit., pag. 18), his verbis: *Vos éminences*, inquiebat, *connaissent la maxime du*

Saint-Siége, de ne pas approuver un institut qui ne serait point propagé suffisamment eu egard au temps, aux lieux et aux personnes, ou dont les constitutions n'auraient pas subi l'épreuve de l'expérience, ou qui n'aurait pas pour vivre. Et lorsque, par défaut de ces conditions, la sacrée congrégation ne juge pas de pouvoir procéder à l'approbation de l'institut, elle a coutume de l'encourager en applaudissant au zèle du fondateur, ou en louant le but de l'institut même ; quelquefois encore en approuvant l'institut, tandis que l'approbation des règles est renvoyée à un temps plus opportun. Ainsi, par exemple, dans la consultation récente (Avenionensi, super approbatione instituti et constitutionum piæ societatis sanctissimi Redemptoris), *la sacrée congrégation a jugé qu'on devait différer l'approbation qu'on demandait pour l'institut et les règles, et se contenter de louer le but par un décret. Il en a été de même dans l'affaire de Breschia, où l'on a loué et approuvé le but de l'institut.* Cum nuper, ait D. Bouix (*De regul.* t. I, p. 213), quidam mihi notus vir Romæ ageret, ut novæ religiosorum congregationi, quæ adhuc in propositis est, pontificium assensum obtineret, fuit ipsi responsum, procurandum primo ut congregatio exsisteret ; an autem approbanda esset, suum fore postea deliberandi locum. Hæc et similia documenta satis arguunt, eam revera invaluisse apud Romanam curiam praxim, ut nonnisi jam erectæ et constitutæ congregationes pontificia approbatione firmarentur.

« Jam vero praxis hæc manifestum facit consentire Sedem apostolicam, ut dictæ novæ congregationes ante pontificiam approbationem et de sola ordinariorum licentia inchoentur. Alias enim non denegaretur approbatio pontificia inchoandis, nec daretur solummodo jam inchoatis..... Non esse necessariam pro inchoandis præfatis congregationibus Sedis apostolicæ approbationem, existimavit etiam modernus Galliæ scriptor, R. P. Gautrelet (*Traité de l'état religieux*, t. I, p. 136, édit. 1853). »

Ex dictis « sequitur licite hodie inchoari et constitui cum sola ordinariorum approbatione et auctoritate, congregationes illas, quæ simplicia duntaxat vota, ex proprio instituto, in perpetuum emittunt ; et a fortiori illas quæ, vel nulla vota, vel non perpetua nuncupant. Item sequitur licite ex sola ordinarii facultate constitui earum congregationum conventus.

Ejusmodi congregationes vota simplicia perpetua habentes, et ab ordinario approbatæ, ex dictæ consuetudinis legitimitate, qua oppositio canonica abrogatur, censendæ sunt status religiosi essentiam habere. (*Vide* apud Bouix, *ibid.*, p. 209 et seqq.)

§ III. — Licitæ sunt religiosæ congregationes, clausura et votis solemnibus carentes.

Lex qua prohibitæ sunt quælibet congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium, non impedit ut licitæ sint monialium congregationes, clausura et votis solemnibus carentes ; ita tamen ut ab Ecclesia toleratæ, non autem approbatæ censeri debeant.

I. Certum est quod decreta Bonifacii VIII, cap. *Periculoso*, *De statu regular.* in 6, et concilii Tridentini, sess. 25, *De regularibus*, c. 5, omnibus quidem monialibus clausuram injungant ; sed loquuntur duntaxat de religionibus stricte sumptis, id est, vota solemnia habentibus, non autem de congregationibus monialium vota simplicia emittentium. Sed sanctus Pius V, constitutione *Circa pastoralis*, 29 Maii 1566, extendit præceptum clausuræ et votorum solemnium ad universas et singulas moniales et etiam ad tertiariarum congregationes, decernens ut, vel solemnia vota emittant, et sese clausuræ subjiciant, vel nulla in posterum possit in ipsarum conventibus novitia recipi.

II. Non obstante autem sancti Pii V constitutione, licitæ postea fuerunt et hodiedum sunt monialium congregationes, clausura et votis solemnibus carentes. Etenim 1° certum est perseverasse conventus Tertiariarum absque votis solemnibus et clausura degentium. — 2° Quod autem Sedes apostolica eas duntaxat *toleraverit*, non autem sancti Pii V decreto derogaverit expresse eas approbando, tradit Benedictus XIV, *Instit.* 105, n. 76 : *Sedes apostolica*, inquit, *ita se gessit, ut easdem Tertiarias, non quidem sua auctoritate probaret, sed illas toleraret, et episcopis subjectas declararet.* Idem constat ex variis sacr. congr. Concil. declarationibus. — 3° Idem quod de prædictis Tertiariis dicendum et de aliis monialium institutis, clausuram et vota solemnia non habentibus, ut patet per constitutionem Benedicti XIV *Quamvis*, 30 Aprilis 1749, in qua agitur de conventibus monialium,

quæ *virgines anglicanæ* dicebantur et clausuræ non adigebantur. Quod saltem ab Ecclesia tolerentur, probat etiam quotidiana praxis; siquidem frequens est ut ejusmodi monialium regulæ a Sede apostolica approbentur et confirmentur, et variæ eisdem gratiæ impertiantur. Quod autem regulam sic approbando et gratias concedendo Sedes apostolica non intendat institutum ipsum approbare, sed duntaxat tolerare, probat clausula salutaris (ut aiunt) quæ addi solet, his aut similibus verbis, *citra tamen approbationem dicti conventus, vel conservatorii*, vel, *non tamen intendimus per præsentes ipsum conservatorium in aliquo approbare.* « *Quæ* (clausula), ait Benedictus XIV (in constit. *Quamvis* cit.), *tunc apponi consuevit, cum approbantur seu confirmantur regulæ alicujus conservatorii aut monasterii mulierum, sine clausura viventium, contra præscriptum decretalis Bonifacii VIII et decretorum concilii Tridentini, necnon constitutionis sancti Pii V, quæ incipit:* Circa pastoralis.

« Unde tandem dici potest, hodie de jure communi prohibitas non esse monialium congregationes clausura carentes et simplicia duntaxat vota emittentes: easdem tamen non esse aut dici posse ab Ecclesia *approbatas*, sed habendas eas esse tanquam toleratas.

« Lex igitur ecclesiastica, prohibens mulierum congregationes clausura et votis solemnibus carentes, non impedit quin novæ hujusmodi congregationes auctoritate ordinariorum erigi valeant. » (Ita D. Bouix, tract. *De regul.* tom. I, p. 222.)

§ IV. — Qualis requiritur Sedis apostolicæ approbatio, ad novæ religionis seu congregationis religiosæ institutionem.

I. Sufficit absolute ut summus pontifex dicat de aliquo instituto, *approbamus*, ut vi hujus vocis facultas detur novæ familiæ religiosæ membris superiorem sibi eligendi, vota emittendi, novitios recipiendi, et cætera omnia peragendi juxta instituti approbati normam et præscriptiones.

II. Variæ clausulæ brevis seu bullæ approbantis, aut etiam variæ clausulæ regulæ seu constitutionum approbatarum, determinant institutum religiosum sic approbatum ad esse religionem stricte sumptam, cum votis solemnibus, aut congregationem proprie religiosam, cum votis simplicibus, aut tandem congregationem improprie religiosam, ac proinde sæcularem, id est, religiosi status essentiam non habentem. Hæc fusius demonstrantur apud D. Bouix, *ibid.* t. I, p. 223 et seqq.

CAPUT IV.

De eodem, seu de canonica norma erigendi novos familiarum religiosarum conventus.

§ I. — Quod erectio conventus sit de speciali licentia Sedis apostolicæ.

Ad novi conventus erectionem requiritur beneplacitum apostolicum pro regularibus stricte sumptis.

I. In cap. *Religionum*, tit. xvii *De religiosis domibus*, lib. iii *Decretal.* in c. 7, Gregorius X sic decernit: *Nec de novo domum vel aliquem locum acquirant... sine Sedis ejusdem apostolicæ licentia speciali.* Sed hoc decernitur duntaxat quoad Mendicantes ordines post concilium Lateranense sub Innocentio III, *adinventos* et *confirmatos* a Sede apostolica. Postea ab hoc suo decreto excipit Gregorius X, tum Eremitas S. Augustini et Carmelitas, eo quod ante dictum Lateranense concilium exstiterint; tum Dominicanos et Franciscanos, ob evidentem Ecclesiæ utilitatem.

II. In cap. *Cum ex eo*, tit. vi, *De excessibus prælatorum*, lib. v, in 6, Bonifacius XIII, an. 1298, sic quoad Mendicantes ordines duntaxat decernit: *Prohibemus ne deinceps aliquis vel aliqui de prædictis, in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocunque, ad habitandum domos vel loca quæcunque novo recipere..... præsumant, absque Sedis apostolicæ licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem.*

Ex his decretalibus alii ex canonistis, ut Fagnanus (in cap. *Non amplius, De constitutionibus* lib. iii *Decretal.*), non requiri ad novi conventus erectionem beneplacitum apostolicum, concludunt; alii vero, ut Benedictus XIV *De synod. diœc.* lib. ix, c. 1, n. 9, Ferraris, verb. *Conventus* art. 1, n. 13 et seq.; Monacelli et alii ex praxi tribunalium Romanorum contendunt ad novos conventus erigendos necessarium esse beplacitum apostolicum. « Constitutiones apostolicæ pro erigendis novis conventibus sunt servandæ etiam extra Italiam et in aliis provinciis ultra montes, ut declaravit Urbanus VIII, die 30 Januar. 1638, in congreg. De propaganda fide. » (Ferrar. verb.

Conventus, art. 1, n. 6.) Et revera hæc ultima sententia communis evasit, et a Romanis tribunalibus et congregationibus pro regula habetur, testibus Benedicto XIV, Ferrari, Monacello et aliis. Sequitur hodie ad novi conventus erectionem pro omnibus regularibus necessarium esse beneplacitum apostolicum, etiam extra Italiam et adjacentes insulas; proinde nullam fore ac irritam fundationem ex solius ordinarii licentia peractam.

III. Quoad Italiam et adjacentes insulas Innocentius X, in constit. *Instaurandæ*, an. 1652, sic decrevit: *Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis regularium ordinum, mendicantium vel non mendicantium, congregationis, societatis, et cujusvis alterius instituti, etiam societatis Jesu, in aliqua civitate, castro, villa, seu loco, ad habitandum domos, vel loca quæcunque, de novo recipere, seu monasteria, conventus vel collegia incipere vel fundare præsumat, absque sedis apostolicæ licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis et gratis concedenda, prævia examinatione congregationis, negotiis episcoporum et regularium præpositæ. Si secus egerint, ipso facto incurrant pœnas privationis, inhabilitatis ut supra inflictas: et nihilominus receptiones, fundationes et erectiones sint ipso jure nullæ et invalidæ, et domus ac loca ipsa et personæ in eis degentes omnimodæ jurisdictioni, visitationi, correctioni ordinarii loci plene in omnibus subjaceant. Intendimus autem in præmissis, etiam ultra Italiam et insulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere.*

Unde « 1° nec licite nec valide potest erigi novus religiosorum conventus in Italia et adjacentibus insulis, quin expressam in scriptis licentiam Sedes apostalica concesserit — 2° Licentia hæc non conceditur nisi prius sacr. congr. ad id deputata rem examinaverit et ipsi constiterit veros esse et sufficientes conventus seu monasterii erigendi reditus. — 3° Secus facta erectio est ipso jure irrita, et conventus necnon personæ in eo degentes ordinarii correctioni et omnimodæ jurisdictioni subjacent. » (Ita D. Bouix, *De regul.* t. I, p. 256.)

IV. « Hæc autem requisita, ait Ferrante (*Elementa juris canonici*, p. 141, edit. Romæ 1854), locum non habent in fundandis hospitiis regularium, vel domibus congregationis clericorum sæcularium, vel monasteriis quarumcunque monialium; pro iis enim omnibus sufficit auctoritas ordinarii. »

§ II. — Quod non requiratur apostolicæ Sedis beneplacitum quoad congregationes quæ solemnia vota ex instituto non habent.

I. Leges quibus beneplacitum apostolicum requiritur, loquuntur tantum de religiosis ordinibus, in quibus vota solemnia emitti solent. Unde ad erigendam novam domum alicujus congregationis, quæ, vel nulla vota, vel non perpetua, vel simplicia duntaxat, emittere solet, videtur sufficere licentia episcopi.

II. Rem ita fuisse resolutam a Romanis congregationibus, refert Ferraris, verb. *Conventus*, art. 1, n. 32; et Nicolius in *Flosculis* verb. *Conventus*, n. 1; sacr. cong. Episc. et Regul., 13 Jan. 1623; et hanc sententiam tenet quoque sacr. congr. Concil., 9 Aug. 1629.

§ III. — Quoad translationem conventus, quæ sit lex.

In translatione conventus jam erecti ad alium situm ejusdem loci applicandæ non veniunt leges canonicæ de novi conventus erectione; nisi forte alii jam exsistentes conventus religiosorum habeant expressum privilegium ad impediendam etiam ejusmodi translationem. (Sic decisum fuit a sar. congr. Episc. et Regul. in *Gerundiensi*, 19 Septembr. 1687, teste Monacell. part. I. tit. VI, form. 19, n. 40. Id firmat Ferrar., variis ejusdem congr. decisionibus, verb. *Conventus*, art. 1, n. 12 et 47.) — Unde intra eamdem civitatem seu eumdem locum, situs conventus mutari potest absque beneplacito apostolico et sine consensu ordinarii.

§ IV. — Quod in erectione novi conventus etiam requisita sit ordinarii licentia.

Præter beneplacitum ut supra apostolicum, ad novi conventus erectionem, necessaria etiam est licentia episcopi, nisi forte in indulto pontificio expresse concederetur, ut absque dicta licentia conventus erigi posset.

I. Ex lege Tridentina sess. 25, *De regularibus*, cap. 3, loquendo de domibus tam virorum quam mulierum, sive possidentium sive non possidentium immobilia, sic statuere Tridentini Patres: *Nec de cætero similia loca erigantur sine episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.*

Ex quo deducitur : quod, stante concessione summi pontificis, posset episcopus *suspendere* exsecutionem, et rescribere eidem pontifici, si judicaret non expedire tales religiosos admitti ad locum concessum ; nisi tamen in Indulto pontificio expresse concederetur conventum erigendi facultas, absque ulla episcopi licentia. Quia si pontifex id concederet, eo ipso a Tridentina sanctione dispensaret.

II. Licentiam a Tridentino decreto requisitam concedere nequit vicarius generalis episcopi, absque speciali mandato, neque etiam vicarius capitularis, sede vacante. FAGNAN., in cap. *Non amplius*, tit. VII, *De institutionibus*, lib. III *Decret.*

III. Novum conventum erigendi licentiam denegare nequit episcopus, nisi ex justa causa ; et contra ipsius denegationem datur appellatio ad sacr. congr. Episc. et Regularium, quæ consensum injuste denegatum potest ac debet supplere juxta constitutionem Gregorii XV *Cum alia*, 17 August. 1622. — Ab injusto episcopi decreto poterit appellari, etiam quoad effectum suspensivum. (PIGNATELL. t. I, consultat. 179, n. 45.) « Licet nova monasteria erigi sine consensu episcopi non possint, fabricæ tamen earum jam cœptæ sine licentia perfici possunt. » (Adnot. ad cap. 3, sess. 25 *Trident.* ad verb. *Nec de cætero similia loca erigantur.*) Et præsens conclusio extra controversiam est apud doctores. (FERRARIS, verb. *Conventus*, art. 1; PIGNATELLUS ubi supra; cardin. DE LUCA, *De regularibus*, discurs. 29, n. 13 ; Adnotat. ad cap. 3 sess. 25 Trident., etc.)

Ex quibus patet non liberum esse episcopo ut, nullis servatis formalitatibus, licentiam statim concedat vel deneget, sed ab ipso procedendum est ut sequitur.

§ V. — De modo ab ordinariis procedendi, quando novos in ipsorum diœcesibus erigendi conventus licentiam regulares expostulant.

I. ***Prima formalitas de vocatione et auditione regularium jam in loco exsistentium.*** — 1. ***Si alias ordinariis locorum constiterit religiosos monasterii, conventus seu domus regularis sic erigendi seu erigendæ absque detrimento religiosorum, in monasteriis seu domibus ante in civitatibus seu locis hujusmodi erectis, degentium, ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse,*** licentiam erigendi concedere possunt, quin vocent et audiant aliorum conventuum superiores et procuratores. (Textu expresso in constitut. *Cum alias* GREGOR. XV, 17 August. 1622.)

2. Si episcopo non constet an nova erectio aliis conventibus detrimentum allatura sit, tenetur priores aut procuratores conventuum, tum in loco ipso tum extra usque ad quatuor millium distantiam positorum, vocare et audire. (Textu expresso in cit. constit. *Cum alias* GREGOR. XV, et constit. *Quoniam* CLEMENT. VIII, 23 Julii 1603.)

3. Quocunque modo licentiam dederit epicopus, sive vocando et audiendo alios regulares, sive non, remanet aliis conventibus ab ea appellandi facultas cum effectu etiam suspensivo ; et ejusmodi appellatio ad sacr. congr. Episc. et Regul. devolvitur. Et constat ex constitutionibus *Cum alias* Gregor. XV et *Quoniam* Clement. VIII citatis.

4. Prædicta juris dispositio, de requirendo consensu vicinorum conventuum, non respicit conventus monialium, sed virorum tantummodo; ut asserit Monacelli, part. I, tit. VI, form. 19, adnot. 17, ex praxi sacr. cong.; nec etiam congregationes presbyterorum sæcularium in communi viventium, erectas auctoritate ordinarii. (S. cong. Episc. et Regul. *in Caputaquensi* 13 Januar. 1623 ; apud NICOL. in *Floscul.* verb. *Conventus* n. 1.) Ex quo etiam videtur quod vocatio et auditio hujusmodi congregationum sola auctoritate ordinarii erectarum non requiratur ad novi regularium conventus erectionem. Secus autem dicendum videtur de omnibus proprie dictis religiosis congregationibus a sancta Sede approbatis ; nam cum sint vere regulares, etsi sine votis solemnibus, comprehendi debent in lege generali.

II. ***Secunda formalitas, de jure parochi quoad novos conventus in parochia præpediendos.*** — 1. Quidquid contradixerint plures canonistæ, non tenetur episcopus, antequam novum conventum erigendi licentiam concedat, parochum vocare : quia ex nullo jure id præscribitur. Ideoque parochi consensus nullomodo requiritur ad novam erectionem.

2. Sed in fundatione novi conventus præservanda sunt jura parochialia, prout expresse statuit sacr. congr. *in Tiburtina* fundationis conventus 28 Febr. 1698 ; apud Ferrar. verb. *Conventus*, art. 1, n. 26 ; et de-

ducitur ex cap. *Intelleximus* 1, tit. XXIII, *De novi operis mutatione*, in quo sic habetur : *Nulla Ecclesia in præjudicium est alterius construenda*. Itaque hoc capite, aliisque textibus innixi doctores, unanimiter tradunt præservanda esse parochi seu parochialis ecclesiæ jura, dum intra ipsius territorium aliquis novus conventus erigitur.

Atqui jura parochialia in his consistunt, ut ad parochum pertineat viatici, extremæ unctionis, matrimonii ministratio, et divinæ Eucharistiæ in Paschate porrectio. Item jus parochi ad decimas et ad oblationes ex justitia ipsi debitas. Item in parochiali ecclesia adhuc de jure sepeliendi sunt parochiani qui sepulcrum majorum non habent, nec alibi sepulturam elegerunt.

Quando igitur episcopus aliquod ex istis juribus ad novum monasterium decreto suo transferret, sese opponere potest parochus; et si ejusdem oppositio non audiatur, appellare potest.

Potest etiam sese opponere et appellare parochus, quando novi monasterii ædes, ob nimiam vicinitatem, aliave de causa, parochiæ ædibus aut fundo nocumentum inferrent, vel parochiales functiones perturbarent.

Nequit vero parochus novi conventus erectioni sese opponere, etiam ob præjudicia parochialium jurium non læsiva. Nam vix ullibi fundari potest regularium (sacro præsertim exercendo ministerio addictorum) ecclesia et domus, quin ejusmodi præjudicia, plus minusve notabilia consequantur ; ex quo sequeretur parochum sese opponere ad quamcunque novi conventus fundationem. Nullibi tamen tale jus parocho conceditur ; cui nullum aliud jus competit, quam tuendi jura sua parochialia: his præservatis, nullum ipsius consensum requiri ad ecclesiam sive regularem sive sæcularem construendam firmatur per cardinalem Petram, ad const. Paschalis II, sect. 1, n. 16 et seq., et colligitur ex textu in canone *Quicunque*, causa 16, quæst. 1. Et sic pluries decisum fuit a sacr. congr. Concil. et a sacr. congr. Episc. et Regul. apud D. Bouix, *De regular*. t. I, p. 292 et seq.

§ VI. — **De requisito religiosorum seu religiosarum numero, ut novi conventus erigi valeant.**

Tridentina synodus sess. 25, *De reg*. cap. 3, sic decrevit : *In prædictis autem monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.*

II. Gregorius XV, constitut. *Cum alias*, 17 August. 1622, Tridentinam sanctionem magis determinans, ita disponit : *De cætero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium, cujuscunque (etiam Mendicantium) ordinis, societatis et instituti, quocunque nomine nuncupentur . . . , non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi, inhabitare, ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant.*

III. « Die 21 Junii 1625 prodiit, jussu et auctoritate Urbani VIII, decretum sacr. congr. Concil., tenoris qui sequitur : *Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi, seu religiosi degere, et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti felicis recordationis Gregorii XV, hac de re editi ; alioquin monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, ordinarii loci visitationi, correctioni , atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.* Quod decretum cum aliis ab eadem sacr. congr. Concil. super celebratione missarum emanatis, confirmavit , et approbavit, ac ab omnibus exacte et perpetuo servari mandavit Innocentius XII, const. incip. *Nuper*, edita anno 1697... Quod procedit detractis expensis sacristiæ et ecclesiæ, Rota... » (apud FERRAR. verb. *Conventus*, art. 1, n. 27 et seq.).

Ex præmissis decretis : 1. Non absolute prohibentur erigi conventus in quibus pauciores sint aut sustentari valeant quam duodecim religiosi. — 2. Si vero erigatur conventus in quo duodecim religiosi convenienter inhabitare et sustentari nequeunt, remanet omnimodæ jurisdictioni ordinarii subjectus. — 3. In computando valore sufficienti redituum et eleemosynarum, detrahendæ sunt expensæ pro sacristia et eccle-

sia : nec ratio habenda est redituum difficillimæ exactionis : nec juvat quod aliæ domus ordinis ad supplendum sese obligant, cum religioni id facere non liceat absque beneplacito apostolico. (Ita FERRAR. ex variis tribunalium Romanorum decisionibus, verb. *Conventus*, art. 1, n. 28 et seqq.)

IV. « Requisita pro fundandis novis conventibus religiosorum, habent etiam locum circa erigenda monasteria monialium; debent enim eædem solemnitates observari in illis ædificandis, sicuti in illis regularium. (BARBOSA, super *Trid.* sess. 25, cap. 3, n. 29; SELLIUS in *Select. canon.* c. 60, n. 4, ubi testatur sic fuisse decisum sub die 19 Decembr. 1620. — Ita FERRAR. verb. *Conventus*, art. 1, n. 31.) Et idem auctor, verb. *Moniales*, art. 2, n. 6, addit : « Numerus monialium debet esse saltem duodecim. » (S. congr. Episc. et Regul. *in Camerinen.*, 18 Decembr. 1600, et 22 Julii 1601.) — Attamen, ut dictum est supra, non videtur requiri pro novo monialium conventu aliorum conventuum consensus, nec beneplacitum apostolicum, nisi forte quoad Italiam et adjacentes insulas.

§ VII. — De requisitis, quando regulares priscum reassumunt conventum.

I. Quando conventum spontanee dereliquerunt et postea reassumunt regulares, sic adnotat Monacelli : « Servanda sunt decreta apostolica super erectione novorum conventuum ab illis regularibus, qui redeunt ad monasteria quæ antea dereliquerunt, ut respondit sacr. congr. Episc. et Regul. archiepiscopo Turritano, 17 Novembr. 1617, his verbis : *Cum archiepiscopus Turritanus sacram hanc congregationem consuluisset, an in reassumptione conventuum Fratrum Minorum de Observantia suæ diœcesis, quos ipsi jampridem deseruerant, servandum sit decretum felicis recordationis Clementis papæ VIII, super novorum conventuum erectione editum, illustrissimi ejusdem congregationis Patres id omnino servandum esse censuerunt.*

II. Si vero non spontanee, sed ex violentia conventum suum deserere cogantur; tunc apud regulares sic violenter exspoliatos remanet jus reassumendi suum conventum absque ulla formalitate. Ratio est, quia in primo casu juri eorum quæsito renuntiarunt, fiuntque ejusdem conditionis, ac si nunquam jus illud habuissent; dum e contra in secundo casu idem jus quæsitum et per formalitates canonicas jampridem impletas firmatum servarunt.

§ VIII. — Congregationes quæ sub decretis præcedentibus non cadunt.

Sub decretis super erectione novorum conventuum non comprehenduntur congregationes presbyterorum sæcularium in communi viventium erectæ auctoritate ordinaria. (S. congr. Episc. et Reg.; et sacr. congr. Concil. apud NICOLIUM in *Floscul.* verb. *Conventus*, n. 1; ita FERRAR. verb. *Conventus*, art. 1, n. 32.)

CAPUT V.

De tertiariis et de extraordinaria conditione canonica monialium absque clausura viventium.

§ I. — Quod congregationes monialium absque clausura et votis solemnibus solummodo toleratæ sint.

Difficultas circa moniales absque clausura viventes oritur ex eo quod de jure communi a tempore sancti Pii V nequeant subsistere monasteria monialium etiam Tertiariarum absque clausura et votis solemnibus.

Etenim : 1. Certum est a Bonifacio VIII monialibus omnibus professis injunctam fuisse clausuram, cap. *Periculoso*, *De statu regularium*, in 6, ibi : *Nulli earum religionem tacite vel expresse professæ, sit vel esse valeat... monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas.* — 2. Legem illam confirmavit Tridentina synodus, sess. 25, *De regul.* c. 5; et addit : *Nemini autem sanctimonialium liceat post professionem exire e monasterio.* — 3. Sanctus Pius V, constit. *Circa pastoralis* 29 Maii 1566, confirmat decretalem *Periculoso*, et decretum Tridentinum quoad omnes quascunque cujuscunque ordinis vel instituti moniales etiam quarum regulæ et instituta clausuram non præscriberent, et prohibet ne deinceps tales moniales clausuram non servantes ad habitum et professionem novitias recipiant. Agens deinde expresse de mulieribus quæ *Tertiariæ* dicuntur, et quæ *in congregatione viventes* clausuram non servabant, nec *votum solemne* emittebant, decrevit ut, vel sese clausuræ subjicerent, et vota solemnia emitterent, vel nulla in posterum posset in ipsarum conventibus novitia recipi.

Hæc tamen Piana constitutio plenam executionem non obtinuit. Conventus hujusmodi Tertiariarum non fuerunt exstincti, sed auctoritate apostolica pluries declaratum est eos ab Ecclesia *tolerari*, quamvis

non *probari*. Imo et plurimæ aliæ ortæ sunt congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium, ad quas pariter dicta *tolerantia* extensa est.

De his omnibus expendendum venit quæ sit canonica ipsarum conditio.

§ II. — De Tertiariis utriusque sexus.

Regulares ordinum S. Dominici, S. Francisci, S. Augustini; item Carmelitæ, Servitæ, ac Minimi a S Francisco de Paula instituti Tertiarias mulieres et Tertiarios viros, juxta pontificum diplomata ac privilegia ascribere possunt. (Benedict. XIV, *Instit. eccles.* inst. 105, n. 60.)

De Tertiariis sæpius intervenerunt constitutiones pontificiæ et sacrarum congregationum decreta, ex quibus colligitur jus commune. Præcipuæ constitutiones et præcipua decreta prodierunt in ordine sequenti: 1. Leonis X constit. *Dum intra*, edita in concilio Lateranensi, sess. 21; et constit. *Nuper in concilio*, ejusdem, die 1 Martii 1518. — 2. Sancti Pii V constit. *Circa pastoralis officii*, anno 1566, supra citata. — 3. Decretum sacr. congr. Episc. et Regul., sub die 20 Decembr. 1616, inhærens dispositionibus constit. Leonis X, atque innovans et confirmans decreta sacr. congr. Concil. ad id edita. — 4. Benedicti XIII constit. *Paterna sedis*, 10 Decembr. 1725; *Ratio apostolici ministerii*, IX Kalend. Junii 1726; *Singularis devotio*, 6 Julii 1726; *Pretiosius*, 1727. Quæ quatuor tamen constit. non abrogabant sancti Pii V constit. *Circa pastoralis*, sed fuerunt una cum aliis moderatæ et reductæ ad terminos juris a Clemente XII constit. incip. *Romanus pontifex*, unde in suum vigorem remansit Piana constit. *Circa pastoralis*. — 5. Ejusdem Benedicti XIII constit. *Dilecti filii*, an. 1728; *Exponi nobis*, 1729. — 6. Instructio edita a sacr. congr. de Propaganda fide quoad Tertiarias, præsertim pro sacrarum Missionum regionibus, edita die 17 Januar. 1763, a Clemente XIII approbata, quam in extenso ad calcem tom VII, verb. *Tertiarii*, refert Ferraris.

Ex præfatis documentis jus commune, ut sequitur, deduci potest et debet.

I. *Quoad viros Tertiarios collegialiter viventes.* — 1. Soli illi Tertiarii viri gaudent privilegiis sui ordinis (id est privilegio fori et canonis, etc.) et exemptione ab ordinarii jurisdictione, qui *collegialiter vivunt*, id est, qui vivunt in aliqua communi domo in sæculo aut collegio sub habitu et Regula Tertiariorum approbata a sancta Sede, *aut cum claustralibus habitant*, id est qui dicto habitu et Regula Tertiariorum morantur intra septa sub obedientia superioris suæ religionis, ut recte explicat Donatus, *Prax. rer. regular.* tom. II, tract. XVII, quæst. 3, n. 2 et 3, et alii passim : id aperte colligentes ex verbis citatæ const. Leonis X *Dum intra*, et ex verbis citati decreti sacr. congr. Episc. et Regular. 1616, § 2.

2. Si decedant non sibi electa sepultura, et in ecclesiis ordinis, cujus habitum assumpserunt, communis sepultura pro ipsis reperiatur, debent in ipsa sepeliri : alias sepeliri debent in parochiali. (Sic expresse statuitur in allato decreto sacr. congr. Episc. et Regul. 1616, § 5.)

3. Tertiarii qui nondum compleverint annum XX, nequeunt retineri in conventibus. (Ex decreto sacr. congr. super statu regularium, ex speciali mandato Clementis X, 16 Maii 1675 edito, apud Ferrar. verb. *Habitus*, n. 33 et seq.)

II. *Quoad viros Tertiarios in propriis domibus privatim habitantes.* — 1. Subjiciuntur parochis quoad sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quam confessario ab episcopo approbato. (Communis.) Sic enim sæpe sæpius declaravit sacr. congr. Concilii.

2. Sicut alii laici, non gaudent privilegio fori, nec canonis, nec exemptionis ab oneribus publicis aliorum laicorum. Sic statuit Leo X, constit. *Inter cætera;* et sæpe sæpius decrevit sacr. congr. Immunit., nisi adsit alicubi contraria consuetudo

3. Dicti tamen Tertiarii gaudent omnibus indulgentiis, quibus sui ordines gaudent; ad hoc sufficit ut recipiant a potestatem habente et deferant habitum juxta morem et formam, quæ pro diversitate regionum servatur, etiamsi sit parvus habitus seu parvum scapulare, et cingulum, etc. (Colligitur ex multis pontificiis constitutionibus et sacrarum congregationum decretis; apud Ferrar. verb. *Tertiarii*, n. 34.

4. Post annum integrum probationis seu novitiatus a die recepti habitus professionem emittunt in manibus superioris ordinis, seu visitatoris seu alius a superiore delegati.

5. Per transgressionem præscriptorum in

sua regula, nisi alias ad eas sint obligati ex divinis vel ecclesiasticis præceptis, nullum committunt peccatum, nec mortale, nec veniale. (Ferrar. *ibid.* n. 45.)

6. Sæculares tertii ordinis gaudent præcedentia supra quascunque laicales confraternitates. (Sic expresse statuit Bened. XIII, const. *Ad nostram audientiam;* et Bened. XIV, const. *Emanavit nuper*, in qua confirmat etiam decretum sacr. congr. Episc. et Regul. ad id editum; *ibid.* n. 55.)

III. *Quoad viros Tertiarios in congregatione vota solemnia emittentes.* — « Si efforment congregationem cum votis solemnibus a Sede apostolica approbatam, jam veris regularibus accensendi sunt, quamvis Tertiarii vocentur; et ipsis applicandum venit jus commune, proprie dictos religiosos ordines concernens. (D. Bouix, *De regul.* t. I, p. 328.)

IV. *Quoad mulieres Tertiarias quæ in congregatione vivunt cum clausura et votis solemnibus, juxta sancti Pii V constit.* Circa pastoralis, *præscripta.* — De his nulla esse potest difficultas. Sunt enim vere moniales, ipsisque applicandum venit jus commune, quo reguntur cætera instituta monialium, in quibus vota solemnia nuncupantur. (Id. *ibid.* p. 327.)

V. *Quoad Tertiarias in domibus suis privatis et non collegialiter degentes.* — 1. Solæ illæ Tertiariæ mulieres gaudent privilegiis sui ordinis, quæ virginalem seu cælibem, aut castam vidualem vitam ducunt in domibus suis, aut suorum consanguineorum vel affinium, facto tamen prius voto simplici in manu sui superioris de servando vitam cælibem aut castitatem vidualem sub habitu et regula proprii ordinis. Non autem ad id requiritur, quod dictæ Tertiariæ, Bizzochæ, seu Pizzochæ, seu Pizzocheræ, Mantellatæ, Corrigiatæ, aliæque similes *collegialiter*, ut Tertiarii viri, *vivant, aut cum claustralibus habitent*, ut recte notat Donatus, *Prax. rer. regular*, tom. II, tract. xvii, quæst. 3, n. 4 et alii passim; id clare desumentes ex verbis expressis citatæ constit. Leonis X *Dum intra*, et *Nuper in concil. Lateranensi*, et ex decreto sacr. congr. Episc. 1616, § 2 et 3.

2. Ut prædictæ Tertiariæ gaudeant omnino privilegiis sui ordinis, requiritur etiam quod a superioribus regularibus recipiantur et admittantur ad habitum de expressa licentia ordinarii loci, et sint in ætate quadraginta annorum, probatæ vitæ ac bonis moribus præditæ, et habeant de proprio unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis cohabitent. (Sic expresse statuitur in adducto decreto sacr. congr. Episc. et Regul. 1616, § 5.)

3. An autem prædictæ qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, spectat ad ordinarium loci id declarare. (Sic expresse in eod. decreto, § 4.)

4. An autem, si omnia prædicta requisita in allato decreto non serventur, professio sit nulla, variant doctores. Alii probabilius dicunt professionem adhuc esse validam, ex eo quod in dicto decreto non adsit clausula irritans, et ex declarationibus sacr. congr. Immunitatis, quibus declaratur ut si aliquod ex requisitis deficiat in professione, adhuc Tertiaria gaudet privilegiis.

5. Tertiariæ habentes dicta requisita gaudent privilegio fori et canonis, atque etiam exemptionis a gabellis et onerum laicorum, ut sæpius declaravit sacr. congr. Immunit. et *inconcussam esse hodie* illam conclusionem asserit cardin. Petra tom. IV, in constit. 15 Martini V, n. 14; et habetur clare in Instructione sacr. congr. de Propaganda fide, supra citat.

6. Non sunt exemptæ neque a jurisdictione episcopi, neque etiam a jurisdictione parochi. Et habendæ sunt, non tanquam religiosæ, sed tanquam piæ parochianæ. Unde subjiciuntur parochis quoad sacramentorum administrationem, nec possunt alteri peccata sua confiteri, quam confessario ab episcopo approbato. Communis. (Sic enim sæpe sæpius declaravit sacr. congr. Concil. apud Ferraris, verb. *Tertiariæ*, n. 21.) Et quoad sepulturam ipsis pariter applicandum jus commune, cæteros parochianos sæculares respiciens. Nam in his omnibus exemptionibus a jurisdictione ordinarii Leonis X constitutio ad certos quosdam limites redacta fuit a summis pontificibus, qui deinde sedem apostolicam tenuerunt. (Benedict. XIV. *Institut. eccles.* 105, n. 68.)

7. Gaudent omnibus indulgentiis et gratiis spiritualibus sui ordinis, dummodo recipiant a potestatem habente et deferant habitum juxta morem et formam, quæ pro di-

versitate regionum servatur. Colligitur ex variis pontificiis constitutionibus.

8. « Verum in hujusmodi habitu concedendo et respective deferendo, omnino a velo supra caput, quod *superjectum* vocant, et a pectorali quod vulgo dicitur *sottogola*, et a patientia abstinendum esse; quinimo eas, quæ supradicta tria, vel aliquod ipsorum deferre comprehensæ fuerint, illa dimittere etiam per censuras ecclesiasticas ab ordinariis locorum compellendas esse decernit » Sacra congr. Episc. et Regul. decret. 20 Decembr. 1616.

9. Si Tertiariæ post votum castitatis et professionem emissam, aliaque requisita servantes, contrahant matrimonium, quamvis peccent, tamen matrimonium est validum. (S. congr. Concilii pluries apud Ferrar. verb. *Tertiariæ*, n. 19.)

10. Tertiariæ post annum integrum probationis seu novitiatus a die recepti habitus professionem emittunt in manibus superioris ordinis seu visitatoris, aut alius a superiore delegati.

11. Per transgressionem præscriptorum in sua regula, nisi alias ad eas sint obligati, nullum committunt peccatum, ut supra de viris tertiariis dictum est.

12. Mulieres Tertii ordinis gaudent præcedentia supra quascunque laicales confraternitates. (Sic expresse statuit Benedict. XIII, const. *Ad nostram audientiam*, et Benedict. XIV const. *Emanavit nuper*.)

VI. Tertiarios utriusque sexus ad habitum propriæ religionis admittere et recipere possunt omnes regulares ad id facultatem a Sede apostolica obtinentes, et juxta legitimam consuetudinem cujusvis ordinis, sive superiores immediate per se, sive per alios ab ipsis delegatos. *Communis* apud Ferraris, v. *Tertiarii*, n. 24.

VII. *Quoad Tertiarias quæ in congregatione vivunt, absque clausura et votis solemnibus.* — 1. Certum est sanctum Pium V, constitut. *Circa pastoralis*, 1566, moniales ejusmodi de medio sublatas, atque omnino exstinctas voluisse; ibi: *Cæteris autem omnibus* (*Tertiariis*) *sic absque emissione professionis, et clausura vivere omnino volentibus, interdicimus et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem congregationemve recipiant; quod si contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem et decretum aliquas receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones et receptiones irritas facimus et annullamus.* Quod et confirmavit Gregorius XIII, const. *Deo sacris virginibus*.

« Et tales Tertiarias posse hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictæ Pianæ constitutionis, rescripsit sacr. congr. Episc. et Regul. 22 Januar. 1596 ... Et de facto Urbanus VIII, constitut. *Pastoralis Romani pontificis*, edito sub anno 1630, die 13 Januarii, suppressit et annullavit quamdam congregationem mulierum, quæ in nonnullis Italiæ, et ultramontanis partibus, sine ulla sedis apostolicæ approbatione ab aliquot annis in unum conveniebant, vitæ religiosæ ducendæ prætextu, peculiarem et distinctum habitum deferentes et multa pia opera peragentes. Unde consimiles Tertiariarum seu mulierum congregationes, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinarii, ut censuit sacr. congr. Concil. 27 Maii 1677; et sacr. congr. Episc. et Regul. confirmavit decreta episcopi facta circa dictas mulieres *in Laudensi* 27 Junii 1704; et sacr. congr. Concil., *in eadem* 15 Junii 1709, mandavit, ut episcopus procederet ad visitationem et correctionem earum. (Sic expresse refert cardin. Petra, tom. IV *Comm.* ad constit. 14, Martini V, n. 20.)

2. Attamen Tertiariarum institutum, de quo agitur, non fuit exstinctum; sed e contra quod exsistere et propagari perrexerint ejusmodi Tertiariæ, non obstante sancti Pii V bulla, satis testatur Benedicti XIII constitutio *Pretiosus*, § 38. Quod etiam multis aliis documentis probatur.

Nihilominus, ante Benedictum XIII, Sedes apostolica eas duntaxat toleravit, non autem expresse approbavit, nec sancti Pii V constitutioni expresse derogavit. *Sedes apostolica*, ait Benedictus XIV, *ita se gessit, ut easdem Tertiarias non quidem sua auctoritate probaret, sed illas toleraret, et episcopis subjectas declararet.* (*Instit. eccles.* inst. 105, n. 76.) Idem constat ex variis sacr. congregationum declarationibus; e quibus sequentem adduxisse satis erit. Excitata controversia inter episcopum Lunen. Sarzanen., et Tertiarias ordinis S. Francisci de Observantia collegialiter in conser-

vatorio Massæ viventes sub cura dictorum Patrum, sacr. congr. Concilii, die 30 Januarii 1723, respondit : *Conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni episcopi, citra tamen approbationem sacr. congr. quoad dictum conservatorium.*

Nec obstant constitutiones Benedicti XIII, *Paterna sedis* et alia *Pretiosus*, per quas Tertiarias aperte approbabat, et æquivalenter Sancti Pii V bullæ derogabat. Nam constitutiones istas revocavit Clemens XII, constit. *Romanus pontifex* 30 Martii 1732 : et sic restitutum est quoad Tertiarias jus commune ante Benedictum XIII vigens. Quod confirmat Benedict. XIV, tom. V, notif. 17, § 2; apud Ferraris verb. *Tertiariæ*, n. 52 et 54.

3. Unde hodiernum jus, quoad ejusmodi Tertiarias, in congregatione absque clausura et votis solemnibus degentes, videtur determinandum hoc modo : 1° Tertiariæ illæ non sunt habendæ tanquam *approbatæ*, sed duntaxat tanquam *toleratæ*. — 2° Subjacent omnimodæ ordinariorum jurisdictioni, quas tamen conclusiones intellige cum limitatione; nisi aliquæ ex istis congregationibus, a tempore Clementis XII aliquid amplius a Sede apostolica obtinuerint, quodque ipsis probare incumbit documentis idoneis. » (Ita D. Bouix, *Tract. de jur. Regul.* t. I, p. 326.)

4. An autem ejusmodi Tertiariæ, toleratæ, status religiosi essentiam habeant, expendendum remittimus infra, ubi quæstio movebitur simul et de aliis monialibus, pariter toleratis et non approbatis.

5. Tertiariæ, quæ vivunt in congregatione absque clausura non gaudent privilegiis sui ordinis, nec immunitatibus. (Card. Petra tom. IV, ad constit. 14 Martini V, n. 19, et alii passim.) Et ratio est, quia sanctus Pius V, const. *Circa pastoralis*, receptiones et professiones talium Tertiariarum omnino irritat et annullat.

An vero *tolerantia* Ecclesiæ hodierna has receptiones et professiones revalidet, expendetur infra.

§ III. — De cæteris, præter Tertiarias, monialibus in congregatione degentibus, absque clausura et votorum solemnitate.

I. *Conservatoriorum* nomine comprenendi solent conventus omnes monialium sive mulierum, absque clausura et votis solemnibus, aut etiam sine votis degentium. «Conservatoria, ait Ferraris, sunt quædam congregationes puellarum sive mulierum, quæ habitu peculiari indutæ, sub aliqua regula pro earum securitate collegialiter vivunt, nullis emissis votis, vel votis tantum simplicibus emissis, sed sine lege clausuræ. Hujusmodi conservatoria quamdam monasteriorum imitationem continent; sed neque expresse, neque tacite a sancta Sede probantur, eo quod adversantur bullæ sancti Pii V *Circa pastoralis*... sed nihilominus ab eadem sancta Sede tolerantur.» (*Summa institutionum canonic.* pag. 173. edit. Genuæ 1847.)

II. Monialium absque clausura et votis solemnibus degentium congregationes omnes, de jure communi hodie habendæ sunt tanquam toleratæ duntaxat, non autem tanquam approbatæ.» Ita D. Bouix, qui suam conclusionem probat multis argumentis et documentis, et præsertim bulla *Quamvis justo* Benedicti XIV pro *virginibus Anglicanis*. Et sic concludit: «1. Probat bulla ista, non tantum Tertiarias, sed congregationes omnes monialium absque clausura et votis solemnibus degentium, habendas esse tanquam contrarias sancti Pii V constitutioni.»

2. «Item probat jamdudum congregationes illas jure communi *tolerari* ab Ecclesia, ac proinde eas non esse illicitas, prout forent si plene vigeret dicta sancti Pii V constitutio. »

3. « Easdem congregationes de jure communi, non habendas esse pro *approbatis*, sed duntaxat pro *toleratis*, etiamsi regulæ ipsarum ac vivendi modus a Sede apostolica approbentur et confirmentur.» (*Tract. de jur. regul.* t. I, p. 329 ad 334.)

§ IV. — An congregationes monialium clausura et votis solemnibus carentium, licet simpliciter toleratæ, et non approbatæ, status religiosi essentiam habere possint.

I. Non est hic quæstio de congregationibus quæ vel nulla vota, vel temporaria duntaxat emitterent: certum quippe est ejusmodi congregationibus deesse unum ex essentialibus status religiosi, triplicis nempe substantialis voti perpetuitas. 2° Item quæstio non est de congregationibus quæ perpetua quidem vota simplicia emitterent, sed a nullo rite acceptanda; quia et hæ certe carent essentiali status religiosi conditione, videlicet acceptatione voti ab auctoritate Ecclesiæ.

3° Hinc præsens quæstio tota vertitur circa illas congregationes, quæ duabus illis conditionibus non carent; id est, in quibus et emittuntur, et auctoritate ecclesiastica rite acceptantur tria vota perpetua, et exquiritur utrum a status religiosi essentia deficiant, ex eo quod sint *toleratæ* duntaxat, et non *approbatæ*.»

II. *Afferuntur rationes quæ dictis congregationibus status religiosi essentiam vindicare videntur.* — «Ab essentia status religiosi deficerent dictæ congregationes, vel ob carentiam votorum solemnium, vel ob carentiam clausuræ, vel ob carentiam status perfectionis, vel tandem ob carentiam approbationis. Atqui nullum ex his dici potest.» (D. Bouix, *ibid.* p. 335 et seqq.)

Primo, statum religiosum in iis congregationibus non impedit votorum solemnium carentia; quia ad essentiam status religiosi non pertinet votorum solemnitas, ut expresse declaravit Gregorius XIII quoad scholasticos societatis Jesu, et est communis doctorum.

Secundo, status religiosi essentiam in dictis congregationibus non impedit carentia clausuræ; clausura enim est tantum de jure ecclesiastico. Sanctus Pius V et post eum alii pontifices prohibuerunt Tertiarias et alias congregationes mulierum absque clausura et votis solemnibus, ex qua prohibitione dictæ congregationes status religiosi essentia carebant. Postea vero sancta Sedes toleravit easdem Tertiarias et mulierum congregationes, ipsis indulgentias et spirituales favores concessit, easdemque omnimodæ jurisdictioni ordinariorum subjecit; sed nequaqum suppressit eas, ut Urbanus VIII per bullam *Pastoralis Romani pontificis* quamdam talem mulierum congregationem suppresserat. Imo Benedictus XIII const. *Pretiosus*, etc., easdem Tertiarias approbavit. Attamen Clemens XII, constit. *Romanus pontifex*, earumdem congregationum approbationem revocavit, et reliquit solummodo tolerantiam et ordinariis subjectionem. Ex quibus relatis patet sanctam Sedem voluisse dictas congregationes exsistere absque clausura et votis solemnibus, sed ad præcavendas difficultates, etc., voluit easdem remanere subjectas jurisdictioni ordinariorum; aliis verbis non approbavit earumdem institutum ut strictam religionem sanctæ Sedi immediate subjectam ac proinde omnibus regularium privilegiis et exemptione gaudentem. Vi tamen solius tolerantiæ, dictæ congregationes eximuntur a clausuræ præcepto, et licite illud non servant; unde clausura non est ipsis necessaria ad status religiosi essentiam.

Tertio, denegandus ipsis non est status religiosus ex eo quod essentialia status perfectionis non habeant. Nam, ut demonstratum est, tota status perfectionis essentia in voto perpetuo triplicis consilii evangelici continetur. Atqui dictæ congregationes tale votum perpetuum emittunt, et Ecclesia auctoritate episcoporum illud recipit.

Quarto, neque ob carentiam approbationis dictæ congregationes dicendæ sunt a status religiosi essentia deficere. Nam 1° approbatio pontificia quoad ordines religiosos non requiritur nisi ex lege ecclesiastica. 2° Huic legi derogatum est quoad monialium congregationes de quibus loquimur. Nam congregationes istæ sunt simul *toleratæ* et *non approbatæ*. Ergo Ecclesia vult eas esse licitas, quamvis non approbatas; ergo quoad ipsas abrogatur ecclesiastica illa lex, approbationem exigens. Præterea in capite 4 hujus libri, § 2, demonstratum est non requiri apostolicæ Sedis beneplacitum quoad congregationes quæ solemnia vota ex instituto non habent, ut novus conventus erigi possit; et in cap. 3, probatum est legem, quæ novas religiones absque licentia pontificia prohibebat, vigore desiisse. Atqui eædem rationes militant pro novis monialium religionibus inchoandis ac pro virorum institutis, ut in dicto capite conclusimus. Sola sancti Pii V constitutio *Circa pastoralis* obstaret; sed si hæc constitutio servatur quoad solemnem approbationem monialium absque clausura et votis solemnibus, jamdudum abrogata fuit quoad exsistentiam licitam earumdem congregationum, et approbationem earumdem regularum ab ipsa sancta Sede. Ex duplici abrogatione, scilicet legis qua exigebatur approbatio pontificia a l novos ordines inveniendos et constitutionis Pianæ in ea parte qua prohibebantur congregationes monialium absque clausura et votis solemnibus, concludendum videtur sufficere mulieribus sicut et viris approbatio episcopi ad novam religionem inchoandam. Atqui virorum congregationes cum episcopi approbatione fundatæ essentiam

status religiosi habeut et sunt veri religiosi, quamvis omnimodæ jurisdictioni ordinariorum subjecti sint, et vota solemnia non habeant; ergo et moniales cum approbatione episcoporum exsistentes, absque clausura et votis solemnibus, et jurisdictioni ordinariorum subjectæ, ut veræ religiosæ haberi debent. Præterea post Concordatum Gallicum anni 1801, pluries declaravit sancta Sedes non agnoscere ut solemnia vota monialium Galliarum etiam approbatarum et in clausura degentium; atqui per has declarationes sancta Sedes bullæ Pianæ derogavit, qua omnibus monialibus præscripta sunt vota solemnia eodem modo et sub eadem irritationis et annullationis pœna ac clausura. Unde dicendum foret nullas veras religiosas hodie exsistere in Galliis; quod absonum esset et nunquam fuit in mente sanctæ Sedis apostolicæ. Si igitur moniales Galliarum absque votis solemnibus sunt, ut nullum moveri potest dubium, veræ religiosæ, paribus rationibus moniales absque clausura et votis solemnibus dicendæ sunt etiam veræ religiosæ, dummodo omnia alia status religiosi essentialia habeant. Hanc conclusionem pluribus argumentis defendit D. Bouix, et in oppositum argumenta dissolvit.

Unde si nostræ conclusiones veræ sint, dicendum est congregationes monialium quæ tria essentialia vota simplicia sub approbatione et auctoritate episcopi absque clausura emittunt, veras esse seu saltem improprie dictas religiosas; proindeque privilegiis religiosorum gaudere sub omnimoda tamen ordinariorum jurisdictione, nisi ex aliqua sanctæ Sedis concessione speciali ab hac jurisdictione eximantur. Et hoc applicandum venit ad Tertiarias toleratas collegialiter absque clausura et votis solemnibus viventes.

CAPUT VI.

De extraordinaria conditione canonica regularium et monialium vi dispersorum.

Contingit ut æstuante pravorum in sanctos persecutione, aut irruente politicarum perturbationum turbine, regionis alicujus religiosæ familiæ e sedibus suis violenter expellantur, omnibus spolientur, et quaquaversum dispersi collegialem instituti sui vitam interrumpere cogantur. Et aliquando, sedata tempestate, ad pristina sedium suarum loca remeare, atque ibi, aut derelictos conventus reassumere, aut novos sibi exstruere vel comparare possunt. Hinc sub præsenti capite agendum visum est, cum D. Bouix: I. De regularibus in dispersione exsistentibus; II. De iisdem ad pristina sua loca remeantibus.

§ I. — De conditione canonica regularium vi dispersorum, durante dispersione.

I. *De eorum obligationibus.* — 1° Nequaquam censendi sunt a votis suis solemnibus soluti; sed ea vota in suo robore permanent. Id declarat Pius VI in suo brevi ad Brunensium episcopum, III Kalendas Aprilis 1791, ibi: *Quisquis debet versari in sæculo, memor vocationis suæ, ejusque tenax disciplinæ et vitæ regularis, cui se pridem ascripserit. Vota solemnia, quæ semper firma, semperque immota permanebunt, custodiat et servet.* — Constat insuper ex unanimi doctorum de votis solemnibus doctrina. « Sed solum eis permittitur vivere in sæculo, et in habitu clerici sæcularis, sub obedientia ordinarii. » (Card. De Luca, *De regul.* part. I. disc. 38, n. 16.) Ejusmodi regularibus dispersis votorum suorum solemnium dispensationem nequit episcopus concedere; prout in citato brevi docet Pius VI: *Hinc facile intelliges*, inquit, *nos minime iis assentiri, qui dispensationem a votis solemnibus postulant... Cave igitur ne dispensatio hujusmodi, qua decor et pulchritudo domus Dei polluere-tur, audiri contingat in Ecclesia. Neque tu potes jure ordinario concedere, ut recte cogitas, neque nos tibi ejusmodi tribuendæ jus vel potestatem delegamus.*

2. « Nequit episcopus dispersas diœcesis suæ regulares in statu et conditione presbyterorum sæcularium ita constituere, ut eximantur ab instituti sui obligationibus et observantiis, cum statu dispersionis compatibilibus. Nam obligationes illæ sequuntur, ex religiosa eorum professione, quæ in suo robore manet, prout clare innuit Pius VI, in supra citato brevi ad Brunensium episcopum. »

3. Regulares dispersi voto solemni paupertatis ita obstringuntur, ut nullius rei verum dominium acquirere valeant; licite tamen et valide possint res sibi utiles aut necessarias comparare, pecunias apud se habere, et varios emptionis, venditionis, et donationis contractus inire; nequeunt autem res sibi comparare statui suo religioso non

congruas, et, relative ad circumstantias in quibus versantur, superfluas.

« Quando in perturbatione politica anni 1793 suppressos declaravit religiosos ordines sæcularis Galliæ potestas, potuerunt religiosi ac moniales in dispersione versantes, tum ex superiorum expressa licentia, tum etiam ex legitime præsumpta, hæreditates sibi obvenientes civiliter acquirere, et alios opportunos dominii actus civiliter exercere, salva in eis stante dominii incapacitate et voti solemnitate. » (Id demonstrat D. Bouix, tract. *De jure regul.* t. I, p. 350 et seq.

4. « Quod acquirunt religiosi dispersi, non sibi, sed communitati seu congregationi acquirunt.. Hinc nequeunt res illas per testamentum, aliumve proprie dictum dominii actum, consanguinibus suis, aliisve donare. Possunt tamen donationes valide ac licite exsequi, ex superiorum legitime præsumpta, et a fortiori expressa facultate : quia tunc agunt tanquam communitatis œconomi; et communitas ipsa dominium transfert. »

5. « Religiosi dispersi, legitimis suis prælatis remanent quoad obedientiæ debitum subjecti ; et solet eis pro dispersionis tempore, in legitimum prælatum a Romano pontifice assignari ordinarius loci in quo versantur episcopus. » Quam praxim, præter alia documenta, testatur etiam supra citatum breve Pii VI ad Brunensium episcopum, in quo sic statuitur : *Obedientiam quoque præstent episcopo, et sub veste signum aliquod gerant regularis professionis.* (*Apud D.* Bouix, *ibid.* p. 352 et 353.)

II. *De religiosorum dispersorum juribus, durante dispersione.*— 1.«Ex facto ipso violentæ expulsionis et dispersionis, non censendi sunt quidquam amisisse de juribus ac privilegiis suis. Patet hujus propositionis veritas ex primariis juris naturalis notionibus, prout in regula juris 64, in 6, habetur : *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Et est doctrina a catholicis doctoribus communiter recepta.

2. « In religiosis dispersis permanet potestas ordinem seu congregationem suam perpetuandi, cum omnibus suis juribus et privilegiis ; ita ut, sedata tempestate, minime necesse sit novam eis a Sede apostolica potestatem ad id tribui, sed sufficiat potestas quam habebant, et quæ per dispersionem nullatenus ablata est.

3. « Prædicta potestas ordinem seu congregationem perpetuandi cum omnibus juribus et privilegiis, ita in religiosis dispersis permanet, ut in unico etiam ipsorum superstite tota consolidetur... Et probatur ex recepta doctrina, quod jura omnia sive capituli, sive collegii seu universitatis, in unico superstite membro permaneant. Id tanquam certam regulam canonistæ admittunt ; et Glossa in cap. *Statutum* 2, tit. *De postulat. prælatorum*, lib. I *Decretal.*

§ II. — De regularibus dispersis, ad pristina loca sua redeuntibus.

I. *Casus regularium antiquas suas ædes, facta ipsis earumdem restitutione reassumentium.* — 1. Si agatur de ipsismet regularibus qui ibidem antea degebant, nulla indigent nova ordinarii aut Sedis apostolicæ facultate, ut conventualem vitam in his ædibus iterum agant cum omnibus priscis suis juribus et privilegiis.

2.« Si conventus dispersus non constituebat totam congregationem, sed partem duntaxat alicujus congregationis religiosæ pluribus scilicet conventibus aut etiam provinciis conflatæ), possunt hujus congregationis prælati, sive ipsosmet religiosos qui dispersi fuerant, sive alios in reassumpto conventu constituere.

3. « Si tota congregatio, uno tantum conventu, vel pluribus conventibus aut etiam provinciis constans, dispersa fuerit, et unus duntaxat ex illa supersit professus, in isto uno jura omnia congregationis agnoscenda erunt... Unde poterit solus ille superstes religiosus, in qualibet mundi parte, conventus congregationis (modo tamen a Sede apostolica non fuerint alienati) reassumere, et ibi institutum suum perpetuare cum priscis juribus et privilegiis. Quod si nec unus remaneat professus ex omnibus congregationis conventibus, exstincta congregatio censenda est.

4. « Dicti regulares possunt, absque formalitatibus pro novi conventus erectione requisitis, monasterium suum reassumere, et (casu quo fuerit dirutum) illud reædificare. »

II. *Casus regularium qui, injuste detento, vel minus commodo jam exsistente antiquo suo conventu, novas ædes in eadem civitate aut pago sibi comparant.*—1. « Possunt dicti regulares absque nova licentia ordinarii aut Sedis apostolicæ, ibidem alias ædes sibi locare, vel exstruere, vel datas accipere, et in

ejusmodi ædibus, conventualem vitam iterum agere, cum priscis omnibus suis juribus et privilegiis.

2. « Prædictum jus censendum est exsistere, non solum penes religiosos ipsos qui conventum ante dispersionem incolebant, sed etiam, iis vita functis, in congregatione religiosa cujus pars erat ille conventus. Et si unicus e tota congregatione supersit, penes hunc jus illud exsistere censendum erit. Et notetur nullam in hac materia opponi posse præscriptionem, aut temporis lapsum; quia contra spoliatos non currit præscriptio. »

III. *Casus regularium, quorum monasteria fuerunt Romani pontificis auctoritate alienata.* — 1. « Cum jus conventualiter exsistendi in aliqua civitate aut pago non sit alligatum alicui determinato civitatis ædificio aut situ, alienatio monasterii, Romani pontificis auctoritate facta, non perimit jus regularium conventualiter in eadem civitate exsistendi. »

2. « Romanus pontifex regularium alicujus civitatis monasterium alienans, non censendus est privatos velle illos regulares jure conventualiter exsistendi in illa civitate, aliisve juribus aut privilegiis, nisi id expresse declaret... Remanet proinde regularibus, quantumvis dispersis, et post legitime etiam alienata ipsorum monasteria, jus conventualiter exsistendi in civitatibus, pagis et districtibus, in quibus antea canonice constituti fuerant. Possunt ergo, absque nova ordinarii licentia, et absque formalitatibus ad novi conventus erectionem requisitis, in dictis locis sibi ædes comparare in quibus iterum vitam conventualem agant, cum priscis suis omnibus juribus et privilegiis, excepto solo in bona alienata jure. »

IV. *De regularibus, quorum monasteria in Galliis, Belgio, et cæteris regionibus fuerunt alienata, et qui hodie denuo in iis regionibus domos sibi comparant, ac conventualem vitam instaurant.* — 1. « Concordatum anni 1801, monasteria regularium alienando, nec regulares ipsos suppressit, nec sustulit ulla ipsorum jura aut privilegia, excepto solo in bona alienata jure. »

2. « Decretum cardinalis Capraræ anni 1803 regulares concernens, nec eos suppressit, nec eorum jura aut privilegia sustulit, » sed solummodo regulavit eorumdem canonicam conditionem extraordinariam pro dispersionis tempore.

Unde tota in præcedentibus paragraphis exposita doctrina applicanda venit regularibus et monialibus, de quibus in præsenti paragrapho agitur. (*Vide* D. Bouix, tract. *De jure regul.* t. I, pag. 345 ad 386, unde istud caput fere ad verbum desumptum est.)

CAPUT VII.

De hodierna conditione Galliæ religiosorum et sancti monialium quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem.

Cum religiosorum inter et monialium conditionem adsit in præsenti Galliarum statu differentia, seorsim de utrisque disserendum est. Hinc, I. De religiosorum; II. De monialium hodierna in Galliis conditione, dicemus.

Articulus I. — *De hodierna conditione religiosorum virorum in Gallia quoad essentiam status religiosi et votorum solemnitatem.*

I. Prænotandum est quid potestas sæcularis Galliæ statuerit quoad capacitatem familiarum religiosarum possidendi in communi. — Die 2 Januarii 1817 lata fuit *lex* in hunc modum :

Art. 1. *Tout établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra accepter, avec l'autorisation du roi, tous les biens, meubles, immeubles ou rentes, qui lui seront donnés par actes entre vifs ou par actes de dernière volonté.*

Art. 2. *Tout établissement ecclésiastique reconnu par la loi pourra également, avec l'autorisation du roi, acquérir des biens immeubles ou des rentes.*

Art. 3. *Les immeubles ou rentes appartenant à un établissement ecclésiastique seront possédés à perpétuité par ledit établissement, et inaliénables, à moins que l'aliénation n'en soit autorisée par le roi.*

« Is autem modus possidendi in communi extensus est ad religiosas mulierum familias decreto diei 24 Maii 1825, articulo 4; ast simul ejusdem legis articulo 1 et 2 cautum est, necessariam deinceps fore *legem*, ad approbandas singulas ejusmodi mulierum communitates, ante diem 2 Januarii 1825 non exsistentes : quoad anteriores vero, sufficiens fore edictum regium (*une ordonnance royale*). »

« In præfata autem lege anni 1825 sic disponitur articulo :

En cas d'extinction d'une congrégation ou

maison religieuse de femmes, ou de révocation de l'autorisation qui lui aurait été accordée, les biens acquis par donation entre vifs, ou par disposition à cause de mort, feront retour aux donateurs ou à leurs parents au degré successible, ainsi qu'à ceux des testateurs au même degré. Quant aux biens qui ne feraient pas retour, ou qui auraient été acquis à titre onéreux, ils seront attribués et répartis moitié aux établissements ecclésiastiques, moitié aux hospices des départements dans lesquels seraient situés les établissements éteints.

« Unde, juxta vigentes hodie in Gallia potestatis sæcularis leges, non sunt possidendi in communi capaces nisi eæ monialium communitates, quæ ad id per speciale decretum habiles declaratæ sint ; et eæ religiosorum domus quæ sub titulo *établissement écclésiastique* pariter fuerint a potestate sæculari approbatæ. Quæ tamen possidendi capacitas ab eadem sæculari potestate pro arbitrio retrahi potest.

II. « Quid sæcularis potestas in Gallia statuerit, quoad familiarum religiosarum membra, id est, quoad ipsarum vota et possidendi capacitatem. Præcipuas hac de re dispositiones sat notas faciunt pauca hæc domini Carrière verba: *Lex civilis hodie apud nos non agnoscit nisi vota simplicia, et quidem ad quinque annos tantum, licet non prohibeat perpetua: qui autem ea emiserunt, servant plenum bonorum suorum dominium: solummodo prohibentur donare sive communitati, sive ejus membris, ultra certam quantitatem a lege determinatam.* (*Compendium* tractatus *De jure et justitia*, edit. quarta, p. 57.)

« Textus autem præcipui quibus ita disponitur, sunt fere sequentes. In decreto diei 18 Februar. 1809, quo approbantur moniales hospitalibus addictæ (*Les sœurs hospitalières*), sic habetur:

Art. 7. *Les élèves ou novices ne pourront contracter de vœux, si elles n'ont 16 ans accomplis. Les vœux des novices âgées de moins de 21 ans, ne pourront être que pour un an.*

Art. 8. *A l'âge de 21 ans, les novices pourront s'engager pour cinq ans.*

Art. 9. *Chaque hospitalière conservera l'entière propriété de ses biens et revenus, et le droit de les administrer et d'en disposer conformément au code civil.*

Art. 10. *Elle ne pourra en disposer par acte entre vifs, ni y renoncer au profit de sa famille, ni en disposer soit au profit de la congrégation, soit en faveur de qui que ce soit :*

Postea vero, die 23 Maii 1825 prodiit nova lex, qua sic statutum est articulo 5:

Nulle personne faisant partie d'un établissement autorisé, ne pourra disposer par acte entre-vifs ou par testament, soit en faveur de cet établissement, soit au profit de l'un de ses membres, au delà du quart de ses biens, à moins que le don ou legs n'excède pas la somme de 10,000 francs. *Cette prohibition cessera d'avoir son effet relativement aux membres de l'établissement, si la donataire ou légataire était héritière en ligne directe de la testatrice ou donatrice.*

« Instructio ministerialis, quoad hujus posterioris legis exsecutionem, sic declarabat articulo 12:

La loi n'interdit point aux religieuses la libre disposition de leurs biens patrimoniaux ou autres qu'elles possèdent, ou qui pourraient leur échoir: ici leurs droits sont ceux du reste des Français. Elles peuvent même disposer de leurs biens, soit par donation, soit par testament: il n'est dérogé à leur égard au droit commun que dans les cas déterminés par l'article 5 de la loi.

« Ex his et similibus nonnullis decretis, hæc concludenda veniunt: *Primo* religiosi ac moniales earum communitatum, quæ a potestate sæculari non fuerunt ut tales agnitæ, id est, quæ *authorisationem*, ut aiunt, non obtinuerunt, a lege habentur tanquam veri cives. Proinde lex nullum agnoscit eorum jus possidendi in communi. Item lex, pro nihilo reputans quælibet ipsorum paupertatis vota, eos, perinde ac cæteros cives, habet tanquam dominii capaces; unde eis obvenientes hæreditates, non secus ac si sæculares forent, attribuit: *Secundo*, quod si eorum communitates authorisationem a gubernio obtinuerint, possidere quidem possunt in communi: ast quoad jus singulorum membrorum possidendi, acquirendi et libere administrandi bona sua, ac de iis libere disponendi, non aliter differunt a meris civibus, quam quod prohibeantur communitati, aut alicui ipsius membro, ultra quantitatem bonorum suorum donare.

« Proinde leges sæculares Galliæ in nullo casu agnoscunt, per votum paupertatis in-

duci incapacitatem dominii; seu, quod idem est, nullum votum paupertatis agnoscunt ut solemne. Item non agnoscunt ullum castitatis votum ut solemne, seu ad contrahendum matrimonium inhabilitans.

« In Belgio viget Napoleonis codex (excepta lege citata anni 1825). Atque eadem fere est religiosarum familiarum quoad legem sæcularem, conditio. In multis autem infidelium et hæreticorum regionibus, religiosi ac moniales non ut tales a lege sæculari agnoscuntur, sed tanquam cives, iisdem ac cæteri dispositionibus obnoxii.

« Ex iis porro legum sæcularium dispositionibus, multiplex oritur nunc expendenda quæstio, de vera religiosarum familiarum in præfatis regionibus conditione. » (Ita per omnia D. Bouix, tract. De jur. regul. t. I, p. 387 ad 391.)

§ 1. — De nullitate legis sæcularis potestatis quoad vota religiosorum, et bona eorumdem.

I. De jure naturali et divino unusquisque homo rationis capax semetipsum Deo consecrare et obligare per vota perpetua potest. Atqui nulla potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica, potest condere leges, vel statuta contra jus naturale vel divinum, præceptivum vel prohibitum, sive statuere aliquid contra id quod lex naturalis aut divina præcepit seu prohibet. (Communis et certa apud Catholicos, arg. c. *Inferior* 4, dist. 21; c. *Cum inferior* 16, *De majorit. et obed.*; Clement. *Ne Romani*, § 1 *De electione*, ibi: *Lex superioris per inferiorem tolli non potest*. Præterea potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica, a Deo delegata est; nam *omnis potestas a Deo* (*Rom.* XIII, 1). Atqui delegatus nequit tollere legem delegantis, defectu potestatis. Ergo nulla potestas humana tollere potest obligationem et consecrationem votorum, nisi a Deo acceperit divinam potestatem in iis votis dispensandi, seu eadem irritandi. Sola autem potestas ecclesiastica divinitus instituta facultatem habet in votis dispensandi aut ea irritandi quoad certa accidentalia voti.

Diximus *quoad certa accidentalia voti*, nam potestas ecclesiastica nequit absolute prohibere et irritare vota cujuscunque hominis Deo facta; quia nequit tollere jus naturale et divinum talia faciendi vota; sed in certis circumstantiis, in accidentalibus, pro communi Ecclesiæ bono, potest nulla et prohibita declarare vota contra suam legem emissa.

Sed in quocunque casu potestas civilis nequit prohibere nec irritare vota a quocunque homine Deo facta; ergo lex sæcularis potestatis quidquam de votis disponens etsi favorabiliter, per se nulla est et invalida.

II. De jure naturali quilibet homo jus habet bona possidendi, acquirendi, libere administrandi, ac de iis libere disponendi. Nulla potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica, istud jus naturale cuilibet homini tollere potest vi suæ jurisdictionis propriæ.

Potestas civilis ad hoc instituitur ut omnia subjectorum jura tueatur ac defendat, non tollat. Atqui prohibitio civibus religiosis imposita possidendi, acquirendi, libere administrandi bona, ac de iis libere disponendi, quia religiosi sunt, jus eorumdem naturale tollit; ideoque lex civilis talia prohibens est de se nulla et invalida.

Potestas ecclesiastica nequit vi suæ jurisdictionis cuilibet homini eadem jura possidendi, acquirendi, etc., tollere. At vero religiosi et moniales votum paupertatis emittentes, Ecclesiæ jurisdictioni se subjiciunt, legibus ecclesiasticis solemnitatem votorum et ejusdem consectaria et effectus declarantibus, præscribentibus et statuentibus libere et volontarie pro Deo se obligantur. Unde juribus suis juxta leges canonicas renuntiant, sed Ecclesia invitis talia jura non tollit; solummodo præscribit solemnium votorum conditiones, pro iis talia vota emittere volentibus.

III. Per vota præsertim solemnia religiosi et moniales fiunt de foro Ecclesiæ et eximuntur ab omnimoda jurisdictione laicali; nam ut in capite *Si imperator* 11, dist. 96, ait Joannes papa: *Ad sacerdotes enim Deus voluit, quæ Ecclesiæ disponenda sunt, pertinere, non ad sæculi potestates; quos, si fideles sunt, Ecclesiæ suæ sacerdotibus voluit esse subjectos. Non sibi* (*imperator*) *vindicet alienum jus et ministerium, quod alteri deputatum est: ne contra eum tendat abrumpi, a quo omnia constituta sunt: et contra illius beneficia pugnare videatur, a quo propriam consecutus est potestatem. Non a legibus publicis, non a potestatibus sæculi, sed a pontificibus et sacerdotibus omnipotens Deus Christianæ religionis clericos et sacerdotes*

voluit ordinari et discuti, recipique de errore remeantes. Imperatores Christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre. Ex quo capite et aliis similibus tenent unanimiter auctores catholici quod leges civiles, seu laicales, etiam favorabiles et generaliter loquentes non includant et obligent clericos regulares, si præcipiendo vel prohibendo loquantur; ea moti ratione, quod clericorum actiones sint extra sphæram activitatis et jurisdictionis, etiam directivæ, principum sæcularium, cum clericorum et regularium directio ad suos pertineat prælatos. (FERRAR. verb. *Lex*, art. 3, num. 52.) « A qua conclusione, ait Fagnanus (in cap. *Ecclesiæ S. Mariæ* 10, tit. II, lib. I *Decretal.* n. 7 et 17), nemo dissentit, nec dissentire potest, quoniam potestas statuendi a jurisdictione dependet... Unde etiam infertur ut omnes leges (nempe Justiniani imperatoris), quæ habentur in titulis codicis *De sacrosanctis ecclesiis, De episcopis et clericis*, et in authentica *De sanctissimis episcopis*, cum similibus, non valeant ex defectu potestatis, « nisi approbentur ab Ecclesia, prout omnes conveniunt; tunc vero non obligabunt ex vi sæcularis potestatis, sed ecclesiasticæ, a qua approbationem confirmationemque, sicque auctoritatem obligandi clericos acceperunt. » (REIFFENSTUEL in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 295 et 296.)

Ergo defectu potestatis leges mere civiles sæcularium potestatum nihil validum statuere possunt de regularibus, nec de eorum votis, nec de juribus ipsis pertinentibus; tales leges nullam vim obligandi habent, et violentia qua uti possunt nullomodo impedit, nec impedire potest, vim et effectus legum ecclesiasticarum.

IV. Regulares et moniales subjiciuntur, ut patet, jurisdictioni Ecclesiæ, cui soli pertinet jure divino statuere de valore et validitate, de effectibus votorum, de juribus, capacitatibus, et incapacitatibus voventium sub auctoritate legis ecclesiasticæ. Atqui « nulla potestas legislativa humana, summo pontifice excepto, potest leges ferre et quidquam statuere contra jus commune canonicum, aut alias constitutiones apostolicas. » (Communis, per textus in citatis juribus et in c. *Institutionis* 7, causa 25, quæst. 2; et c. *Quod super his* 9 *De majorit. et obed.* cum similibus.) — FERRAR. verb. *Lex*, art. 1. n. 45.

V. Omnes personæ vere ecclesiasticæ gaudent immunitate personali, indeque liberæ, immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione et foro cujusvis potestatis et personæ laicalis, tum in causis civilibus, tum in criminalibus; nomine vero personarum ecclesiasticarum veniunt omnes clerici, tum sæculares, tum regulares utriusque sexus, etiam novitii, ut probatum est supra, col. 9. Sic etiam omnes res ecclesiarum et personarum gaudent immunitate reali; indeque liberæ et immunes et exemptæ sunt ab omni jurisdictione laicali et ab oneribus et exactionibus quorumcunque laicorum. (Vide *ibid.*) Atqui immunitas realis et personalis est de jure divino, ut probatum est supra, col. 46.

Violatores immunitatum ecclesiasticarum majori excommunicatione Sedi apostolicæ reservata percutiuntur, ex pluribus juris capitibus, et præsertim bulla *Pastoralis* in Cœna, ibi, § 15: *Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum, præter juris canonici dispositionem, trahunt, vel trahi faciunt, procurant directe vel indirecte, quovis quæsito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie, ex quavis causa, quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint; unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictæ sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum juribus quomodolibet directe vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicatur.*

Item excommunicantur usurpantes, violantes bona ecclesiastica. (*Vide suprra col.* 55). — Huic igitur excommunicationi subjiciuntur legislatores qui statuta, seu quævis decreta fecerint contra valorem et validitatem votorum religiosorum, sive contra jus communitatum approbatarum possidendi in communi, sive contra jus alicujus bona sua commmunitati religiosæ donandi; necnon excommunicantur omnes qui talibus statutis seu decretis, etc., factis

et ordinatis usi fuerint. Unde nullo modo afferri possunt hujusmodi potestatis sæcularis decreta contra valorem et validitatem votorum simplicium sive solemnium.

VI. Ex præfatis deduci debent sequentes conclusiones : 1. « Lex sæcularis, religiosos ut tales non agnoscens, nequaquam impedit quominus sint veri religiosi. — 2 Nec quominus possidere in communi valeant. — 3. Nequaquam impedit incapacitatem dominii in religiosis a lege ecclesiastica introductam, et votorum solemnitatem. — 4. « Independenter a lege sæculari induci potest jus communitatis, quo ad ipsam devolvantur bona religiosis suis professis quocunque titulo, etiam ab intestato obvenientia. » — 5. « Lex sæcularis nequaquam potest religiosos incapaces dominii efficere. — 6. « Nec valide statuere ut bona religioso professo obvenientia ad ipsius communitatem devolvantur. » — 7. « Lex imperatoris Justiniani, religiosos dominii incapaces decernens, et bona ipsorum sive præsentia, sive adventitia eorumdem communitatibus devolvens, de se invalida fuit atque irrita ; et idem dicendum est de omnibus sæcularis potestatis similibus legibus, quas communi sententia doctores tenent esse invalidos nisi suas faceret Ecclesia. — 8. Iisdem rationibus « leges sæculares Galliæ, necnon quarumdam aliarum regionum , quibus olim statuebatur mors civilis religiosi professi, nullum valorem habere unquam potuerunt , nisi accedente Sedis apostolicæ approbatione. » — 9. Omnes dictæ conclusiones singulatim demonstratæ a D. Bouix, *De jure regul.* t. I, pag. 391 ad 444, firmantur ex pluribus sacrarum congregationum declarationibus, decretis et dispositionibus ; sufficiat afferre decretum die 15 Decembris 1840, quo sacr. congr. de Propaganda fide, modum determinavit, quo deberent in *Statibus Unitis* possideri et transmitti bona ecclesiastica, tum episcoporum, tum religiosorum et monialium nomine inscripta, et ab ipsis *civiliter*, ut dicitur, possessa. Habetur decretum illud in *Fasciculo*, quo recencentur acta synodorum provincialium Baltimori, ab anno 1829 usque ad annum 1840, pagina 81 ; qui fasciculus adjungi solet tomo V Bullarii Propagandæ. Sequentes quæ ad rem nostram faciunt dispositiones, ex illo depromimus. »

Decretum sacræ congregationis de Propaganda fide.

« Cum in fœderatis Americæ septentrionalis statibus nulla a legibus civilibus ecclesiastica successio agnoscatur , et ideo nullum jus nec episcopis nec sacerdotibus, ab iisdem legibus tribuatur, transmittendi suis successoribus bona quæcunque, quæ a pia fidelium largitate ad ecclesiasticos vel pios usus, sive episcopis, sive sacerdotibus donata fuerunt; prædictorum bonorum ... securitati prospicere volens sacr. congr. de Propaganda fide, decrevit in posterum servanda esse quæ sequuntur :

« Archiepiscopus Baltimorensis, et episcopi omnes in fœderatis Americæ septentrionalis statibus, statim post hujus decreti receptionem, testamentum juxta leges status in quo degunt (quarum accuratam notitiam ex certis fontibus sibi comparabunt) conficiendum curent. Illud autem duplicato et æque authentico chirographo seu exemplari omnino efficient, atque hæredem bonorum omnium ecclesiasticorum quæ ipsi actu possideant, vel jus ad possidendum habeant, illum ex coepiscopis suis americanis, quem magis in Domino expedire judicaverint, constituent ..... Moneatur etiam a testatore episcopus, qui hæres constitutus fuerit, per litteras (quas perlectas comburet) , eo tantum fine se hæredem nuncupatum fuisse, ut bona omnia diœcesis religiose custodiantur , donec a sancta Sede successor eligatur ; illique tunc fideliter et legitime transmittantur. . . (*Ibi varia præscribuntur ad rectam hujusce testamenti confectionem et exsecutionem opportuna.*)

« Eadem sollicitudine sacr. congr. providere volens securitati bonorum communitatum omnium, sive ecclesiasticarum, sive religiosarum , tum virorum , tum etiam puellarum, et quarumcunque aliarum piarum institutionum, quæ inter bona ecclesiastica locum obtinent, vel saltem eorum naturæ participant, atque sollicita Ecclesiæ pastorum cura piis usibus , ob quos vel donata fuerunt, servanda et posteris fideliter transmittenda sunt , quæ sequuntur decernit :

« Archiepiscopus et episcopi, post decreti hujus receptionem, ad superiores , præfectos vel præsides communitatum , quæ intra diœcesis suæ fines reperiuntur, scribent; illisque omnibus, auctoritate sacr.

congr. (quæ illis omnibus ad hoc specialiter delegatur) præcipient, ut quamprimum fieri poterit, certiorem per litteras episcopum ipsum faciant : 1° An, quæ et quo onere bona possideat communitas cui præest? — 2° An suæ communitati facultas seu jus civili potestate datum fuerit, bona omnia, vel eorum partem possidendi et ad successores transmittendi. — 3° An bona omnia, vel aliqua eorum pars a superiore, vel ab aliquo communitatis membro, vel a pluribus conjunctim possideantur? — 4° An aliquem invenerint modum tuto ad successores bona prædicta transmittendi, et quis sit modus iste?— 5° An nullus alius habeatur modus præter testamentum?

« Responso accepto, ordinarius quid agendum sit facile comperiet. Nam si quæ sint communitates, quibus jus a potestate civili tributum fuerit possidendi et ad successores transmittendi bona omnia, vel aliquam eorum partem, nulla erit occasio sollicitudinem exercendi ad eorum conservationem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit possidendi bona, per societatis contractum, quo bona in communi possidentur a tribus vel quatuor communitatis membris, ita ut omnes socii jus illud possideant naturalis suæ vitæ tempore, sed quocunque ex illis mortuo jus apud superstites socios remaneat possidendi bona universa, nulla facta cuique ex ipsis potestate alienandi suæ vitæ tempore, vel per testamentum relinquendi bona prædicta post mortem; tunc id tantummodo ab episcopo curandum erit, ut, uno ex sociis mortuo, alius ex communitatis membris in societatem adsciscatur. Tandem si unica testamenti remaneat via transmittendi bona ad successores, præcipiat episcopus successoribus, vel illi qui suo proprio nomine communitatis bona possidere tunc poterit, ut statim testamentum juxta leges civiles, duplici exemplari atque authentico perficiat, ex quibus unum in communitatis scriniis diligenter asservetur, alterum vero ad episcopum diœcesanum in archivio asservandum mittatur.

« Facta vero sanctissimo domino nostro Gregorio papæ XVI rei totius relatione per... sacr. congr. secretarium, Sanctitas Sua, quæ superius præscripta sunt, in omnibus confirmavit, et exsequenda esse jussit. — Datum Romæ ex ædibus sacræ congr. de Propaganda fide, die 15 Decembris 1840. »

Ex documento illo aperte sequuntur:

1.« Approbavit Gregorius XVI, ut bona communitatis sub unius aut plurium nomine inscribantur; ita nempe ut isti proprietarii, tales reipsa non sint, sed duntaxat *civiliter*. Atque item approbavit, ut illi, *civiles* proprietarii, in exercendis civilibus proprietatis actibus se gererent perinde ac si forent veri domini; proindeque existimavit nil pravi in hac agendi ratione reperiri.

2. Pro certo habuit idem pontifex posse tum a diœcesi, tum a communitate religiosa, *vere* possideri bona temporalia in iis regionibus, in quibus lex sæcularis hanc diœcesis aut communitatum religiosarum possidendi facultatem non agnoscit.

« 3. Item pro certo habuit, eos religiosos, sub quorum nomine bona communitatis inscribuntur, quamvis sint *civiliter* bonorum illorum domini, revera tamen nullum in ea bona dominium acquirere; actusque civiles ab iisdem circa ejusmodi bona gestos, nequaquam esse veri dominii actus, sed duntaxat meræ administrationis.

« Ex quo rigorose sequitur, posse stare votum solemne paupertatis in religioso, sub cujus nomine bona communitatis inscribuntur, et qui *civiliter* ea bona possidet. Cum enim ex hoc nullius rei verum dominium religiosus ille acquirat, nequaquam sese mutuo excludunt ille *civiliter* possidendi modus, et incapacitas dominii, ad voti solemnitatem necessaria. » (Ita D. Bouix, *ibid.* p. 399 et 400.)

VII. Die 9 Julii 1837, sacr. congr. Episcoporum et Regularium facultatem fecit ut monachi Benedictini Solesmenses in Gallia, vota *solemnia* emittant (ad 5um). Unde sacr. congr. profecto existimat solemnia esse posse religiosorum Galliæ vota, non obstante sæculari hujus regionis lege, quæ incapacitatem dominii in religiosis non agnoscit.

Die 2 Januarii 1836 sacr. Pœnitentiaria reverend. Bouvier Cenomanensi episcopo respondit : —*Ad 4um : Decreta per sacram pœnitentiariam alias edita* (de votis monialium), *spectare solummodo ad moniales* (non autem ad viros religiosos). — Ex quo aperte innuit vota virorum pro solemnibus esse habenda in Galliis. Hoc responso simul evincitur, hodiernarum Galliæ monialium vota, non ideo a solemnitate deficere, quod lex sæcularis dominii incapacitatem non agnoscat, sed alia de causa ; cum prædicta lex sæcu-

laris non aliter quoad viros quam quoad moniales decernat.

Privilegio exemptionis a jurisdictione ordinariorum hodie gaudent regulares in Belgio, ex voluntate sanctæ Sedis, prout constat epistola Mechliniensis archiepiscopi, ad clerum suum directa 15 Januarii 1836. Unde vota dictorum regularium ut solemnia habentur : cum raro soleat concedi exemptionis privilegium iis congregationibus, in quibus simplicia duntaxat vota nuncupantur.

Certum omnino est a religiosis Carthusianis Galliæ (*les Chartreux*) fieri vota solemnia, ex decreto capituli generalis Carthusianorum, in Magna Carthusia in diœcesi Gratianopolitana celebrati anno 1851. Istud decretum, a Sede apostolica approbatum, inter alia sancivit, ut in posterum *solemnis professio* non emitteretur nisi ab iis, qui per quatuor annos in ordine versati fuissent cum *votis simplicibus*. Plura sanctæ Sedis rescripta quibusdam religiosis Galliarum concedunt facultatem remanendi in sæculo : *ita tamen ut substantialia votorum suæ religiosæ professionis, cum statu .. compatibilia, observent ; atque obedientiæ et jurisdictioni ordinariorum subjiciantur*, IN VIM VOTI SOLEMNIS OBEDIENTIAE. Ex qua praxi iterum patefit persuasio Romæ vigens, vere solemnia in Galliis emitti vota, non obstante lege sæculari, dominii incapacitatem in religiosis haud agnoscente.

Hæc et alia documenta a sancta Sede emanata evincunt nullitatem legis sæcularis quoad valorem et validitatem votorum religiosorum ; et, quod, judice Romano pontifice, lex sæcularis votorum solemnitatem non agnoscens, nequaquam eam impediat, aut impedire valeat. Ideoque stare simul possunt, et nullatenus sese mutuo excludunt, votorum solemnitas, et lex sæcularis hanc solemnitatem non agnoscens.

Easdem conclusiones probat insuper conditio in qua regulares Angliæ et Hiberniæ a tribus ferme sæculis versati sunt et hodiedum versantur.

§ II. — De solemnitate votorum religiosorum virorum hodie in Galliis.

I. « Incapacitas dominii, ad voti paupertatis solemnitatem requisita, stare potest cum iis actibus dominii improprie dictis, qui fiunt ex facultate pontificia, a religiosis solemniter professis. » Etenim solemnitas votorum est ex institutione Ecclesiæ, quæ ejusdem effectus statuit ; ideoque potest sedes apostolica regularibus qui solemnia vota emisere, concedere, ut varios dominii actus *civiliter* exserant, et nihilominus solemne remaneat istorum religiosorum votum, modo actus illos valide ponere nequeant ex propria auctoritate, sed solummodo ex facultate pontificia. Omnes civiles contractus a tali religioso initi non sunt veri actus dominii, sed meræ administrationis, qui voti solemnitati non repugnant utpote valorem non habentes ex propria religiosi voluntate, sed duntaxat ex voluntate et concessione summi pontificis. Et hanc conclusionem plene confirmat decretum sacr. congr. de Propaganda fide 15 Decembris 1840, supra relatum.

Unde « religiosi Galliæ professionem rite emittendo in iis ordinibus, qui, ex instituto a Sede apostolica approbato vota solemnia habent, fiunt eorumdem ordinum professi, et eorum vota vere et proprie solemnia sunt. »

Ergo solemnia vota emittunt in Gallia Dominicani, Jesuitæ, Carmelitani, Benedictini, Capuccini, aliique regulares, qui ex instituto approbato ejusmodi vota emittere debent; dummodo horum ordinum conventus instaurati vel erecti fuerint a superioribus ad dictos ordines vere pertinentibus, ac jurisdictionem ad novas istas domos erigendas, novitiosque informandos, ac professionem recipiendam, habentibus. Quod revera certum est pro omnibus hodie in Gallia exstantibus : unde religiosi isti de iis sunt, qui rite vota solemnia emisere in ordinibus, ejusmodi vota ex instituto a Sede apostolica approbato habentibus.

III. Veri religiosi cum votis simplicibus sunt membra omnium congregationum, in quibus 1° tria vota simplicia perpetua emittuntur ; 2° et ab aliquo legitime acceptantur ; 3° quæque congregationes de Sedis apostolicæ licentia fuerint erectæ, aut saltem cum episcopi loci auctoritate, ut ex praxi et consuetudine sanctæ Sedis et ordinariorum videtur probabilius admittendum.

Plures sunt hodie in Gallia virorum congregationes, quæ dictas conditiones, ad status religiosi essentiam sufficientes certo habent, quia a sancta Sede approbatæ sunt, et in eisdem emittuntur tria vota perpetua. Tales sunt : 1. Congregatio Patrum *Societatis Mariæ*, qui *Maristarum* nomine in Gallia designari solent. 2. Congregatio fratrum a *Scholis Christianis* nuncupatorum. 3. Con-

gregatio *Sancti Spiritus et immaculati cordis Mariæ :* sic nuncupata, quod ex duarum unione, Pii IX feliciter regnantis auctoritate, conflata et approbata fuerit. 4. Status religiosi essentiam habere censendæ sunt generatim, virorum congregationes præfatis similes, in quibus reperitur trium votorum perpetuitas, eorumque legitima acceptatio, approbatio sanctæ Sedis, seu saltem, ut est probabile, licentia episcopi. In hujusmodi congregationibus illi soli veri religiosi sunt qui vota perpetua emittunt; qui vero solummodo temporaria vota emittunt, habendi sunt tanquam tyrocini seu novitii.

IV. Religiosi improprie dicti usque modo sunt fratres *ab instructione Christiana* nuncupati in Britannia minori, etsi a sancta Sede laudati, quia solum obedientiæ perpetuum votum emittunt, a quo tamen absolvi nequeunt nisi a superiore generali aut a sancta Sede.

V. Status religiosi essentia carent istæ Galliarum congregationes, in quibus ex instituto nulla fiunt vota, aut tantum fiunt temporaria; quia perpetuitas votorum est de essentia status religiosi.

VI. « Quantumvis perpetua vota emittantur, si congregatio Romani pontificis, aut saltem ordinarii auctoritate erecta et approbata non fuerit, a status religiosi essentia deficere censenda est : tum quia deest qui valeat vota hæc legitime acceptare; tum quia talis congregatio remanet prohibita et illicita; ut proinde repugnet in ea reperiri *statum perfectionis*, et consequenter statum religiosum. »

VII. « Etsi vota simplicia in perpetuum emittantur in aliquo approbato instituto, si vota hæc rite non acceptentur, a status religiosi essentia deficere congregatio ista censenda erit. » Tales sunt presbyteri *Missionis*, a sancto Vincentio de Paulo instituti, qui in Gallia *Lazaristæ* vocari solent. Etenim in ipsorum approbatione (bulla *Ex commissa* Alexandri VII 22 Septembr. 1655) sic cavetur : *In quorum tamen votorum emissione nemo intersit, qui ea acceptet nomine congregationis, sive nostro et pro tempore existentis Romani pontificis nomine... utque dicta congregatio non censeatur propterea in numero ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri sæcularis.* (Apud D. Bouix, tract. *De jur. regul.* t. I, p. 444 ad 466.)

§ III. — **De conditione speciali Trappistarum Galliæ.**

Quamvis Trappistæ sint de religione Benedictina antiqua, et fuerint a sancta Sede approbati ut solemnia vota emittentes, eorumdem tamen conditio canonica mutata est pluribus sacrarum congregationum recentibus decretis : 1. Decretum sacr. congr. Episc. et Regul. anni 1834. — 2. Decretum sacr. congr. Inquisit. anni 1837. — 3. Decretum sacr. congr. Episc. et Regul. anni 1836. — 4. Decretum sacr. congr. Episc. et Regul. anni 1839, Trappistas Belgii respiciens. Hæc quatuor decreta habentur in *Bibliotheca canonica* Lucii Ferraris, t. I, col. 1448 ad 1450, edit. Parisiis a Migne 1852.

Ex his decretis determinatur Trappistarum Galliæ conditio canonica. — 1. Ante diem 1 Martii 1837 emissa a Trappistis Galliæ vota fuerunt solemnia. — 2. Trappistarum vota, a die 1 Martii 1837 emissa, pro simplicibus habenda sunt. — 3. Trappistarum Belgii vota, sive ante, sive post annum 1837 emissa, pro solemnibus habenda sunt. — 4. Trappistæ Galliæ exemptionem ab ordinariis ex parte amiserunt; etenim in decreto anni 1837 sic disponitur : *Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione episcoporum exempta sint, ea tamen, ob peculiares rationes, et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorumdem episcoporum subsint, qui procedant tanquam apostolicæ Sedis delegati.* Et in decreto anni 1839, sacr. congr. Episc. et Regul. : *Donec aliter a sancta Sede decernatur, monasteria et monachos subjectos esse visitationi et correctioni episcoporum, salvis constitutionibus ordinis.*

Ex hac speciali Trappistarum conditione per Sedis apostolicæ auctoritatem juri communi derogatoria, nihil concludendum venit a pari pro aliis Galliarum congregationibus, in quibus vota solemnia emittuntur. — *Vide* omnes suprarelatas conclusiones ex professo discussas apud D. Bouix, tract. *De jur. regul.* p. 466 ad 493.

Articulus II. — *De conditione monialium Galliæ, quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem.*

Ad triplicem classem referri possunt hodiernæ Galliarum sanctimoniales. Earum nempe quæ profitentur institutum a Sede apostolica cum votis solemnibus approbatum; earum quæ nomen dederunt alicui congregationi, in qua juxta regulam simpli-

cia duntaxat, perpetua tamen, vota emittuntur; et earum quæ vel nulla, vel temporaria tantum vota nuncupant. De singulis sub triplici sequenti paragrapho.

§ I. — De hodiernis monialibus Galliæ, quæ ex instituto suo, a Sede apostolica approbato, solemnia vota emittere deberent.

I. Solemnitate non carent ejusmodi monialium vota, ex eo quod ipsarum conventus anticanonice erecti fuerint. Nam dictarum monialium conventus pro canonice constitutis habendi forent, etiamsi nulla intervenisset Sedis apostolicæ, aut etiam ordinarii licentia; quia ejusmodi conventus instaurati sunt a monialibus e dispersione remeantibus, atque in iisdem civitatibus aut pagis, in quibus suum antea conventum habebant; unde nulla licentia necessaria fuit. Sed præterea, dicti conventus cum assensu ordinariorum constituti sunt, ut luculenter probatur ex praxi et modo agendi ordinariorum. Nec anticanonice constituti habendi sunt dicti conventus ex eo quod servatæ non fuerint cæteræ pro novis monialium conventibus erigendis conditiones; quia istæ conditiones non requiruntur quoad regulares quibus jam acquisitum est jus conventualiter exsistendi in aliqua civitate; et omnia congregationis jura manent etiam in uno tantum religioso superstite. Unde ex defectu canonicæ erectionis seu instaurationis conventuum vota dictarum monialium solemnitate non carent.

Confirmatur ex modo agendi Sedis apostolicæ. Nunquam S. Sedes de hoc defectu curavit, nec ad supplendum nec ad sanandum; imo ut solemnia vota dictarum monialium habuit quoad quemdam conventum Belgii ab anno 1814 ad annum 1820.

II. Solemnitate non carent ejusmodi monialium vota ex prætensis impedimentis a civilibus Galliæ legibus positis. Nam eadem de mulieribus dicenda veniunt quæ de viris religiosis supra probavimus.

III. Solemnitate non carent dictarum monialium vota ob clausuræ defectum; nam istæ moniales profitentur juxta institutum ad clausuram obligans; et huic obligationi sese subjicere volunt; clausuram de facto servant. Si quid contra legem illam, ex quacunque causa, peccent, id nequaquam valori professionis et votorum solemnitati obstare potest. Alioquin dicendum foret tolli votorum solemnitatem per peccatum contra quodcunque votum, quod absurdum est.

IV. Nisi intervenisset voluntas Sedis apostolicæ statuens ne solemnia forent monialium Galliæ vota, pro solemnibus vota hæc habenda forent. Etenim ex præfatis nulla est ratio cur desiisse in Gallia eorum votorum solemnitas censenda sit. Ergo remanet ut solemnitatis defectus repeti nequeat, nisi ex voluntate Sedis apostolicæ.

Sed a sacra Pœnitentiaria pluries declaratum est, pro solemnibus habenda non esse dictarum Galliæ monialium vota, ut referemus infra.

VI. Sed de his declarationibus movetur dubium annon sint relativæ ad falsa exposita; quod si verum esset has declarationes promanare tantum a falsis expositis, non impedirent quin in pluribus monialium Galliæ conventibus solemnia vota emittantur. Unde ut quisque de hac gravi quæstione dijudicare possit, quæstiones simul et responsa hic referemus.

Quæstio prima a superiore seminarii Nannetensis proposita fuit sacræ Pœnitentiariæ: Licet non habeamus superioris dicti verba, quibus casum exposuerat, ex responso tamen satis liquet ipsum monialibus tribuisse *intentionem* vovendi *secundum* articulum Gubernii; id est, intentionem servandi bonorum suorum proprietatem. Sic enim die 28 Novembris 1818 responsum est:

« Votum paupertatis, quod novæ Galliarum religiosæ, *secundum articulum a Gubernio adjectum* emittunt, non esse solemne, cum per illud bonorum suorum *proprietatem ac dominium adhuc retineant*. Proinde nec solemnia esse alia duo vota castitatis et obedientiæ... » (Gautrelet, *Etat religieux*, tom. II, p. 270, edit 1853.)

Respondetur manifeste relative ad hypothesim, quod moniales intentionem retinendi dominium ac proprietatem bonorum suorum in vovendo habeant.

Quæstio secunda. — Anno 1820 declaratio sacr. Pœnitentiariæ ad Lemovicensem episcopum (apud D. Carrière, *De justitia*, t. I, p. 343, edit. 1839) sic habet :

« Sacra Pœnitentiaria, diligenter perpensis expositis, venerabili in Christo Patri episcopo Lemovicensi respondet : Votum solemne illud esse quod ab Ecclesia ut tale acceptatur, et voventem *inhabilem* reddit in perpetuum et immutabiliter (spectata lege

ordinaria et seclusa dispensatione pontificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominia rerum acquirenda vel retinenda; prout cum cæteris sacrorum canonum tractatoribus loquitur Pater Pirhing (in lib. III *Decretalium*, tit. XXXIV, § 1).

« Cum ergo, *ut præmissa ab episcopo oratore significent*, modo Galliarum moniales, ut sese civilibus legibus accommodent, sic paupertatis votum emittant, *ut minime se abdicent dominio rerum suarum*, sed eas *ut proprias* retineant, ac de iisdem cum opus fuerit *juxta leges civiles disponere* INTENDANT, *ideo* hoc earum votum, sive quinquennale, sive perpetuum sit, solemne certe non est, neque ut tale ab Ecclesia acceptatur. Quod si hujus paupertatis votum solemne non est, nec solemnia censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obedientiæ: quippe cum, secundum solemnis religiosæ professionis naturam, atque Ecclesiæ disciplinam, votum unum sine alio solemne esse non possit. »

Omnino manifestum est sacram Pœnitentiariam ibi loqui juxta exposita, id est in hypothesi quod Galliæ moniales vovendo *intentionem* habent *retinendæ capacitatis dominii juxta leges civiles.*

Quæstio tertia. — Idem dicendum est de responso Pœnitentiariæ, 23 Januarii 1821 ad quæsitum e Nannetensi diœcesi expeditum; cujus quæsiti et responsi is tenor fuit:

« Hodie in Gallia nostra *certum est* moniales (sive de expressa legis licentia, sive tolerantia tantum, in clausura redierint, ubi juxta primam regulam viventes, accedentes puellas ad vota suscipiunt), *ita paupertatis votum emittere*, jubentibus legibus, *ut sibi paterna bona hæreditate obtinendi et testamento donandi jus retineant.* Unde fieri videtur utjam non solemne, sed simplex votum illud sit, et simul duo alia vota, castitatis scilicet et obedientiæ, simplicia evadant. Quæro igitur utrum tum prædictæ moniales, tum cæteri omnes homines sive sæculares sive regulares, adhuc subjaceant censuris a Tridentina synodo edictis: nempe an quæcunque monialis absque legitima licentia claustro exierit, atque an quivis in claustra monialium ingressus fuerit sine necessitate evidenti, ut statuit prædicta Tridentina synodus, pœnam etiam nunc incurrat ab hac synodo decretam. — Nannetis, die 30 Novembris 1820. — GELY, canonicus. »

En diei 23 Januarii 1821 Responsum:

« Sacra Pœnitentiaria, rite perpensa quæstione, ad eamdem respondet: Novas Galliarum moniales, quæ institutum aliquod religiosum sectantur, in quo secundum ejus acceptationem et approbationem ab apostolica Sede factam, professionem solemnem ac solemnia vota emittere deberent, et nihilominus per temporum circumstantias atque *ex præfatis rationibus vota duntaxat simplicia modo nuncupant*, moniales profecto istas, licet magna commendatione dignæ sint, dum hac saltem ratione Deo interim servire student, ipsas tamen in ordine ac religione sua vere professas dici ac censeri non posse. Porro Bonifacium papam VIII, in celebri sua constitutione, quæ incipit *Periculoso* (*De statu regularium*, in 6), et sanctam Tridentinam synodum quæ hanc ipsam Bonifacii constitutionem renovat (sess. 25, c. 5, *De regularibus*), monasticam illam clausuram non injungere, nisi *monialibus religionem suam professis;* quod certe intelligendum est de vera propriaque professione, secundum ordinis institutum ab apostolica Sede approbatum: novas igitur istas Galliarum moniales, de quibus sermo est, canonica ista et pontificia clausuræ lege minime astringi.... » (GAUTRELET, *Etat religieux*, tom. II, pag. 280, edit. 1853.)

Ibi etiam exponens tanquam *certum* de omnibus Galliæ monialibus asserebat, eas ita vovere paupertatem, ut sibi *jus retinerent* habendi dominii; quod idem erat ac tanquam certum asserere, simplicia dumtaxat vota ab ipsis emitti....

Quæstio quarta. — Inter alia dubia, Galliæ moniales respicientia, postulaverat Cenomanensis episcopus:

« Cum, ex pluries decisis, vota monialium in Gallia, uti simplicia a sancta Sede æstimentur, sequentia nascuntur dubia... 2° An votum ingrediendi religionem Sedi apostolicæ sit reservatum... — 4° An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, ut videtur. »

Die autem 3 Januarii 1836 responsum est:

« Sacra Pœnitentiaria, perpensis diligenter propositis dubiis factaque præmissorum relatione sanctissimo domino Gregorio papæ XVI respondit: *Ad primum....* — *Ad secundum*, affirmative. Sed votum mulieris cujus intentio respexerit ad monasteria

prout nunc in Galliis exsistunt, non est reservatum; quia scilicet monasteria eadem a Sede apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ feminarum æstimantur... — *Ad tertium...* — *Ad quartum:* Decreta per sacram Pœnitentiariam alias edita, spectare solummodo ad moniales.»

Ergo revera plures Romanæ declarationes relativæ fuerunt ad exposita, quibus asserebatur vovere moniales Galliæ, cum intentione retinendæ habilitatis ad dominium, juxta legis civilis dispositionem. Ultima tamen citata responsio 2 Januarii 1836 ad Cenomanensem episc. a Sanctissimo approbata, videtur aliis rationibus quam expositis fundari, cum in ea dicatur: *Attentis peculiaribus circumstantiis*, atque declaretur ad quartum: *Decreta... spectare solummodo ad moniales*, non autem ad viros religiosos.

VII. Atqui «vera non fuerunt præfata exposita, quibus universaliter asserebatur emitti professionem a monialibus Galliæ, cum intentione retinendi dominii aut habilitatis ad dominium.» Pluribus documentis et præsertim duabus monialium epistolis hanc assertionem probat D. Bouix, in tract. *De jure regul.* t. I, pag. 505 et seq. — «Frequens mihi fuit occasio, ait præfatus auctor, in variis Galliæ regionibus, verbum faciendi cum iis variorum ordinum monialibus, quæ, ex instituto a Sede apostolica approbato, solemnia vota emittere deberent. Percontatus autem quomodo votum suum paupertatis intelligerent, et an existimarent se adhuc, post emissam professionem, habiles remanere ad habendam seu acquirendam rei alicujus proprietatem, mihi responderunt emitti a se paupertatis votum juxta totam constitutionum suarum vim; ita nempe ut alicui professæ obveniens hæreditas, nequaquam reputetur ad ipsam pertinere, quantumvis lex civilis, non communitati, sed moniali hæreditatem illam attribuat; nihil curare se, quoad conscientiam, de legis civilis dispositione; obligatorium reputari paupertatis votum, quoad conscientiam, perinde ac si lex illa civilis non exsisteret; expleri quidem a singulis monialibus legis civilis formalitates, sed tanquam meras formalitates, non tanquam actus dominii; et quidem id a moniali peragi ex mandato superiorissæ, et eo modo qui ipsi a superiorissa præscribitur; nec ipsam existimare sibi ullum proprietatis jus competere in rem circa quam formalitates illas explet.» Quod sic affirmat dictus auctor mihi etiam ex responsis aliarum Galliæ monialium notum et certum est.

Igitur viri Galliæ, qui pro variorum dubiorum solutione Romam scribentes, dictam intentionem remanendi habiles ad dominium, juxta legis civilis dispositionem, tanquam certam quoad omnes generaliter Galliæ moniales asseruerunt, errasse dicendi sunt, et rem aliter ac erat exposuisse. Unde, ut ait D. Bouix, «Si Romanæ declarationes omnes, quibus rescriptum est haberi ut simplicia monialium Galliæ vota relativæ fuerint ad dicta falsa exposita, iis non obstantibus, concludendum foret adhuc hodie in Galliis emitti a monialibus vota solemnia.»

Sed «Romanas declarationes non esse omnes intelligendas relative ad præfata falsa exposita, suadent saltem rationes gravissimæ.» Cum constanter responsum fuerit moniales Galliæ non haberi a sede apostolica tanquam votorum solemnium professas; id indicat absolutam sedis apostolicæ voluntatem, ut moniales omnes Galliæ votorum solemnitate careant. Præterea in responsione supra transcripta sacr. Pœnitentiariæ ad Cenomanensem episcopum, 2 Januarii 1836, sic expresse habetur: *Monasteria eadem a Sede apostolica*, ATTENTIS PECULIARIBUS CIRCUMSTANTIIS, *non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ feminarum æstimantur*. Verba hæc absolute proferuntur, nec dici possunt relativa ad falsam hypothesim, quod moniales Galliæ omnes intendant habilitatem ad dominium retinere. (Ita D. Bouix, tract. *De jure regul.* t. I, pag. 512 et seq., qui tamen auctor enucleandam quæstionem relinquit aliis.) Remanet ergo dubium gravissimum de solemnitate votorum monialium Galliæ. — Stante tamen hujusmodi dubio juris, non videntur Galliæ moniales strictis clausuræ regulis et aliis juribus ac si vota solemnia certo emitterent adstringi, usquedum aliter a sancta sede statutum fuerit.

VIII. Attamen «moniales Galliæ, quæ ex instituto a Sede apostolica approbato solemnia vota emittere deberent, etiamsi simplicia duntaxat (ob dictam pontificiam voluntatem) hodie emittant, status religiosi essentiam

habere censendæ sunt. Nam ad status religiosi essentiam non requiritur votorum solemnitas; aliunde vero dictæ moniales omnia alia ad status religiosi essentiam necessaria habent.

§ II. — De monialibus Galliæ, quæ ex instituto tria vota simplicia in perpetuum emittunt.

I. « *Prænotanda* correlativum est moniales simplicia duntaxat vota emittere, et ad clausuram de *jure communi* non teneri. Etenim ecclesiasticæ leges clausuram decernentes, non agunt nisi de monialibus per solemnium votorum emissionem profitentibus. Hinc etsi aliquæ monialium congregationes, solemnibus votis carentes, clausuram servent, non tamen ad eam vi legis ecclesiasticæ, sed tantum ex propriæ regulæ præscripto, obligantur. Quæ propterea dicuntur *papalis clausuræ* legi non subjacere.

II. « Quod non in Gallia duntaxat et recentioribus temporibus exstiterint ejusmodi sanctimonialium congregationes, votis solemnibus et papalis clausuræ lege expertes palam faciunt Adnotationes cardinalis DE LUCA, *De regularibus*, discurs. 1, n. 126 et seq.

III. « Ejusmodi moniales, utpote absque clausura et votis solemnibus in congregatione viventes, habendæ sunt, etiam hodie, tanquam toleratæ duntaxat, non autem tanquam approbatæ. »

IV. « Dictæ moniales Galliæ, quamvis duntaxat toleratæ, essentiam status religiosi habere censendæ sunt. »

V. « Præcedens conclusio applicanda etiam est novæ alicui prædictarum monialium congregationi, de sola episcopi licentia, absque sedis apostolicæ assensu erectæ. »

Hujusce paragraphi conclusiones probatæ remanent ex dictis supra, et fusius demonstratæ sunt apud D. Bouix, *De jure regul.* tom. I, p. 521 ad 525.

§ III. — De piis mulieribus Galliæ, quæ ex instituto triplex perpetuum votum non emittunt.

Cum stare nequeat religiosi status essentia absque triplici perpetuo voto castitatis, paupertatis et obedientiæ, Dei et Ecclesiæ nomine acceptato, sequitur a status religiosi essentia deficere eas omnes piarum mulierum congregationes, in Gallia numero plurimæ, quæ, vel nullum ex instituto votum emittunt, vel ad tempus duntaxat vovent, vel uno aut altero perpetuo voto, non autem triplici, sese astringunt, vel tria perpetua vota privatim emittunt, quæ a nullo acceptantur Dei et Ecclesiæ nomine. Mulieres ergo illæ piæ religiosis personis nequaquam accensendæ sunt.

§ IV. — Ex præfatis conclusiones.

Ex eo quod monialium Galliarum vota sint duntaxat simplicia, sequitur :

I. Ad valorem votorum nequaquam requiri integrum novitiatus annum a lege canonica præscriptum.

II. Varias difficultates circa vota ab ordinariis locorum dirimi posse.

III. Dispensationes in hujusmodi votis ab ordinariis concedi posse, dummodo non interveniat obligatio justitiæ erga tertium, seu erga communitatem.

IV. Leges canonicas de monialibus stricte dictis, id est quæ vota solemnia emittunt, non semper stricte obligare moniales votorum simplicium.

V. Dictæ moniales votorum simplicium, religionis propriæ dictæ nec privilegia nec onera omnia consequuntur; verum matrimonium spirituale non ineunt; valide possident et dominium retinent.

CAPUT VIII.

De norma canonica statum religiosum ingrediendi, seu de novitiatu et professione.

§ I. — De personis status religiosi capacibus vel non.

« Effici religiosi generaliter possunt omnes Christiani, qui jure non prohibentur. Prohibentur autem, ait Schmalzgrueber, tit. XXXI *De regularibus*, n. 23 et sequent.

I. « *Infantes*, *furiosi*, *amentes*, ut colligitur ex cap. *Sicut* 15, *De regularibus*, tit. XXXI, lib. III *Decretal.* Ratio est, quia in his desideratur usus rationis, et hunc supponens consensus, ac deliberatio, sine quibus nec professio religiosa, nec alia vota obligatoria esse possunt.

II. « *Servi* sine licentia domini; can. fin. caus. 17, quæst., 2.

III. « *Conjux* post matrimonium jam consummatum, nisi adsit justa causa perpetui divortii, vel alter conjux consensum dederit. (*C. Quidam* 3, et cap. *Placet* 12 *De conversione conjugat.* lib. III. *Decretal.*

IV. « *Episcopus* consecratus, vel saltem confirmatus; nam hic ecclesiam suam propter vinculum spiritualis matrimonii, quod inter eam, et ipsum intercedit, inscio aut non

consentiente papa, non potest deserere. (*C. Licet* 18, *De regul.*; cap. *Inter* 2, *De translat. episc.*; *Nisi cum pridem* 10, *De renunt.*)

V. « *Magno ære alieno gravatus;* nam obligatio solvendi debita est juris naturalis et divini, et consiliis evangelicis prævalet : proinde talis ingressum in religionem aliquandiu differre debebit, dum creditoribus satisfecerit, prout constat ex constit. Sixti V, incipit *Cum de omnibus* edita Kal. Decemb. 1558.

VI. « *Ratiociniis*, sive *rationibus reddendis obnoxii*, sive deinde obnoxii ita sint ratione administrationis publicæ, prout decretum jam erat can. unic. dist. 53. Sive ratione administrationis privatæ, ut colligitur ex const. Sixti V. cit., ubi generaliter a religione excludit quoscunque ratiociniis obnoxios, si ex hujusmodi causa vel jam illata sit lis aut molestia, vel timeri debeat, ne inferatur.

VII. « *Criminosi*, quibus timetur pœna mortis, mutilationis, triremis, fustigationis, perpetui exsilii, vel alia similis reum infamem reddens. (Const. Sixti V citat. et Clement. VIII incip. *In suprema*, § 3, edita 2 April. 1620.)

VIII. « *Liberi*, quando ipsorum parentes in extrema, vel etiam gravi necessitate sunt constituti; nam hoc casu ingressum religionis differre debent, donec illis prospectum sit, ut habetur can. *Si quis filii*, dist. 30. Et probat ratio; nam jure naturali et divino obligantur parentibus egentibus subvenire.... Si tamen liberi nec habeant, nec sperare possint media, unde parentum egestati succurrant, non tenentur differre religionis ingressum; quia tunc cessaret finis istius dilationis...

IX. « *Parentes*, si educatione, et opera illorum adhuc indigeant liberi ob eamdem rationem, imo majorem; quia filius ad alendum patrem solum obligatur per accidens ratione necessitatis, pater autem ad alimenta, et educationem liberorum, tanquam eorum principium, per se, et ratione muneris sui, quod non obscure indicat Apostolus, II Cor. xii, 14, ibi : *Non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis.*

X. « *Non habentes legitimam ætatem.* — Quæ diversa est jure antiquo et novo... Hodie vero per Trident., sess. 25, cap. 15, *De regul.*, ad valorem professionis requiritur, ut eam emittens, sive mas, sive femina sit, annum decimum sextum ætatis expleverit. »

XI. *De conjugatis.* — Sponsus, vel sponsa de præsenti, ante consummationem matrimonii ingredi religionem potest. Ideoque a jure ipsi conceditur bimestre, ita ut intra illud matrimonium consummare non teneatur, aut debitum alteri petenti reddere. C. *Ex publico*, 7, tit. xxxii, *De conversione conjugat.* lib. iii *Decret.* Potest tamen hoc tempus arbitrio judicis, vel restringi, vel prorogari, ut monet Glossa in cit. cap.

Bimestre a jure indultum non videtur ex probabiliori sententia competere conjugi religionis propositum non habenti.

Effectus transitus in religionem, et professionis post matrimonium ratum emissæ, est dissolutio matrimonii rati, etiam quoad vinculum : et hinc conjux relictus in sæculo, post professionem alterius conjugis, libere transire ad alia vota poterit, prout clare decisum est c. *Verum* 2; c. *Ex parte* 14, *De convers. conjug.* et a Trident. sess. 24, *De sacrament. matrim.* can. 6.

XII. Post matrimonium consummatum ingredi religionem non licet, nisi in tribus casibus :

1. Si alter conjux consentiat : quo casu tamen conjux relictus, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, etiam ipse ingredi religionem debet. (C. *Agathosa*, 21, causa 27, quæst. 2; c. *Præterea* 1; et c. *Ad apostolicam* 13, *De conversione conjugat.*) Si vero senex est, et de incontinentia non suspectus, sufficiet, si votum continentiæ simplex edat, ut ex iisdem textibus patet, et ulterius statuitur. (c. *Cum fit* 4; c. *Uxoratus* 9; c. *Significasti* 18, *De convers. conjug.*)

2. Si alter conjugum commiserit adulterium; tunc enim pars innocens, adultero etiam invito, ingredi religionem, et profiteri in ea potest. C. *Agathosa* cit. can. *Constitutus* 15, etc. *veniens* 16, *De convers. conjug.*

3. Si unus sit lapsus in hæresim, vel apostasiam a fide ; nam si iste pertinaciter in hoc suo errore post monitionem unam vel alteram perseveret, innocens ab eo potest divertere, et religionem ingredi, etiam invita parte rea. (C. fin. ejusdem tit.)

XIII. « Porro, ut professio religiosa matrimonii rati dissolvendi vim habeat, quatuor hæc requiruntur :

1. Ut emittatur in effectu; non enim sufficit propositum eam emittendi. (C. *Ex parte* 14, *De convers. conjug.*)

2. Ut sit solemnis professio, vota tria substantialia continens; quia vota simplicia matrimonium ratum non dissolvunt.

3. Ut emittatur in manibus ejus, qui habet potestatem incorporandi religioni; nam professus emittendo professionem quasi contrahit cum religione. Cons. ex utraque parte consensus requiritur.

4. Ut fiat in aliqua religione a Sede apostolica approbata. Perinde autem est, qualis illa sit; nam etiam per professionem emissam in ordinibus militantibus matrimonium ratum dissolvitur, modo ipse ordo substantialia religionis habeat. » (Pirhing, hic, et alii apud ipsum.) — Schmalzgr. tit. xxxii, lib. iii. *Decretal.* n. 18 *et passim.*)

« Hinc non posset hodie mulier, post matrimonium suum ratum non consummatum, ingredi conventum aliquem monialium Galliæ, etiam earum quæ ex instituto suo vota solemnia emittere deberent; prout sunt Carmelitanæ, Visitandinæ et similes. Nam, ut supra vidimus, pluries a sacra Pœnitentiaria declaratum est, earum monialium Galliæ vota pro simplicibus duntaxat a Sede apostolica æstimari. » (D. Bouix. *De jur. regul.* t. I, p. 533.) — « Contrarium dicendum de virorum Galliæ ordinibus, qui ex instituto vota solemnia habent. » (Id. *ibid.*, p. 534.)

XIV. *De pueris qui a parentibus monasteriis offeruntur.* — 1. Certum est, et de jure naturali, et de jure ecclesiastico licitam esse hujusmodi puerorum a parentibus oblationem seu donationem, alicui ordini religioso factam. Sic oblati, per pactum parentes inter et monasterium initum, ad habitum religionis recipiuntur, et sub potestatem prælatorum religionis transeunt usque ad pubertatis annum.

2. Offerri possunt ejusmodi pueri, non solum impuberes, sed et ante rationis usum. (*Vide* Schmalz. *De regularibus* n. 151.)

3. Recepta religionis veste, et adepto rationis usu, habentur ut personæ ecclesiasticæ. (*Ibid.* n. 150.)

4. Non sunt veri religiosi ut satis patet. Imo nec sunt veri novitii, seu ad novitiatum proprie dictum admitti nequeunt, antequam adepti sint sufficientem discretionem ad recte intelligendum quid sit novitiatus, et ad convenienter subeunda probationis experimenta. (*Ibid.* n. 151.)

5. Possunt pueri a parentibus dicto modo offerri, etiam inviti. (*Ibid.* n. 152.)

6. Post factam et acceptatam a monasterio oblationem, jam nequeunt parentes, ante pueri pubertatem, eum e monasterio revocare. (Suarez, *De religione*, t. III, lib. v, c. 1, n. 13.)

7. Item nequit filius ante pubertatem propria voluntate egredi. (Schmalzgr. (*Ibid.*, n. 153.)

8. Statim autem ac facti sunt puberes, liberum est eis egredi.

9. Filium offerre potest pater, etiamsi mater dissentiat: item mater absque assensu patris, modo tamen hic non contradicat. Item tutor (*Ibid.*, n. 152.)

10. Jus commune, quoad ejusmodi impuberum oblationem, nequaquam hodie sublatum censendum est. (*Ibid.*, n. 154.)

XV. *De clericis ad statum religiosum transire volentibus.* — 1. « Omnino certum est clericos omnes, etiam beneficiatos, atque etiam curam animarum habentes, absque episcopi sui licentia, atque etiam ipso contradicente, religionem ingredi posse. » Præcipuas hac de re juris sanctiones adducit Benedict. XIV (in suo brevi *Ex quo*, 14 Januarii 1741, in suo Bullario, tom. II, n. 25, in hunc modum:

In concilio Toletano iv, anno 633, sub sancto Isidoro celebrato, canone 50, ita legitur : *Clerici qui monachorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* » (C. *Clerici*, causa 19, quæst. 1.) « Quinimo in eadem caus. 19, quæst. 2, can. *Alienum*, postquam posita regula est quod clericis absque permissu episcopi ab ecclesia sua discedere et alterius servitio se adjungere nequit, hujusmodi exceptio subnectitur : *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitæ transire voluerit. Tunc enim liberum est illi, etiam episcopo contradicente, monasterium ingredi.* Concordat canon sequenti loco relatus, qui incipit *Duæ sunt*, in quo distinctio fit inter legem publicam et privatam : et posito quod publica quidem lex vetat clericum ab una ad aliam Ecclesiam transire sine assensu proprii episcopi ; privata vero lex, quæ in-

stinctu sancti Spiritus in corde inscribitur, et dignior est lege publica, nequaquam id prohibet; ex hujusmodi principio arguitur, licere clerico beneficiato, etiam contradicente episcopo, beneficium relinquere, et in monasterium sese recipere : *Si quis horum in ecclesia sub episcopo populum retinet, et sæculariter vivit, si afflatus Spiritu sancto, in aliquo monasterio, vel regulari canonia, salvare se voluerit, quia lege privata ducitur, nulla ratio exigit, ut lege publica obstringatur. Dignior enim est lex privata quam publica.... Quisquis igitur hoc Spiritu ducitur, etiam episcopo suo contradicente, eat liber, nostra auctoritate.* »

Idem probatur ex unanimi doctorum sententia.

2. Non tenetur beneficiarius licentiam ab episcopo suo petere. « Addo tamen ab ita ingressuro religionem clerico, si beneficiarius præsertim curatus sit, propositum hoc insinuandum episcopo, vel saltem post ingressum denuntiandum; ut loco suo de pastore alio provideat, ne oves desertæ maneant. » (SCHMALZGR. *De regular.* n. 34.)

3. « Facultas quam habent clerici religionem ingrediendi absque licentia episcopi, intelligenda etiam est de ingressu in congregatione cum votis simplicibus perpetuis approbata. (Colligitur ex canonibus supra citatis, in quibus ratio legis non est solemnitas votorum, sed natura et perfectio religiosi status, cujus essentiam habent dictæ congregationes.)

4. In casu tamen quo Ecclesia grave damnum pateretur ex transitu clerici ad religionem, posset eum episcopus repetere, etiam post professionem, ut cum aliis docet Benedictus XIV, bulla *Ex quo* 14 Januar. 1747.

5. « Clericus, qui sese ex pacto obligavit ad serviendum diœcesi per aliquot annorum spatium, nequit religionem ingredi, antequam obligationi huic satisfecerit. »

6. Pii IX auctoritate statutum est, ne quis posset in religiosis ordinibus et quibuscunque etiam votorum simplicium congregationibus ad habitum admitti, absque testimonialibus litteris tum ordinarii originis, tum etiam ordinarii loci, in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit. Contra regulares, qui hoc decretum non servarent, statuitur pœna privationis officiorum, vocisque activæ, nec non habilitatis ad alia officia in posterum obtinenda. (Decret. sacr. congr. super statu regul. a SS. Pio IX approbat. 25 Januar. 1848.) Per hoc decretum non adimitur libertas religionem ingrediendi absque licentia proprii episcopi, et etiam illo invito.

§ II. — De requisita ætate ad novitiatum et professionem.

I. Ad novitiatum incipiendum sufficit ætas pubertatis, ut tenent communiter doctores.

II. Imo recipi potest ad novitiatum impubes, modo usum rationis habeat, et parentes ejus non dissentiant. Quoad moniales tamen, per decretum sacr. congr. Episc. et Regul. requiritur annus decimus quintus ut puellæ valeant ad habitum recipi.

III. Ad professionem requiritur, tam pro viris quam pro feminis annus decimus sextus completus : et prius facta professio est nulla. (Ita decrevit Tridentina synodus sess. 25, *De regularibus*, cap. 15.)

§ III. — De novitiorum admissione.

I. De jure communi potestas novitios admittendi est immediate in qualibet virorum religione sive solemnium sive simplicium votorum approbata per pontificem et in sola illa. Dictæ religiones nullatenus ab ordinario dependent pro admittendis aut rejiciendis novitiis. Unde episcopus nequit virorum congregationem ab apostolica Sede approbatam, cogere ad aliquem in novitium recipiendum, nec impedire ne aliquem recipiat.

II. Juxta plures auctores, qui hoc decisum referunt, moniales, etiam exemptæ, episcopi licentia in scriptis indigent ad recipiendam ad novitiatum et habitum puellam; alii vero hujusmodi licentiæ necessitatem negant. Attamen admittunt doctores communiter cogi ab ordinario non posse moniales, etsi non exemptæ, et etiamsi vota solemnia non habeant ad recipiendam aliquam novitiam. Sed ab hac regula excipi solent duo casus :

1. « In monasteriis quæ abundant reditibus et patiuntur defectum monialium : nam potest episcopus monere abbatissam et conventum, ut de novo debeant aliquas creare. Quod si infra terminum eis præfixum non parerent, posse episcopum negligentiam supplere, ibique moniales constituere... Quod tamen ego intelligo verum in monasteriis non exemptis : alias enim non pertineret ad episcopum supplere

hujusmodi negligentiam, sed ad illarum superiores... At vero cessante negligentia etiam in monasteriis non exemptis, monialium receptio de jure non spectat ad episcopum, sed ad abbatissam et conventum. » (FAGNAN. in c. *Porrectum, De regularibus*, n. 28.)

Item contingere potest, ex aliquo jure particulari, ut receptio novitiorum et novitiarum exclusive pertineat ad episcopum ; nempe « in monasteriis virorum et mulierum, quæ ita sunt episcopo subjecta, ut ad eum spectet receptio monachorum vel monialium ; puta, ex *consuetudine præscripta*, vel *privilegio*. » Cæterum, secluso ejusmodi exceptionali jure, seu stando in jure communi certum est ab ordinario cogi non posse moniales ad recipiendam aliquam novitiam. Quod sic inter alios tradit Ferraris, verb. *Moniales*, art. 1, n. 82 : « Ordinarius nullo pacto compellere potest moniales ad acceptandas puellas, neque ad habitum, neque ad professionem... Acceptatio enim puellarum ad habitum religionis, pertinet libere ad moniales ; et episcopus, præter voluntatis explorationem, nihil aliud facere potest, ut respondit sacr. congregatio... » — Et n. 104, subjungit id. Ferraris « Episcopo vel alio prælato seu superiore jubente recipi novitiam ad professionem, contradicente majori parte monialium, non debet admitti: non enim superior potest ad id moniales compellere; ut pluries decrevit sacr. congr. Episc. et Regul., et si superior de se, cum minori parte, reclamante majori parte monialium, novitiam ad professionem admitteret, professio esset nulla... »

III. De jure igitur communi, novitiorum receptio ad ipsummet religiosum ordinem pertinet. Sixtus V in sua const. *Cum de omnibus* an. 1587, statuit *ut cujusque juvenis aut viri majoris 16 annis a sæculo ad religionem transeuntis approbatio, admissio et receptio in generali vel provinciali capitulo ut supra ordinatum est, pro tempore fiant*. Postea vero in constit. *Ad Romanum*, prioris declarativa (Novemb. 1588) remisit ad plurium monasteriorum deputationem, vel ad trina capitula conventualia auctoritatem approbandi, admittendi et recipiendi novitios... Sed Clemens VIII, constit. sua *In supremo*, 2 Aprilis 1602, Sixtinam dispositionem ita moderavit, ut necessaria foret ejus observatio ad *liceitatem*. non *ad validitatem*.

Hoc jus a Sixto V inductum, non respicit moniales, prout expresse habetur in const. *Ad Romanum*.

Attamen præcipue hac in re attendendum est ad singulorum ordinum privilegia. Solent enim quoad hoc suo quique modo, a Sede apostolica approbata, procedere.

Quoad Italiam et adjacentes insulas, per decretum *Regulari disciplinæ*, 18 Januarii 1848 a sacr. congr. Disciplinæ regularis editum, et a Pio IX feliciter regnante confirmatum, disponitur, ut constituatur certus numerus examinatorum seu consultorum ex gravioribus et prudentioribus religiosis eligendorum, qui judicium ferant ; et ii duntaxat postulantes admittantur, qui unum saltem supra medietatem suffragiorum obtinuerint. Hoc decreto astringuntur etiam congregationes in quibus simplicia tantum vota fiunt. (vid. *Correspondance de Rome*. Seconde édit. p. 14 et 15.)

§ IV. — De informatione, novitiorum admissioni præmittenda.

I. Necessariæ sunt præviæ informationes, ut admissio sit licita, ex const. Sixti V et jure naturali. Non sunt tamen necessariæ ad validitatem admissionis et secutæ professionis.

II. Ex verbis Sixti V, qui exigit accuratam informationem et relationem *fide dignam*, concludunt doctores *juridicam* esse debere informationem illam ; id est fieri debet cum saltem duobus testibus juratis, et notario sive religioso sive ecclesiastico, aut sæculari per judicem vel ecclesiasticum, vel religiosum, aut etiam sæcularem, a prælato religionis ad hoc deputatum. — In praxi vero, ut ait Suarez (*De religione*, tom. III, lib. V c. 10, n. 17) : « Variæ religiones circa hanc etiam informationem seu inquisitionem, et circa personas per quas facienda est, vel quibus ratio de illa est reddenda, moderationem seu declarationem a sede apostolica obtinuerunt. Sed illa universalis non est, et ideo ad nostram declarationem non pertinet; sed unaquæque religio modum sibi præscriptum observare tenebitur. »

III. Ex const. Sixti V, *Cum de omnibus*, et alia, *Ad Romanum* et const. Gregorii XIV *Circumspecta* Sixtinas dispositiones moderante, capita de quibus interrogari debent testes, possunt hoc modo determinari :

« 1. Quinam sint postulantis parentes? — 2 Quænam ejus patria? — 3. Quem se præbuerit vita et moribus? — 4. An actis publicis constet eum accusatum aut inquisitum fuisse, ob aliquod homicidium, furtum, latrocinium, vel alia similia aut graviora crimina? — An sit ingenti ære alieno gravatus, et solvendo impar? — 6. An obnoxius sit reddendæ rationi pro aliqua administratione; ita ut propterea lite aut molestia aliqua hic et nunc prematur, vel ne prematur timendum habeat. — 7. An religionem ingredi velit ex aliquo humano motivo; an vero ex devotionis et pietatis impulsu? — 8. An spontaneum sit hoc ipsius ingrediendæ religionis propositum?

Istæ solæ de jure positivo faciendæ sunt interrogationes non ad *validitatem*, sed tantum ad *liceitatem* admissionis, et ut vitentur pœnæ in superiores contravenientes latæ.

IV. Solent addi sequentes interrogationes: « 1. An parentes sint catholici et bonæ famæ? 2. An postulans natus sit ex matrimonio legitimo. — 3. An sit ligatus matrimonio vel sponsalibus. — 4. An integra mentis et corporis valetudine utatur. —5. An contagioso aliquo morbo laboret. — 6. An a judaica vel hæretica aut schismatica stirpe oriundus. »

V Dictæ informationes notificari debent iis ad quos pertinet de admissione judicare et pronuntiare.

VI. Præter supradictas informationes, hodie ex decreto Pii IX, 25 Januarii 1848, necessariæ sunt litteræ testimoniales episcopi, textu expresso: *Nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum ordinarii originis, tum etiam ordinarii loci in quo postulans, post expletum, decimum quintum annum ætatis suæ ultra annum moratus fuerit*. Referre debet episcopus in iis litteris de postulantis *Natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius*. Sunt verba decreti.

VII. Informationes Sixtinæ et litteræ episcopi testimoniales non requiruntur pro monialium admissione.

§ V. — De novitiatus duratione, loco et habitu.

I. Ex lege Tridentina sess. 25, *De regularibus*, cap. 15, ad validam professionem requiritur annus probationis completus de momento ad momentum. Unde si horæ quadrans, verbi gratia, deesset, professio pro nulla habenda foret. (Schmalzgr. *De regularibus*, n. 65.)

II. Novitiatus annus computandus est a momento suscepti habitus, vel, si habitus susceptio in aliqua religione non requiratur, a momento ingressus in novitiatum. (Id. *ibid.* n. 56.)

III. Non valet novitiatus nisi sit continuus. Deficere censenda est novitiatus continuitas, si vel unico momento novitius egrediatur, cum animo non redeundi. Sed non deficit dicta continuitas, si de superiorum licentia, novitius etiam per sex menses extra conventum moretur. (Id. *ibid.* n. 69, etc.)

IV. Professus qui transit a sua religione in diversum ordinem, etiam minus strictum, debet ibi integro anno in novitiatu versari: secus irrita erit nova ab ipso emissa professio. (Id. *ibid.*, n. 75.)

V. Præfatis legibus, novitiatum respicientibus, non constringuntur congregationes, in quibus simplicia duntaxat vota emittuntur. In dictis congregationibus possunt superiores novitiatum anno breviorem facere, quin ideo irrita sint vota simplicia. Id tamen, absque justa causa, licitum eis non est.

VI. A tempore Tridentinæ synodi omnino requiritur ut novitiatus fiat, quoad aliquam saltem anni partem, in conventu aliquo seu monasterio illius ordinis, in quo professio emittenda est: Alioquin professio foret nulla. — Quoad Italiam et adjacentes insulas prohibitum est, ne novitiatus alibi fiat quam in conventibus auctoritate apostolica designatis, sub pœna nullitatis professionis secutæ. (Ex decretis Clement. VIII. *Regularis disciplinæ*, 12 Martii 1596; et *Sanctissimus in Christo Pater*, 20 Junii 1599; et *Cum ad regularem*, 19 Martii 1603. *Vide* apud Tamburin. *De jure abbatum*, t. III, disp. 6; et apud Ferrar. verb. *Novitiatus*, n. 97.) — A prædicta lege excipit plures congregationes Clement VIII, decreto *Sanctissimus*.

VII. De jure communi « ut professio regularis faciat verum monachum, debet novitius per integrum annum probationis deferre habitum monachalem seu regularem: aliter professio est invalida... Et sic tenent

communiter doctores, et Glossa... Et quod in habitu sæculari nequeat fieri novitiatus, expresse decrevit sacr. congr. Episcop. et Regul. pluries. » (Ferrar. verb. *Habitus*, n. 3.) Diximus *de jure communi;* quia de jure particulari potest aliquis ordo religiosus ad nullum habitum regularem teneri.

VIII. Lege Tridentina novitiatus ultra annum non debet protrahi, sess. 25, c. 16, ibi: *Finito tempore novitiatus, superiores, novitios... ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant.* Ab hac tamen lege Tridentini Patres ibidem excipiunt societatem Jesu, cujus instituto novitiatus biennium præscribitur.

IX. Supradicta lex Tridentina immutata est quoad religiosas virorum familias per recens decretum hac de re sacr. congr. super statu regularium, tenoris qui sequitur :

« Hæc quæ sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex apostolicæ auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, et ab omnibus ad quos spectant ex obedientiæ præcepto observari et executioni demandari districte jubet, et contrariis quibuscunque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat.

« Peracta probatione et novitiatu ad præscriptum concilii Tridentini, constitutionum apostolicarum, et Statutorum ordinis a sancta Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant, postquam expleverint ætatem annorum sexdecim, ab eodem Tridentino concilio statutam vel aliam majorem, quæ forsan a statutis proprii ordinis a sancta sede approbatis requiratur : et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint ætatem, quæ in constit. Clementis VIII incipiente *In supremo*, præfinita est (1).

Professi, post triennium a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero superior provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra ætatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum qui in instituto aliquo gradu insigniti sint.

« Decreta sacr. congr. super statu Regularium, incipientia *Romani pontificis* et *Regulari disciplinæ* anno 1848 promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.

« Quæ de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam præsentium ad habitum admittentur...

« Datum Romæ, ex sacr. congr. super statu Regularium, die 19 Martii, anno 1857. »

§ VI. — De jure novitiorum circa bona sua temporalia.

A tempore Tridentinæ synodi, nequit novitius de bonis suis disponere, nisi certo tempore et modo, ab hac synodo præscriptis, Schmalzgrueber, *De regularibus*, n. 96 et seq. exponit, disciplinam Tridentinam sess. 25, *De regul.* cap. 16, hujusmodi tenoris : *Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia episcopi sive ejus vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione : aliter vero facta (etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata) sit irrita et nullius effectus... Per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum societatis Jesu, juxta pium eorum institutum, a sancta Sede apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiæ inservire possint : sed neque ante professionem excepto victu et vestitu novitii vel novitiæ illius temporis quo in probatione est, quocunque prætextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit sancta synodus*

(1) Conversos non esse ad novitiatum recipiendos ante viccsimum ætatis annum disposuit Clemens VII.

sub anathematis pœna dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant. Quod ut recte fiat, episcopus, etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

Super hanc legem Tridentinam quæstiones et difficultates resolvit Schmalzgrueber cum multis ab ipso citatis, ut sequitur :

I. « Excipitur societas Jesu; nam hujus novitii quocunque tempore, et absque licentia ordinarii bonis suis cedere possunt.

II. « Hoc decreto irritantur solum illi contractus, et pacta, quibus bona, et jura novitii notabiliter minuuntur; ea autem, quibus illa non minuuntur, etiamnum valent. Ratio sumitur ex fine Trident.; volebat enim per hoc suum decretum sartam tectam servare novitii libertatem revertendi ad sæculum.

III. « Ex quo sequitur validas esse : 1. Donationes et eleemosynas a novitio pauperibus, locis piis, et ipsi etiam monasterio factas, si modicæ illæ sint, et moderatæ, spectata novitii substantia; quia parum pro nihilo reputatur, neque merito ab egressu ex religione retinere potest... — 2. Valent contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, permutationis, societatis, et alii similes, quibus non minus recipitur quam datur, et non minor spes lucri, quam damni est. — 3. Valent testamenta, codicilli, et mortis causa donationes, quia libere revocari possunt.

IV. « Contra invalidæ sunt : 1. Donationes notabilis quantitatis inter vivos, et irrevocabiliter factæ. — 2. Renuntiationes officiorum publicorum, et beneficiorum ecclesiasticorum. — 3. Mutum, quo rei mutatæ dominium, et usque ad notabile tempus transfertur in monasterium. — 4. Fidejussiones, remissiones, et liberationes, v. gr. qua tutor, vel curator a ratiociniis reddendis deobligatur. — 5. Contractus omnes lucrativi, et illi etiam ex onerosis, in quibus non tantum recipitur, quantum datum est. Quorum omnium ratio est, quia per hujusmodi renuntiationes, pacta et cessiones impeditur libertas egressus ex religione.

V. « Ut renuntiatio valide fieri a novitio possit, requiritur : 1. Ut non fiat ante ultimum bimestre probationis, in quacunque ætate sit novitius. — 2. Nec sine obtenta licentia episcopi, vel ejus vicarii generalis, vel alterius, qui jurisdictionem quasi episcopalem habet in clerum et populum. Estque licentia hæc necessaria etiam exemptis.

VI. « Casu, quo professio ex causa aliqua justa differtur, dicendum est valide fieri renuntiationem quocunque tempore currente inter mensem undecimum annuæ probationis usque ad professionem.

VII. « Tempus duorum mensium pro renuntiatione valide facienda, computandum est de momento ad momentum; estque decisum a sacr. congr. sub die 21 Januar. 1627. Ratio est, quia quoties tempus datum est a lege pro forma actus, computari de momento ad momentum debet.

VIII. « Effectum non habet renuntiatio, vel donatio, etsi illa sit facta juxta formam Trident., sed professio hæc secuta ob ætatis vel alium defectum sit irrita.

IX. « Donatio, aut alia renuntiatio, facta secundum formam, a Trident. præscriptam, corruit, si novitius, qui renuntiavit, vel donavit, moriatur ante professionem. Unde in hoc casu potest de bonis suis testari, etsi nullam dispositionem facere nolit, bona ejusdem deferantur ad hæredes ab intestato.

X. « Renuntiatio bonorum, vel donatio, ultimo bimestri facta, ante professionem revocari a novitio nequit, nisi donans vel renuntians sibi reservaverit jus revocandi.

XI. « Quæritur quid observandum in renuntiatione beneficii, quod in sæulo habuit novitius? In duas extreme oppositas sententias doctores abeunt : 1. Alii putant in hac non observandas necessario solemnitates a concil. Trident. c. 16 cit. requisitas, sed eam etiam sine his factam validam esse, neque regressum ad beneficium ita resignatum concedi renuntianti, quamvis non sequatur professio. — 2. Contra communior doctorum judicat etiam renuntiationem beneficii a novitio factam comprehendi conciliarii decreto, ac proinde factam sine solemnitatibus ibi præscriptis esse nullam, et resignantem, si professio non sequatur, reintegrandum. Afferunt pro se complures decisiones Rotæ et sacr. congr. Concilii, quæ semper fuit in eo sensu, et ipsum decretum sanctæ synodi ubi utitur verbis generalibus, *nulla quoque renuntiatio..... valeat :* igitur non tantum renuntiationem bonorum temporalium : sed etiam beneficii ecclesiastici comprehendet, præsertim cum

etiam in hoc finis Trident. urgeat, ut scilicet salva maneat libertas egrediendi, quæ non parum restringeretur, si beneficium suum collatum alteri videre deberet, ex quo tamen fortasse unice sustentationem habuit. — — Unde novitii beneficium episcopus aut alius collator alteri conferre nequit ante dicti novitii professionem; sed debet vicarius temporalis institui usque ad professionem.

XII. « Donationes, vel renuntiationes; ante novitiatus ingressum, etiam intuitu ingressus factæ, probabilius sunt validæ, quamvis ita renuntians, vel donans, casu quo mutato consilio, rediret ad sæculum, ad beneficium restitutionis in integrum possit recurrere...

XIII. « Quoad societatem Jesu, dicendum est renuntiationem bonorum, quæ fit in societate juxta præscriptum constitutionum ejusdem, si fiat post impletum primum annum novitiatus, aut post vota biennii (ut communiter solet) nullam habere conditionem inhibitam, sed esse omnino absolutam, et irrevocabilem : cons. Si postea renuntians dimittatur, de jure nihil dimisso restituendum, etiamsi in societatis favorem renuntiationem fecisset.

XIV. « Subduntur Tridentino decreto, excepta societate Jesu, regulares utriusque sexus omnes qui vere regulares sunt, et emittunt tria vota substantialia, et etiam milites Jerosolymitani.

Excipiuntur milites alii, qui non habent veram qualitatem religiosam, et quicunque alii cujuscunque sexus, viventes sub aliquo instituto, in quo vera qualitas religiosa ob defectum dictorum votorum considerari non valet. Igitur in congregationibus quæ vota solemnia non habent, possunt a novitiis fieri donationes et renuntiationes validæ, quin servetur Tridentini decreti forma. (Hucusque Schmalzgr. *De regularibus*, a n. 95 ad 145.)

XV. Novitius testamentum ante professionem revocare potest, non autem post professionem. (Ferrar. verb. *Novitiatus*, n. 50 et seqq.)

XVI. Quando novitius ante professionem testamentum non condidit, vi professionis succedit in ejus bona et jura monasterium, si ordo sit capax possidendi in communi. Si ordo non sit capax possidendi in communi, succedunt consanguinei. (Id. *ibid.* n. 53.)

XVII. Sub anathemate, non reservato, prohibentur parentes, propinqui et curatores quidquam de bonis novitii præter victum et vestitum, dare monasterio. (Ex ipsis verbis decreti *Trident.*) Excipiuntur parvi momenti donationes. (Id. *ibid.* n. 57 et 60).

XVIII. Tenet Ferrar. parentes et consanguineos non posse etiam de bonis suis propriis aliquid dare monasterio, ob ingressum novitii in religionem, excepto victu et vestitu. (Et decisum a sacr. congr. Concil. refert, *ibid.* n. 57.)

XIX. Sub excommunicatione papæ reservata prohibitum est ne regulares aliquam pecuniæ summam a parentibus novitii exigant, pro convivio, occasione vestitionis vel professionis. (Ex extravag. *Sane* 1, *De Simonia.* — Ferrar. *ibid.* n. 63.) Ex contraria tamen consuetudine id licere tenent Suaresius et alii.

XX. Si egrediatur novitius ante professionem, restitui ipsi debent omnia quæ sua erant, etiam ea quæ debita forma conventui dederat. (Textu expresso *Trident.* decret.) Nihilominus novitio egredienti non esse relinquendum religionis habitum, sed restituendum illius pretium, a sacr. congr. Concil. decisum fuisse refert Ferraris, *ibid.* n. 68.

XXI. Novitius egrediens tenetur solvere expensas pro ipso factas a monasterio, si de hoc intervenerit pactum, vel ita ferat ordinis consuetudo; secus non tenetur. (Ferraris, *ibid.* n. 69; Schmalzgr. *De regularibus*, n. 80.)

XXII. In religiosis familiis quæ non habent nisi vota simplicia, novitii per professionem beneficia sua non amittunt; si tamen beneficia hæc residentiam exigant, potest ordinarius ejusmodi professos adigere ad resignandum; id est, eis terminum præfigere intra quem resignare teneantur : quo elapso termino, possunt beneficia hæc aliis conferri. (*Vide* id probatum apud D. Bouix, *De jur. regul.* t. I, p. 594 et seq.)

XXIII. Novitius, si velit, retinet jus eligendi et suffragium ferendi beneficio suo annexum; non est tamen de iis qui necessario ad validitatem electionis vocandi sunt.

§ VII. — Quorumnam jurisdictioni subjaceant novitii.

I. Multi cum Schmalzgr. *De regularibus*, n. 88, distinguunt inter ordines exemptos et non exemptos. Si ordo non sit exemptus, prælatorum religionis in novitios jurisdictio æstimanda est ex concessione episcopi, statutis ordinis et consuetudine. Si autem agatur de ordinibus exemptis, prælato religionis tribuunt jurisdictionem quasi episcopalem etiam in novitios. Unde inferunt posse hunc novitios præceptis ligare sub peccato, et sub censuris; illos punire, casus item respectu ipsorum sibi reservare.

II. At contrarium tradit Ferraris, verb. *Novitiatus*, n. 13 : « Novitii, inquit, non subjiciuntur casibus reservatis a superioribus suæ religionis, nec casibus reservatis ab episcopo loci. Unde non possunt innodari censuris, nec ab episcopo, nec a superiore religionis; quia sunt in statu neutro, id est nec vere subiti episcopi, nec superioris religionis; sed sunt in statu medio, per abnegationem extremorum in odiosis. »

III. Unde, 1. absolvi possunt a confessariis per prælatum religionis approbatis; et non tantum hi confessarii possunt novitios absolvere a peccatis etiam in religione reservatis, sed insuper ab excommunicatione et censura (etiam ab homine) generaliter lata. — 2. Possunt etiam novitii, absque licentia prælatorum ordinis, valide confiteri apud quemcunque confessarium ab ordinario loci pro sæcularibus approbatum, atque ab eo absolvi, etiam a casibus in religione reservatis. — 3. Si infirmentur novitii, possunt omnia sacramenta recipere a regularibus monasterii, atque in monasterio tumulari inconsulto parocho; nec jus habet parochus ut quarta funeralis sibi solvatur.

§ VIII. — De novitiorum privilegiis et ordinatione.

I. Novitii gaudent privilegio fori et canonis. (Ferrar. verb. *Novitiatus*, n. 20.)

II. Item gaudent indulgentiis ordini concessis. (*Ibid.*)

III. Indulgentiam plenariam lucrantur die susceptionis habitus, et die professionis, præmissa confessione et sanctissimæ Eucharistiæ susceptione. Hæc de jure communi.

IV. Gaudent peculiaribus privilegiis quæ variæ religiones pro suis novitiis obtinere potuerunt.

V. « Novitii sine titulo beneficii vel patrimonii aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. (Arg. *Concil. Trident.* sess. 21, cap. 2.) Et expresse declarat sanctus Pius V, const. 75, *Romanus pontifex*, ubi dictum concilii decretum extendit ad omnes et singulos cujuscunque ordinis clericos, religiosos non professos, prohibens ipsos sicuti alios clericos sæculares promoveri ad sacros ordines sine dicto titulo. Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis, sed etiam in nulliter professis. Excipiuntur Patres societatis Jesu ex privilegio pontificio, et Benedictus XIII. const. *Injuncti nobis*, statuit nulla ab eodem societate deberi sic ordinatis alimenta aut congruam sustentationem, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta societate dimitti; quidquid in contrarium scripserint alii. »

VI. Novitii respectu minorum ordinum ordinandi sunt a proprio episcopo, id est ab episcopo loci monasterii, non autem ab abbate suo. (C. *Cum nullus*, *De tempore ordin.* in 6; et *Trident.* sess. 23, c. 10.)

§ IX. — De novitiorum obligationibus.

I. Regulas et præcepta ordinis sui observare non tenentur ex proprie dicta obligatione, sed ex decentia tenentur. (Communis.)

II. Vi jurisdictionis ecclesiasticæ prælatus regularis novitio potest præcipere quæ possent ab episcopo subditis suis præcipi. (Schmalzgr. *De regular.* n. 85 et seq.)

IV. De novitiorum institutione, et de novitiorum magistro, *vide* apud Ferrar. verb. *Novitiatus*, n. 98, constit. Clement. VIII *Cum ad regularem disciplinam*, die 19 Martii 1603; et Innocent. XI decretum super conventibus novitiatus et recollectionis Minorum de Observantia.

§ X. — De professione.

I. Quid sit? « Professio religiosa dupliciter potest accipi, late, et stricte. *Late accepta professio* est actus religiosus, et sacer, per quem homo fidelis, in religione aliqua approbata, per emissionem trium votorum substantialium, paupertatis, castitatis, et obedientiæ, voluntarie se Deo tradit, interveniente auctoritate prælati, qui hujusmodi traditionem Dei et religionis nomine acceptet. (C. *Ad apostolicam* 16, *De regularibus*,

et communiter tradunt DD.) — « Stricte accepta est contractus ultro, citroque obligatorius, quo quis per vota solemnia se Deo et religioni tradit, et religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat cum onere ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tanquam filium juxta regulas et institutum religionis tractandi. » — « Alterutra requiritur ad hoc, ut fiat quis proprie dictus religiosus; sufficit autem prima, quamvis fiat per vota tantum simplicia, ut patet ex bulla Gregorii XIII, incip. *Ascendente*, et aliis constitutionibus apostolicis confirmatoriis societatis Jesu, ubi statuitur scholasticos, et coadjutores.... ejusdem societatis esse vere et proprie religiosos : qui proinde in lato illo sensu professi et ipsi sunt, et dici possunt. » (SCHMALZGR. tit. XXXI *De regularibus*, lib. III *Decretal.* n. 149 et 150.)

II. « *Quotuplex sit professio religiosa proprie dicta?* — Resp. duplex : expressa et tacita. *Expressa*, quæ verbo, scriptura, aliisque nutibus, consensum sufficienter declarantibus, exprimitur. *Tacita*, quæ nec voce, nec scripto, etc., fit, sed per unum, vel plures actus professis proprios censetur induci. » (ID. *ibid.* n. 155.) Etsi usus illius sit nunc rarissimus, et tunc fere tantum quando professio expressa invalide emissa est; absolute tamen etiam post Tridentinum locus eidem est etiam in aliis casibus, modo adsint reliquæ conditiones, quæ ad professionem validam tum jure communi, tum etiam a Trident. requiruntur.

III. « *Quid requiratur, ut valide fiat professio?* Resp. 1. Requiritur, ut persona illam emittens sit ejus capax, sive nullo jure a statu religioso removeatur : de quo actum est § 1 supra. — 2. Ut habeat ætatem legitimam : sufficit autem, et requiritur, ut expleverit annum 16; nisi in religionibus in quibus requiritur ætas provectior per statuta. — 3. Ut annum unum fuerit in novitiatu. — 4. Ut habeat animum profitendi; est enim matrimonium quoddam spirituale cum religione, quod perinde, ut carnale, deficiente consensu, et ipsum deficit. — 5. Ut profiteatur nec metu, nec fraude inductus. — 6. Ut emittat saltem tacita tria vota substantialia religionis. — 7. Ut ea emittat in religione approbata; non enim sufficit emittere tria dicta vota, et regulam aliquam ab ecclesia approbatam profiteri, sed debet alicui religioni approbatæ incorporari ab eo, qui incorporandi potestatem habet, et hac ratione religionis illius membrum effici. — 8. Ut nullam apponat conditionem substantiæ religionis repugnantem, qualis esset, si quis profiteretur ea lege, ut possit egredi, quando onera religionis ferre amplius non poterit, ut possit vivere suo arbitratu, retinere sua bona, et de illis disponere pro libitu, etc. » — 9. Denique ut professio ejusmodi ab aliquo, ad id potestatem habente, religionis nomine expresse, vel saltem tacite acceptetur, ut colligitur ex c. *Porrectum* 13, et c. *Ad apostolicam* 16, *De regularibus*.

IV. « *Qua forma professio expressa emitti debeat?* Resp. Hic consulenda sunt singularum religionum instituta. De jure communi præter ea quæ n. 3 præcedenti enarravi, ad valorem professionis ex parte formæ aliud nihil requiritur.

1. « Adeoque fieri professio potest non tantum verbis, sed etiam nutibus, vel aliis etiam signis externis, quibus traditio profitentis, et hujus traditionis acceptatio, mutuaque obligatio significatur, ut passim doctores colligunt ex cap. *Porrectum* 13, *De regul.* ubi junctæ ante abbatem manus pro signo emissæ professionis habentur.

2. « Etsi consuetudo communis Ecclesiæ sit, ut fiat in scriptura eaque publice ex scripto legatur coram testibus sufficientibus, de jure communi tamen nec scriptura, nec testes essentialiter necessarii sunt.

3. Etsi tutum non sit ob multa pericula et incommoda, absolute tamen, et si jus commune spectetur professio emitti per procuratorem potest.

4. « Fieri potest sub conditione, modo hæc non repugnet substantiæ status religiosi.

5. « Fieri potest ubicunque et quocunque tempore, et ab infirmo, etiam in articulo mortis.

V. « *Quis admittere novitios ad professionem possit?* Resp. In hoc spectandæ constitutiones singulorum ordinum sunt, harumque consuetudines... spectato jure communi, admittere ad professionem potest

1. « Episcopus, si monasterium, aut ordo, in quo professio edenda est, non sit exemptus ab ejus jurisdictione; quod maxime contingere potest in monasteriis monialium ordini non subjectis. Opus tamen erit eo casu, ut ejusmodi admissio fiat cum consensu majoris partis capituli; nam etsi et ipse talis monasterii prælatus proprius sit; consensum

tamen in re monasterium contingente, qualis est admissio ad professionem, a monasterio debet exquirere. »

2. Abbas, seu prælatus religionis immediatus; nam penes hos est ordinaria potestas admittendi ad professionem, etiam irrequisito episcopo, cui monasterium subest, non tamen irrequisito capitulo, et quidem, ut probabilius, cum consensu istius; alias professio erit invalida, et retractari poterit, si postea ostendatur, quod major pars conventus juste et rationabiliter contradixerit, nisi ex post facto etiam, ipsi ratam illam habuerint.

3. « Prælatus regularis mediatus, ut generalis ordinis, vel provincialis; idque verum est, etiam contradicente superiore, seu prælato immediato, dummodo id fiat cum consensu capituli.

4. « Abbatissa etiam admittere ad professionem, stando in jure communi, potest moniales suas.

5. « Eadem potestas a superiore, cui illa jure ordinario competit, delegari etiam alteri potest. » (Hucusque SCHMALZGR. *De regularibus*, a n. 149 ad 187.)

VI. « In congregationibus, quæ simplicia duntaxat vota, seu late sumptam professionem emittunt, an et quatenus admissio pertineat ad episcopum, videtur determinandum ex ipsarum constitutionibus, vel legitima consuetudine : quod si constitutiones congregationis vel consuetudo id non determinaverint, non videtur admissio pertinere ad episcopum, nisi de consensu congregationis. » (*Vide* apud D. BOUIX, *De jur. regul.* t. I, p. 618.)

VII. « Non obest, etsi is, qui professionem recipit, sit excommunicatus vitandus; vel suspensus ab admissione ad professionem; quia talis excommunicatio, vel suspensio admissionem tantum facit illicitam, non vero invalidam; cum non privet superioritate, cujus solius actus est ista admissio. » (SCHMALZGR. *ibid*, n. 188.)

VIII. *De ratihabitione professionis invalidæ.* — Si invalida fuerit professio ob defectum potestatis in admittente, satis erit ad revalidationem si is, qui eam potestatem habet, postea admissionem illam ratam habeat, dummodo professus priorem voluntatem per actum contrarium non mutaverit.

2. Si ob aliud impedimentum invalida sit professio, necessarium est ut is, qui professionem ita invalide emisit, remoto impedimento, professionem prius factam ratificet expresse, vel tacite : quod ultimum fiet, si postquam scivit professionem prius editam fuisse irritam, permaneat sub externo habitu regulari, et sub obedientia religiosa. »

3. In neutro autem casu, invalide professus tenetur in religione persistere, aut professionem prius invalidam ratificare, etiamsi impedimentum, ob quod professio invalida est, in foro externo probare non possit.

IX. « *Quandiu reclamare professus possit adversus suam professionem, et illam arguere nullitatis?* Resp. 1. Reclamare adversus eamdem potest regularis quilibet. (*Trident.* sess. 25, c. 19 *De regul.*)

2. Tempus, quo reclamare adversus professionem invalidam licet, assignatur *ibidem* quinquennium; illo elapso non audietur, nisi impedimentum, ob quod invalida fuit professio, adhuc duret; tunc enim audiendus est, modo impedimentum probare possit. Qui post quinquennium reclamare volunt, adire solent congr. Concil., vel sacr. congr. Regul. et non raro restitutionem in integrum obtinent

3. Religio etiam reclamare potest contra invalide professum, sed tum solum, quando professio fuerit nulla ob ignorantiam justam et invincibilem superiorum regularium; nam isti, si professionem invalidam admittendo culpæ non vacant, non debent audiri, si reclamare, et causas nullitatis allegare velint post elapsum biennium.

X. Tres conditiones requiruntur ad legitimam reclamationem adversus professionem invalidam, ex Trident. sess. 25, c. 19, *De regul.*

1. Ut ante reclamationem habitum non deponat, vel etiam cum habitu non discedat, sine licentia superiorum ; *excipitur*, nisi justam causam habitum dimittendi habeat.

2. Ut causas nullitatis suæ professionis deducat coram superiore suo, et ordinario seu episcopo loci.

3. Ut reclamatio fiat intra quinquennium, a die professionis editæ numerandum.

§ XI. — **Qui sint effectus professionis validæ.**

« Professionis quæ in religione a Sede apostolica approbata valide emissa est, varii sunt effectus, ex quibus celebriores sunt undecim.

I. Profitentem religiosum efficit, eumque

obligat ad observationem votorum paupertatis, castitatis et obedientiæ, ita ut neque pontifex facere possit, ut professus religiosus maneat, et observare vota non teneatur. » (C. *Cum ad monasterium* 6, in fin. (*De stat. monach.*)

II. « Ligat professum religioni, et hanc professo, ita ut nec sola professi voluntate, nec sola religionis, neque mutuo utriusque consensu dissolvi possit. »

III. Transfert personam professi in dominium, et potestatem religionis, et religionem vicissim obligat, ut illum alat, retineat, atque ut filium tractet.

IV. « Per eam patria potestas in filium professum solvitur, quoad ea, quæ, professo damnosa, et religioni præjudiciosa sunt; nam quoad ea, quæ utrique utilia sunt, patria potestas manet, ne, quod ob gratiam ipsi conceditur, in ejus dispendium detorqueatur *contra regulam* 61, in 6.

V. Relaxat irregularitatem ortam ex defectu natalium, ita ut professus, licet procreatus sit ex concubitu utroque jure damnato, ad SS. ordines, et beneficia ecclesiastica (prælaturis duntaxat, et dignitatibus exceptis) sine dispensatione promoveri possit; cæteras irregularitates non quidem tollit, ad dispensationem tamen super iis concedendam facilius movere solet.

VI. « Purgat maculam, seu inhabilitatem ad actus temporales ortam ex crimine, v. gr. ex perjurio, furto, falso testimonio deposito in judicio.

VII. « Abolet notam ingratitudinis, quæ de jure suffecisset ad exhæredandum filium. (Can. fin. causa 19, quæst. 2.)

VIII. « Dirimit matrimonium contrahendum, et contractum, si ratum duntaxat sit, dissolvit, etiam quoad vinculum. (*C. Verum* 2; c. *Ex publico* 7, et c. *Ex parte* 14, *De convers. conjugat.*

IX. « Si conjux in casu licito post matrimonium consummatum professus religionem sit, inducit divortium inter ipsum, et conjugem relictam in sæculo, prout colligitur ex cap. *Veniens* 19, *De regul.*

X. « Omnia alia vota, et juramenta pia ipso jure exstinguit (*C. Scripturæ* 4, *De voto*); nisi facta sint in favorem hominis; nam ista manent, nisi promissarius juri suo renuntiaverit.

XI. « Impertit plenissimam condonationem omnium peccatorum, non quidem quoad culpam; neque enim peccatorum culpas delet, cum non sit sacramentum; sed quoad pœnam, si profitens tunc sit in statu gratiæ, et pœnæ illius reatus non sit ortus ex multiplicatis enormibus criminibus.

XII. « Dictos effectus habent etiam vota simplicia societatis Jesu, post biennium novitiatus edita solita. *Excipiuntur* duntaxat sequentia : 1. Non enim inducunt absolutam insolubililitatem. — 2. Vinculum ex parte societatis est conditionatum duntaxat, non absolutum. — 3. Ista emittens, quandiu persistit in societate, a patria potestate eximitur, in eamdem tamen reincidit, si dimittatur. — 4. Similiter per illa vota ante emissa in sæculo suspenduntur tantum dum in societate ipsa emittens manet; dimissum vero denuo urgent. — 5. Denique vota simplicia societatis dirimunt quidem matrimonium contrahendum, non tamen contractum, etsi ratum duntaxat, sed huic ipsa cedunt. » (Hucusque SCHMALZG. *De regularibus*, an. 206 ad 210.)

XIII. Eosdem effectus habent vota simplicia in aliis congregationibus perpetuo emissa, exceptis iisdem ac pro societate Jesu Præterea votorum simplicium congregatione nequeunt absque legitima causa et juxta juris formam dimittere suos professos; hoc est enim speciale societatis Jesu privilegium.

XIV. Professio religiosa quoad vinculum dissolvi potest auctoritate summi pontificis. Sed vinculum professionis religiosæ non dissolvitur per promotionem ad episcopatum, nec per regimen parochialis ecclesiæ; quia isti nec votis religiosis, nec jugo regulæ liberantur, sed observare istam etiam extra ordinem degentes debent in omnibus iis, quæ cum pastorali munere et laboribus possunt consistere, et quidem pro parocho et inferiori sub obligatione ad pœnam, imo et culpam, si regula ita obliget; et pro episcopo, cum hoc solum discrimine, quod ea, quæ acquirit, jam non amplius acquirit religioni, ut prius, sed ecclesiæ suæ episcopalis, Juxta can. unic. causa 18, quæst. 1. Et si obedientiam non amplius debeat superioribus regularibus, utpote in altiori dignitatis gradu constitutus; debet tamen illam summo pontifici, cui præter obedientiam generalem, ab omnibus fidelibus debitam, speciali obedientiæ voto astringitur : imo si renuntiet dignitati simul et gradui,

tenetur redire ad monasterium, et iterum obedire, ut prius. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 214.)

§ XII. — Norma canonica procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ.

Præcipuas hac de re dispositiones omnino obligatorias describemus : 1. Ex capite 19 sess. 25 Trident. — 2. Ex decreto sacræ congr. Concilii, *in Sicula*, die 24 Septembris 1740, quod reperitur in tomo IX *Thesauri resolutionum* sacr. congr. Concil. et apud Ferraris, verb. *Regularis professio*, n. 110 et seq. — 3. Ex bulla 47, incip. *Si datum hominibus*, Benedicti XIV, II, Nonas Martii. an. 1747. Quam reperies in dicti pontificis bull., et etiam apud Ferraris, verb. *Regularis professio*, Addit. Cassinens.

I. *Norma procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ, quando intra quinquennium contra professionem reclamatur.* — 1. Sacr. congr. Concilii decrevit « nullum episcopum sive ordinarium, inaudito superiore regulari conventus, in quo fuit emissa professio, neque ullum superiorem regularem independenter ab episcopo vel ordinario posse, sub pœna privationis officii, et vocis activæ et passivæ ipso facto incurrenda. Causas nullitatis professionis cognoscere, sed eas conjunctim ab iisdem episcopo vel ordinario loci ac superiore regulari esse decidendas, sive professionis invaliditas a religiosis, sive ab ipsa religione ex quocunque capite proponatur. »

Benedictus XIV in bulla *Si datam* statuit ut sequitur :

2. « Quod reclamatio adversus professionem factam per vim et metum, aut ante debitam ætatem, et fiat intra quinquennium tantum a die professionis coram superiore suo et ordinario (*conjunctim*) juxta decretum concilii Tridentini, et hoc sive agatur de professione regularium, sive monialium. Quod æque procedit in casu actionis intentatæ ex parte religionis.

3. Quod actio serio intentata intra quinquennium licet deserta, adhuc post elapsum dictum quinquennium, judicanda sit ab ordinario et superiore regulari; et superior regularis sit superior localis illius monasterii, in quo reclamans professionem emisit, et quidem actualis, quo tempore causa super nullitate professionis in judicium deducitur, et quoad moniales superior sit ille, cui concreditum est monasterii regimen, non autem confessarius; et pro monialibus ordinario subjectis, solus ipse intra quinquennium de professione reclamantium judicet.

4° « Quod si superior regularis tale judicium assumere nolit aut non possit, vices suas delegare valeat alteri, vel regulari, vel etiam ecclesiastico sæculari juris canonici perito, qui una cum ordinario judicis partes exerceat, vel possit jus suum dedere ordinario loci, ut solus procedat. Et quod disceptantibus inter se judicibus, causa censeatur ad sedem apostolicam devoluta.

5. « Quod ad eamdem sedem apostolicam, seu sacr. congr. Concil. privative spectet causa professionis emissæ extra conventus pro novitiatu assignatos.

6. « Quod nullus regularis adversus suam professionem reclamare possit, nisi intra religionis suæ claustra exsistat, et habitu regulari reassumpto, si ipsum antea deposuerit.

7. Quod sub pœna nullitatis judicium inniti debeat rigorosis probationibus ac processibus judicialibus, et testes examinandi sint, et super articulis a reclamante exhibitis, et juxta interrogatoria danda ab altera parte, nec non citentur defensores monasterii, in quo fuit professio emissa, et omnes interesse habentes.

8. « Quod in singulis diœcesibus deputetur ab ordinario aliquis probitate et doctrina commendatus, sive regularis, sive ecclesiasticus sæcularis, juxta disposita pro defensore matrimonii, cui *defensoris professionum* munus imponat, ac ei pro honorario, aut mercede, et pro expensis ad id necessariis assignet, quod judex prudenter arbitratus fuerit exsolvendum ex bonis a professo renuntiatis in religionis ingressu, si quæ habuerit ; aut in defectu, id suppleat ipsa religio, si sit bona temporalia possidens. Si autem non adsint bona renuntiata, nec ipsa religio bona possideat, tunc defensori professionis satisfiat ex pecuniis mulctarum illius tribunalis, in quo causa agitata fuerit, sive alterius, prout statuit (idem pontifex Benedict. XIV) *De matrimonii defensore* in const. incip. *Dei miseratione*.

9. » Quod lata sententia a superiore regulari et ab ordinario loci, si ipsa invaliditate professionis fuerit, nec professus ad judicium secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem causa retractanda fuerit in omnibus hisce judiciis mandat, defensorem professionis ex officio deputa-

tum semper adesse, et a prima sententia pro nullitate lata semper appellare debere, prout statuit de defensore matrimonii.

10. » Quod sicuti constituit legitimas pœnas adversus eos, qui post unicam sententiam pro prioris matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam aut fraudem defensoris non interposita, ausi fuissent novas nuptias contrahere, atque decrevit nemini licere ad altera vota transire, nisi duæ saltem sententiæ conformes pro nullitate prioris matrimonii emanaverint; ita si quis professus post unicam sententiam pro nullitate suæ professionis pronuntiata, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione a religione exire, ac habitum regularem abjicere præsumpserit, statuit eum subjacere omnibus pœnis atque censuris a sacris canonibus, et a constitutionibus apostolicis latis atque sancitis (*contra apostatas*) decernendo nunquam posse professum a religione discedere, nisi duas saltem sententias conformes pro nullitate suæ professionis obtinuerit.

11. « Quod, sicuti supra dictum est, judices primæ instantiæ super validitate professionum intra quinquennium judicialiter impugnaturum esse debeant superior regularis, simulque ordinarius loci. Si vero eædem causæ in secunda, aut ulteriori instantia sint discutiendæ, devolvatur ad quos de jure ab ordinariorum sententiis appellatur, ita tamen, ut hi quoque judices procedere et judicare debeant una cum superiore regulari, non quidem illius monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius monasterii ejusdem ordinis in eorum civitate aut diœcesi exsistentis, vel eo non exsistente, cum superiore vicinioris monasterii ejusdem pariter ordinis seu cum alia persona ecclesiastica, cui juxta præmissa superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi causæ in secunda aut ulteriori instantia ad Sedem apostolicam devolvantur, et a prædicta congr. Concil., sive ab altera Episc. et Regul., aut denique ab auditoribus Rotæ, ut respective assolet, discutiendæ fuerint, nullus sit locus ad judicandum superiori regulari, qui neque tunc ad ferendam sententiam admittitur, cum, ut supra dictum est, agitur, etiam intra quinquennium de professione emissa in monasterio pro novitiatu minime designato.

12. « Quod præmissa locum habeant etiam in curia eminentissimi cardinalis vicarii pro tempore in urbe ejusque districtu. »

II. *Norma procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ, quando nullitas post quinquennium a die emissæ professionis proponitur.* — Ex eadem bulla *Si datam* : 1. elapso quinquennio post professionem, remanet remedium solum *restitutionis in integrum.*

2. Ejusmodi restitutio in integrum concedi nequit nisi a sede apostolica, sive ex parte professi, sive ex parte religionis hujusmodi instantia proponatur.

3. Directa ad sedem apostolicam petitio restitutionis in integrum, ad aliquam congregationem aut tribunal Rotæ remittitur. Sacra autem congr. *ordinario et superiori regulari* expendendum committit dubium, *an concedenda sit restitutio in integrum.* Quod si pronuntient concedendam videri restitutionem in integrum, tunc ipsis committit sacr. congr. ipsum de nullitate professionis judicium.

4. Ex bulla *Si datam* : Si autem quandoque a Sede apostolica ejus concessio inferioribus judicibus delegetur, ii nonnisi prævio processu et maturo examine, in quibus omnibus, sub pœna nullitatis actuum, procedere debeant cum interventu defensoris professionis : ad quem nimirum pertinebit interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime præstare.

5. Nec una eorum (episcopi et superioris regularis) resolutio favorabilis pro restitutione in integrum sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causæ examine, auditoque semper defensore professionis,confirmata fuerit, et reclamans remanere debeat in religione, donec præviis duabus conformibus resolutionibus pro restitutione in integrum sententia super nullitate professionis ab ipsis, ut supra delegatis superiore regulari, et ordinario loci legitime fuerit lata. Reprobando interim praxim illorum superiorum, qui reclamantibus adversus professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, contradictores se non exhibeant, aut etiam aperte suffragantur.

6. « Quod episcopi justis gravibusque pœnis procedant contra inferentes vim et

metum, et ad id consilium, auxilium vel favorem dantes ; et quod judices ad exactam justitiæ lancem omnia ad id facientia expendant, ac numerum et qualitatem testium, aliasque omnes circumstantias sedulo animadvertant, eis districte præcipiendo, ut in cunctis ad eorum officia pertinentibus, a justitiæ tramite, et a præscriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant ; ac meminerint omnium, quæcunque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud divinum judicem, tum apud homines fore reddendam. »

7. Sacr. congr. Concil. statuit (in decreto supra allato) « religiosos quorum professio contra formam sacri concilii declarata fuit invalida, teneri intra terminum unius anni resumere habitum, et ad claustra redire, tam pro obtinenda a sancta Sede restitutione in integrum, quatenus illa indigeant, quam pro instituendo judicio servatis servandis super nullitate suæ professionis, quatenus hanc velint deducere, eoque termino elapso, si non paruerint, habendos esse tanquam apostatas. »

CAPUT IX.

De specialibus juris dispositionibus quoad monialium novitiatum et professionem, puellasve in ipsarum conventibus educandas.

§ I. — De exploratione voluntatis postulantium se ad habitum vel ad professionem admitti, per ordinarium facienda.

I. *Sancta synodus* (Tridentina) *statuit atque decernit ut, si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem emittat, quam exploraverit episcopus* (*vel eo absente vel impedito, ejus vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus*) *virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat : et si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas juxta monasterii illius et ordinis regulam, necnon monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus professionis tempus ne episcopus ignoret, teneatur præfecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si præfecta certiorem episcopum non fecerit, quandiu episcopo videbitur, ab officio suspensa sit.* (*Trident.*, sess. 25, *De regul.*, c. 17.)

II. Ad terminos hujusce Tridentini decreti duplex facienda videtur exploratio, scilicet ante habitus susceptionem et ante professionem. Attamen, dictæ explorationis omissio non irritat receptionem et professionem. (Communis.)

III. Dicta potestas et obligatio episcopi ingressuras in religionem examinandi, locum habet etiam quoad moniales exemptas. (Ferrar., verb. *Moniales*, art. 1, n. 66.)

IV. *De tempore et modo explorationis voluntatis.* — Sanctus Pius V, const. *Etsi mendicantium*, 16 Maii 1567, sic statuit : *Volumus, etiam quod puellarum Deo dicandarum* (*an scilicet coactæ vel seductæ fuerint*) *examen faciendum, nonnisi infra quindecim dies postquam, juxta concilium Tridentinum, episcopi vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit : quibus elapsis, amplius in hoc illis se intromittere non liceat : cujus occasione, nec episcopus nec ejus vicarius intra septa monasteriorum ingrediantur ; sed sicut ante cratem ferream : et interrogationes alias, quam eas quæ præfatum concilium Tridentinum jubet, eis fieri omnino prohibemus ; ac similiter volumus quod puellæ seu novitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minime teneantur.*

V. Quoad monialium congregationes, quæ vel simplicia vota duntaxat, vel nulla emittunt, non ligatur episcopus Tridentino præcepto præfatam explorationem faciendi, sed potest episcopus, si velit, exigere, ne puellæ ad habitum et vota simplicia admittantur, ante factum a se examen ; et hæc praxis in multis diœcesibus invaluit.

§ II. — De admissione novarum monialium ultra numerum pro unoquoque conventu præfigendum.

I. In unoquoque monasterio præfigendus est monialium numerus, qui ex redditibus vel consuetis eleemosynis commode sustentari valeat. (*Trident.*, sess. 25, *De regul.*, cap. 3, et pluribus pontificiis const. — Ferrar., verb. *Moniales* art. 2, n. 1.)

II. In monasterio ubi numerus non est præfixus, nequit licite quamvis valide fieri ulla, sive ad habitum, sive ad professionem admissio. (Id., *ibid.*, n. 5 et 15.)

III. In monasteriis non exemptis numerus præfigendus est ab episcopo; in exemptis autem et regularium prælatorum jurisdictioni subjectis, præfigendus est ab episcopo, una cum dictis prælatis regularibus. (Const. Gregor. XIII, *Deo sacris*.)

IV. Quod numerus debeat esse saltem duodecim affirmat Ferraris, *ibid.*, n. 6. De quo tamen moveri potest dubium.

V. In præfixione numeri, distincte enun-

tiari debet numerus velatarum seu choristarum, numerus conversarum et numerus exterarum personarum, servitio monasterii, atque cum ipsius impensis, addicendarum. (FERRAR., verb. *Moniales*, art. 2, n. 8.)

VI. Semel præfixus numerus augeri nequit, etiamsi redditus notabiliter aucti fuerint, nisi ex auctoritate sacr. congr. Episc. et Regul. (ID., *ibid.*, n. 14.)

VII. Possunt et solent, ex indulto dictæ sacr. congr. recipi aliquot moniales supra præfixum numerum; cum tamen hac lege, ut prima et secunda quæ recipiuntur, solvant dotem duplicem; tertia vero triplicem, si numerus sit minor 90, secus duplicem tantum. (ID., *ibid.*, n. 15, 33 et 46.)

VIII. Moniales supranumerariæ non subrogantur in locum monialium decedentium intra numerum, sed semper remanent supranumerariæ. In cæteris tamen ab aliis non differunt, sed illis per omnia sunt æquales, ut decreto generali declaravit sacr. congr. (ID., *ibid.*, n. 16.)

IX. Loca monialium intra numerum decedentium non possunt concedi aut promitti cuiquam puellæ, ante vacationem, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ. (ID., *ibid.*, n. 17.)

X. Prædictæ juris dispositiones non attingunt congregationes illas in quibus solemnia vota non emittuntur, et consequenter non attingunt Galliarum moniales quarum vota habentur tantum ut simplicia a sancta Sede.

§ III. — De dote monialis exigenda.

I. « Nomine dotis, quæ pro moniali professura solvi consuevit monasterio, in quo fit professio, intelligitur certa summa pecuniæ, taxata a legitimo superiore, quæ dari solet monasterio, in sustentationem monialis in eo profitentis : unde jura decreverunt patrem teneri constituere congruam dotem non solum filiæ nubenti, sed etiam monasterium ingredienti; sicut communiter notant canonistæ. » (PELLIZARIUS, *De monialibus*, p. 34.)

II. Monasteria etiam valde opulenta licite possunt dotem recipere, attamen moniales valde opulentæ possunt postulantem absque dote recipere. (Vide probatum apud D. BOUIX, *De jur. regul.*, t. I, p. 662 et seqq.)

III. Ad superiores ipsarum monialium de quarum consensu pertinet dotis taxatio; et in præsentia id spectat ad sacr. congr. Episc. et Regul. PELLIZARIUS, *De monialibus*, p. 34 et 35.)

IV. Dotes debent solvi ære, non autem pro eis assignari possunt bona immobilia aut census; sed antequam puellæ habitum suscipiant, pœnes mercatorem, aut virum fide et facultatibus idoneum, actualiter sunt deponendæ, qui ad omne monialium mandatum absque aliqua exceptione soluturum se obliget. Non potest dos, ante secutam professionem, ipsi monasterio consignari, etiam titulo depositi. Decedente novitia, dos hæredibus restitui debet. Secuta professione, depositarius debet pecuniam monasterio tradere. Dotes supranumerariarum investiri debent (*doivent être capitalisées*). Aliarum vero dotes expendi possunt, cum licentia superioris, in usus communes monasterii. (FERRAR., verb. *Moniales*, art. 2, a n. 19 ad 38.) — In his omnibus tamen attendenda est legitima locorum consuetudo.

V. Quoad monialium congregationes, quæ vota solemnia non habent, dicendum est: 1. Ipsis applicanda videntur, quæ de monasteriis opulentis dicta sunt. — 2. Dotis taxatio ad episcopum spectat, utpote harum monialium superiorem. — 3. Cætera, quæ jure positivo circa dotes monialium disposita sunt, haud videntur ad dictas congregationes extendenda.

VI. In congregationibus quæ vota simplicia emittunt, dotes monialibus egredientibus, post obtentam a votis suis simplicibus dispensationem, reddendæ sunt, ex decreto sacr. congr. Concil., in causa *civitatis Castellanæ*, 3 Martii 1792; *Thesaurus resol.* tom. LXI, p. 27 et seq.)

Sed contra : « Ex jure irrevocabiliter transfertur per solemnem professionem dominium dotis in monasterium, ideoque egrediens a religione, vel ad aliam transiens, nequit illam (dotem) repetere, neque alimenta consequi valet. » (*Ibid.*)

Attamen in congregationibus votorum simplicium, « æquum videretur, ut conventus de illis restituendis dotibus retinere posset aliquam partem; pro rata nempe expensarum quæ factæ sunt ad sustentandas egredientes moniales dum in conventu commoratæ sunt. » (Ita D. BOUIX, *De jur. regul.* t. I, p. 666.)

§ IV. — De diversis monialium novitiatum et professionem respicientibus.

I. Hodie, absque indulto apostolico, nequit puella vestiri antequam ætatem annorum 15 expleverit.

II. Moniales licite et absque gravi peccato nequeunt novitiam rejicere sine justa causa.

III. Nequit tamen ordinarius moniales cogere, ut causam exprimant cur novitiam rejiciunt. « Sed si secreto interrogatæ ideoneam repulsionis causam non afferant, et in sua contumacia perseverent, ordinarius debet facere certiorem sacram congregationem, ut de opportuno remedio confestim provideri possit. » (S. congr. Episc. et Regul. in *Pampilonensi*, 5 Novembr. 1605.)

IV. « Quamvis professio monialium in manu ordinarii principaliter, non autem abbatissæ fieri debeat; tamen si fiat in manu superiorissæ, de consensu majoris partis capituli, est valida : cum superiorissa de per se sola, cum dicto consensu majoris partis monialium, illam possit recipere, nisi obstent peculiares constitutiones religionis. De jure enim monialium receptio non spectat ad ordinarium, sed ad abbatissam et monasterium. »

V. Puellæ ad habitum receptæ imponi debet nomen sanctæ, non gentilis feminæ, ut vocetur titulo sororis, et non domnæ.

VI. Tenentur moniales habere locum separatum pro novitiis; novitiatus apud eas fieri nequit in habitu sæculari, et incipit tantum a die susceptionis habitus. (Hucusque Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, passim.)

§ V. — De puellis intra clausuram monialium educandis, necnon de feminis sæcularibus sub clausura degentibus.

I. Puellæ educationis gratia recipi possunt in monasteriis monialium, ut pluries decrevit sacr. congr. Episc. et Regul., quin clausura violetur, modo adsint requisitæ conditiones, quæ sunt sequentes :

Prima, ut monasterium ejusmodi puellas educandas recipere consueverit.

Secunda, ut intra monasterium locus iisdem puellis destinatus, diversus sit et separatus ab eisdem ædium partibus, quas occupant moniales.

Tertia, ut habeatur expressa licentia sacr. congr. Episc. et Regul. : quam licentiam nequit ordinarius concedere. Imo si recipitur puella in conventu dicta licentia sacr. congr. non munito, violatæ clausuræ pœna incurritur : ipseque superior aut episcopus qui receptionem puellæ permitteret, excommunicatione innodatus remaneret. Nec valet consuetudo in contrarium.

Quarta, ut puellæ recipiantur de consensu superioris et monialium per secreta suffragia.

Quinta, ut non sint supra numerum monasterio præfixum.

Sexta, ut puella recipiatur sine ancilla.

Septima, ut ejusmodi puellæ modesto, non mundano habitu, induantur.

Octava, ut puella septimum ætatis annum expleverit, et 25 non compleverit. Si qua remaneat post expletum 25 annum, præfigendus ipsi est ab ordinario terminus, intra quem, vel egrediatur, vel regularem habitum suscipiat.

II. Puellæ, semel admissæ, e monasterio egredi nequeunt, sed ad clausuram instar monialium tenentur. Hinc semel egressæ nequeunt iterum recipi absque expressa S. congregationis licentia, nisi tamen redirent ad suscipiendum habitum. Puella tamen quæ absque licentia e monasterio discederet, excommunicationem non incurreret. — Omnia supra dicta vide firmata variis declarationibus sacr. congr. Episc. et Regul. apud Ferrar., verb. *Moniales*, art. 1, a n. 2 ad 30.

III. Congregationes monialium, ad educandas puellas institutæ et a sede apostolica approbatæ, vi hujus approbationis ejusmodi puellas recipere possunt absque ulla licentia, ut per se patet.

IV. Ex variis Romanarum congr. responsis, quæ declararunt hodiernas Galliæ moniales veras religiosas non esse, sequitur præfatam clausuræ legem et præmissas conditiones pro educandarum puellarum receptione a nullis Galliæ monialibus observari debere, donec aliter a sede apostolica declaratum fuerit.

V. Puellæ educandæ in conventu, quæ volunt matrimonium contrahere, desponsari debent extra clausuram, nec in eam post desponsationem redire possunt, absque sedis apostolicæ licentia. Superiorissa quæ permittit sponsalium instrumentum cum educanda fieri ad crates, deponitur ab officio, voceque activa et passiva privatur. — Ejusmodi puellis nubere volentibus liber exitus permitti debet. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 30 et seq.)

VI. Puellæ in monasterio degentes possunt et debent a confessario monialium sacramenta recipere, et etiam communionem paschalem, viaticum et extremam unctionem. Sed dictæ puellæ parocho remanent subjectæ quoad matrimonium et sepulturam. (*Vide* Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 61, 125, 126.)

VII. Parentes et tutores cogere possunt puellas ad ingrediendum monasterium, ut convenienter educentur, relicta ipsis omnimodo nubendi libertate. (Id. *ibid.* n. 53, et seq.)

Qui vero cogunt puellas sive ad habitum suscipiendum, sive ad professionem emittendam, sive etiam ad simpliciter ingrediendum monasterium, in casibus in quibus ad id cogi licite nequeunt, excommunicationem incurrunt, ex cap. 18, sess. 25 Trident. Simili quoque anathemati (sancta synodus) subjicit eos, qui sanctam virginum vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint. » (*Ibid.*)

VIII. De licentia superiorum recipi possunt famulæ sæculares, ad obeunda communia monasterii servitia ; sed non conceditur ut vel monialis aliqua vel puella educanda, peculiarem sibi ancillam habeat.

IX. Cæteræ feminæ, sive viduæ sint, sive nuptæ, sive innuptæ, nequeunt clausuram habitare, etiam de licentia ordinarii, sed requiritur ad id licentia apostolica. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 46 et seq.) Ad hanc regulam non astringuntur moniales Galliæ et aliæ, quæ tantum simplicia vota emittunt, quia clausuram papalem observare non tenentur.

X. Feminæ sæculares, quæ intra clausuram ex legitima facultate degunt, paris conditionis censendæ sunt ac puellæ educandæ, quoad obligationem servandæ clausuræ, nec non quoad communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem, matrimonium et sepulturam. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 46 et seq. 63, etc.)

Sectio II. — De jure regularium ad extra.

CAPUT X.

De jure regularium quoad beneficia ecclesiastica et dignitates.

§ I. — De regularium habilitate ad officia clericalia.

Cum religiosi ordines sint quasi custodes noctis erga Ecclesiam, quasique arces projectæ circa sanctam sedem, toties ab hostium Ecclesiæ errore religiosæ congregationes a clericorum gradibus et muniis sua institutione alienæ declaratæ sunt, quoties aut in regularium familias invidia recrudescit, aut nova ad demoliendam sedis apostolicæ auctoritatem machinatio substernitur.

I. Jam vero ab anno 385 istiusmodi errorem tollebat Siricius papa, in celebri sua ad Himerium Tarraconensem epistola, his verbis: *Monachos quoque, quos tamen morum gravitas et vitæ ac fidei institutio commendat, clericorum officiis aggregari et optamus et volumus; ita ut qui intra tricesimum ætatis annum sunt, in minoribus per gradus singulos crescente tempore promoveantur ordinibus; et sic ad diaconatus vel presbyterii insignia maturæ ætatis consecratione perveniant, nec statim saltu ad episcopatus culmen ascendant, nisi in his eadem, quæ singulis dignitatibus superius præfiximus, tempora fuerint custodita.*

II. Idem eruitur ex pluribus sanctissimorum pontificum decretis et etiam ex conciliis. At toties damnatum errorem iterum excitarunt Jansenistæ. Eorum vero audaciam in synodo Pistoriensi prolatam perfregit Pius VI in sua celebri constit. *Auctorem fidei*, ubi octogesima ex damnatis propositio sic occurrit: *Regula prima quæ statuit universe et indiscriminatim statum regularem aut monasticum natura sua componi non posse cum animarum cura, cumque vitæ pastoralis muneribus, nec adeo in partem venire posse ecclesiasticæ hierarchiæ, quin ex adverso pugnet cum ipsiusmet vitæ monasticæ principiis. — Falsa; perniciosa; in sanctissimos ecclesiæ patres et præsules, qui regularis vitæ instituta cum clericalis ordinis muneribus consociarunt, injuriosa; pio, vetusto, probato Ecclesiæ mori, summorumque pontificum sanctionibus contraria : quasi monachi, quos morum gravitas et vitæ ac fidei insti-*

tutio sancta commendat, non rite, nec modo sine religionis offensione, sed et cum multa utilitate Ecclesiæ clericorum officiis aggregentur. (Ex sancto Siricio, Epistola decretoria ad Himerium Tarraconensem, c. 13.)

« Ergo ex antiquitatis documentis, ex Patrum traditione, ex perenni Ecclesiæ praxi, nec non expressis ipsius decretis omnino certa est atque admittenda regularium ad clericalia munia habilitas. » (Ita D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 8.)

§ II. — De jure regularium quoad beneficia regularia curata.

I. Communis divisio beneficiorum est, quod alia sint sæcularia, alia regularia. *Sæcularia* dicuntur illa quæ, vel ab initio pro clericis sæcularibus fundata sunt, vel in quibus ex succedente præscriptione 40 annorum, vel legitima fundationis (ex auctoritate sedis apostolicæ) commutatione sæcularibus clericis jus quæsitum est. *Regularia* vero beneficia sunt, quæ similiter, vel ex prima fundatione, vel succedente præscriptione, fundationis commutatione, ant unione seu incorporatione, regularibus conferuntur. » Engel. in tit. *De cappellis monachor.*, n. 1. Idem colligitur ex cap. *Cum de beneficio* 5, *De præbendis* in 6, ibi : ***Cum de beneficio ecclesiastico consueto clericis sæcularibus assignari, provideri mandatur, de illo debet intelligi, quod tanto tempore ab uno vel pluribus sæcularibus clericis, institutis in eo rectoribus, exstitit continue ac pacifice gubernatum, ut præscriptio legitima sit completa, etiamsi ante vel post religiosi quandoque ministraverint in eodem.*** Et vice versa quoad beneficium regulare.

II. Potest ecclesia parochialis uniri monasterio tripliciter : 1° Quoad temporalia tantum, seu accessorie, quando decimæ aliique redditus parochiæ sunt assignati monasterio, sed jus instituendi rectorem beneficii pertinet ad episcopum, solo jure præsentandi monasterio relicto... — 2° ***Pleno jure*** seu ***subjective*** dicuntur unitæ seu incorporatæ parochiæ, quando, præter jus percipiendi temporales redditus, etiam administratio spiritualium, scilicet cura animarum, in monasterium translatum est : atque in tali parochia rector principalis censetur esse abbas monasterii. — 3° ***Plenissimo jure***, ita ut in populum ecclesiæ unitæ jurisdictionem quasi episcopalem exerceat monasterium, et tunc ecclesia dicitur quandoque esse ***nullius diœcesis***. Engel. in tit. *De cappellis monach.* n. 10; Schmalzgr. in lib. III *Decretal.* part. IV, tit. XXXVII, n. 5.)

III. His prænotatis, « si ***primo modo*** unita sit ecclesia, seu cappella, præficiendus ei est clericus, sive sacerdos sæcularis, fere ad præsentationem monasterii, cui ecclesia talis unita est; quia in tali casu monasterium nihil jurisdictionis, vel juris spiritualis acquirit in populum unitæ ecclesiæ, et in eo casu, clericus in tali ecclesia constitutus subjectionem quoad temporalia debitam exhibebit abbati, quoad curam vero populi et animarum, rationem reddet episcopo, cui quoad hanc et personam suam subjacebit ex integro. » (Schmalzgr. *ibid.* n. 5 et 14.

IV. « Si *secundo modo*, non prohibetur prælatus monasterii, qui tunc est Ecclesiæ unitæ rector principalis, in eadem constituere vicarium regularem temporalem, nisi ibidem episcopus constituat perpetuum sæcularem ; nam hoc ex decreto Trident. sess. 7, c. 7, *De reform.* potest, nisi talis ecclesia illa sit, ut per vicarios regulares hactenus administrari consueverit, prout excipit sanctus Pius V., const. *Ad exsequendum*, edita Kalend. Novembr. 1557. Sed distinguendum est inter temporalem et perpetuum vicarium; nam si vicarius sit perpetuus, præsentatio quidem illius ad monasterium spectat; examinatio autem personæ, approbatio, institutio, correctio, et visitatio, consequenter etiam destitutio, sive depositio ad episcopum loci pertinet, quia talis parochia quoad curam animarum, seu plebis, manet sæcularis et subjecta episcopo. — Si vero vicarius sit temporaneus, vel est sæcularis, vel regularis. Si *sæcularis*, tota jurisdictio in talem clericum, ut dictum est de perpetuo, in spiritualibus episcopo competit ob rationem allatam, cum hoc tamen discrimine, quod institutio et destitutio illius, quia titulum nullum confert, eo casu fieri a prælato debeat.» (Id. *ibid.* n. 5, 10 et 11.) Et ex declarationibus sacræ congr. Concilii, apud Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 30 et 31, nominatio hujusmodi vicarii ad episcopum pertinet. « ***Si vero sit vicarius regularis***, jus visitandi, corrigendi, puniendi, cumulative cum episcopo habet abbas talis vicarii regularis. ***Proceditque hoc***, etsi monasterium, a quo talis vicarius est expositus, sit exemptum ab episcopo; nihilominus enim hujusmodi vicarius respective, videlicet in iis rebus,

quæ ad curam parochialem spectant, subest episcopo : cons. ab isto visitari, corrigi, et puniri potest, si in officio suo deliquerit. Ex bulla Leonis X in concil. Lateran. edita, et concil. Trident. sess. 25, *De regul.* cap. 11, juncta declarat. congr. Concil. et ex bulla Gregorii XV *Immutabili ante medium* edita 1622. Triplex tamen est facienda exceptio, in qua episcopus ecclesiam parochialem sic unitam monasterio visitare non potest, licet populus ipsi subjectus maneat. Et 1° quidem excipitur monasterium Cluniacense cum suis limitibus, quam exceptionem facit ipsum Trident. loc. cit. — 2° Parochia, quæ sita est in loco ubi abbates generales, aut capita ordinum sedem ordinariam principalem habent. (*Trident.* loc. cit.) — 3° Ecclesiæ et domus conventuales, prioratus, seu residentia ordinis exempti, si collegialiter sub priore ibi habitent religiosi. » (Id. *Ibid.* n. 11, 12 et 13.)

V. Si *tertio modo* et plenissimo jure sit unita (ecclesia), cum per hujusmodi unionem prælatus monasterii in ecclesiam sic unitam et populum illius acquirat omnimodam jurisdictionem, se in administrationem ejus immiscere amplius nequibit episcopus, sed ipse prælatus in illa ponet vicarium sæcularem vel regularem juxta tenorem fundationis vel receptam consuetudinem. Tunc episcopus diœcesanus nihil juris habet in tali loco, sed tota jurisdictio ad abbatem seu prælatum pertinet, quippe qui ibi loco episcopi seu ordinarii est, et omnem jurisdictionem quasi episcopalem exercet. » (Schmalzgr. *ibid.* n. 5 et 9.)

VI. « Quæritur an religiosus capellæ, sive ecclesiæ parochiali, extra monasterium positæ præficiendus exponi solus, et sine ordinis socio possit? quæ difficultas pendet ex intellectu textus cap. *Monachi* 2, *De statu monach.*, ubi decernitur, ne singuli monachi per villas et oppida quibuscunque parochialibus præficiantur ecclesiis, et c. *Quod Dei timorem* 5, eod. ubi inter monachos et canonicos regulares id discriminis constitui videtur, ut illi socium necessario habere debeant, isti autem solum cum commodo habere potuerint. Et ex constit. sancti Pii V edita 15 Novembr. 1567, ubi requirit, ut cum vicario regulari ad nutum amovibili alii saltem quatuor monachi habitent. Verum hæc jura postea immutata fuere, dum a Gregorio XIII decretum, et a sacr. congr. declaratum est unum sufficere. » (Id. *ibid.* n. 6 et 8.)

VII. Religiosus in parochiali unita ad curam deputatus, tenetur prælato suo obedire et regulam servare, in iis quæ non spectant ad curam ; in iis vero quæ ad curam spectant obedire debet episcopo. Si tamen institutus sit vicarius perpetuus, durante eo statu manet liber ab obedientia prælati, et consequenter etiam a jugo regulæ eodem modo ac regularis translatus ad episcopatum. (Suarez, *De religione*, tom. iv, c. 19, n. 22.)

Quando religiosus ad curam deputatus, remanet ad nutum superiorum suorum regularium revocabilis, potest revocari sine causa. Si tamen superior ipsum revocaret ex malitia, et ita ut sequeretur infamia (eo quod, verbi gratia, esset consuetudo non revocandi ante aliquod determinatum tempus), posset religiosus recurrere ad majorem superiorem; atque is deberet revocationem impedire. (Suarez, *ibid.* n. 21.)

§ III. — De jure regularium quoad beneficia sæcularia curata.

I. Certum est religiosos esse capaces beneficii curati sæcularis ; et de jure positivo antiquo potuerunt regulares parochiis etiam perpetuis præfici. (Vide probatum apud D. Bouix, *De jure regul.* t. II, pag. 39 ad 46.)

II. « Omnino certum est de jure communi hodierno, haud posse parochias sæculares regularibus conferri, absque dispensatione pontificia. Id certum evasit plurimis sacr. congr. Concil. declarationibus SS. pontificum auctoritate firmatis, et præsertim Gregorii XIII, anno 1581. Proceditque hoc etiam quoad canonicos regulares, ex constit. Benedicti XIV : *Quod inscrutabili*, 9 Julii 1745, ubi definitur : *Eosdem canonicos regulares, absque indulto apostolico, cujuscunque beneficii ecclesiastici sæcularis, sive cum adnexo animarum curæ aut residentiæ onere, sive etiam beneficii simplicis et sine cura... vere incapaces esse et censeri debere.* » Et sic tandem longa, quoad dictos canonicos regulares, controversia finita est. Et a fortiori finita etiam est quoad alios religiosos.

III. Quod autem canonici regulares Præmonstratenses, absque pontificio indulto, parochias sæculares regere valeant, ob sua antiqua, et a Benedicto XIV confirmata privilegia, constat ex præfati pontificis consti-

tutione *Onerosa*, 1 September 1750; cujus constitutionis dispositionem sufficienter exprimit præfixa ipsi hæc rubrica: *Præmonstratensibus conceditur ex integro privilegium assequendi et retinendi quascunque parochiales ecclesias, et vicarias, tam sæculares, quam regulares absque dispensatione apostolica.* Unde vi dicti privilegii, possunt, absque indulto apostolico, Præmonstratenses parochiales sæculares obtinere per omnes eosdem modos ac clerici sæculares etiam per viam concursus. Sed, quocunque modo religiosus Præmonstratensis parochus seu vicarius curatus constituatur, remanet ad nutum abbatis sui amovibilis. (S. congr. Concil. 13 Jul. 1669.) In iis vero quæ curam spectant, ordinariæ episcopi jurisdictionis omnino subest.

IV. « Religiosæ congregationes virorum votis solemnibus carentes, non videntur comprehendi sub dicto jure communi hodierno, quo prohibetur ne regularibus, absque indulto pontificio, sæculares parochiæ conferantur..... Proinde religiosi simplicia duntaxat vota ex instituto emittentes, ad regendas sæculares parochias habiles, absque indulto pontificio censendi sunt; modo tamen id eis propria quam profitentur regula non interdicat. Hinc bene possunt hodie in Gallia episcopi ejusmodi congregationum idoneis viris sæculares parochias, citra pontificiam dispensationem, conferre, modo assentiat eorum superior, cui obedientiam voverunt. » (Ita D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 51.)

V. « Quando alicui religioso confertur beneficium sæculare, 1° religiosus ille acquirit Ecclesiæ, non monasterio; 2° de jure communi, seu nisi aliter statuat proprium institutum a sede apostolica approbatum (ut revera statuitur Præmonstratensibus ab ipsorum regula), liber fit ab obligatione obediendi prælatis religionis suæ; itemque ab obligatione observandi regulam ordinis sui, quamvis ex consilio eam observare debeat; nec potest a superioribus religionis ad monasterium revocari. (Quod vide probatum apud D. Bouix. *ibid.* p. 50 et 51.)

§ IV. — Ecclesiæ parochiales, nisi sanctæ sedis auctoritate, monasteriis uniri non possunt.

A tempore Tridentini concilii ecclesiæ parochiales monasteriis uniri nequeunt, sess. 24, *De reform.* c. 13, ibi: *Ecclesiæ parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis ecclesiæ cathedralis vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve, non uniantur.*

At vero, interveniente auctoritate apostolica possunt dictæ uniones fieri.

§ V. — De jure regularium quoad beneficia simplicia, dignitates, variaque alia officia episcopatui inferiora.

I. Regulares absque indulto pontificio obtinere nequeunt beneficium simplex, verbi gratia, canonicatum in cathedrali vel collegiata ecclesia. (Extra controversiam est.)

II. Regulares eligi possunt in examinatores synodales. (*Trident.* sess. 24, c. 18.)

III. Possunt esse delegati papæ.

IV. Possunt esse *conservatores*, sub conditionibus requisitis in capite ultimo *De officio delegati*, in 6, et in constit. Gregorii XV, *De conservatoribus*.

V. Possunt esse vicarii generales episcopi, et etiam capitulares, sede vacante, cum tamen superioris licentia et hodie cum facultate pontificia. Hoc tamen munus suscipere nequeunt religiosi mendicantes.

VI. Religiosus potest constitui coadjutor parochi, iisdem conditionibus et modis ac parochus.

VII. Regulares possunt constitui in notarios intra ordinem, etiam pro causis religiosorum. (Vide apud D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 55 et seq.)

§ VI. — De regularium habilitate ad gradus academicos.

I. Certum est regulares posse promoveri ad gradum doctoratus in publicis academiis.

II. Regulares possunt promoveri ad doctoratum etiam extra publicas universitates, id est, auctoritate prælatorum religionis, ex privilegio apostolico.

III. Possunt esse professores in publicis universitatibus, nisi obstet proprium ipsorum institutum.

IV. Possunt esse de collegio doctorum, ita nempe ut valeant ejusdem collegii deliberationibus interesse, suffragium ferre circa admittendos ad doctoratum aliosve gradus academicos, et emolumenta hisce muniis affixa recipere, supposita tamen licentia superioris regularis. (Hæc omnia confirmat praxis Ecclesiæ.)

§ VII. — **An et quatenus valeant regulares ad episcopatum et cardinalatum, et summum pontificatum assumi.**

I. Extra omnem controversiam est religiosum posse ad episcopatum evehi; ex plurimis juris textibus, ut Clement. 1, *De electione*, etc.

II. Requiritur tamen superioris regularis licentia, ut valeat religiosus ad episcopatum assumi, (C. *Si religiosus* 27, *De elect.* in 6; Ubi disponitur quod licentiam hanc dare valeat superior absque consensu capituli sui.)

III. Certum est religiosum, cum fit episcopus, non amittere substantialem statum religiosi. Ideoque in constit. *Custodes*, Benedicti XIII, 7 Martii 1725, sic statuitur: *Iisdem regularibus tam ad episcopatum, quam ad cardinalatum evectis, præcipitur, in virtute sanctæ obedientiæ, ut singulis suæ regulæ officiis et obligationibus, quæ pontificale... aut cardinalatus officium minime impediant, perpetuo subsint.* Et cap. *Clerici* 15, *De vita et honest. cleric.* statuitur debere episcopum, si sit monachus, *ferre habitum monachalem.* Retento tamen colore habitus suæ religionis, potest se conformare cum episcopis sæcularibus in forma seu figura... Et sic modo servatur in praxi. (Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 7, n. 5.)

IV. Certum est ipsum nullius rei dominium sibi acquirere posse, cum, ex dictis, maneat votum solemne paupertatis, vi cujus incapax est cujuscunque dominii. Non tamen acquirit monasterio, sed propriæ mensæ, seu Ecclesiæ, *quoad proprietatem;* ad proprium tamen commodum *quoad usumfructum.* Ita declaratum a sacr. congr. Concil., et admissum communiter a doctoribus. (*Vide* apud Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 7, n. 11.) — Post promotionem ad episcopatum religiosus recuperat jus successionis ad hæreditatem sibi delatam, quamvis huic juri renuntiaverit, sive in favorem monasterii (quod fieri censetur per professionem in religione capaci possidendi in communi), sive in favorem alicujus consanguinei vel exteri (prout fit ante professionem in religionibus incapacibus possidendi in communi) : non tamen locum habet hæc recuperatio, si hæreditas alicui tertio jam acquisita fuerit ante promotionem ad episcopatum. Ita doctores communiter; et fuit decisum a sacr. congr. Concil. *in Neapolitana*, 3 Decemb. 1639.

V. Episcopus regularis, non magis quam sæcularis, potest renuntiare episcopatui absque licentia papæ; constat ex cap. *Ad supplicationem*, *De renuntiatione*. Sed in sua constit. *Custodes* Benedictus XIII sic statuit: *Dimisso episcopatu, seu quacunque alia dignitate ad quam evecti fuerint, vel perfuncto munere sibi extra claustra commisso, ad eadem claustra redire teneantur, sub pœna privationis usus pontificalium; et si manserint in contumacia non redeundi ad claustra, post annum sint eo ipso suspensi a divinis.* Episcopus regularis, si ad suam religionem redierit, dignitates et officia illius obtinere prohibetur. Ferrar. verb. *Episcopus*, art. 7, n. 19.)

VI. Omnia quæ diximus de episcopis eodem modo locum habent in cardinalibus religiosis. (Suarez, *De religione*, t. IV, tract. VIII, lib. III, c. 18, n. 4.)

VII. Quod valeat regularis ad summum pontificatum assumi, omnino extra controversiam est, et testatur prælerea frequentissima praxis.

CAPUT XI.

De privilegiis regularium.

§ I. — De privilegiis in genere.

I. Privilegium proprie sumptum est supremi principis constitutio specialem favorem concedens. Unde privilegium dici solet, *lex privata contra vel præter jus aliquid concedens.* » (Sic in re communis.) — Ferrar., verb. *Privilegium*, art. 1, n. 1.

II. « Privilegium dividitur : 1° In privilegium contra jus, et privilegium ultra vel præter jus. » (Id. *ibid.* n. 3.) Privilegium contra jus stricte interpretandum plerumque est : at privilegio præter jus, utpote meræ gratiæ, lata interpretatio convenit.

2° Privilegium aliud est clausum in corpore juris : aliud est extra corpus juris, seu datum per speciale rescriptum principis. Quando privilegium est clausum in corpore juris, non tenetur privilegiatus suum privilegium probare, quia non debet judex illud ignorare. Unde si ordinarius aliquid jubeat contra ejusmodi privilegia, in corpore juris expressa, non tenetur privilegiatus obtemperare. E contra si privilegium non reperiatur in corpore juris, et ordinarius contra illud aliquid præcipiat, tenetur priviligiatus

instrumentum privilegii sui ostendere; et alioquin potest ordinarius eum cogere ad obediendum ordinationibus suis.

3° Privilegium aliud est reale, quod alligatur rei, loco, muneri, dignitati, et transit ad successores; aliud personale, quod confertur alicui personæ singulari, et non transit ad successores; aliud mistum, quod rei simul et personæ conceditur.

4° Privilegium aliud est *communitatis*, quod per se loquendo perseverat, cuique renuntiare nequit privatum membrum communitatis; aliud *privatorum*, cui potest privatus renuntiare.

5° Privilegium aliud est *per se*, aliud *ad instar*, quod alicui conceditur eo modo quo jam alteri concessum est.

6° Privilegium aliud conceditur *motu proprio*, aliud *ad preces*. Quando conceditur *ad preces*, impugnari potest ejus valor ex eo quod falsa fuerint exposita, vel omissa quæ exprimi debuissent; seu ex eo quod sit obreptitium, vel subreptitium.

III. Ad valorem privilegii, generaliter sufficit illud concedi viva voce. Sed quandoque requiritur scriptura ad probandum privilegium. Ex regula 27 cancellariæ, *gratiæ* quæ ab apostolica sede conceduntur, effectum suum in foro externo sortiri nequeunt, antequam litteræ desuper confectæ fuerint. An autem in foro conscientiæ iis gratiis uti liceat ante litterarum expeditionem, disputant doctores. Sed certum est quoad nonnullas materias requiri scripturam ut valeat privilegium, nempe: 1° Facultas ingrediendi clausuram monialium nulla est, nisi in scriptis obtenta fuerit.. — 2° Item nulla est beneficiorum collatio, confirmatio et unio ante litterarum expeditionem. — 3° Similiter nulla est facultas non residendi in beneficio curato, nisi scripta sit. (Reiffestuel, tit. xxxiii, lib. v *Decretal.*, n. 28 et seq.

IV. Triplici modo acquiritur privilegium; concessione principis, consuetudine legitima et communicatione. (Communis.)

V. Si privilegium concedatur motu proprio absque præviis precibus privilegiati, non sortietur effectum antequam privilegiatus de eo certior factus fuerit; quia nempe necessaria videtur acceptatio privilegiati. Si vero concessio fiat *ad preces* privilegiati, effectum habebit privilegium statim ac concessum fuerit; quia jam tunc adest dicta acceptatio.

VI. *De communicatione privilegiorum.* — Communicari dicuntur privilegia, quando uni ordini religioso concessa, fiunt aliis communia; seu quando concessio privilegiorum uni facta, ad alias extenditur.

« Ordines mendicantes omnes (et societas Jesu) habent inter se absolutam, perfectam et plenissimam communicationem privilegiorum, prout omnes doctores hac de re scribentes unanimiter docent, atque ex variis constitutionibus pontificiis, præsertim Julii II, Leonis X et Pii V manifeste patet. » (Reiffenstuel, *ibid.* n. 64.)

« Hæc communicatio privilegiorum currit de prælatis ad prælatos, de fratribus privatis (id est sine prælatura) ad fratres privatos, de conventibus ad conventus, de festivitatibus ad festivitates.» (Id. *ibid.* n. 53.) Hinc si concedatur privilegium unius ordinis prælatis, privilegium illud erit simul acquisitum aliorum ordinum prælatis, etc.

Privilegia personalia alicui religioso, et etiam particularia alicui ecclesiæ ob rationem specialem concessa, non communicantur

Quando privilegium alicui ordini concessum, postea quoad illum eumdem ordinem revocatur, revocatio hæc non afficit alios religiosos ordines, qui per communicationem illud privilegium acquisivere. (Id. *ib.* n.69.)

VII. « Confirmatio seu innovatio privilegiorum aliud non est quam corroboratio privilegii legitime jam habiti. » (Id., *ibid.*, n. 73.) Confirmatio est duplex: una videlicet in forma *communi* seu ordinaria, quæ privilegium roborat quale et quatenus hic et nunc exsistit; unde non revalidat privilegium ab initio invalidum, nec desuetum reviviscit.—Alia confirmatio *in forma speciali* seu *ex certa scientia* non solum roborat privilegium hic et nunc validum, sed illud validum reddit, etiamsi valere desierit. Æquivalet proinde novæ concessioni, et supplet omnes defectus qui suppleri possunt. (Barbosa, *De clausulis frequentibus*, clausula *Ex certa scientia.* — Ferraris, verb. *Privilegium*, art. 2, n. 6 et 35.)

VIII. « Duplex est privilegiorum interpretatio; alia *extensiva*, per quam legis alicujus decisio transfertur seu extenditur ad alium casum, vel personas, tum ultra verba legis, quam ultra, sed non contra

mentem legislatoris. (Arg. c. *Cum dilecta* 4 *De confirmation. utili vel inutili.*) — Alia interpretatio *comprehensiva* est illa quæ fit ultra verba legis, sed non ultra mentem legislatoris.

« Interpretatio, alia est *auctoritativa*, seu *authentica*, vel *definitiva*, ac *judicialis*, quæ fit a solo principe privilegium concedente, seu ejus successore, et ipsi standum est, tam in, quam extra judicium. Alia est *doctrinalis*, seu *magisterialis*, quæ potest fieri etiam a doctoribus, seu magistris, aliisque viris doctis, et in jure versatis. Sed probabilitatem duntaxat affert, non necessitatem. Ubi verba sunt clara, nulla admittitur interpretatio. Privilegia quæ non sunt contra jus commune, sed solum præter vel ultra jus nec cedunt in præjudicium alterius, cum sint meræ gratiæ, sunt late interpretanda.

« Privilegia autem quæ sunt contra jus commune, et quæ cedunt in præjudicium alterius, sunt stricte interpretanda. » (Ferrar. verb. *Privilegium*, art. 2, n. 20 et seq.)

IX. Omne privilegium potest a concedente vel ab ejus successoribus revocari; excepto casu quo fuisset concessum tanquam remuneratio, aut haberet vim pacti. Reiffenstuel, in tit., xxxiii lib. v *Decretal.* n. 120 et seq. — Revocatio autem privilegii est *expressa* vel *tacita*.

Revocatio expressa subdividitur in specialem et generalem. *Specialis est*, quando istud vel illud privilegium in specie revocatur. *Generalis est*, quando in genere revocantur omnia privilegia alicui constitutioni et decreto contraria. — Revocatio generalis alia est communis et alia extraordinaria ; revocatio generalis *communis* est, quæ fit per clausulam generalem communem, dicendo v. gr. *non obstantibus quibuscunque privilegiis* ; per hanc clausulam in posteriori privilegio positam absque alia expressa et specifica mentione, non revocantur privilegia clausa in corpore juris, et certis personis concessa. (Communis.) Et ratio est quia correctio jurium est evitanda, nec facile præsumenda, nisi exprimatur ; nec revocantur privilegia extra corpus juris exsistentia, si fuerint concessa cum clausula, quod revocata non censeantur, nisi expresse eorum mentio fiat.

Revocatio generalis *extraordinaria* est, quæ fit per clausulam generalem extraordinariam et fortiorem, dicendo, v. gr. *Non obstantibus privilegiis quibuscunque sub quacunque verborum forma concessis*, vel sic : *etiamsi de verbo ad verbum deberet de ipsis fieri mentio*, et hujusmodi. (Communis.) Per hanc privilegia tam intra quam extra corpus juris exsistentia revocata censentur.

« Per nullam ex prædictis clausulis generalibus censentur revocata privilegia per modum contractus concessa, vel in remunerationem meritorum, et obsequiorum præstitorum, nisi saltem in genere addatur clausula: *Etiamsi per modum contractus fuerint concessa, vel etiam meritorum intuitu.* (Communis.)

Tacita autem privilegii revocatio fit per actum principis directe contrarium privilegio, seu qui non potest subsistere vel non habere effectum intentum sine revocatione privilegii antea concessi ; dummodo possit præsumi eum scire privilegium antea concessum, illiusque recordari. (Communis.)

« Unde circa hanc etiam privilegiorum revocationem traduntur communiter sequentes regulæ.

« *Prima regula.* — Per legem generalem et quæ non expresse revocat privilegia, censentur tacite revocata privilegia in corpore juris contenta ; non autem extra corpus juris exsistentia, nisi eorum mentio specialis fiat.

« *Secunda regula.* — Privilegium prius concessum non tollitur, nec tacite revocatur per privilegium posterius priori contrarium, nisi illius prioris fiat mentio specialis ; cum enim privilegium sit jus privatum et particulare, præsumitur, quod princeps concesserit privilegium secundum ex ignorantia primi, si de illo nullam mentionem fecit; adeoque secundum concessum privilegium censetur subreptitium et invalidum. (C. *Cum ordinem* 6, *De rescriptis* ; c. *Ex parte* 12, *De offic. delegat.* c. *Veniens* 19, *De præscript.* ; c. *Licet* 1, *De constitution.* in 6.)

« *Tertia regula.* — Per sententiam latam contra privilegium a principe, qui potuit privilegium concedere, non revocatur privilegium tacite ; sed potius reprobatur, id est tanquam defectuosum seu invalidum rejicitur... » (Ferrar. verb. *Privilegium*, art. 3, n. 39 et seq.)

X. Privilegia regularium non sunt omnia a concilio Tridentino revocata, sed plurima ab eodem sunt confirmata ; textu expresso sess. 25, cap. 20, ibi : *In cæteris omnibus præfatorum ordinum privilegia et*

facultates, quæ ipsorum personas, loca et jura concernunt, firma sint et illæsa.

« Omnia et singula privilegia regularium ante concilium Tridentinum eis concessa, quæ adversantur decretis in sess. 25, *De regul.*, sunt revocata ab eodem concilio (Communis), per textum cap. 22 ejusdem sess. 25, ubi ab omnibus regularibus *omnia et singula in superioribus decretis contenta observari præcipit... non obstantibus eorum omnium et singulorum privilegiis sub quibuscunque verborum formulis conceptis, ac mare magnum appellatis, etiam in fundatione obtentis, nec non constitutionibus et regulis etiam juratis, atque etiam consuetudinibus vel præscriptionibus, etiam immemorabilibus*, etc.

« Item revocata sunt privilegia illa regularium ante Tridentinum eis concessa, quæ adversantur præcedentium sessionum decretis habentibus supradictam vel similem clausulam privilegiorum revocatoriam: *non obstantibus quibuscunque privilegiis...* (Communis.) Et ratio est quia ubi adest expressa clausula privilegiorum revocatoria, de revocatione dubitare non licet ; in claris enim et expressis non datur interpretatio. vel voluntatis conjectura.

An autem revocata censeantur illa quoque regularium privilegia, quæ contraria sunt decretis aliarum sessionum et clausulam privilegiorum revocatoriam expressam non habentibus, ita ut per bullas confirmatorias privilegiorum regularium nunquam censeantur confirmari, sed potius pro invalidis declarari per illam clausulam : *dummodo sacris canonibus et decretis concilii Tridentini non adversentur?* Non conveniunt doctores ; sed plures, et signanter Reiffenstuel, lib. v *Decretal.* tit. xxxiii, a n. 116 ad n. 118 ; et a n. 139, ad 146, defendunt sententiam negativam, dicentes quod illa regularium privilegia probabilissime non censentur revocata a concilio Tridentino, nec eximuntur a confirmatione, *dummodo sacris canonibus, et decretis concil. Trident. non adversentur.* Et Reiffenstuel loc. cit. pluribus rationibus, et juribus adductis, contrariisque argumentis solutis, solide et fuse hanc sententiam propugnat. (Ferrar. verb. *Privilegium*, art. 3, n. 55 ad 58.)

§ II. — De exemptionibus regularium a jurisdictione ordinariorum.

I. « Exemptio est privilegium quo persona, aut locus a jurisdictione episcoporum seu ordinariorum liberantur et subtrahuntur, ac summo pontifici immediate subjiciuntur. » (Est in re communis, arg. cap. *Si papa* 20, *De privileg.* in 6. — Ferrar. verb. *Regulares*, art. 2, n. 1.)

II. Perantiqua et Ecclesiæ utilissima est regularium exemptio a jurisdictione ordinariorum. Hoc fuse et solide demonstrat (D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 85 ad 120.)

III. Probat etiam idem auctor hodiernos conventus Belgii, ad exemptos ordines pertinentes, pro exemptis haberi debere. (*Ibid.* pag. 121 ad 130.) Idem hodiernos regulares Galliæ, ad exemptos ordines pertinentes, pro exemptis habendos esse. Excipiuntur Trappistæ Galliæ, qui episcoporum jurisdictioni ex parte subjecti sunt, ab anno 1834. (*Ibid.* pag. 130 et seq.) Sed, ut jam dictum est, moniales Galliæ, etsi pertineant ad instituta exempta, non sunt pro exemptis habendæ ; quia pluries a Romanis congregationibus declaratum est ipsarum vota esse duntaxat simplicia.

« Episcopi seu ordinarii in pluribus casibus jurisdictionem habent in regulares, sive ordinariam, sive delegatam. Jurisdictionem ordinariam in ipsos habent in iis, in quibus jure ordinario, seu ex suo ordinario officio, ex lege, canone vel consuetudine sibi competente possunt contra eos procedere. Jurisdictionem vero delegatam in ipsos habent in iis, in quibus, non jure proprio et ordinario suo officio, sed ex sola demandata sibi auctoritate a sede apostolica possunt contra eos procedere, uti cum canones et jura disponunt, ut contra eos auctoritate apostolica, vel tanquam sedis apostolicæ delegati procedant. » (Ferrar. verb. *Regulares*, art. 2, n. 2 et seq.) Jam ante Tridentinam synodum a jure communi statutum fuerat regulares in nonnullis subjici episcoporum jurisdictioni. Sed Tridentini Patres in plurimis aliis casibus episcopi loci jurisdictioni subjectas fore regulares, quamvis exemptos, decreverunt. Et post Tridentinum ad nonnullos adhuc casus episcopalis jurisdictio per varias pontificias constitutiones extensa est.

§ III. — Quibus casibus regulares episcopo subjiciuntur.

Casus in quibus regulares et moniales episcopi jurisdictioni subjiciuntur enumerati sunt in cap. 10 lib. ii hujus partis. (*Vide ibi.*)

Ultra istiusmodi casus non tenentur regulares jussis et statutis ordinariorum obedire.

§ IV. — De privilegio regularium sibi eligendi judices conservatores.

« I. Conservatores communiter definire solent, quod sint particulares judices a sommo pontifice delegati ad aliquos defendendos contra manifestas injurias, et molestias, et violentias absque indagine judiciali, ut deducitur clare ex cap. *Statuimus* 1, *De offic. judic. delegat.* in 6, ubi sic præcise habetur : *Statuimus ut conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis et violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos ; nec ad alia, quæ judicialem indaginem exigant, suam possint extendere potestatem.* Et consimiliter colligitur ex cap. *Hac constitutione* 15, eod. in 6. Conservatores debent eligi ad præscriptum ejusdem cap. *Hac constitutione*, et cap. *Statutum* 11, *De rescriptis ;* et præcipue ad præscriptum constit. Gregorii XV, incip. *Sanctissimus*, quam ex integro refert Ferraris, verb. *Conservatores*, art. 1, n. 5.

« Conservatores sibi eligere possunt regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa et peculiaria privilegia a sede apostolica obtinuerunt, sed et cæteri alii, virtute communicationis privilegiorum cum ipsis; ut expresse declaravit sacr. congr. Concil. 12 Septembr. 1620. » (Apud Ferrar. *ibid.* n. 2.)

III. Eligendi in conservatores debent esse dignitate ecclesiastica constituti. (*C. Hac constitutione* cit. et const. Gregorii XV *Sanctissimus.*) Unde conservatores esse non possunt nisi episcopi, aut eorum superiores, vel abbates, seu dignitates vel personatus in cathedralibus, vel collegiatis ecclesiis obtinentes, aut canonici cathedralium exsistentes, non autem canonici collegiatæ ecclesiæ ; vicarius generalis episcopi, et vicarius capitularis, sede vacante, possunt in conservatores eligi. Regulares vero quavis dignitate regulari fulgentes non posse eligi in conservatores respondit sacr. congr. Episc. et Regul. 7 Septembr. 1617.

Præterea ut omnes supradicti possint in conservatores eligi debent esse judices synodales, ex const. Gregorii XV, *Sanctissimus.* Unde episcopi diœcesani nequeunt esse conservatores. Dato autem quod non adsint judices synodales, possunt a regularibus eligi non judices (ex supra dictis), donec sit celebrata synodus, et in ea judices sint designati, et pluries declaravit sacr. congr. Concil. et sacr. congr. Episc. et Regul. apud Ferraris, ubi supra, n. 14 et 15.

IV. Conservatores debent eligi a regularibus in unaquaque diœcesi, in qua monasteria, conventus, seu domos regulares habent. (Sic pluries declaravit sacr. congr. Concil. *ibid.* n. 17.) Unde nequit unus et idem conservator pro diversis diœcesibus constitui, quia nempe disposuit Gregorius XV, ne conservator extra diœcesim jurisdictionem ullam haberet. Sed nequit eligi episcopus aut archiepiscopus alterius diœcesis. Si quis tamen alius præter ordinarium episcopum in diœcesi degat, et fuerit electus in judicem synodalem, poterit is in conservatorem eligi. — Si non adsint in diœcesi judices synodales, eligi in conservatorem poterit sive ipse ordinarius, sive alius etiam episcopus in diœcesi degens ; quia ad terminos decretalis Bonifacii VIII (cap. *Hac constitutione*, cit.) eligi potest episcopali aut majori dignitate insignitus, et in posito casu nulla est ratio cur hæc decretalis suum effectum habere nequeat. (*Vide* Benedictum XIV *De synod. diœc.* lib. IV, c. 6.)

V. Electionis conservatoris documentum est relinquendum penes acta curiæ episcopalis, alias regulares sunt conveniendi coram ordinario loci. (Sic const. Gregoriana *Sanctissimus*, § 7.) Et ad hoc tenentur ante exercitium suæ jurisdictionis sub pœna nullitatis actuum, ut declaravit sacr. particularis congr. deputata ab Innocent. X, 16 April. 1648 ; apud Ferraris, verb. *Conservatores*, art. 1. n. 20.

VI. Conservatores sunt eligendi ad præscriptum dictæ const. Gregorii XV, non obstantibus quibusvis privilegiis, utpote reductis ad terminos ipsius constitutionis... Regulares eligentes conservatores non servata forma Gregorii XV, incurrunt ipso jure privationem vocis activæ et passivæ, nec possunt rehabilitari nisi a summo pontifice, et eorum conventus, et monasteria, eorumque personæ carent conservatore ad annum, et interim illorum causæ cognosci et definiri possunt et debent solum ab ordinariis locorum ; sic expresse dicta Gregoriana, § 4. (*Ibid.* n. 21.)

VII. Conservatores regularium possunt eligi, vel a superioribus generalibus, vel provincialibus, vel localibus, cum vel sine

consensu capituli, juxta religionum consuetudines aut privilegia. (*Ibid.* n, 23 et seq.)

VIII. Conservatores regularium semel legitime electi, ac deputati, nisi ex legitima causa a sede apostolica, aut locorum ordinariis prout eisdem regularibus, et aliis prædictis libuerit approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri aut mutari nullatenus possunt. Sic expresse dicta Gregoriana *Sanctissimus*, § 8.—Causæ autem possunt esse inimicitia suborta, impotentia, negligentia, et omnes illæ, ob quas recusari potest judex. — Regulares quinquennio elapso possunt alium conservatorem libere sibi eligere... At si ad aliam electionem procedere minime curent, aut nolint, electus, etiam elapso quinquennio, adhuc in officio perseverat, usquequo alius eligatur ; nec est necesse ipsum confirmare, vel reeligere, siquidem datus est ex vi privilegii perpetui. (Ita censuit sacr. congr. Concil.) Conservatoris rite electi officium, et jurisdictio non exspirat ex eo quod desinat esse judex synodalis, sic decrevit sacr. congr. Episc. et Regul. (Ferrar. verb. *Conservatores*, art. 1, n. 27 ad 30.)

§ V. — De conservatorum officio et jurisdictione.

I. « Conservatorum officium est defendere eos, quibus sunt concessi, a manifestis injuriis, molestiis, et violentiis, et in propriam rerum et jurium possessionem conservare. (C. *Statuimus* 1 ; et c. *Hac constitutione* 15, *De officio delegat.* in 6.) Unde conservatores potissimum dantur regularibus ad tuendum eorum personas, bona, et jura, sub quibus eorumdem continentur privilegia, exemptiones, immunitates, ut notat Glossa fin. in d. cap. *Statuimus*. Hinc conservatores defendere possunt, et debent regulares nedum in causis, in quibus ipsi regulares rei exsistunt, ut videbatur innuere dict. constit. Gregoriana, *Sanctissimus*, § 9. Sed etiam in causis, in quibus regulares actores exstiterint, si isti agendo petant, ut defendantur a manifestis injuriis, quæ de facto illis inferuntur, dum a suis possessionibus dejiciuntur, et propriis bonis frui, aut uti impediuntur, ut declaravit sacr. congr. Concil. ad quam post dictam Gregorianam fuit habitus recursus.» (Ferrar. *ibid.* art. 1, n. 5 ; et art. 2, n. 2.)

II. Conservatores regularium non nisi de manifestis injuriis, molestiis atque violentiis cognoscere possunt ; non possunt cognoscere de iis, quæ judicialem indaginem requirunt. (C. *Statuimus*, et c. *Hac constitutione*, citatis.) Indago autem judicialis est inquisitio, seu examinatio, quæ, juris ordine servato, habetur in casibus dubiis ad veritatem inveniendam, necnon justum rectumque proferendum judicium... unde conservatores si de aliis , quam de manifestis injuriis, et violentiis, cognoscere præsumpserint, seu ad alia, quæ judicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso pœnam suspensionis ab officio per annum incurrunt, et pars, quæ hoc fieri procuraverit, incurrit sententiam excommunicationis. (Textu expresso, in c. *Hac constitutione* cit. et const. Gregoriana, *Sanctissimus*.)

«Possunt tamen regularium conservatores in cognitione violentiarum et injuriarum manifestarum adhibere indaginem illam judicialem, quæ in notoriis adhiberi solet. (Communis.) Causæ enim in notoriis, manifestisque injuriis, ac violentiis absque indagine aliqua sæpe expediri nequeunt; quando autem jurisdictio aliqua committitur, omnia illa, sine quibus explicari nequit, demandata censentur. (C. *Præterea* 5 et c. *Suspicioni* 39, *De offic. jud. delegat.* Quomodo enim judex conservator delinquentes in notoriis, manifestisque injuriis punire posset, nisi eos citare, citatos, ac contumaces in expensis condemnare posset ? In casu igitur, quo injuria notoria negetur, et ex negatione res sub dubio remaneat, nec clare de notorietate appareat, tunc poterit conservator ante omnia summarie examinare, an violentia, seu injuria, de qua agitur, notoria fuerit, et probationes recipere ad videndum, an suæ sit jurisdictionis, et si jam notoriam repererit, procedat, alias desistat, quia non habet jurisdictionem defendendi injurias et violentias simpliciter, sed solum qualificatas notorietate. (Communis et Glossa in d. c. *Statuimus*.) Quando reus fatetur injuriam, seu violentiam, et qualitatem ipsius fuisse notoriam, tunc conservator potest statim procedere , absque ulla examinatione de notorietate, quia sive in rei veritate injuria fuerit notoria, sive non, semper processus validus erit, nam sufficit partis confessio, ut per illam injuria dicatur notoria, et de notorietate apparet, licet aliter illa non probetur juxta regulam text. in c. *Vestra* 7, etc..»

III. Conservatores regulares suæ curæ commissos defendere possunt nedum ab injuriis, et violentiis illatis, sed etiam a probabiliter inferendis.... Imo possunt ipsos defendere a violentiis, seu injuriis inferendis non solum aliis modis, sed etiam proferendo generalem excommunicationis sententiam in eos, qui illas fecerint vel commiserint, dicendo v. gr. *Excommunico omnes qui talem conventum, vel domum regularem violenter cum armis intraverint, vel aliquod notabile damnum, et notoriam injuriam, seu violentiam ipsis regularibus locis, et personis attulerint.*» (Communis et Glossa in dicto cap. *Statuimus*. — Ferrar. verb. *Conservatores*, art. 2, n. 3 ad 13.)

IV. «Notorius debitor regularium coram eorum conservatore conveniri potest. — Quando regulares sunt debitores laicis, vel clericis sæcularibus, non possunt conveniri coram ordinario, sed conveniendi sunt coram suo superiore, vel conservatore... — Conservatores regularium cognoscere possunt de injuriis factis servis, familiaribus, syndicis, et procuratoribus ipsorum, in quantum talibus reduplicative; ut colligitur ex variis constitutionibus pontificiis pro concessione conservatorum regularium editis, et signanter ex const. sancti Pii V *Ad hoc nos Deus*..» (Id. *ibid.* art. 2, n. 30, 33 et 36.)

V. Conservatores regularium non tenentur uti notario curiæ episcopalis, sed possunt assumere quemcunque notarium sibi bene visum. (Id. *ibid.* n. 22.) Non possunt sibi alios ministros assumere præter notarium. (Ita decisum vide apud Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. IV, c. 6, n. 6.)

VI. A sententia judicis conservatoris, utpote a sancta sede delegati, nequit appellari nisi ad sanctam sedem.

VII. « Conservatores regularium possunt per censuras ecclesiasticas, aliaque juris remedia procedere contra episcopos, aliosque judices ipsorum officium impedientes. (Moneta, Barb., Nidus, Passerin. et alii.) Et deducitur clare ex cap. *Quia pontificali* 2, *De offic. delegat.* in 6, ibi : *Ut cum a judicibus, vel conservatoribus a sede apostolica deputatis contra eos ad coactiones aliquas, sive pœnas fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi processu servetur;* quibus verbis manifeste supponitur, conservatores agere et procedere posse contra etiam episcopos; et ex Clementina unica de excessibus prælatorum, ubi inter alios excessus, etiam iste enumeratur, ibi : *Processus juste factos, seu sententias juste latas a delegatis sedis apostolicæ, vel a conservatoribus pro exemptis publicari, seu exsecutioni mandari, a suis subditis non permittunt.* Ubi Glossa expresse dicit : *per hoc possunt a delegatis vel conservatoribus puniri, cum illorum jurisdictionem impediant.* (*De offic. delegat.* cap. 1.) Licet autem conservatores regularium ex adductis juribus facultatem habeant procedendi per censuras ecclesiasticas etiam contra episcopos, et nonnulli regulares specialibus super hoc sedis apostolicæ privilegiis sint muniti, ut religiosi societatis Jesu ex constit. Gregor. XIII incip. *Æquum reputamus*, § 3. Tamen quia in his coactionibus, et pœnis pontificali dignitati plurimum deferendum est (c. *Sane* 11, c. *Pastoralis* 27, *De offic. et potest. judic. delegati;* c. *Quia pontificali* 2, eod. in 6; et c. *Quia periculosum* 4; *De sentent. excomm.* in 6), æquum est ut conservatores non de facili et præcipitanter contra episcopos sententiam excommunicationis proferant, sed si contingat conservatores procedere contra ipsos, ac contra eos ferre censuram, debent modestiam, et reverentiam debitam adhibere, et servare ordinem præscriptum in dicto c. *Quia pontificali*, quod scilicet *Primo*, a conservatoribus interdicatur episcopis ingressus in ecclesiam, vel sacerdotale officium. *Secundo*, ut suspendantur ab officio. *Tertio*, contra eos ecclesiastica censura aggravetur, nisi forte aliud fieri suaserit nimiæ contumaciæ protervitas, ut patet ex præcisis verbis d. c. *Quia pontificali*, ibi: *Quia pontificali dignitate prædictis ob reverentiam sacri officii quod exercetur, plurimum deferre convenit, et eos plus aliis honorari decet : ut cum a judicibus vel conservatoribus a sede apostolica contra eos ad coactiones aliquas, seu pœnas fuerit procedendum, gradus et modestia in hujusmodi processu servetur; ita quod eis condigna quadam reverentia supportatis, ingressus primo ipsis Ecclesiæ, vel sacerdotale interdicatur ministerium, ac deinde ab officio suspendantur; subsequenter aggravetur censura ecclesiastica contra eos.* Quæ ultima verba exponens Glossa inquit, *Quia scilicet, injurias, et contumeliosa verba episcopus in judicem profert.*»(Ferrar. verb. *Conservatores*, art. 2,

n. 15 et 16, et n. 17, adducit in eodem sensu resolutionem sacr. congr. Concil. *in Januen.* 30 Februar. 1723.)

VIII. In dubiis de jurisdictione inter episcopos et conservatores suspendendus est processus, et non potest ultra procedi in causa, sed eligendi sunt arbitri, qui controversiam decidant. (Textu expresso in *Conc. Trident.* sess. 14, cap. 5, *De reform.* et in dict. Gregoriana, *Sanctissimus*, § 10.) — Item si conservator recusetur ut suspectus poterit partes compellere ad eligendos arbitros, coram quibus causa recusationis probetur et decidatur. » (Id. *ibid.* n. 18 et 21.)

IX. « Conservatores regularium possunt vices suas aliis committere.... subconservatores, seu subdelegati, et substituti a conservatoribus debent habere omnes qualitates ad conservatores requisitas. (Id. *ibid.* n. 23 et 25.)

§ VI. — De cardinalibus protectoribus religiosorum ordinum sive virorum sive monialium.

I. *Protectores* vocantur cardinales, qui a summo pontifice singulis ordinibus assignantur, ut iis præsidio sint. Cardinalis protector a papa constituitur, et non nisi arbitrio pontificis amovibilis est; ejusdem cardinalis protectoris potestas totum ordinem respicit. Non habet tamen veram et proprie dictam fori externi jurisdictionem, nisi papa concesserit aut constitutiones ordinis a sancta sede approbatæ post Innocentium XII expresserint.

II. Ad limitandas et declarandas cardinalium protectorum facultates, plures prodierunt pontificiæ constit. Sed constit. sub die 17 Februarii 1694, Innocentii XII *Christi fidelium*, pro norma juris communis hodiedum vigentis habenda esse videtur. Atqui in dicta constitutione statutum est prout sequitur.

III. Ne in aliquibus negotiis, causis, seu rebus (quæ universum ordinem seu totum corpus religionis non concernunt sese ingerant, » cardinalibus protectoribus interdicitur, § 6.

IV. In particulari autem, nequit cardinalis protector ullo modo corrigere aut immutare statuta capituli generalis, vel provincialis, nisi in casu quo per hæc statuta totus ordo deviaret a fide catholica, aut ab obedientia sanctæ romanæ Ecclesiæ debita.

V. Nequit ullum superiorem officialemve instituere aut destituere; nec religiosum ullum promovere ad ullos gradus, aut ab eis eum removere; nec religiosorum quemquam de loco ad locum mittere, sive licentiam dare alio migrandi.

VI. Neque ullum religiosum punire, aut a pœna ipsi imposita liberare.

VII. Neque ulli religioso concedere usum alicujus cameræ, aut libri aut rei cujuslibet.

VIII. Religiosi impetrantes a cardinali protectore aliquid ex iis quæ eidem protectori sunt prohibita, nec non licentiis sic impetratis utentes, tanquam de gravi culpa puniendi sunt.

IX. Etiamsi aliquot religiosi deviarent a fide catholica, modo error non sit totius ordinis ad cardinalem protectorem non pertinet remedium adhibere, nec querelas et recursus a religiosis ad ipsum directos audire, aut de his quidquam decernere.

X. Regularium recursus et appellationes in quocunque gradu Innocentius XII, reservavit sacr. cong. Episc. et Regul., § 7.)

XI. Item facultatem aliquid gerendi, mandandi seu ordinandi transtulit Innocentius XII ad sacras congregationes respective, pro negotiorum qualitate, (§ 8.)

XII. Quando in causis regularium, ad sacras congregationes perlatis, exquirenda est informatio seu votum super expositis, ejusmodi informatio et votum non dari debet a cardinali protectore, nisi in solo casu, quo negotium respiceret totum ordinem religiosum. In aliis vero casibus exquiri debet informatio seu votum, vel a superiore generali ordinis, vel ab ejus procuratore generali. (§ 10.)

XIII. Cardinalis protector interesse potest electionibus prælatorum ordinis, et in iis electionibus habet votum, *si quod et eo modo quod juxta cujuscunque ordinis regulas, statuta, vel alias*, ipsi competit. (§ 11 et 12.)

XIV. Nec cardinalis protector, nec quivis alius, imo nec ipsæ sacræ congregationes Romanæ possunt, in dictis electionibus absentium vota supplere. Neque item possunt alios religiosos, loco absentium vocalium, subrogare seu deputare. Sed tunc totum jus eligendi consolidatur in religiosis vocalibus, ad normam cujusque instituti legitime congregatis. (§ 12.)

XV. Ex eo quod cardinalis protector jurisdictionaliter religiosorum causis et negotiis

sese ingerere nequeat, non sequitur non posse eum in iis sese immiscere quatenus protector, id est adjutor, amicus et advocatus. Imo hoc ipsius officium est, præsertim ubi tutandi sunt religiosi ab injuriis et oppressionibus. Agit autem ut protector qui requisitus juvamen præstat. » (Ita D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 171.)

« Optimi autem, ait cardin. Petra, regularium protectoris partes sunt, ordinem sibi commendatum in quieto et pacifico statu conservare et augere, ab impugnantibus et molestantibus protegere et tueri, ac etiam invigilare cum regulis *prudentialibus potius quam jurisdictionalibus*, ne subditi a superioribus opprimantur.» (Card. Petra, tom. IV, p. 162, n. 7, edit. Venet. 1741.)

CAPUT XII.

De jure regularium sacrum ministerium exercendi, et de sacro ministerio erga moniales.

§ I. — De regularium missione.

I. Regulares ordines veram a sede apostolica missionem habent ad sacrum exercendum ministerium. Constat ex eo quod sedes apostolica ordines religiosos approbet et exsistere velit juxta respectiva ipsorum instituta et ad finem ad quem sancti fundatores eos instituerunt.

II. In Clementina *Dudum* 2, *De sepulturis*, prædicandi verbum Dei clero et populo, eorumdem confessiones audiendi eosque absolvendi missio et jurisdictio regularibus datur a papa, cujus jurisdictio non restringitur ad limites alicujus territorii (C. *Cuncta per mundum* causa 9, quæst. 3.) Sed universus orbis est sua diœcesis. (C. *Per principalem*, ejusd. causæ et quæst.. Et sic tenet et testatur Fagnanus in c. *Omnis, De pœnit. et remissionibus*, n. 79, declarasse sacr. congr. Concil.

III. Atqui papæ et ejusdem delegatorum jurisdictio coarctari, limitari et impediri nequit ab ordinariis locorum nisi juxta conciliorum decreta et summorum pontificum constitutiones; quia de jure divino ordinarii quicunque papæ subjiciuntur eidemque reverentiam et obedientiam debent.

IV. Missionem vero ordinum religiosorum his solis conditionibus Ecclesia subjecit: ut ad novi conventus erectionem, ad prædicandum, ad confessiones audiendas necessarius religiosis foret assensus ordinarii. Sed episcopus nequit pro libitu, et absque rationabili causa, assensum hunc denegare, ut patet ex Clementina *Dudum* et aliis juribus. Non alia de causa obstare potest ordinarius ne regulares prædicent et confessiones audiant, quam quod idoneos non reperiat. Delegatur enim ordinarius ex jure et pontificiis constitutionibus ad regularium idoneitatem constatandam ut isti quam tenent a papa jurisdictionem explicare valeant. Et idem dicendum est de sæcularibus sacerdotibus, qui jurisdictionem seu missionem a papa tenerent. Præterca delegatur ordinarius ut invigilet ad rectam sanctamque verbi divini et sacramentorum administrationem per regulares sicut per sæculares sacerdotes obeundum.

V. Ideoque Clemens X celebrem suam constitutionem *Superna* 21 Julii 1670, in hunc præcise finem edidit, ut declararet et definiret, ad quid tenerentur regulares erga episcopos, et vicissim episcopi erga regulares, circa prædicationis et confessionum materiam; quam constitutionem in suis essentialibus hic transcribere perutile duximus.

Constitutio Clementis X.

« Superna magni Patris familias. 1. Sane cum sacri concilii Tridentini decretis provide statutum fuerit, ut regulares cujuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, et moribus, et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare et ab eis benedictionem petere teneantur antequam prædicare incipiant; in ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam gratis ab eo dandam habere teneantur, sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum nullomodo prædicare possint. Atque ut nullus sæcularis sive regularis etiam suorum ordinum, contradicente episcopo, prædicare præsumat. Itidemque cum nullus sacerdos regularis possit confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneus reputari, nisi aut parochiale beneficium obtineat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium aut alias idoneus judicetur et approbationem, quæ gratis detur, obtineat, privilegiis et consuetudine quacunque non obstantibus. Innotuit nobis dubitationes nonnullas circa benedictio-

nem, licentiam, contradictionem, examen, et approbationem ejusmodi in aliquibus diœcesibus excitatas fuisse, ex quibus controversiæ et dissensiones præmultæ in diem subsequi possent occasione privilegiorum, quæ per sedem apostolicam religiosis ordinibus concessa fuerunt.

2. «Nos attendentes, quod alias diversis temporibus prædictæ dubitationes et controversiæ nonnullis prædecessorum nostrorum SS. PP. constitutionibus, eorumque declarationibus definitæ fuerint, ejusmodi definitiones in unam collectas,..... novis apostolicis litteris muniendas duximus, et roborandas. Itaque de concilio nonnullorum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium..... et matura deliberatione nostra, atque ex certa scientia, hac generali, et perpetuo valitura constitutione decernimus et declaramus.

3. «Regulares, qui in ecclesiis sui ordinis *prædicare voluerint*, teneri ab episcopo diœcesano benedictionem petere; prædicare tamen posse quamvis illam non obtinuerint. Quod si episcopus benedictionem, nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem ecclesiis licere regularibus prædicare, eosque contravenientes, ab illo tanquam sedis apostolicæ delegato, censuris aliisque pœnis ecclesiasticis in vim constitutionis fel. rec. Gregorii XV prædecessoris nostri incipientis : *Inscrutabili Dei providentia*, coerceri, et puniri posse. ***Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere.*** Et hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si in quibuscunque oratoriis sui ordinis sermonem coram populo, vel in ecclesiis, aut ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectarum, licet clausis januis et nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint. Posse autem episcopum licentiam concessurum regularibus in ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt, prædicare volentibus, illos, quamvis ab universitatibus aut a magistratibus laicis nominatos, etiamsi episcopi antecessores per tempus immemorabile hanc licentiam absque examine concedere consueverint, quoad doctrinam examinare, si ita ipsius arbitrio, quod moderatum et discretum esse debet, visum fuerit, et licentiam prædicandi semel iisdem concessam ob rationabiles causas licet occultas, prædicationem tamen concernentes suspendere. ***Non posse tamen episcopum generatim prohibere regularibus quin in ecclesiis suorum ordinum prædicent.***

4. «Ad hæc religiosos ab episcopo ad confessiones sæcularium in sua diœcesi audiendas approbatos non posse in alia diœcesi eas absque episcopi diœcesani approbatione audire, quamvis pœnitentes subditi sint ejus episcopi, a quo ipsi religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab episcopo ad personarum sæcularium confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum; sed egere quoad hoc speciali episcopi approbatione; atque approbatos pro audiendis confessionibus monialium unius monasterii, minime posse audire confessiones monialium alterius monasterii. Itidemque confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit. Cæterum in monasteriis, ac etiam collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam prælatos regulares, quam confessores regularium eorumdem monasteriorum, seu collegiorum, audire confessiones illorum sæcularium, qui inibi sunt vere de familia, et continui commensales, non autem illorum, qui tantum ipsis deserviunt. Illos autem religiosos, qui ad confessiones audiendas idonei generaliter reperti fuerint, ab episcopis generaliter quoque, et indistincte absque aliqua limitatione temporis, certorumque locorum, aut generis personarum in diœcesi propria admittendos. Quoad cætera vero, qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio ordinariorum relinqui, ipsos cum limitata facultate, prout eisdem ordinariis magis expedire videbitur probare et admittere. Semel autem simpliciter approbatos posse in diœcesi episcopi approbantis quovis anni tempore, etiam paschali, et quorumcunque etiam infirmorum confessiones audire absque ulla parochorum vel ipsius episcopi licentia; de qua tamen confessione teneri dictos religiosos eorumdem infirmorum parochum illico certiorem facere. Et hoc posse illis ab episcopo sub pœna suspensionis a facultate

audiendi confessiones præcipi; sufficere tamen, ut certioratio hujusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

5. «Et eos, qui dictis religiosis simpliciter approbatis paschali tempore confessi fuerint, constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem duntaxat satisfecisse censendos. Regulares vero ad ejusmodi confessiones audiendas prævio examine simpliciter, et absque ulla temporis præfinitione ab ipsomet episcopo, secus autem ab ejus vicario, aut ab antecessoribus episcopis approbatos non posse ab eodem, qui sic approbavit, iterum examinari, aut ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, seu licentias, illis concessas, revocari, nisi nova superveniente causa, quæ ipsas confessiones concernat. De qua tamen haud necessarium esse ut in actis constet, nec eam teneri episcopum ipsis regularibus significare, sed sedi apostolicæ duntaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

6. «Porro si regulares cum scandalo, aut alias inhoneste vivant, vel aliquod delictum committant, per quod rationabili episcopi judicio videantur a confessionibus suspendendi, in quo ipsius episcopi conscientiam oneratam esse volumus, cum præcipua ministri sacramenti pœnitentiæ qualitas sit vitæ integritas, ac morum honestas; utique eam causam ad confessionis ministerium pertinere, ac proinde nihil obstare, quominus ob eam possit episcopus regulares a semetipso approbatos suspendere, aut repellere a confessionibus audiendis. Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo, inconsulta sede apostolica, nullatenus posse. Ex facultatibus per mare magnum, aliave privilegia regularibus cujuscunque ordinis, instituti, aut societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem absolvendi in casibus ab episcopo sibi reservatis. Et per confirmationes dictorum privilegiorum, quas regulares a sede apostolica post sacrum concilium Tridentinum obtinuerunt; nequaquam revixisse privilegia prius ab eodem concilio, aut deinde apostolicis etiam decretis sublata, atque exstincta, si quæ habebant absolvendi a casibus episcopo reservatis.

7. «Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus sedi apostolicæ reservatis, non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere. Posse autem regularem confessorem in ea diœcesi, in qua est approbatus, confluentes ex alia diœcesi a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa, ubi idem confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Vigore supradictorum privilegiorum nequaquam licere regularibus, etiam satisfacta parte, absolvere pœnitentes a censuris quoad externum et judiciale forum, et absolutos ab eis in foro pœnitentiali, utique non censeri absolutos in exteriori judicio et contentioso. Quinimo censuris ecclesiasticis irretitos, et denuntiatos ab episcopis, cogi posse gerere se pro talibus, etiamsi a regularibus fuerint absoluti. Quoties exhibitis aliquibus regularium apostolicis privilegiis coram episcopo, ab eo judicetur ipsa non suffragari casui, de quo agitur, si dictorum privilegiorum verba obscura sint, et ambigua, non esse ad metropolitanum provocandum, sed cum ejus sit interpretari, cujus est condere, dictorum privilégiorum interpretationem sedis apostolicæ judicio, prout alias constitutione prædecessoris nostri felic. rec. Clementis IV, statutum fuit, esse recurrendum.»

8. «Decernentes sic, et non alias per quoscunque judices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate, et dignitate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. Card. etiam de latere legatos, vicelegatos, nuntios et quosvis alios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere. Irritum quoque et inane quidquid, secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.»

« 9. Non obstantibus, etc...

Hæc constitutio, *Superna*, in jus practicum transiit per multas sacrarum congregationum declarationes. Ideoque juxta ejusdem constitutionis tenorem jura et privilegia regularium circa prædicationem et sacramentum pœnitentiæ breviter exponendum habemus.

§ II. — De regularium juribus circa prædicationis ministerium.

I. Possunt regulares absque licentia et benedictione episcopi conciones et exhortationes habere ad fratres suos, exclusis sæcularibus; quia fratres sub jurisdictione

prælati regularis manent. At vero concilium Tridentinum et Clementis X constit. *Superna* prohibuerunt solummodo prædicationes publicas, in quibus admittuntur sæculares, fieri absque benedictione episcopi petita et obtenta. Ratio est, quia sæculares sunt episcopo subjecti per omnia spiritualia.

II. Quamvis clementina *Superna* decernat *hujusmodi benedictionem teneri etiam regulares petere, si... sermonem... ad crates monasteriorum sanctimonialium eorum jurisdictioni subjectorum, licet clausis januis, et nullus sæcularis ibi intersit, habere voluerint;* nihilominus sacra congregatio Concilii, *in Conversana* 8 Maii 1751, ad dubium: « An ad crates ecclesiæ seu collocutorii, aut alibi, liceat commissario monialium sermonem aut conciones habere ad moniales sine episcopi licentia ? Respondit : *Affirmative pro solis monialibus, et clausis januis.* » Attamen nullo modo sacr. congr. Concil. in edenda recitata resolutione a Clementis X const. *Superna* recessit. Nam in resolutione de commissario, qui monialium superior est, non de aliis religiosis agitur.

III. In ecclesiis sui ordinis coram populo prædicare possunt regulares, *petita episcopi benedictione,* etiamsi eam non obtinuerint, modo tamen episcopus non contradicat. (*Trident. synod.* c. 2, sess. 5, *De reform.* et Clement. *Superna.*) Si vero episcopus *contradixerit,* non licet regularibus etiam in ecclesiis suorum ordinum coram populo prædicare. (*Trident.* sess. 24, *De reform.* c. 4; et Clement. *Superna.*) Unde in praxi, nec in ecclesiis sui ordinis prædicare possunt regulares absque assensu episcopi.

IV. Nequit tamen episcopus generatim prohibere regularibus, quin in ecclesiis suorum ordinum prædicent. (Const. *Superna.*) Nequit etiam episcopus prædicandi facultatem regulari cuicunque denegare absque *rationabili causa.* Id evincunt hæc ejusdem constit. verba : *Episcopum tamen absque justa et rationabili causa contradicere non debere.* Nequit pariter episcopus, nisi *ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes,* regularem jam approbatum a prædicationis munere suspendere. (Const. *Superna,* et communis doctorum.) Id valde notandum est quia inde sequitur, quoad omnes dictos casus jus regularium ad sacr. congr. Concil., vel Episcop. et Regul. recurrendi ; et tenebitur episcopus causam denegatæ vel retractæ facultatis manifestare sacr. congr., quæ efficacia remedia in promptu habebit ad injuriam regulari illatam quam citissime reparandam, si ordinarius suæ potestatis limites transgressus fuerit, ac suæ agendi rationis justas causas non haberet.

V. S. Tridentina synodus, sess. 5, *De reform.* cap. 2, statuit quod « *Regulares cujuscunque ordinis, nisi a suis superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia etiam in ecclesiis suorum ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopo præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant.*

VI. « Regulares in ecclesiis suorum ordinum prædicare volentes, non spectat ad ordinarium eos examinare, sed ad eorum superiores. » (S. congr. *in Salernitana,* 19 Decembr. 1610 — Ferrar. verb. *Prædicare,* n. 81.).

VII. Prædicatores etiam regulares tenentur emittere professionem fidei, si ab episcopo exigatur. (Id. *ibid.* n. 65.)

VIII. Regulares prædicatores non possunt absque episcopi licentia, etiam in sui ordinis ecclesiis pauperes et miserabiles personas commendare. (Id. *ibid* n. 83.)

IX. Si regulares habeant ecclesiam parochialem monasterio suo unitam, et voluerint prædicare per regularem sui ordinis, illius prædicatoris deputatio non pertinet ad episcopum, sed ad priorem regularem; et generatim non cogi possunt ad acceptandum in suis ecclesiis concionatores sæculares, vel diversarum religionum; nisi tamen esset consuetudo in contrarium. (Pignatelli, t. IV, consult. 206, n. 70.)

X. Potest episcopus prohibere ne regulares ea hora in ecclesiis suis conciones habeant, qua ipse *per semetipsum* prædicaturus est. (Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. IX, c. 17, n. 7.) Et pariter si episcopus ex causa publica, convocatis clero, magistratu et populo, coram se extraordinarie prædicare faciat. Sed non potest prohibere regularibus quominus prædicent eadem hora, si agatur de consuetis concionibus coram episcopo habendis. (Id. *ibid.* n. 7 et 8.)

XI. A fortiori nequit regularibus injungi ne in suis ecclesiis prædicent eadem hora

qua concio in ecclesia parochiali habenda est, si huic concioni non intersit episcopus.

XII. «Episcopus prohibere potest regularibus ne aliquo die concionentur, ut totus populus conveniat ad cathedralem. (S. congr. Concil.; FERRAR. verb. *Prædicare*, n. 63.)

XIII. Extra ecclesias suorum ordinum prædicare non possunt regulares absque obtenta licentia episcopi. Sic enim decrevit Tridentina synodus sess. 5, cap. 2, *De reform.*: ***In ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis ecclesiis non suorum ordinum, nullo modo prædicare possint; ipsam autem licentiam gratis episcopi concedant.***

XIV. Episcopus examinare quoad doctrinam potest prædicatores etiam regulares prædicare volentes in ecclesiis, quæ suorum ordinum non sunt. Sed examen ***moderatum et discretum esse debet.*** (S. congr. Concil. 22 Januar. 1628; et CLEMENS X, const. *Superna.*)

Item episcopus potest examinare prædicatorem, si ille sit clericus sæcularis etiam electus a regularibus, vel si regularis prædicare velit in ecclesiis aliorum ordinum etiam ab ipsis regularibus electus. (Sacr. congr. Episc. et Regul. *in Cajetana* 15 décembri 1607; apud Pignatell. t. IV, consult. 206, n. 66.)

XV. In locis diœcesis distantibus, et difficilis itineris debet episcopus aliquem deputare, qui det approbationem et benedictionem. (S. congr. Episc. et Regul., 20 Septembris 1583, et sacr. congr. Concil., 10 Maii 1635, quæ scripsit litteras hortatorias ad episcopos, qui peramples habent diœceses, ut regularibus longe distantibus benedictionem, vel licentiam prædicandi concedant per litteras patentes, vel per suos vicarios foraneos, apud Pignatelli, t, IV, consult. 206, n. 76.

XVI. Prædicatores etiam regulares, sive in suis sive in alienis ecclesiis prædicent, tenentur emittere professionem fidei, si ab episcopo exigatur. (FERRAR. verb. *Prædicare*, n. 65.)

XVII. Semel approbati per episcopi ipsius examen ad prædicationem regulares non videntur ad novum examen ab eodem episcopo revocandos. Attamen episcopus licentiam prædicandi semel iisdem regularibus concessam ob rationabiles causas, licet occultas, prædicationem tamen concernentes, suspendere potest. (Textu expresso Clementis, *Superna.*) Ab hac suspensione recursum ad sacr. Congr. habet regularis suspensus.

Not. De prædicatoribus, alia *vide*, cap. X, lib. VI, col. 1378 et seqq.

§ VIII. — De regularibus quoad sacramentum pœnitentiæ in genere.

I. Communis opinio est, quod regulares jurisdictionem habeant a papa. Et colligitur ex cap. *Doctos* 21, causa 16, quæst. 1; cap. *Moderamine* 23; cap. *Ex auctoritate* 24; cap. *Sunt nonnulli* 25, ejusdem causæ 16 et quæst. 1, ubi, auctoritate apostolica pontificum Gregorii et Bonifacii IV, datur regularibus potestas et licentia prædicandi, baptizandi, communionem dandi, pro peccatoribus orandi, pœnitentiam imponendi, atque peccata solvendi. Et Bonifacius VIII, in extravag. *Super cathedram* 2, *De sepulturis*, dat regularibus potestatem confessiones audiendi et peccata absolvendi, etiam invitis prælatis, his verbis: ***Si vero iidem prælati præfatis fratribus ad confessiones*** (ut præmittitur) ***audiendas electis, hujusmodi exhibere licentiam recusarint, nos ex nunc ipsis, ut confessiones sibi confiteri volentium libere liciteque audire valeant, atque eisdem beneficium absolutionis impertire, gratiose concedimus de plenitudine apostolicæ potestatis.*** Hæc constitutio innovata fuit per Clementinam *Dudum*, de sepulturis, et videtur tanquam jus commune viguisse usque ad Tridentinam synodum.

II. Sed Tridentina synodus regularibus imposuit necessitatem approbationis ordinarii ad audiendas confessiones sæcularium: sic statuit sess. 23, *De reform.* cap. 15: ***Quamvis presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen sancta synodus nullum, etiam regularem, posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium aut ab episcopis, per examen*** (***si illis videbitur esse necessarium***) ***aut alias idoneus judicetur; et approbationem*** (***quæ gratis detur***) ***obtineat: privilegiis et consuetudine quacunque etiam immemorabili non obstante.*** Et cum dubitaretur num hoc decretum antiquis aliquorum ordinum religiosorum privilegiis sufficien-

ter derogasset, dubitationem omnem sustulit constit. *Cum sicut* Urbani VIII, 12 Septembris 1628: *Quapropter hiscenostris temporibus nullum reperitur privilegium quo regulares possint audire confessiones sæcularium ac eos absolvere, absque approbatione episcopi, ac prævio examine, si illos episcopus examinare voluerit.*

Igitur ex post concilium Tridentinum jurisdictio regularium quoad sæcularium confessiones exerceri nequit nisi approbatione episcopi obtenta; sed nihilominus hæc regularium jurisdictio nequit pro libitu ordinariorum limitari, at vero judicium episcopi certis regulis astringitur et ratio ex Confectio, in summar. privileg. ordin. Mendicant., tit. XVII, cap. 4, hæc est, quia, «cum regularis ab episcopo omnino exemptus, et sedi apostolicæ immediate subjectus exsistat, nulla per ipsius episcopi approbationem jurisdictionis potestas ei tribuitur. Sed illam approbatus, statim ab ipsa sancta Sede et summo pontifice per privilegia ordinis concessa immediate consequitur, qua quidem jurisdictione personæ non solum illius civitatis et diœcesis, in qua approbantur; sed etiam forenses et aliarum diœcesium in ea ad illos confluentes eis in foro pœnitentiæ subjiciuntur, illasque audire valent ubique; hæc autem jurisdictio, cum ob decretum concil. Trident. ipsis regularibus suspensa sit, donec ab episcopo prius examinati, approbentur, aut alias idonei ab eo judicabuntur, tunc secuta dicta approbatione jam eis jurisdictionis attributa potestas relaxatur.» Confirmatur auctoritate sacr. Congr. Concil. quæ ad secundum dubium, occasione bullæ Gregor. XV, *Inscrutabili*, inter alia propositum sub his terminis: « An episcopi possint regularibus præscribere ut certis tantum in locis ac temporibus, aut certarum personarum confessiones audiant, vel alias eorum privilegia restringere ac moderari in sacramentis administrandis? » Prout sequitur respondit: « Hac in parte constitutionem nihil novi juris induxisse, nec ullam novam auctoritatem episcopis in regulares attribuisse, ideoque in vim ipsius constitutionis non posse episcopos regularibus præscribere ut certis tantum in locis ac temporibus, ac certarum personarum confessiones audiant, vel alias illorum privilegia in sacramentis administrandis restringere aut moderari. » (Apud Ferrar. verb. *Approbatio*. art. 1, in nota ad n. 62.)

§ IV. — De potestate regularium pro confessionibus regularium et dependentium ab eorum superioribus.

I. Regulares pro confessionibus suorum regularium non indigent approbatione episcopi, sed solum sui prælati regularis, quia ex quo prælati regulares habeant jurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos, competit eis hæc facultas approbandi ad confessiones a jure communi et antiquo, nec eis est revocata a concilio Tridentino, sess. 23, cap. 2. Quia ibi fit solum sermo de confessariis sæcularium, ut legenti patet, et expresse habetur ex decreto Clementis VIII edito 26 Maii 1593, ubi sic præcipit ipsis regularibus prælatis: *Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures confessarios pro subditorum numero majori vel minori, iique sint docti, prudentes ac charitate præditi, qui a non reservatis eos absolvant, et quibus etiam reservatorum absolutio committatur, quando casus occurrerit*, etc. Quod decretum fuit etiam confirmatum ab Urbano VIII, per decretum sacr. congr. Concil. die 21 Septembr. 1624, addendo quod sequitur: *Sanctitas sua deinceps declaravit ut si hujusmodi regularium confessariis casus alicujus reservati facultatem petentibus, superior dare noluerit, possint nihilominus confessarii illa vice pœnitentes regulares, etiam non obtenta a superiore facultate, absolvere.*

II. Confessarii approbati pro fratribus sive expressa exclusione novitiarum possunt valide absolvere etiam ipsos novitios... et dicti novitii absque licentia prælatorum ordinis possunt valide confiteri et absolvi a peccatis, etiam in religione reservatis per quemcunque confessarium ab ordinario pro sæcularibus approbatum. »

III. « Regulares itinerantes, seu tempore concionum, vel alterius occasionis, extra conventum exsistentes, nec copiam confessarii approbati propriæ religionis habentes, possunt confiteri cuilibet confessario, sive regulari, sive sæculari ex Innocent. VII const. *Provenit ex vestræ devotionis affectu*, et multis aliis pontificiis constitutionibus; dummodo tamen dicti confessarii sint abordinario approbati; nam sacr. congr. Concil. confessiones regularium, qui presbyterum non approbatum ab ordinario sibi in confes-

sarium eligunt illicitas et invalidas declaravit, 18 Novembr. 1763.» (Apud FERRAR. not. ad n. 2, art. 2, verb. *Approbatio.*

IV. Seclusis prædictis casibus, regulares, quamvis ab episcopis approbati, nequeunt virtute privilegiorum audire confessiones regularium alterius ordinis, nisi forte ipsi religiosi, qui volunt audiri in confessione, licentiam habeant suorum prælatorum. (Sic CLEMENS VIII, in constit. *Romani pontificis* 23 Novembr. 1599.)

V. Tempore jubilæi possunt omnes regulares confiteri peccata sua sacerdotibus ab ordinario approbatis, tam sæcularibus quam cujusvis ordinis regularibus; et possunt absolvi a casibus suo superiori regulari reservatis. (Ex const. pontificiis, apud FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 2, n. 21 et 22.)

VI. Possunt etiam regulares sine approbatione episcopi, et cum sola approbatione sui prælati regularis audire confessiones illorum sæcularium qui sunt vere de familia in suis monasteriis et continui commensales, ut omnes Oblati, Donati, seu Tertiarii, atque etiam sæculares, qui religiosis deserviunt, et intra eorum monasteriorum septa ac domos resident, et sub eorum obedientia vivunt (et consequenter juvenes educandi in collegiis regularium diu noctuque residentes). (Colligitur ex *concil. Trident.* sess. 24, c. 11; et sess. 25, c. 11, *De regul.*, et Clementis X. const. *Superna*, et pluribus sacrarum congr. declarationibus; apud FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 1, n. 64 et seq.)

VII. Sed regulares sine approbatione ordinarii nequeunt excipere confessiones Tertiariorum qui vivunt in propriis domibus, licet habeant requisita pro Tertiariis. (Ex multis sacr. congr. declarationibus.) Nec etiam sæcularium illorum qui tantum ipsis deserviunt, et cum sæcularibus exteris extra monasterium habitant et vivunt. (S. congr. Concil., 14 August. 1568; FERRAR. *ibid.* n. 63 et seq.)

VIII. Generalis regularium potest suos subditos a se vel suis prædecessoribus, vel aliis quibuscunque superioribus ad audiendas confessiones approbatos, eosdem ab eisdem confessionibus audiendis suspendere, etiam ex causa occulta et extrajudicialiter, ut declaravit sacr. congr. Episc. et Regul. 2 Julii 1617; FERRAR. *ibid.* n. 20.)

IX. Prælati regulares, puta generales et provinciales, et nullatenus superiores locales, undecim tantum casus reservare possunt, et non plures sine consensu capituli generalis pro tota religione vel capituli provincialis pro provincia. Sic expresse decrevit Clemens VIII, 26 Maii 1593, his verbis : *Sanctitas sua... decrevit ut nemo ex regularium superioribus peccatorum absolutiones sibi reservet, exceptis iis, quæ sequuntur, aut omnibus, aut eorum aliquot, prout subditorum utilitati expedire in Domino judicaverit.*

1. *Veneficia, incantationes, sortilegia.*

2. *Apostasia a religione sive habitu dimisso, sive retento, quando ea provenerit, ut extra septa monasterii seu conventus fiat egressio.*

3. *Nocturna et furtiva e monasterio seu conventu egressio, etiam non animo apostatandi facta.*

4. *Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.*

5. *Juramentum falsum in judicio regulari seu legitimo.*

6. *Procuratio, auxilium seu consilium ad abortum faciendum post animatum fetum, etiam effectu non secuto.*

7. *Falsificatio manus, aut sigilli officialium monasterii aut conventus.*

8. *Furtum de rebus monasterii seu conventus in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale.*

9. *Lapsus carnis opere consummatus.*

10. *Occisio aut vulneratio, seu gravis percussio cujuscunque personæ.*

11. *Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut aperitio litterarum a superioribus ad inferiores, et ab inferioribus ad superiores.*

Si quod aliquid peccatum grave pro religionis conservatione, aut pro conscientiæ puritate reservandum videtur, id non aliter fiat, quam generalis capituli in toto ordine aut provincialis in provincia, matura discussione et consensu.

Censuræ et excommunicatio his casibus adnecti et reservari nequeunt absque consensu capituli. (S. congr. Regul., 7 Jul. 1616)

X. Cæteri superiores locales quocunque nomine nuncupati, sive facultate a generali vel provinciali obtenta, seu de consuetudine sibi commissa et delegata, nequeunt absolvere a dictis casibus in suis respective religionibus vel provinciis reservatis, cum

soli generales, provinciales, et nullatenus superiores locales habeant ad id jurisdictionem et auctoritatem ordinariam, ut expresse decrevit, sacr. congr. Visitationis apostolicæ de mandato sanctissimi 13 Martii 1601. — Possunt tamen confessarii regulares ab uno casu reservato, petita facultate absolvendi et denegata a superiore, absolvere ex decreto Urbani VIII 21 Septembr. 1624.

XI. Prælati regulares, uti generales et provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, a quibus possunt episcopi absolvere suos diœcesanos. (C. *Abbas, De privileg.* in 6; et const. sancti Pii V *Romani pontificis.*) — Imo possunt absolvere suos subditos ab omnibus papæ reservatis et etiam ab omnibus casibus in bulla *Cœnæ* contentis, quinque solum exceptis, scilicet schisma, hæresis cum relapso, falsificatio litterarum apostolicarum, delatio prohibitorum ad infideles, et conspiratio in Romanum pontificem. (Ex const. Sixti IV *Regiminis;* Julii II, *Exponi nobis fecit*; Pauli III, *Licet debitum;* S. Pii V, *Dum ad congr. Casinensium.*) — « Nec potest dici, quod ista tam ampla privilegia prælatorum regularium sint revocata, quia sunt solum revocata quoad facultatem absolvendi sæculares, ut patebit percurrenti exacte omnes bullas derogativas privilegiorum regularium, quarum nulla revocat supradictam facultatem eis concessam pro absolutione et dispensatione suorum subditorum. »

« Motivum enim, quo summi pontifices concesserunt regularibus hanc amplissimam facultatem fuit, ut patet ex suis præcisis verbis : ut dicti ordinis professoribus omnis vagandi tollatur occasio et ad sedem apostolicam recurrendi subtrahatur pro posse necessitas, » etc. Quod motivum semper subsistit, et a summis pontificibus semper intenditur, eo vel maxime cum sit desumptum ex jure communi canonico. »

« Imo Julius II, die 27 Febr. 1510 in sua const. *Exponi nobis fecisti*, declaravit expresse, quod non obstante bulla *Cœnæ*, quæ singulis annis renovatur et legitur, possint prælati regulares juxta sua privilegia absolvere licite perpetuis temporibus ab omnibus casibus in ea contentis, exceptis quinque supra recensitis, *ac si prædicta bulla in* Coena Domini *esset facta nec fieret.* — Sacr. congr. Episc. et Regul. facto verbo cum sanctiss. Clemente VIII, absolute decrevit quod omnes bullæ et decreta derogatoria privilegiorum regularium quantum ad facultatem absolvendi a casibus papæ reservatis, sunt intelligenda solum in ordine ad sæculares, non autem in ordine ad suos subditos regulares. » (Ferrar. verb. *Absolvere*, art. 1, a n. 29 ad 40.)

« Prælati regulares, generales et provinciales, possunt suos subditos et novitios absolvere ab excommunicatione contracta, nedum ob percussionem levem et mediocrem, sed etiam ab excommunicatione contracta ob percussionem enormem. (Id. verb. *Regularis prælatus* n. 31.) Ast tamen ex nota Rom. theologi, ad verb. *Regularis prælatus* n. 20, « circa enormem quoque clerici percussionem, irregularitatem, aliasque censuras Romano pontifici reservatas non adeo, facile absolvere suos subditos debent regulares, nisi perspecta ex concessione pontificia privilegia habeant, quæ revocata non sint. Vide etiam P. Mattæucci *Officialis curiæ*, cap. 38, num. 24, ubi ostendit prælatos regulares subditos suos absolvere non posse a casibus bullæ *Cœnæ*, nec ab excommunicatione propter admissionem mulierum intra clausuram conventus, nec ingredientes sine licentia clausuram monialium, nec moniales sibi subditas ob violationem clausuræ. » Unde sua privilegia non certo revocata consulere debent prælati regulares antequam a dictis casibus absolvant. Non possunt prælati regulares suos subditos absolvere ab homicidio voluntario injusto et mutilatione commissa post ingressum in religionem. (Ex const. S. Pii V *Dum ad congr. Casinensium.*)

Ab omnibus dictis casibus, sive suis prælatis sive papæ reservatis, absolvere possunt etiam superiores locales, si a generali vel provinciali habeant, ut communiter solent habere, in suos reservatos casus jurisdictionem delegatam. (Ferrar. verb. *Regularis prælatus*, n. 31.) Ferraris addit : « Imo Roncaglia, tom. I, tract. IV, cap. 2; citans Paulum, Bardonum et alios, absolute dicit posse superiores locales, et in eorum absentia eorum vicarios absolvere suos subditos ab excommunicatione contracta ob quamcunque percussionem vel alterius religiosi vel clerici etiam sæcularis, ex concessione Bonif. VIII et Clementis VII.

XII. « Prælati regulares, licet a Tridentino non habeant facultatem dispensandi ab

irregularitate concessam episcopis, eamdem tamen habent in suos subditos per concessionem variorum pontificum, et præcipue sancti Pii V, const. *Romani pontificis* et aliis, adeoque per hanc concessionem possunt dispensare cum suis subditis in omnibus irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario injusto, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, et etiam dispensare possunt in irregularitate orta ex mutilatione occulta licet voluntaria, uti dictum est de episcopis. — Amplissimum privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus ex delicto, et etiam ex defectu, et ex quavis causa, præterquam homicidii voluntarii, bigamiæ, et mutilationis membrorum, concessit prælatis ordinis Minorum Sixtus IV in bulla *Maris magni regimini*... et a sancto Pio V const. *Dum ad cong. Casinensium*, concessum est regularibus prælatis ut possint cum suis subditis etiam novitiis in religione perseverantibus dispensare in omnibus irregularitatibus quomodocunque contractis, et pro foro conscientiæ, etiam in irregularitate contracta ex homicidio voluntario, dummodo non sit commissum post ingressum in religionem, et eos habilitare, ut possint ad quascunque prælaturas suæ congregationis eligi et assumi, et eas libere et licite retinere, et quæcunque ordinis officia exercere, etiamsi irregularitatem contraxerint ante eorum promotionem. Nec hoc privilegium videtur revocatum per concilium Tridentinum, cum fuerit concessum post idem concilium cum clausula derogatoria quorumcunque conciliorum. »

Verum tamen est quod illæ facultates tam amplæ non sunt de facili deducendæ ad praxim. Imo per Lezanam... et alios graves doctores, nequeunt prælati regulares dispensare cum suis subditis amentibus, furiosis, epilepticis, lunaticis, energumenis, enormiter leprosis, cum abstemiis, deformiter gibbosis, notabiliter claudis, et gallico morbo affectis, cum habentibus manus tremulas, ut sit effusionis periculum, et similibus, quia a generalibus illis facultatibus dispensandi intelliguntur exclusæ omnes et singulæ irregularitates quæ procedunt ex aliquo enormi corporis vel etiam animi vitio et defectu ex quo posset generari scandalum in fidelibus videntibus celebrare eum qui præfatis esset affectus. Cum enim sint casus specialissimi, credendum est pontificem non voluisse illos comprehendere in generalibus concessionibus, juxta regulam 81 Juris, in-6.

In constitutione 95 Benedicti XIV, *Pastor bonus*, additur in irregularitatibus quoad regulares ita dispensari posse, ut ad quæcunque officia et beneficia regularia ascendere valeant, excepto tamen ordinis *generalatu* in irregularitate ex defectu natalium. Ea vero dispensatio conceditur tantum in foro conscientiæ, in casibus occultis; in publicis vero in utroque foro, auditis tamen superioribus, § 31 et 32; apud Ferraris, verb. *Irregularitas*, n. 17 et seq. — Notandum est in hac facultate dispensandi in irregularitatibus, quod in *Additionibus ex aliena manu*, ibid. n. 25 sic additur : « Fallitur auctor (Ferraris) dum n. 17 sensit privilegium concessum aliquibus religionibus dispensandi super quibusdam irregularitatibus venire sub privilegiorum communicatione. P. Giraldi refert decretum sacr. congr. Concil. quo dictum fuit privilegium hoc minime communicari. » Unde prælati regulares debent pro hac facultate sese stricte referre ad sua propria privilegia.

XIII. « Religiosi exempti non subjacent reservationi episcopi; nec eorum novitii; neque ipsorum familiares, ut habetur ex bulla Clementis X. *Superna*, modo *inibi sint quasi de familia et continui commensales*... Si vero novitius inciderit in casum reservatum ante ingressum, non poterit quidem absolvi a quolibet confessario sæculari; sed poterit a confessario religionis, ob privilegium religioni concessum. » (S. Ligorius, lib. vi, n. 583.)

XIV. Non debet superior suorum religiosorum confessiones audire, nisi sponte petierint, aut in casum ipsi reservatum inciderint; sed duos, tres aut plures... constituere debet apud quos religiosi confiteri valeant, ut dictum est supra.

§ V. — De jure regularium quoad confessiones sæcularium audiendas.

I. In locis *nullius diœcesis*, in quibus populus est prælato subjectus, prælati propriam quasi diœcesim, et territorium separatum habentes possunt pro suis subditis confessarios approbare. (S. congr. Concil. *in Nicastrotens.*, 24 Januar. 1595, et *in nullius Maruggio*, 20 August. 1630.)

II. Aut parochiale beneficium, aut approbatio ordinarii prærequiritur ad valide absolvendum sæculares, ita ut confessio scienter habita apud confessarium etiam regularem non approbatum sit penitus invalida, ut colligitur ex concil. Trident. sess. 23, cap. 15, *De reform.* et variis summorum pontificum constitutionibus. (Apud FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 1, n. 6.)

III. Estque necessaria regularibus approbatio episcopi ad valide absolvendos sæculares, etiam a venialibus. (*Ibid.* n. 7 et seq.) — Item ipsis necessaria est ad audiendas confessiones monialium, etiam eis subjectarum.

Ab hac generali regula excipiendi sunt novitii et nonnulli alii sæculares, qui sunt de regularium familia, et continui commensales, ut supra dictum est.

IV. Nec sufficit approbationem fuisse petitam, sed necesse est eam fuisse *obtentam*, ex decreto Tridentino.

V. Ante bullam Clementis X, *Superna*, anni 1670, sacræ cong. Concil. sententia fuit nunquam posse episcopum approbationem regularibus limitare; sed teneri eum vel ad approbandos regulares idoneos repertos, vel ad eos non idoneos rejiciendos. At vero sacra congr. Episc. et Regul. censuit teneri episcopum approbare sine limitatione regulares illos quos generaliter idoneos reperit : quos autem non judicat adeo idoneos posse vel cum limitata facultate vel nullo modo approbare. Sed de sententia quæ liberum faceret episcopo approbationem limitare etiam generaliter idoneis ex prævio examine repertis, ne vestigium quidem invenitur in sacrarum congr. Responsis aut pontificum constitutionibus, sive ante sive post bullam *Superna*, quo jus commune hodiedum vigens determinatum fuit.

VI. Igitur tanquam certum nunc tenendum videtur, non posse episcopum approbationem limitare regularibus, quos reperit *generaliter idoneos;* aliis vero non adeo idoneis potest vel limitatam facultatem, vel nullam concedere. (Ex const. Clement. X, *Superna*, et multis sacr. congr. declarationibus.)

VII. Nequit ordinarius denegare examen regulari absolutam pro confessionibus approbationem postulanti, et vel nullam, vel limitatam duntaxat approbationem concedere ; sed tenetur episcopus postulantem regularem examinare, et idoneum generaliter repertum, generaliter quoque et absque aliqua limitatione approbare. Nam ita decernit Clement X, *religiosos qui idonei generaliter reperti fuerint, generaliter quoque et absque aliqua limitatione esse admittendos.*

Potest quidem ordinarius, si alias quam per examen absolutam religiosi idoneitatem compertam habeat, ei absolutam approbationem absque ullo examine concedere.

VIII. Si vero certo constet ordinario sive ante, sive post examen, regularem non esse generaliter idoneum, potest ordinarius illum cum limitata facultate aut nullo modo admittere. Igitur regulares generaliter idonei reperti debent sine limitatione temporis, locorum et generis personarum pro tota diœcesi approbari, ad differentiam eorum qui non adeo idonei reperti possunt admitti cum limitata facultate ad arbitrium ordinariorum. Sic decrevit sacr. congr. Episc. et Regul. 2 Jul. 1587, et hoc ipsum in legem generalem decernitur in tam sæpe cit. const. Clement. X *Superna.* Et ratio est quia regulares jurisdictionem a papa tenent.

IX. Regulares prævio examine semel approbati non possunt ab eodem episcopo examinari. (Sic sanctus PIUS V, const. *Romani pontificis;* sacr. congr. Episc et CLEMENS X, const. *Superna.*) Imo nedum non possunt ab eodem episcopo iterum examinari, sed neque ab eisdem confessionibus audiendis suspendi, nisi nova superveniente causa quæ ipsas confessiones concernat, ut decernit dictus Clemens X, cit. const. *Superna*. Interveniente tamen aliqua rationabili et justa causa, possunt ab eodem episcopo suspendi prout statuit idem Clemens X.

X. Quilibet tamen confessarius, quantumvis regularis, simpliciter approbatus a vicario generali episcopi, potest ab eodem episcopo iterum examinari; item approbatus ab episcopo antecessore, potest iterum examinari et in utroque casu si minus idoneus repertus fuerit, reprobari ab episcopo de novo examinante. (Sic sanctus PIUS V, const. *Romani pontificis*, et CLEMENS X, const. *Superna*. Quamvis autem iterum examinare approbatos possint episcopi, non tamen ad hoc aliqua lege obligante tenentur, cum allegata jura concedant eis præcise potentiam facultativam, et nullo modo coarctativam, ut ea legenti patet.» (FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 1, n. 49 ad 53.)

XI. Regulares ab episcopo approbati nequeunt iterum examinari nec a vicario capitulari sede vacante, nec a vicario apostolico, et multo minus a vicario generali episcopi. (Ex const. CLEMENT IV, *Exigentibus vestræ devotionis;* S. PII V, *Romani Pontificis*, et sacr. congr. Concil. pluries, apud FERRAR. *Ibid.* n. 54 ad. 59.)

XII. In supradictis agitur tantum de regularibus approbatis generaliter absque aliqua limitatione ; sed facultas non adeo idoneis concessa cum limitatione (sive ad tempus, sive ad aliquem locum, sive ad aliquod genus personarum, sive ad beneplacitum), potest ab episcopo restringi, vel omnino adimi, absque nova causa ; ex juribus allatis, et propositione damnata ab Alexandro VII, decreto I Inquisitionis, 30 Januarii 1659. Propositio sic erat :

« Ubi concilium Tridentinum est receptum, non possunt episcopi restringere vel limitare approbationes, quas regularibus concedunt ad confessiones audiendas, neque illas nulla ex causa revocare. .. *Complex* accepta est falsa, temeraria, scandalosa et erronea. »

XIII. Regulares approbati ad confessiones sæcularium audiendas nequeunt omnes simul unius conventus suspendi a locorum ordinariis. Sic expresse decrevit sacr. congr. Episc. et Regul. 20 Novembr. 1615; et absolute etiam statuit Clementis X const. *Superna*, præcisis his verbis : *Attamen confessiones audiendi facultatem omnibus simul unius conventus regularibus confessoribus adimi ab episcopo inconsulta sede apostolica nullatenus posse.* — Nec confessarii regularium restringi debent ad duos pro qualibet ecclesia. (Sacr. congr. 2 Martii 1646 ; FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 1, n. 71 et 72.)

« XIV Confessarii ubicunque, etiam Romæ approbati, licet etiam sint regulares, non possunt hodie audire confessiones extra territorium approbantis absque licentia ordinarii loci ; Urbanus VIII, const. *Cum sicut accepimus*, Septembr. 1628, in qua revocavit omnia privilegia quibuscunque concessa, confessiones sæcularium audiendi absque examine et approbatione ordinarii. »

« Confessarii etiam regulares, in vim bullæ *Cruciatæ* a pœnitentibus ad audiendas eorum sacramentales confessiones electi nullatenus confessiones hujusmodi audire possunt sine approbatione ordinarii loci, in quo ipsi pœnitentes degunt, et confessores eligunt, vel ad excipiendas confessiones requirunt. — Confessiones autem aliter deinceps faciendæ et excipiendæ (præterquam in articulo mortis) declarantur nullæ et invalidæ, et confessarii pro jure pronuntiantur suspensi, et rigide puniendi ab ipsis locorum ordinariis. Quæcunque contraria opinio damnatur, et contraria consuetudo aboletur, ac proinde omnibus Christifidelibus prohibetur, ne supradictam opinionem docere vel tueri, aut ad praxim deducere quovis modo præsumant sub pœna excommunicationis per contra facientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, reservata papæ absolutione. (INNOCENT. XII, const. *Cum sicut*, edita 19 Aprilis 1700.)

Approbatus in una diœcesi non potest in alia diœcesi, in qua non sit approbatus, excipere confessionem alicujus habentis licentiam, seu privilegium eligendi quemcunque confessarium. Hinc episcopus vigore privilegii sibi concessi in c. fin. *De pœnit. et remiss.*, nequit extra suam diœcesim sibi eligere sacerdotem etiam regularem non subditum, qui non sit approbatus a proprio loci ordinario, ut audita relatione sacr. congr., declaravit Gregorius XIII, 1 Decembr. 1582 et sæpius. Et sic virtute facultatis datæ in jubilæis, seu in bullis, etiam *Cruciatæ*, nequeunt pœnitentes eligere sibi confessarios, etiam regulares non approbatos ab ordinario loci, in quo confessiones sunt excipiendæ. (Sacr. congr. Concil. pluries ; apud FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 1, n. 80 et seq.)

XV. Regulares approbati ab ordinario non indigent licentia parochi ad audiendas confessiones infirmorum vel aliorum ; sed quoad infirmos tenentur parochum de audita confessione monere, saltem per scripturam apud infirmum relictam. (Const. CLEMENT. *Superna.*)

XVI. Regularis non potest licite, inscio vel invito prælato sui ordinis approbari ab ordinario ad audiendas confessiones in sua diœcesi ; attamen quamvis confessiones illicite audiat talis regularis, eas tamen valide excipit.

Si vero in aliqua religione habeatur constitutio a sede apostolica vel condita vel approbata, qua caveatur quod nullus reli-

giosus sine sui prælati facultate se præsentet ordinariis ad approbationem pro confessionibus obtinendam, et aliter obtenta revocetur, tunc nedum illicite sed etiam invalide confessiones audiret. (FERRAR. verb. *Approbatio*, art. 2, n, 18 et 19.)

XVII. Regularis approbatus in una diœcesi potest in illa absolvere confluentes ex aliis diœcesibus, et etiam a reservatis in eorum diœcesibus, nisi noverit pœnitentes in fraudem reservationis ad alienam diœcesim pro absolutione obtinenda migrasse. Sed a reservatis in diœcesi in qua est approbatus absolvere nequit, nisi hoc ei expresse hujus diœcesis ordinarius concesserit. Hæc constant ex const. *Superna.*

XVIII. Confessarii regulares possunt in foro conscientiæ absolvere sæculares ab omnibus casibus et censuris reservatis papæ ex constitutione Pauli III *Cum inter cunctas*, 3 Julii 1545, exceptis tamen contentis in bulla *Cœnæ*, ut expresse excipit dicta constitutio his verbis : *Exceptis contentis in bulla, quæ in die Cœnæ Domini solita est legi.* Exceptis etiam casibus reservatis episcopis in suis respective diœcesibus, ex decretis sacr. congr. et constit. Clementis X, *Superna;* ex Alexandro VII damnante sub die 24 Septembr. 1665, hanc propositionem :

« Mendicantes possunt absolvere a casibus episcopo reservatis non obtenta ad id episcoporum facultate. »

Et denique etiam exceptis intra Italiam, et extra urbem aliis sex dictis Clementinis, ex quo de mandato expresso Clementis VIII, fuerint reservati a sacr. congr. Episc. et Regul. in declaratione sui decreti editi die 9 Januarii 1601 facta per aliud decret. 26 novembr. 1602. ibi :

« Eadem sacr. congr.... declarat videlicet sub ejusdem prohibitione illos tantum in posterum comprehendi casus, qui in bulla die *Cœnæ Domini* legi consueta continentur. — Ac præterea violationis immunitatis ecclesiasticæ in terminis constitutionis fel. rec. Gregorii XIV, quæ incipit, *Cum alias nonnulli* : violationis clausuræ monialium ad malum finem ; provocantium et pugnantium in duello juxta decret. concil. Trident. et const. Gregorii XIV, incip. *Ad tollendum* ; injicientium violentas manus in clericos, juxta canonem : *Si quis suadente diabolo*, 17, quæst. 4, ac juris dispositionem : simoniæ realis scienter contractæ, atque etiam confidentiæ beneficialis. Item omnes casus quos ordinarii locorum sibi reservarunt, vel in posterum reservabunt. In quibus omnibus jam enumeratis casibus duntaxat, et sublata etiam pœna inhabilitatis audiendi confessiones, eadem sacr. congr. vult, et mandat dictum decretum in sua firmitate, et pristino robore permanere ; ac præterea declarat eos quidem sacerdotes, tam sæculares quam regulares, qui aliquo ex privilegiis, indultis, et facultatibus in supradicto decreto expressis suffulti fuerint, posse juxta eorum privilegia, indulta, et facultates, usu ante idem decretum receptos, et quæ sub aliis revocationibus non comprehenduntur , tantum et non alios absolvere a casibus in præsenti declaratione non comprehensis, aliis vero sacerdotibus hujusmodi privilegia non habentibus nihil de novo concedi. » (FERRAR. verb. *Absolvere*, art. 1, n. 41 et seq.)

XIX. Regulares mendicantes, aliique omnes cum ipsis communicantes possunt in foro conscientiæ dispensare ad petendum debitum, tam super impedimento proveniente ex voto simplici castitatis perpetuæ ante vel post contractum matrimonium inito, quam super impedimento proveniente ex contracta affinitate, ratione copulæ habitæ cum consanguinea vel consanguineo etiam in primo et secundo gradu alterius conjugis ; ex pluribus pontificiis privilegiis. (FERRAR. verb. *Matrimonium*, art. 3, n. 11 et seq.)

« Confessarii regulares possunt valide et licite dispensare super impedimento petendi debitum ratione voti ante vel post matrimonium emissi, licet non sint ad hoc specialiter deputati a suis superioribus majoribus. Est communis. Et ratio est quia certum est quod confessarii regulares possint vi suorum privilegiorum absque ulla speciali deputatione vel licentia superioris dispensari in votis : ergo etiam in impedimentis petendi debitum ex solis votis provenientibus ; nam si dispensando tollere possunt et actu tollunt votum, quod est unica causa et radix impedimenti, utique etiam tollere possunt et dispensando tollere ipsum impedimentum eo quod, ut jam dictum est, cessante causa, cesset effectus. » (C. *Cum cessante* 60, *De appellat.*)

« Super impedimento tamen petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex

copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea vel consanguineo in primo vel secundo gradu, probabilius est non posse dispensare, nisi habeant ad hoc specialem commissionem et licentiam a suis superioribus majoribus, puta generalibus provincialibus et hujusmodi....

« Non desunt tamen doctores magni nominis qui expresse tenent posse confessarios regulares, etiam sine speciali commissione et licentia provincialis vel generalis, dispensare super impedimento petendi debitum ratione affinitatis contractæ ex copula post contractum matrimonium habita cum aliqua vel aliquo sui conjugis consanguinea, vel consanguineo in primo vel secundo gradu. Ita Diana et alii plurimi.... Et expresse sustinet Reiffenstuel, lib. IV *Decretal.*, in append. *De dispensat. super impedimentis*, n. 577 cum sequentibus, adducens privilegium bullatum concessum PP. Augustinianis a Leone X quod cum his qui in primo affinitatis gradu scienter aut ignoranter contraxerunt, modo notorium id non fuerit neque judicium productum dispensare valeant, ut de novo contrahant et in eodem contracto matrimonio remaneant, prole etiam legitima.... » (Id. *ibid.* n. 18 et seq.)

XX. Confessarii regulares approbati ordinum Mendicantium, ac in eorum privilegiis communicantium, possunt dispensare et commutare omnia vota etiam pie jurata sæcularium, in quibus jure ordinario possunt dispensare episcopi. Unde confessarii regulares dispensare possunt in omnibus votis, exceptis quinque papæ reservatis; quæ sunt nempe votum ingrediendæ religionis ab Ecclesia approbatæ, votum castitatis integræ et perpetuæ, votum peregrinationis Hierosolymitanæ ad S. Sepulcrum, votum peregrinationis Romanæ ad limina Apostolorum, et votum peregrinationis Compostellanæ ad S. Jacobum devotionis causa. Communis; arg. extravag. *Etsi Dominici* 5, *De pœnitent. et remiss.*, ubi sub pœna excommunicationis prohibetur, ne quis sine speciali licentia papæ in aliquo dictorum quinque votorum dispenset.) — Reservatio dictorum quinque votorum cum sit odiosa utpote ordinariam potestatem restringens, est omnino stricte interpretanda. (Arg. c. *Odiosa* 15 *De regul. juris* in 6.) Unde talis reservatio est intelligenda solum de votis proprie dictis perfectis, determinatis, absolutis, et quidem præcise quoad substantiam, non autem qualitates et circumstantias eorum. Et si in aliquo deficiant, licet sint valida, non sunt tamen reservata; ideoque confessarii regulares sicut et episcopi possunt ea dispensare et commutare. (Sic doctores communiter.) — Ferrar. verb. *Votum*, art. 3, n. 77 et seq.)

§ VI. — De jure regularium quoad confessiones monialium audiendas.

I. « Confessarii monialium debent esse approbati ab ordinario loci, quamvis sint regulares pro monialibus sibi subjectis; Gregorius XV in const. *Inscrutabili*, his verbis: « *Confessores vero, sive regulares sive sæculares quomodocunque exempti, tam ordinarii, quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam regularibus subjectarum audiendas, nullatenus deputari valeant, nisi prius ab episcopo diœcesano idonei judicentur, et approbationem, quæ gratis concedatur, obtineant.* Et sic expresse etiam sacr. congr. Concil. in declaratione dictæ constitutionis... insuper, declarans confessiones monialium auditas a talibus superioribus regularibus sine approbatione episcopi esse nullas, ut patet in responsione ad octavum quæsitum... (Apud Fagnan. in cap. *Cum capella* 16, *De privileg.*)

II. Et quod non possint superiores regulares, et neque ipsi generales audire confessiones monialium sibi subjectarum sine approbatione episcopi, iterum declaravit sacra congregatio concilii, in responsione ad abbatem generalem Vallumbrosanorum, 23 Novembr. 1637. Affertur tamen Benedicti XIII, bulla *Pastoralis officii*, qua § 8, sic expresse statutum, *Ab hujusmodi tamen lege et ordinatione... eximimus superiores generales, ac etiam provinciales cujusvis ordinis regularis, quibusque ut confessiones monialium sibi subjectarum duntaxat, absque istiusmodi speciali approbatione episcopi diœcesani audire licite et valide possint, permittimus et indulgemus.* Sed hæc constitutio edita fuit tantummodo pro regnis Hispaniarum; unde remanet dubium an faciat jus commune, quod Ferraris, verb. *Approbatio*, art. 3, n. 15 et seq., affirmat et demonstrare nititur. Nobis tamen melius videtur recurrendum ad sacram congr. Concil. pro solvendo dubio.

III. Licet autem regulares sint generaliter approbati ab episcopo ad confessiones sæcularium audiendas, adhuc eis est necessaria specialis approbatio pro monialibus; sic expresse declaravit eadem sacra congr. Conc. et Clemens X in const. *Superna.*

IV. Etiam confessarii extraordinarii indigent speciali approbatione episcopi pro unaquaque vice, sacr. congr. Conc. et eadem const. *Superna* his verbis: *Itidemque confessarios extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab episcopo ad monialium confessiones pro una vice audiendas, haud posse expleta deputatione in vim approbationis hujusmodi illarum confessiones audire, sed toties ab episcopo esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.*

Imo tales confessarii indigent approbatione ordinarii ad audiendas confessiones monialium sibi subjectarum, non obstante etiam contraria consuetudine immemorabili. (Ut decrevit sacr. congr. Concil. 12 Jul. 1618.)

V. Confessarii non approbati specialiter ad audiendas confessiones monialium, nequeunt earum confessiones audire, neque tempore jubilæi. (Deducitur ex cit. const. Gregor. XV *Inscrutabili* et Clement. X, *Superna.* Et hoc etiam clare habetur ex declaratione sacr. congr. anno 1593.) Et sic etiam potest dici, quod approbatus pro monialibus unius monasterii, neque tempore jubilæi censetur approbatus pro monialibus alterius monasterii. (Colligitur ex iisdem constit. et decret. — Ferrar. verb. *Approbatio*, art. 3, n. 5 ad 12.)

VI. «Quando moniales regularibus sunt subjectæ, confessarios ipsarum eligere ac deputare pertinet ad prælatum regularem, non autem ad episcopum. Sed necesse est, ut dictum est, ut episcopus eos approbet: alioquin confessiones forent nullæ.» (Ita D. Bouix, cum Cler., *De jure regul.* t. II, pag. 261.)

Confessarius præsentatus ad confessiones excipiendas monialium regularibus subjectarum, debet vel absolute rejici, vel per totum triennium approbari; non vero ad tempus brevius, prout declaravit sacr. congr. Episcop. et Regul. 4 Maii 1696.

VII. Attamen: *Liceat episcopo ex rationabili causa superiores regulares admonere, ut ejusmodi confessores amoveant: iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus, habeat episcopus facultatem prædictos confessores... amovendi quoties et quando opus esse judicaverit.* (Hæc verba sunt bullæ *Inscrutabili* Gregor. XV, 5 Februar. 1622.) — Et ad dubium super hanc bullam respondit sacr. congr. episcopum «non teneri ejusmodi causam (amotionis confessarii) significare superioribus regularibus; sed hoc relinqui arbitrio et prudentiæ episcoporum quorum conscientiam sacr. congr. serio oneravit, ne facultate sibi hac in parte attributa quoquomodo abutantur, ejus rei in districto Dei judicio rationem reddituri.»

VIII. «Cum ex cap. 10 sessionis 25 Tridentinæ, teneatur superior regularis monialibus sibi subditis confessarium extraordinarium bis aut ter in anno offerre, voluit sedes apostolica ut confessarius ille extraordinarius, saltem semel in anno seligeretur e sæcularibus, vel ex regularibus alterius ordinis. Ita dispositum fuit ab Innocentio XIII et Benedicto XIII; et postea confirmatum a Benedicto XIV, const. *Pastoralis curæ*, t. II ipsius bullarii, n. 56. Unde potest episcopus ad id regulares compellere.

IX. A sacr. congr. Episc. et Regul. «resolutum fuit posse moniales vigore consuetudinis (ubi talis adest consuetudo) eligere in confessarium aliquem de approbatis ab episcopo, modo tamen approbatus ille sit pro monialibus, et electionem fieri posse ab iis absque episcopi vel ejus deputati interventu, et teneri episcopum confessarium electum confirmare, quatenus non adsit legitima causa non confirmandi. (Vide *Resolutiones, in Brundusina*, Januarii 1754 et Februar. 1755. — (Ferrar. verb. *Approbatio*, art. 3, Addit. n. 16 et seq.)

§ VII. — De ordinariis et extraordinariis monialium confessoribus.

I. Confessarii monialium non possunt esse vicarii generales, quia moniales de ipsis non confiderent. (S. congr. Episc. et Regul. pluries.) Neque parochi, si exinde cura notabiliter pateretur. (Ead. sac. congr. sæpe.) Possunt autem, si exinde cura notabiliter non patiatur ex concessione sacræ congreg. Episc. et Reg. et sacr. congr. Concilii. (Apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 25 et 30.) Sic pariter licet regulariter canonicus pœnitentiarius non possit deputari confessarius monialium, ubi non valeat utrique muneri

satisfacere,... potest tamen deputari, ubi valeat utrumque munus adimplere, ut censuit sacr. congr. Concil. *in Januensi* 11, Septembr. 1666.

II. Confessores monialium esse nequeunt Minores conventuales, quibus id prohibitum fuit a sancto Pio V. (Ead. sacr. congr. Episc. et Regul. pluries.) Neque observantes provinciæ reformatæ sancti Antonii Lusitaniæ, quibus prohibitum fuit a sacr. congr. sub die 7 Novembr. 1653.

Et generaliter regulares, quamvis possint eligi et deputari in confessores monialium sibi subjectarum, tamen non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium ordinario subjectarum. (Sacr. congr. Episcop. 16 Maii 1653.) Unde ordinarii non possunt uti opera confessariorum regularium, etiam pro confessariis extraordinariis, nisi in casu necessitatis et cum licentia sacræ congr. Episc. et Regul.; nam prohibuit sacr. congr. 11 Maii 1617 patriarchæ Veneto, ne regulares sine licentia sacr. congr. deputaret confessarios monialium sibi subjectarum; et die 7 Junii 1620 eidem concessit, ut ob penuriam sacerdotum sæcularium posset prædictos regulares deputare ad subeundum munus prædictum.» (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 28 et seq.)

III. Pro confessariis monialium, quamvis de jure communi satis sit ætas ad sacerdotium requisita, ut patet de parochis qui statim ac in sacerdotio constituti, alia ætate non exspectata, suarum ovium utriusque sexus confessiones excipiunt; nihilominus sacr. congr. Episc. et Regul. pluries statuit confessarios monialium debere esse in ætate supra quadraginta annos; et hoc extendi debet etiam ad confessarios extraordinarios, prout pro reformatis declaravit sacr. congr. Concil. *in Cosentina*, 26 Novembr. 1689, et est de mente sacr. Concil. Tridentini quod in canonicum pœnitentiarium 40 annum ætatis requirit.

IV. Confessarii monialium durare possunt solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire confessiones in eodem monasterio per aliud tempus absque licentia sacr. congr. Episc. et Regul., alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus. (Sacr. congr. Episc. et Regul. multoties apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 19, et fusius in publicatione periodica; *Analecta juris Pontificii*, Romæ edit. numer. Januarii et Februarii 1859.

Quod habet locum etiam in confessario monialium quæ clausuram et vota solemnia non habent, et generatim in confessario conservatorii puellarum, vel aliarum quarumcunque mulierum in communitate viventium. Quod diligenter notandum est et probatum fuit apud Ferraris et in *Analectis* ubi supra. — Si autem esset quis deputatus confessarius ad aliquot menses per modum supplementi, poterit iste in generali deputatione confessariorum, quæ postea fiet, ab ordinario eligi in confessarium ejusdem monasterii ad integrum triennium. (Ferrar. *ibid.* n. 22.)

V. Confessarius, si expleto triennio, ex dispensatione sacr. congr. eligatur ad aliud triennium, non potest rursus expleto secundo triennio, absque ipsius summi pontificis dispensatione eligi ad tertium triennium, et sic etiam ad quartum, quintum, etc., triennium necessaria est pontificia dispensatio. Pro unoquoque triennio post primum, necesse est ut confessarius eligatur per vota secreta omnium monialium et aliarum in conventu seu monasterio degentium. Hujusmodi vota colligi debent ab ipsomet episcopo aut ab ejus delegato et electio sic facta confessarii mittitur ab episcopo ad sacram congregationem episcop. et Regul. pro licentia ejusdem congregationis aut summi pontificis obtinenda. Monialibus vero aut aliis sive puellis sive mulieribus, quæ dictum confessarium de novo non elegerunt aut rejecerunt, dandus est alius confessarius ordinarius pro toto triennio. (Hæc omnia pluribus sac. congr. decretis demonstrata sunt in dicto numero Januarii 1859, publicationis periodicæ: *Analecta juris pontificii.*)

VI. *De Galliarum praxi contraria a tempore Concordati* 1802. — Cum supradictis juribus Galliarum praxis sit omnino contraria solummodo a tempore Concordati anni 1802, quidam presbyter confessarius monialium ad conscientiam suam in tuto ponendam me rogavit pro semetipso supplicare sacr. congr. Episc. et Regul. Quod tanto libentius feci ut mea propria dubia dirimi optarem.. Propterea sequentem supplicationem sacræ congregationi humillime submisi.

« *Eminentissimis Patribus sacr. cong. Episcop. et Regul.* :

« Eminentissimi Patres,

« Cum pluries sacr. congr. Episc. et Regul. decreverit quod confessarii monialium durare possint solum triennio, quo elapso, non possunt amplius audire confessiones in eodem monasterio per aliud tempus absque licentia sacræ congregationis, alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus, multa dubia pro sacerdotibus pie subjectis sanctæ sedi apostolicæ, sacrasque Ecclesiæ leges, quantum in ipsis est, observare optantibus, quotidie enascuntur.

« Si ad solas proprie dictas moniales decreta sacr. congr. spectarent, nullum remaneret dubium; cum pluries a sacr. Pœnitentiaria declaratum sit, pro solemnibus habenda non esse vota, quæ a monialibus Galliæ emittuntur; præsertim *in Nannetensi* 23 Januarii 1821, et ad episcopum Cœnomanensem 2 Januarii 1836.

« Alia vero sunt sacri vestri ordinis decreta, ex quibus confessarii monialium, ac generatim omnium quarumcunque mulierum et puellarum in communitatibus viventium, constitui nequeunt nisi ad *triennium*, quo elapso, ut confessiones valide audire pergant licentia sacr. congr. indigent pro unoquoque triennio; alias declarantur suspensi ab audiendis confessionibus; proindeque talibus factæ confessiones nullæ atque irritæ sunt.

« Præterea ex pluribus sacri hujus ordinis decretis confessarii monialium non possunt esse vicarii generales, nec ordinarie parochi; et generaliter regulares non solum non possunt esse confessarii ordinarii, sed neque capellani monialium ordinario subjectarum, nec etiam confessarii extraordinarii, nisi in casu necessitatis.

« Attamen in omni fere Gallia iidem confessarii piarum mulierum in communitatibus viventium, et puellarum in iisdem communitatibus educandarum, semel ab ordinario constituti et approbati pergunt earumdem confessiones audire per decem, quindecim, viginti, etc., annos; aliquando etiam vicarii generales monialium confessiones recipiunt; præterea regulares audiunt monialium confessiones, saltem quotannis, quando iisdem monialibus exercitia spiritualia prædicant, moniales tamen Galliarum episcopis subjectæ sunt. Post declarationes sacr. Pœnitentiariæ, hæc Galliarum praxis non videtur improbanda; quia ad moniales Galliarum vota solemnia non habentes, non videntur spectare decreta sacr. congr. prohibentia pro monialium solummodo proprie dictarum confessionibus, vicarios generales, parochos et regulares. Sed et contra hanc praxim fieri multum difficile foret; nam paupertas monialium, et sæpe penuria sacerdotum non permitterent monialibus alios invenire nec præsertim tam idoneos ad exercitia spiritualia quam regulares. Aliunde ob gravitatem et speciem hujus ministerii, episcopi nequeunt sæpe mutare monialium confessarios, qui sunt fere semper simul et capellani.

« In tali rerum statu, si omnia supramemorata sacr. congr. decreta obligent etiam in Gallia, ac proinde si Galliarum consuetudo generalis non sit legitime præscripta, multæ et quotidianæ conscientiarum perplexitates exorientur quibus permotus presbyter N. capellanus et confessarius sex abhinc annis monialium NN. in civitate N. (diœcesis Briocensis) me infra scriptum rogavit ut ab emin. Patribus sacr. congr. Episc. et Regul. humiliter exquirerem responsa ad sequentia dubia.

« I. An generalis Galliarum consuetudo, qua stante iidem presbyteri semel ab episcopis approbati et constituti pro confessionibus monialium, seu piarum mulierum in conventu viventium sicut et puellarum in eodem educandarum audiendis, pergunt prædictarum audire confessiones per quatuor, decem, quindecim, etc. annos, absque sacr. congr. licentia pro unoquoque triennio, sit legitima, et sine periculo tutaque conscientia sequi possit? et quatenus negative.

« II. An dicti presbyteri teneantur ultra primum triennium, licentiam sacr. congr. ad monialium piarumque mulierum et puellarum in conventu viventium, confessiones audiendas expetere pro unoquoque triennio.

« III. An dicti Galliarum presbyteri. quamvis ab episcopis approbati in audiendis prædictarum confessionibus ultra triennium, prorogati, nec licentiam sacr. congr. habentes, ab audiendis confessionibus suspensi sint? Et quatenus affirmative.

« IV. An dicti presbyteri ab audiendis quorumcunque etiam sæcularium, aut solum-

modo prædictarum monialium et puellarum confessionibus suspensi sint?

« V. An tales presbyteri sic suspensi ab audiendis confessionibus, et tamen eas audire pergentes, censuras contra jurisdictionem ecclesiasticam usurpantes a jure latas incurrant ?

VI. An, ut videtur, attentis monialium Galliarum paupertate, presbyterorumque penuria, vicarii generales et parochi confessiones monialium, quæ vota solemnia non habent, audire licite et valide possint?

« VII. An, sicut probabile apparet, juxta Galliarum consuetudinem, regulares iisdem non proprie dictis monialibus exercitia spiritualia prædicantes, earumdem confessiones audire possint, per tempus saltem exercitiorum?

« Præterea presbyter N. sex abbinc annis capellanus et confessarius monialium NN. et puellarum ab iisdem monialibus educandarum, in civitate N. diœcesis Briocensis, item confessarius mulierum sæcularium et puellarum orphanarum in domo N. nuncupata simul et conventualiter commorantium, licentiam ad triennium confessiones prædictarum monialium, mulierum et puellarum audiendi, a sacr. congr. humillime supplicatur.

« Et quatenus isdem presbyter censuras incurrerit, quod tamen, quia legem ignorabat, probabile non est, suppliciter expostulat se a sanctissimo pontifice saltem ad cautelam absolvi.

« Placeat itaque Eminentiis Vestris supradicta dubia dirimere, licentiam concedere, et quatenus necessaria sit absolutionem a censuris a sanctissimo pontifice obtinere.

« Vestrarum Eminentiarum humillimus et observantissimus servus.

« Die 12 Januarii 1859 in civitate N. diœcesis Briocensis.

« F. L. M. Maupied. »

Pro gravissimis sane rationibus, noluit sacr. congr. ad proposita dubia directe respondere. Sed jussit aliam supplicationem ex præcedenti excerptam ab ejusdem sacr. congr. secretario redigi, ita tamen ut fere omnia præcedentia dubia implicaret et indirecte dirimeret. Et hæc nova supplicatio sic jussu sacr. congr. formulata, et sanctissimi pontificis ad hujusmodi supplicationem indultum, quorum authenticum penes me habeo, fuerunt tenoris sequentis, valde notandæ;

« Beatissime Pater,

« Ad pedes Sanctitatis Vestræ sacerdos N. confessarius ordinarius sororum NN. in oppido N. diœcesis Briocensis Galliarum humillime exponit quod ipse ab illustr. et reverend. episcopo confirmatus fuit in dicto munere ultra triennium, forsan ex ignorantia decretorum, quæ id reservant sanctæ sedi apostolicæ. Quare orator humillime supplex adest pro benigna sanatione, absolutione et confirmatione ad aliud triennium non solum in prædicta domo sororum N., sed etiam in alio conservatorio N. ejusdem oppidi, in quo pariter sex abhinc annis munus confessarii ordinarii exercet. Quod Deus, » etc.

Indultum. — « Ex audientia SS. habita ab infra domino secretario sacr. cong. Episc. et Regul. sub die 6 Maii 1859. — Sanctitas sua benigne annuit pro petita absolutione, sanatione et confirmatione juxta preces, quatenus orator ab ordinario Briocens. in præfato munere confirmatus fuerit vel confirmetur. »

Loco † Sigilli. « Gabriel Cardin. Della Genga *præfectus.* »

Ex suprascripto rescripto liquet quod Galliarum consuetudo legitime præscripta Romæ non videatur, cum opus fuerit ***absolutione*** invita ignorantia legis allegata, ***sanatione*** pro præterito, et ***confirmatione*** pro futuro. Unde necessaria videtur sanctæ sedis licentia confessariis monialium, piarum mulierum et puellarum in conservatorio degentium ad earumdem confessiones valide audiendas ultra primum triennium. Et consequenter necesse est etiam ut idem confessarius de novo ab iisdem eligatur, ut dictum est supra.

VIII. — ***De extraordinario monialium confessore.*** — « Præter ordinarium autem confessorem alius extraordinarius ab episcopo et aliis superioribus bis, aut ter in anno offeratur. » (*Concil. Trident.* sess. 25 *De regul.* cap. 10.) Potest tamen confessarius extraordinarius eis concedi a superioribus per plures vices quam ter in anno, non autem per pauciores vices; sic decisum fuisse refert Bordonus, resolut. 5, n. 11.

Confessarius extraordinarius nunquam datur pro moniali particulari (S. congr. Episc. et Regul. 27 April. 1657), nisi per sacr. Pœ-

nitentiariam, vel de licentia sacræ congregationis, ut decrevit pluries. Potest tamen episcopus vel, si ad eum spectet, superior regularis, ex aliqua speciali ratione concedere extraordinarium etiam moniali alicui particulari, puta in articulo mortis, vel si aliqua monialis etiam extra prædictum casum postulet sibi per aliquod tempus alium confessarium ab ordinario diversum, vel si petat pro majori animi sui quiete, et ulteriori progressu in via Dei, ut aliquando liceat sibi confiteri alio sacerdoti; in his omnibus casibus etiamsi requirat alterius ordinis regularem, vel etiam sæcularem sacerdotem ex approbatis tamen a superiore ad confessiones monialium, suadetur superioribus ut non sint difficiles ad præbendum assensum. Quod si superior regularis id renuerit, tunc potest episcopus satisfacere monialis petitioni.

Item si prælatus regularis, ad quem hoc spectat, deputationem confessarii extraordinarii bis saltem in anno omittat, potest et debet id præstari ab episcopo. Postremo si superiores regulares non saltem semel in anno elegerint in confessarium extraordinarium, vel sacerdotem sæcularem, vel regularem alterius ordinis, in eo quoque casu devolvitur hæc electio ad episcopum. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 38 seq. n. 82.)

« Si episcopus, quando ad ipsum pertinet confessarium extraordinarium monialibus dare, id facere nolit aut negligat, cardinalis pœnitentiarius, statim ac fuerit ab istis monialibus requisitus, debet in hoc supplere, id est deputare extraordinarium confessarium, illum tamen sumendo ex approbatis ab ordinario pro monialium confessionibus. » (D. Bouix, *De jure regul.*, t. II, p. 332.)

« Hæc oblatio confessarii extraordinarii bis vel ter in anno, sicut et cætera omnia quæ superius præscripta sunt, præstari debent, etiam cum aliis mulieribus et puellis, sive regularibus, sive sæcularibus collegialiter degentibus, quæ unicum habent confessarium. Hæc omnia ex variis sacr. congr. decretis olim stabilita confirmat Benedictus XIV in bulla 56, t. II, incip. *Pastoralis curæ.*»(Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 83.)

2. « Confessarius extraordinarius potest deputari a superioribus quolibet anni tempore, et ad dies sibi bene visos, prout suadent circumstantiæ hic et nunc concurrentes. » (Ferrar. *ibid.* n. 42.)

« Tempore deputationis confessarii extraordinarii expedit quod ordinarius non accedat ad monasterium. Imo pro monasteriis urbis hoc præcipitur expresse confessariis ordinariis, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ, et privationis officii, et sub eisdem pœnis prohibentur moniales omnes ipsis confiteri pro tali tempore. » (*Ibid.* n. 44.)

3. « Moniales quamvis, si nolint, non teneantur omnes confessario extraordinario confiteri, tamen coram ipso debent omnes successive se præsentare, etiam quæ confiteri nolunt, ne discerni possit quænam indigeant necne. (Sic expresse statuit sacr. congr. Episc. pluries, apud Pignatelli, lib. vi, consult. 75, n. 235.)

« Moniales nequeunt recusare unum confessarium extraordinarium seu ordinarium, et alium petere, nisi assignata justa causa interveniente; possunt ipsum recusare, quia is comparatur parocho, quem ex justa causa populus recusare potest.»(Arg. cap. *Ut circa electiones*, *De election.* in 6, cum similibus; Bordon. in Miscellan. decis. 166, et alii apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 34.)

IX. « Possunt tamen moniales etiam sine causa recusare confessarium extraordinarium nullum alium loco ipsius petendo: quia confessarius extraordinarius inductus est in earum favorem, quisque autem potest sine causa juri suo renuntiare... (Ferrar. *ibid.* n. 35.) — Sed cum jus illud in favorem uniuscujusque monialis inductum fuerit, necesse videtur quod omnes omnino moniales sponte, libere et consequenter per vota secreta extraordinarium confessorem recuseut; nam si una tantum extraordinarium petat, omnes tenentur eumdem accipere, ut colligitur ex omnibus supradictis juribus.

X. « Confessarii monialium debent audire confessiones ex sede confessionali collocata, non quidem in sacristia, aut alio occulto loco, sed in ipsa ecclesia exteriori, ut habetur ex pluribus sacr. congr. Concil. declarationibus,»apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 69.

XI. Nec episcopi, nec confessarii monialium de jure proprio possunt eas absolvere a censuris etiam occultis et pœnis papæ reservatis, ut tenet Fagnanus in cap. *Dilectus* 15, *De tempore Ordinat.* n. 30 ad 34, et adducit decreta sacr. congr. et declarationem pontificiam. Sed episcopus, in quantum potest absolvere personas perpetuo impeditas, uti sunt moniales, ab omnibus casibus papæ

reservatis, ad quos alioquin ejus facultas non extenditur, habet a papa auctoritatem absolvendi moniales ab omnibus casibus papalibus. Et sic respective dicendum est de prælatis regularibus quoad suos subditos, quos possunt absolvere a dictis casibus ex variis summorum pontificum constitutionibus. » (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 3, n. 16 ad 25.) Ideoque tam episcopi quam prælati regulares ex c. 6, sess. 24 Trident., possunt delegare confessariis monialium facultatem absolvendi ab omnibus casibus papalibus et etiam sibi reservatis.

XII. Confessarii monialium non possunt ingredi clausuram ad sepeliendas moniales, vel pro celebrandis exsequiis. (Sic expresse decrevit sacr. congr. Episc. et Regul. pluries.) Alias omnes culpabiles incurrunt excommunicationem violatæ clausuræ. (Ead. sacr. cong. Episc.) Neque consuetudo excusat a censura inflicta adversus violatores clausuræ, ex Alexandri VII const. *Felici.*

XIII. Confessarii tam ordinarii quam extraordinarii monialium, absque speciali licentia possunt ingredi septa monasterii, *ad sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis ministranda monialibus, vel aliis personis infirmis ibi degentibus, nec non ad commendandam animam agonizantium.* (Sic expresse specificavit Alexander VII, const. *Felici.*) Sed confessarius non potest ingredi clausuram sub quocunque alio prætextu, nec ad audiendam confessionem illius infirmæ, quæ potest accedere ad sedem confessionalem, nec prætextu comitandi operarios, medicos, chirurgos, vel alios, etc. (Ex pluribus sacr. congr. Episc. et Regul. decretis.) Alioquin incurrit excommunicationem et alias pœnas contra violatores clausuræ latas.

XIV. Confessarii monialium, quamvis generaliter deberent ingredi absque socio pro ministrandis sacramentis monialibus infirmis (ex decret. sacr. congr. Episc. et Regul. 13 Septembr. 1583); tamen hodie confessarius regularis, non obstante antiqua consuetudine, absque socio ingredi non potest, sed debet ei assignari socius, qui ipsi assistat et sit ætatis ultra 50 annos, vitæque exemplaris. (S. congr. Episc. et Regul., 21 Februar. 1617, et expresse Alexander VII in cit. constit. *Felici.*)

Confessarius regularis monialium, ejusque socius (confessionis ac sacramentorum administrationis casibus exceptis), easdem moniales absque sacr. congr. licentia alloqui non possunt. (Ead. sacr. congr. Episc. et Regul. 1617.)

XV. Confessario monialis infirmæ confessionem audiente cellæ janua aperta remaneat, et ambæ comitatrices ad ejusdem cellæ januam morentur, ita ut confessarius et infirma ab eis commode cerni possint. (Ead. sacr. congr. et Innocent. XI per encyclicam ejusdem sacr. congr. Episc. et Regul. 21 Mart. 1682.) — Confessarii quovis tempore de nocte in casu necessitatis possunt clausuram ingredi. (Ead. sacr. congr.) Confessarius monialium clausuram ingressus ad administranda sacramenta, recta via et absque diverticulo eat, redeatque, nec in alia monasterii parte divagatur, etiam occasione visitandi alias infirmas, quibus sacramentorum administratio non est necessaria. (Sacr. congr. Episc. et Regul.) — Cum aliqua monialis laborat in extremis, conceditur confessario pernoctatio in sua solita mansione extra clausuram prope monasterium, ut ingruente necessitate, illico præsto esse possit vocatus. (S. congr. Episc. apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5 passim; et verb. *Confessarius monialium.*)

XVI. Habitatio confessarii, licet debeat esse vicina, non tamen sit conjuncta seu contigua monasterio, sed ab eo disjuncta non solum per parietes, sed etiam per tecta. (Sacr. congr. Episc. et Regul. pluries, et expresse statuit Alexander VII, const. *Felici*, sub gravissimis pœnis contra superiores, et confessarios regulares transgressores. — (Id. *ibid.* n. 68.)

XVII. Confessarii monialium nullo modo possunt comedere, refici, aut cibum sumere in earum monasteriis, seu in locis ubi sunt crates, vel rotæ in monasterium respondentes; vel in locis adeo vicinis, ut videri, vel audiri possint a monialibus, neque ante portam clausuræ : ut expresse pro omnibus regularibus statuit sacr. congr. Episc. et Regul. pluries.

XVIII. Expedit quod confessarii omnes, tam ordinarii quam extraordinarii, tam sæculares quam regulares, completo suo officio et ministerio, non amplius ad dicta monasteria accedant, neque ob motivum directionis, et conferentiæ spiritualis, neque correspondentiam etiam per litteras ob tale motivum tenere cum aliqua moniali, inclusa.

etiam superiorissa, novitia, educanda, aut alia quacunque inibi degente. Imo pro monasteriis Urbis hoc expresse præcipitur omnibus dictis confessariis sub pœnis contra violatores clausuræ.

XIX. Confessarii et capellani monialium possunt celebrare missas sanctorum, de quibus ipsæ recitant officium, sed cum Missali romano, et de communi, non vero missas proprias eorumdem sanctorum variis ordinibus a sacr. congr. concessas. (Sic decrevit et servari mandavit sacr. congr. Rit. 20 Novembr. 1717.)

XX. « Ad absolvendam monialem repentino accidenti correptam, et jamjam animam agentem, in defectu sui proprii confessarii potest licite quilibet alius confessarius, seu simplex sacerdos clausuram ingredi sine ulla licentia expressa, et tali moribundæ beneficium absolutionis impertiri. » (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 5, n. 75 et passim.)

§ VIII. — De confessariis mulierum collegialiter in conventu seu conservatorio degentium.

Magni momenti est quæstio hæc, quoad Galliam præcipue, ubi tot exstant hodie sanctimonialium congregationes, quæ votis solemnibus et papalis clausuræ lege carent.

I. Tenendum est statui posse ab ordinariis, ut moniales istæ nequeant confiteri, nisi confessario pro ipsis specialiter approbato. Id clare supponit Benedictus XIV in sua bulla *Pastoralis;* siquidem ad omnes mulierum et puellarum communitates, etsi clausuram non habentes, extendi vult Tridentinam legem, de dandis bis aut ter in anno confessariis extraordinariis. Et idem decretum est a sacr. congr. Episc. et Regul. cum prohibuit ne earumdem mulierum confessarius duraret ultra primum triennium, absque licentia sanctæ sedis, sub pœna suspensionis ab audiendis confessionibus.

II. Praxis generalis est, ut revera episcopi pro hujusmodi communitatibus confessarios specialiter approbent, et statutis temporibus extraordinarios confessarios eisdem concedant.

III. Proinde dictarum congr. confessariis applicandæ veniunt juris dispositiones, quæ confessarios monialium ordinariis subjectarum respiciunt, exceptis tamen iis quæ clausuram papalem respiciunt. Dicimus *exceptis iis....*, quia cum hujus clausuræ lege careant, nec applicanda veniunt ejusdem clausuræ consectaria quoad confessarios. (D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 337.)

§ IX. — De jure regularium quoad sacram Eucharistiam et missæ sacrificium.

I. Non possunt regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittere sacerdotem vagum et ignotum, nequidem regularem alterius ordinis. (*Trident.* sess. 22, *De observandis in celebratione missæ.*)

II. Potest episcopus prohibere ne regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittant sacerdotes exteros sive sæculares sive alterius ordinis regulares, quamvis notos, antequam licentiam ab ordinario obtinuerint. (Ita docet Benedict. XIV, *De synod. diœces.* lib. IX, c. 15, n. 5; et fuit declaratum a sacr. congr. Concil. pluries et ab eodem Benedict. XIV, const. *Apostolicum ministerium*, 30 Maii 1753.)

III. Regulares ad celebrandum in suis ecclesiis admittere possunt religiosum sui ordinis advenam, antequam is ordinarii licentiam obtinuerit. (Benedict. XIV, const. *Quam grave*, 2 August. 1757.)

IV. Regulares possunt missas celebrare, et alios (servatis præmissis conditionibus) ad celebrandas admittere, non tantum in suis ecclesiis, sed etiam in suis oratoriis privatis seu domesticis, legitime erectis. (Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 72.)

V. Prohibere potest episcopus ne, absque sua licentia, in ecclesiis monialium ad legem clausuræ papalis astrictarum, missas celebrent alii præter capellanum et confessarium sacerdotes. (Ferrar. verb. *Missæ sacrificium.*)

VI. In ecclesiis et etiam privatis regularium oratoriis seu capellis possunt omnes fideles missam audire et satisfacere præcepto audiendi sacrum diebus festis. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. II, c. 14, n. 7; et sacr. congr. Concil. apud Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 76.)

VII. Regulares possunt sæcularibus sacram Eucharistiam præbere in suis ecclesiis per totum annum, excepto solo Paschatis die. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. IX, c. 16, n. 3.)

VIII. Non possunt religiosi viaticum et extremam unctionem nec etiam Eucharistiam absque ordinarii aut parochi licentia infirmis sæcularibus extra conventum ministrare. Imo si absque dicta licentia ministrarent, excommunicationem ipso facto

incurrerent. (Clement. *Religiosi, De privilegiis et excess.*) Excipitur tamen, si adsit extrema necessitas, vel etiam necessitas gravis, et parochus nolit vel non possit ministrare. (S. Ligorius, lib. vi, n. 240.)

IX. Famuli regularium et famulæ monialium sæculares, dummodo « actu inserviant, et intra eorum septa ac domos resideant, subque eorum obedientia vivant, possunt in ecclesiis regularium communionem paschalem facere, atque viaticum, extremam unctionem et sepulturam a regularibus accipere. » (*Trident.* sess. 24, c. 11, et ex multis sacr. congr. Concil. declarationibus.) Quam conclusionem famulis et aliis sic applicat Ferrar. (verb. *Approbatio*, n. 64 et seq.) : « Vere autem de familia et continui commensales ad fruendum hoc privilegio dicuntur omnes oblati, donati seu tertiarii, atque etiam sæculares qui religiosis deserviunt, et intra eorum monasteriorum septa ac domos resident, et sub eorum obedientia vivunt, licet non ratione voti, sed ratione servitutis. Isti namque eximuntur a subjectione ordinariorum, et gaudent privilegiis religiosorum quibus inserviunt, quamvis salario sint stipendiati, ut colligitur ex concilio Tridentino (sess. 24, c. 11) his verbis : *Exceptis tamen iis qui prædictis locis aut militiis actu inserviunt, et intra eorum septa ac domos resident, subque eorum obedientia vivunt.* Et deducitur clare etiam ex citato decreto sacr. congr.; et ex citata constitutione *Superna*, ubi, ut sæculares fruantur hoc privilegio non requiritur nisi, ut ibi sint vere *de familia et continui commensales :* uti de facto sunt etiam religiosorum famuli diu noctuque degentes in eorum monasteriis, sub omnimoda subjectione eorum prælatorum : et per hoc confessarii regulares possunt eorum confessiones excipere cum sola approbatione sui prælati regularis, et sine approbatione et facultate episcopi seu ordinarii loci. Hoc tamen privilegio non gaudent sæculares illi, qui tantum ipsis monasteriis deserviunt, sed in eis non sunt de familia nec continui commensales, et cum sæcularibus exteris extra monasteria habitant et vivunt. »

X. De puellis in monialium conventibus et de pueris apud regulares educandis controvertitur an sint vere de familia, an solummodo hospites; ideoque utrum possint sacramenta pœnitentiæ, Eucharistiæ, et extremæ unctionis in regularium ecclesiis et a regularibus absque licentia episcopi seu parochi recipere, et in iisdem ecclesiis sepeliri. Quoad puellas in conventu monialium educandas ob legem clausuræ, certum est easdem posse a confessariis monialium omnia sacramenta recipere. Sed quoad pueros a regularibus educandos, cum non adsit eadem clausuræ ratio, remanet dubium. Sacr. congr. Concil. (*in Astensi*, 27 Novembr. 1717) respondit quod Patres Sancti Augustini licite non potuerunt, irrequisito parocho, comiti Eustachio Pallio eorum hospiti sacramenta administrare et ejusdem corpus tumulare. Eadem sacr. congr. (*in Feretriana*, 11 April. 1742) respondit quod educandæ decedentes non sibi electa sepultura, sepeliendæ sint in parochia sub qua est monasterium, si non habeant sepulcrum majorum. Et si elegerint sepulcrum in monasterio, possint ibi sepeliri, sed deberi quartam funeralem parocho. (Apud Ferrar. verb. *Moniales*, art. 1, n. 62, qui addit n. 63... Quod dicitur de educandis, idipsum dicendum est servata proportione, de tumulatione mulierum sæcularium in monasteriis monialium legitima facultate commorantium, et inibi decedentium. »

Unde ex dictis declarationibus videntur puellæ educandæ et pueri educandi subesse jurisdictioni episcopi et parochi, et non gaudere privilegio exemptionis. Sed consuetudo, quæ in hac re multum attendenda est, videtur in favorem regularium fere generalis esse. Præterea ordinarii locorum concedunt regularibus pro pueris educandis intra domos eorum commorantibus jura parochialia. Sunt etiam regulares, ut Patres societatis Jesu, qui pontificio privilegio quoad hanc materiam gaudent. (*Vide* apud D. Bouix, *De jure regul.* t. II, pag. 204 et seq.)

§ X. — De jure regularium quoad SS. Sacramenti expositionem.

I. Distinguenda est expositio publica, quæ fit reseratis ecclesiæ foribus et detecto insuper sacramento, ab expositione privata quæ fit *sacramento velato*, quamvis cuique pateant ecclesiæ portæ, aut *sacramento detecto*, sed exclusis sæcularibus. (Cavallieri, Oper. liturg. tom. IV, c. 7, decr. 2, cap. in ord. 109, n. 3.)

II. Necessaria est regularibus, etiam exemptis, ordinarii licentia, ut possint sanctissi-

mum sacramentum *publice* exponere. (Arg. ex cap. 8 sess. 21 *Trident.* et pluries decisum fuit a sacr. congr.)

III. Episcopi licentia non indigent regulares, sive pro exponenda sacra Eucharistia velata, astante populo; sive pro exponenda *detecta*, exclusis sæcularibus. Quia nempe in neutro casu fit expositio *publica*, pro qua sola episcopi facultas requiritur. (Benedict. XIV, Instit. 30, n. 11; et Cavallieri, ubi supra; apud D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 213.)

CAPUT XIII.

De jure regularium quoad bonorum suorum temporalium administrationem.

§ I. — De dominio et administratione rerum temporalium apud religiosas communitates, notio prævia.

I. Ecclesiastica censenda sunt bona cujuslibet communitatis, modo fuerit *auctoritate ecclesiastica* erecta et approbata. « Recepta distinctio est, ait cardinalis de Luca, ut inspiciendum sit, an confraternitas, seu hospitale, vel alter locus pius, formalem habeat erectionem in locum ecclesiasticum, cum ordinaria vel apostolica auctoritate, necne. » (*De alienationibus*, dist. 1, n. 12.) Ut bona alicujus communitatis seu confraternitatis sint ecclesiastica et legibus Ecclesiæ subjecta requiritur ut auctoritas sive episcopi sive papæ erigat locum in ecclesiasticum aut confraternitatem seu communitatem ecclesiasticam. Si ordinarius aliquam piorum sæcularium, etiam collegialiter viventium, communitatem approbaret, quin tamen locum in ecclesiasticum aut communitatem in ecclesiasticam erigere intenderet, non sufficeret ut bona censenda sint ecclesiastica. Sed ex eo quod in aliqua congr. ex approbatione Ecclesiæ emittuntur vota etiam simplicia, talis congregatio erecta est in ecclesiasticam; proindeque bona ejusdem sunt ecclesiastica. Idem dicendum est de societatibus in quibus etiam nulla emittuntur vota, dummodo hujusmodi societates erectæ sint auctoritate ecclesiastica. Si autem locus sit mere laicalis, ut sunt verbi gratia hodierna Galliarum hospitalia, etsi ibi opera pia exerceantur, et proinde dicatur pius, non afficiuntur ejus bona dispositione legis ecclesiasticæ, et non censenda sunt bona ecclesiastica. « Hinc dubium non videtur, ait D. Bouix (*De jure regul.* t. II, p. 271), quin ecclesiastica sint bona quæ possidentur in communi a societate Sancti Sulpitii, et a cæteris Galliæ religiosis communitatibus virorum et mulierum, sive simplicia duntaxat, sive etiam nulla in eis vota emittantur. Cum istæ omnes congr. fuerint (ut suppono) *auctoritate ecclesiastica* erectæ et approbatæ. »

II. « Juxta receptam doctrinam bonorum a communitatibus religiosis in communi possessorum dominium residet, *primario* penes Deum; *secundario* penes papam; *tertiario* penes ipsammet communitatem. » (Tamburin. *De jure abbatum*, t. III, disput. 11, quæst. 1, n. 8 et seq.)

III. « Ex his inferas bona communitatum ad ipsas pertinere, seu esse ipsarum dominium, non quidem independenter a summo pontifice, sed *secundario* post ipsum. Unde potest quidem papa de omnibus et singulis ejusmodi bonis valide disponere. At, posito quod de iis revera non disponat, et quandiu non disponet, hoc ipso ad communitates ipsas pertinet de suis respective hujusmodi bonis disponere.

IV. « Inferendum venit insuper nullum ordinario competere jus dominii in dicta bona : quia præter et super dominium ad communitatem pertinens, non est aliud quam præfatum atque simul altius Romani pontificis dominium.

V. « Actus *administrationis* universos reducit Suarez ad triplex caput : *acquirere*, *conservare*, *alienare*. » (D. Bouix, *ibid.* p. 273.)

§ II. — De jure religiosæ communitatis, seclusa lege ecclesiastica contraria, administrandi ex seipsa bona sua.

I. Religiosa communitas, nisi lex positiva contrarium decernat, habet ex seipsa jus bona sua administrandi (nec opus est ut jus illud ab aliquo ipsi concedatur); quia habet dominium hujusmodi bonorum, non repugnans voto paupertatis singulorum. (Communis.)

II. « Dicta potestas communitatis administrandi bona sua intelligenda est universaliter, seu quoad omnes administrationis actus, non exceptis alienationibus. » (Ex Suaresio, *De religione*, tom. IV, tract. 8, lib. II, cap. 26; apud D. Bouix, *ibid.* p. 273 et seq.)

III. Sed quia altius dominium bonorum ecclesiasticorum est penes papam, tanquam administratorem supremum, administratio religiosis communitatibus competens, potest a papa ipsis adimi et restringi.

IV. Secluso jure positivo, ordinarius non posset bonorum communitatis religiosæ ad-

ministrationem ullatenus præpedire aut in eam sese ingerere, nisi ratione delicti in ejusmodi administratione a communitate commissi; sed ut possit ordinarius sese ingerere ad cognoscendum de administrationis hujusmodi abusibus, necesse est ut interveniat accusator seu fama publica. (D. Bouix, *ibid.* p. 280.)

V. « Præmissæ conclusiones intelligendæ sunt etiam de religiosis mulierum communitatibus; secluso nempe jure positivo, ipsis etiam dicto modo competeret libera bonorum suorum administratio. » (Id. *ibid.* p. 281.)

§ III. — De jure positivo circa administrationem bonorum religiosorum.

I. Jure positivo regularibus et monialibus adempta fuit libera bonorum suorum administratio, quoad immobilium necnon mobilium pretiosorum administrationem. Etenim per decretalem *Ambitiosæ*, inter extravag. communes, lib. III, tit. IV, anno 1468, Paulus papa II decrevit circa *immobilia et pretiosa mobilia Deo dicata*, in hunc modum.... *Omnium rerum et bonorum ecclesiasticorum alienationem, omne pactum per quod ipsorum dominium transfertur, concessionem, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium*, necnon infeudationem vel contractum emphyteuticum, *præterquam in casibus a jure permissis, et cum ecclesiarum evidenti utilitate, ac de fructibus et bonis quæ servando servari possunt..... fieri prohibemus.* Insuper annulat pontifex contractus quos prohibet; et sic pergit : *Alienanti vero bona ecclesiarum, monasteriorum locorumque piorum quorumlibet, inconsulto Romano pontifice, aut contra præsentis constitutionis tenorem si pontificali, seu abbatiali præfulgeat dignitate, ingressus ecclesiæ sit penitus interdictus. Si per sex menses... animo perseveraverit indurato..., e regimine et administratione suæ ecclesiæ vel monasterii... sit eo ipso suspensus.* In cæteros alienantes decernit pontifex pœnam privationis ab officiis, dignitatibus, beneficiis et administrationibus.

« Die 7 Septembris 1624, sacr. congr. Concil. Urbani VIII jussu, decretum edidit tenoris sequentis :

« Sacr. congr..., speciali sanctissimi Domini nostri jussu, generalibus vel provincialibus capitulis vel congregationibus, abbatibus, generalibus, et quibuscunque aliis superioribus regularibus cujusvis ordinis, congregationis, societatis vel instituti, intra fines Europæ exsistentibus, omnium rerum et bonorum immobilium, ac pretiosorum mobilium alienationem, omneque pactum per quod ipsorum dominium transfertur, census perpetuos, seu vitalitios, hypothecam, locationem et conductionem ultra triennium, concessionem in feudum, vel emphyteusim, præterquam in casibus a jure permissis, fieri perpetuo inhibet atque interdicit, absque ipsius congr. Concil. expressa licentia in scriptis et gratis concedenda, sub pœna privationis omnium officiorum quæ tunc obtinebunt, vocisque activæ et passivæ, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa inposterum obtinenda, quam ipso facto absque alia declaratione incurrant, sublata etiam generali et protectori illam moderandi ac relaxandi facultate, pœnis nihilominus apostolicarum constitutionum et præsertim felicis record. Pauli III, quæ incipit *Ambitiosæ*, in suo robore permansuris. Alienationes vero, pacta, census hypothecas, locationes, conductiones, et concessiones quascunque contra hujusmodi prohibitionem faciendas, sanctitatis suæ auctoritate ipso jure nullas atque irritas decrevit, non obstantibus, etc.

« Cum post editum decretum istud., compertum sit regulares... loco censuum pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis et damni emergentis... Sacr. congr. 21 Martii 1626, S. D. N. approbante, dictavit et declaravit hujusmodi contractum esse contra mentem decreti ut supra editi; ideoque non licere regularibus pecunias ut proponitur accipere, ac si acceperint, in ipsius decreti pœnas ipso facto incidere. »

II. *Quæ sint immobilia?* — « Nomine immobilium veniunt omnia quæ loco moveri non possunt, ut prædia, domus, agri et similia. Et quantum ad præsens, veniunt etiam nomine immobilium servitutes prædiorum, et jura piscandi, venandi, et similia..., census et annui redditus..., jura et actiones ad immobilia... certa summa pecuniæ specialiter deputata ad emptionem immobilium, censuum vel mobilium pretiosorum, vel ad ædificandam ecclesiam, aut pro gravissimis ecclesiæ necessitatibus... » (Ferrar. verb. *Alienatio*, art. 1, n. 3 et seq.)

III. *Quæ sint mobilia pretiosa?* — « Nomine mobilium pretiosorum quæ alienari

non possint, veniunt quæ sunt de thesauro ecclesiæ vel quæ propter pretium, artem, raritatem et antiquitatem conferunt ecclesiæ specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca librorum, et similia excedentia valorem viginti quinque aureorum, prout declaravit sac. congr.... Sic etiam... insignes reliquiæ sanctorum;... item illa mobilia, ex quorum fructibus annui redditus solent percipi ab ecclesia vel monasterio, ut grex ovium, armentum boum, præsepium equorum; non autem eorum fructus, cum licitum sit vendere et alienare arietes, hircos, vitulos, equos, et hujusmodi... Item arbores frugiferæ, seu prædio necessariæ, ut illis sublatis prædium reddatur graviter deterius. » (FERRAR. *ibid.* n. 7 et seq.)

§ IV. — Quosnam regulares attingat prohibitio alienandi immobilia et mobilia pretiosa, absque pontificio beneplacito.

I. Omnes ordines incapaces possidendi in communi bona immobilia, si quæ talia eis legantur, possunt ea vendere sine juris solemnitate, et pretium expendere in necessitatem ac utilitatem ecclesiæ vel monasterii; et ratio est quia talia bona immobilia non sunt monasterio incorporata ob incapacitatem ejusdem. (Ex Clement. *Exivi* et cap. *Exiit qui seminat*, *De verbor. signif.*, et ex decretis sacr. congr. et constit. pontificiis.) Itaque absque beneplacito pontificio et sine solemnitatibus juris immobilia sibi relicta alienare possunt monasteria ordinis Minorum de observantia S. P. Francisci, Reformatorum, Capuccinorum, et Theatinorum, nec non domus professæ societatis Jesu. (FERRAR. verb. *Alienatio*, art. 3, n. 5 et 6.)

Sed dicti ordines indigent beneplacito apostolico quoad bonorum mobilium pretiosorum alienationem, ut fuit pluries a sacr. congr. Concil. declaratum; et præsertim *in una ordinis S. Francisci*, 18 Martii 1719 his verbis :

« Quoad mobilia pretiosa Ecclesiæ incorporata, esse necessarium beneplacitum apostolicum : quo vero ad omnes alias res, in posterum non posse syndicos procedere ad venditionem, nisi prævia edictorum affixione, et venditio fiat majori oblatori. » (Card. PETRA, t. IV, in const. 6 BENEDICT. XII, n. 9.)

II. Formalitatibus juris subjacent omnes religiosorum et monialium ordines, in quibus solemnia vota emittuntur, nisi privilegium in contrarium obtinuerint post Urbani VIII decretum. Nam privilegia anteriora, utpote a dicto pontifice sublata, eis non suffragantur.

Item dictis formalitatibus subjacere censendæ sunt religiosæ virorum ac mulierum congr., quæ vel nulla, vel simplicia duntaxat vota emittunt. Colligitur ex supra relato decreto Urbani VIII et decretali *Ambitiosæ*, et fuit decisum quoad moniales, quæ Romæ exstant in domo *Turri speculorum* dicta, necnon quoad eas quæ *Convertitæ* nuncupantur, ut refert Card. Petra, t. IV, in const. 6 Benedict. XII, sect. 3, n. 21 et seq.

§ V. — Quænam alienari possunt sine solemnitatibus.

I. Absque talibus solemnitatibus alienari possunt : primo terrulæ, aliique fundi steriles et exigui valoris minusque utiles Ecclesiæ. (C. *Terrulas*, causa 12, quæst. 2.) Neque huic canoni derogatum fuit a Paulo II in extravag. *Ambitiosæ*, nec a concil. Trident. sess. 25, c. 11, prout declaravit sacr. congr. Concil. 11 Januar. 1596.

« Terrulæ autem, et res modici valoris, sunt quæ non æstimantur ultra viginti solidos, secundum Glossam, in cap. *Terrulas*,... seu viginti quinque scuta aurea ex sacr. congr. Episc. et Regul. — Summa autem viginti quinque scutorum aureorum conficit summam scutorum quadraginta et unius et obolorum viginti quinque monetæ Romanæ. (FERRAR. verb. *Alienatio*, art. 4, n. 1 et seq.) At multum abest ut statui possit certa regula modici valoris; « sed est arbitrarium, pro ecclesiarum et locorum, ipsarumque bonorum qualitate, decidendum; cum attenta qualitate unius loci vel ecclesiæ respective, prædium valoris scutorum 50 reputetur magnum et considerabile; attenta vero qualitate alterius loci vel ecclesiæ dicatur minimum et contemptibile,[1] quamvis esset valoris scutorum 100. » Cardin. DE LUCA, *De alien.* discurs. 1, n. 117.)

II. Quod dictum est de immobili dicendum est de mobili ad discernendum an sit pretiosum necne.

III. Absque solemnitatibus seu bene placito apostolico potest fieri locatio atque conductio ad triennium; imo ad novennium,

dummodo elapso quolibet triennio semper liberi remaneant contrahentes. Item possunt bona exclesiastica dari in feudum vel emphyteusium, si solitum sit ab antiquo. Item alienari possunt fructus, et alia bona ecclesiastica, quæ servando servari non possunt. Item alienari possunt etiam bona magni valoris, quando summa alienandi instaret necessitas, et papa de facili adiri non posset, et esset periculum in mora, ut pro alimonia pauperum urgente necessitate, pro redemptione captivorum, et pro similibus. (Ita *ex juribus*, Ferrar. verb. *Alienatio*. art. 3, passim.)

IV. Generatim dici potest sub dicta necessitate obtinendi apostolici beneplaciti non comprehendi pecunias, nisi specialiter deputatæ sint ad emptionem immobilium, censuum, vel pretiosarum mobilium, vel ad ædificandam ecclesiam, etc.

§ VI. — Quænam alienari non possunt sine solemnitatibus seu beneplacito apostolico.

I. Ex allatis juribus, nequeunt sine beneplacito apostolico alienari bona immobilia, nec mobilia pretiosa, valoris plusquam modici.

II. An possit prælatus regularis absque dicto beneplacito repudiare legata monasterio facta, disputatur; sed probabilius nequit. (Ferrar. verb. *Alienatio*, art. 4, n. 5 et seq.)

III. Sine beneplacito apostolico nequeunt alienari jura perpetua ecclesiæ, adeoque nec servitus passiva imponi, nec activa alienari. — Item nequit fieri ulla transactio, qua cedantur jura super bonis prætensis ab ecclesia, licet illa non possideat, sed aliquid aliud loco bonorum recipiat. Item nequit fieri alienatio ab una ecclesia in aliam; imo neque inter personas ejusdem ecclesiæ. (Ferrar. *ibid.* art. 4, n. 11 et seq.)

IV. Absque beneplacito nequit fieri arborum incisio et venditio cum notabili deterioratione fundi. Item non possunt alienari annui census, nec loca montium, seu pecunia collocata in montibus; quia pecunia sic applicata est fructifera. (Ita Ferrar. et plurimi ab eo citati cum Rota Romana, *ibid.* n. 25.) Unde idem dicendum videtur de pecuniis, quæ collocantur in administrationibus guberniorum aut in administrationibus viarum ferrearum, quamvis contradicant. (Cardinalis de Luca et D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 293.)

V. Sine beneplacito nequeunt alienari bona ecclesiæ, licet sint ita ecclesiæ relicta vel donata, ut possint pro libito sine solemnitatibus alienari; quia, cum res legata ecclesiæ statim testatore defuncto efficiatur ecclesiastica ministerio legis, dispositio hominis non potest constitutionem canonum immutare. (Communis et certa; Ferrar. *ibid.* n. 26.)

VI. Sine beneplacito apostolico non possunt bona ecclesiastica, sive mobilia pretiosa dividi in plura corpora ad hoc ut minuatur valor, et reducantur ad esse *terrularum*, vel ad æstimationem valoris modici, ut res fiat auctoritate episcopi alienabilis. (Id. *ibid.* n. 18.)

VII. Regulares sine beneplacito apostolico nequeunt transferre bona de uno monasterio divite in aliud monasterium, etiamsi sit ejusdem provinciæ et religionis. (Sic expresse decrevit sacr. congr. Concil. 27 Jul. 1647.)

VIII. Nequeunt regulares, absque solemnitatibus, hypothecare bona sua, hypotheca speciali: possunt autem hypotheca generali, id est omnia generatim bona monasterii respiciente, vi cujus creditor tantum agere poterit ut sibi solvatur de fructibus eorumdem bonorum, et præferendus erit creditoribus chirographariis. (Vide id discussum a Cardin. Petra, t. IV, in const. Bened. XII, n. 28; et Ferrar. *ibid.*, n. 35 et 36.)

IX. Necessarium est beneplacitum pro alienatione ad extinguenda debita. (Ferrar. *ibid.* n. 421; apud quem vide alia.)

§ VII. — De regularibus quoad alienationem quorumdam immobilium.

Regulares, maxime in conventibus subjectis episcopis, de seipsis neque possunt alienationem facere terrularum et vincolarum, vigore cap. *Terrulas*, cum ad talem alienationem requiri facultatem et decretum ordinarii declaravit sacr. congr. Episc. et Regul. 11 Januar. 1532.

§ VIII. — Alienatio boni immobilis, quando valida.

Pro alienatione immobilis valoris plusquam modici, necnon mobilis pretiosi, requiritur causa necessitatis aut evidentis utilitatis, et beneplacitum apostolicum : at nihil aliud requiritur. (D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 299.)

§ IX — De alienatione quæ beneplacitum apostolicum exigit.

D. Bouix (*De jure regularium*, tom. II, part. v, cap. 6) satis solidis rationibus fultus existimat quod lex pontificiam licentiam requirens pro alienationibus, vi contrariæ consuetudinis, extra Italiam vigere desierit. Attamen addit (p. 307) : « Nolim omnino fidat lector præmissis tribus conclusionibus, nisi assentire doctiores, et Romæ præsertim tritam censeri hancce opinionem, compertum habuerit.

Præterea sic objicitur : « In constitutionibus sororum *ab Immaculata Conceptione* nuncupatarum (part. I, const. 2, art. 7, sic disponitur : *Lorsqu'il s'agira d'aliener ou d'échanger des biens immeubles de l'institut, si la valeur du capital s'élève à* 10,000 *francs, la supérieure générale aura recours à la sacrée congrégation pour obtenir l'approbation apostolique*. Atque *ibid.*, art. 15, subjungitur : *Pour une valeur inférieure à* 10,000 *francs, il suffira de l'approbation de l'évêque comme délégué du S.-Siége*. Et respondit ex dictis verbis rigorose non sequi adhuc in Gallia vigere prohibitionem absque beneplacito alienandi, cum sacr. congr. *Propagandæ* verba hæc apponendo, potuit, peculiaribus de causis, quoad illam monialium congregationem, rem aliter dispositam malle.

At nobis etiam aliud videtur inferendum, scilicet Romæ hodie videri decem millia Francorum esse valorem bonorum quæ alienari nequeunt sine beneplacito apostolico; et valorem decem millium Francorum inferiorem hodie considerari tanquam modicum valorem bonorum, quæ proinde alienari possent absque dicto beneplacito.

§ X. — De cæteris administrationis actibus quoad virorum religiosas communitates.

I. Congregationes virorum, etiam non exemptæ, et sive solemnia, sive simplicia, sive nulla in eis vota emittantur, liberam habent bonorum suorum administrationem, excepta immobilium et mobilium pretiosorum alienatione. » (Ita D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 309.) Probatur 1°, ex supra stabilito principio, quod cuilibet religiosæ communitati competit, secluso jure positivo, plena et libera bonorum suorum administratio ; 2° ex consuetudine et praxi generali ; 3° ex decisione particularis Cardinalium cong. quoad Oratorianos, *in Limana*; quam decisionem narrat et apostolica auctoritate confirmat Benedictus XIV, in sua constit. *Emanavit* 21 Januarii 1758.

§ XI. — De administrationis actibus quoad religiosas mulierum communitates.

I. Gregorius XV, constit. *Inscrutabili* 5 Februarii 1622 sancivit in hunc modum : *Administrantes bona ad... monasteria sanctimonialium... etiam regularibus subjectarum pertinentia, sive regulares exstiterint sive sæculares, quomodolibet exempti, episcopo loci, adhibitis etiam superioribus regularibus, singulis annis rationes administrationis, gratis exigendas, reddere teneantur, ad idque juris remediis cogi et compelli queant. Liceatque episcopo, ex rationabili causa, superiores regulares admonere, ut ejusmodi... administratores amoveant; iisque superioribus id facere detrectantibus aut negligentibus habeat episcopus facultatem prædictos... administratores amovendi, quoties et quando opus esse judicaverit.*

II. Administratores monialium non tenentur reddere tales rationes sponte, sed tantum episcopo jubenti obedire. Episcopus non potest exigere has rationes, nisi vocato prælato monialium. Prælati regulares, superiores monialium, has rationes reddere non tenentur, sed solummodo administratores a prælato deputati.

III. Administratores sic deputati, ubi rationes reddiderunt episcopo, tenentur eas iterum reddere prælatis regularibus. (Pellizarius, *De monialibus*, c. 10, n. 30, p. 217 et seq.)

IV. Quamvis episcopus nequeat nisi *ex rationabili causa* exigere ut dicti administratores a prælatis regularibus amoveantur, et iis prælatis renuentibus, eosdem administatores ipse removere, non tamen tenetur prælatis regularibus dicere *quam ob causam* illos administratores amotos velit ; sed tenetur causam dicere et probare sacr. congr. expostulanti.

V. Seclusa obligatione per consuetudinem inducta, et particularibus ordinum constitutionibus, moniales regularibus subjectæ a prælato suo regulari non dependerent in suorum bonorum administratione. Nam nec prælatus regularis, nec episcopus, aut alius ab ipso in superiorem hisce conventibus deputatus, nullatenus possunt in administrationem temporalium bonorum

sese ingerere ex jure *dispositivo* et *proprietario*, sed solum ex jure *directivo*.

VI. Per se, et secluso jure per consuetudinem generaliter inducto, etiam moniales non exemptæ, liberam habent rei suæ temporalis administrationem, exceptis immobilium et mobilium pretiosorum alienationibus. Nam episcopus de jure solummodo potest 1° exigere ut sibi administrationis ratio reddatur; 2° ut pro rebus majoris momenti suus exspectetur consensus; 3° si moniales administratoribus utantur, ad ipsum pertinet administratores illos approbare et revocare, si moniales non sint exemptæ. Unde superior seu episcopus nequit pro libitu consensum denegare iis administrationis actibus, quos moniales peragere volunt, nec exigere, ut in rebus levioris momenti ipsius exspectetur consensus

« Domestica directio spiritualis et œconomicum gubernium congregationis..., de jure spectat, non ad episcopum, sed ad ipsam congregationem ejusque caput, etiam seposita quacunque exemptione ; ad tradita per rotam.... et in specie de officialibus monialium, quod eligendi sint a superiorissa, seu conventu, juxta constitutiones ipsarum, non autem ab episcopo, tenent Gallemart.... et Pasqualigus.... (S. congr. Concil. *in Asculana*, 12 Mart. 1763, *Thesaur*. t. XXXII.)

« Hinc deputatio sororum pro variis explendis officiis, necnon electio medici, architecti, et alia id genus, citra episcopi consensum libere a conventu fieri posse censenda sunt. (D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 318.)

§ XII. — De administratione bonorum quoad religiosas mulierum communitates, quæ vel simplicia duntaxat vel nulla vota habent.

I. « Loquimur de congregationibus illis, quales plurimæ nunc in Gallia exstant, quæ episcoporum saltem auctoritate institutæ et approbatæ fuerunt, et quæ, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, licite exsistunt, quamvis nec clausuram nec vota solemnia habeant. » Bona earumdem, in communi possessa, ecclesiastica sunt.

II. « Ipsis, per se et seclusa contraria consuetudine vim juris habente, competeret independens et libera bonorum suorum administratio. »

III. Nihilominus ex generali consuetudine, ex particularibus earumdem constitutionibus dependent ab ordinario, cui administrationis rationem reddere tenentur, et sine cujus consensu graviora expedire nequeunt.

IV. « Generatim dici potest, præfatas feminarum communitates, eodem modo, quoad bonorum suorum administrationem, ab ordinario dependere, ac conventus monialium stricte dictarum, et ab ordinaria episcopi jurisdictione non exemptarum, de quibus actum est superiori paragrapho. » (D. Bouix, *ibid*. p. 319 et 320.)

V. Sed quoad moniales generali plurium conventuum superiorissæ subjectas, dicendum est « stare penes ipsam congregationem, de jure communi, liberam et ab ordinariis independentem rei temporalis administrationem, quoad illa, *quæ totius congregationis generale regimen respiciunt*. » (D. Bouix, *ibid*. p. 321. *Vide* infra.)

CAPUT XIV.

De visitatione monialium.

§ I. — Quid sit visitatio.

Visitatio monialium est actus, « quo legitimus prælatus monialium, juxta sacros canones aut constitutiones religionum, inquirit statum et mores monialium sibi subjectarum, ad effectum debite corrigendi excessus qui forte deprehendantur, ac opportunis mediis promovendi bonum ipsarum, tam spirituale quam temporale; idque ex jurisdictione sibi competente, ad exsecutionem sui pastoralis officii. » Pellizarius, *De monialibus*, p. 227, edit. Romæ 1761.

§ II. — Ad quosnam prælatos spectet visitationem monialium facere.

I. Si moniales non sint exemptæ, potest et debet loci episcopus, vi ordinariæ jurisdictionis suæ visitationen illam facere.

II. Si moniales sint exemptæ, ac sedi apostolicæ immediate subjectæ, pertinet visitatio hæc ad loci episcopum, tanquam sedis apostolicæ delegatum.

II. Si moniales sint exemptæ, et prælatis regularibus subjectæ, eas visitare possunt et debent regulares ipsarum prælati; at simul, *ratione clausuræ*, id est, circa ea omnia quæ ad clausuræ observantiam spectant, eas visitare potest ordinarius. Ad prælatos autem ad quos spectat visitare, spectat pariter moniales corrigere et punire, si deliquerint. Hæc extra omnem contro-

versiam sunt. (Vide alios auctores, PELLIZARIUM, cit. pag., necnon Clement. *Attendente* 2, *De statu monachorum*. — D. BOUIX, *De jur. regul.* t. II, p. 322 et seq.)

IV. Vicarius generalis episcopi hanc visitationem facere nequit absque speciali mandato episcopi ; sed cum speciali mandato episcopi potest visitare non exemptas et etiam exemptas eo modo quo potest episcopus.

V. Vicarius capitularis, sede vacante, potest visitare non exemptas, et etiam, ex communiori sententia doctorum, exemptas eo modo quo posset episcopus, quia jurisdictionem delegatam, quæ *muneri episcopali in perpetuum affixa est*, ad capitulum et vicarium capitularem transire sustinent. (PELLIZAR. loc. cit.; FERRAR. verb. *Moniales*, art. 3, n. 87.)

§ III. — De quibus institui possit aut debeat visitatio.

Ex dictis duplex distinguenda est monialium visitatio : *partialis*, quæ circa clausuram duntaxat fieri potest ab episcopo quando moniales prælatis regularibus sunt subjectæ; et *totalis* quæ fit extra hunc casum....(De duplici hac visitatione ab episcopo facienda, vide supra lib. III, cap. X in fine. Vide etiam ejusdem libri cap. XVI *De visitatione*.)

§ IV. — De visitatione a prælato regulari facienda.

I. Jus de hac re statuit const. *Dubiis* Gregorii XIII, 23 Decembris 1581, et postea const. *Felici sacrarum virginum statui*, Alexandri VII, 10 Octobris 1664, quamvis tantum valitura *intra fines Italiæ et insularum adjacentium*, videtur in jus commune transiisse ex Ferrar. verb. *Moniales*, art. 3, n. 73 et seq., ubi sic ait :

« Nec possunt prælati regulares ordinarie ingredi monasteria monialium, *nisi ex causa visitationis localis, et hoc semel tantum in anno ; ita ut in eo anno in quo unus ex memoratis superioribus visitavit, alius superior a visitatione hujusmodi se omnino abstineat.... visitet autem superior regularis interiorem clausuram per seipsum non autem per alium, etiamsi fuerit legitime impeditus, quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum, et visitationem celeriter, et unica die, debita tamen cum diligentia absolvat, nec ante ortum solis eam incipiat, nec post occasum protrahat.... Visitatio vero personarum fiat ad crates, et omnino extra clausuram monasterii, et per ipsummet superiorem duntaxat, ut supra dictum est de visitatione interioris clausuræ.* (Sic expresse statuit Alexander VII, const. *Felici*.) Ex quibus dictæ constitutionis verbis clare patet, non posse superiores regulares delegare alios ad visitationem monialium, sed ipsum posse solum peragere per se ipsos. »

II. Sed si dicta constitutio *Felici* fuerit vigens tantum pro Italia, ex jure communi in aliis regionibus prælati regulares possent alios visitatores delegare. Ex eadem constitutione pergit Ferraris :

Prælatus regularis, si fuerit generalis, potest secum introducere duos socios sui ordinis : si fuerit alius a generali, potest introducere secum tantum unum socium sui ordinis, exclusis omnibus aliis, etiam ratione officii... Nec ipse visitator, neque ejus socii possunt sumere intra clausuram ullam refectionem.... si ob clausuram, aut aliam urgentem et necessariam causam oportuerit superiorem regularem eodem anno pluries ingredi septa monasterii, tunc non aliter ingredi potest, quam cum præsentia episcopi diœcesani vel alterius personæ ecclesiasticæ sæcularis, boni exempli ac maturæ ætatis ab ipso episcopo ad hoc specialiter deputatæ.... Si superior regularis supradictis contrafecerit, ipso facto pœnam excommunicationis, et privationis omnium officiorum, quæ obtinet, ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, vel alia in posterum obtinenda, vocisque activæ et passivæ absque alia declaratione incurrat. Et nihilominus nullis privilegiis, et exemptionibus tueri se possit quominus ab episcopo loci, tanquam ad hoc sedis apostolicæ delegato, quoties et quando opus fuerit, corrigi et puniri valeat. (Const. *Felici*.)

§ V. — De visitatione ab episcopo facienda.

I. Prælati omnes sæculares episcopatus ac etiam cardinalatus dignitate præditi nequeunt ingredi clausuram monialium, etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis.... Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro prima vice, pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere, et a divinis, pro tertia autem vice,

ac deinceps, excommunicatione majori ipso facto afficiuntur. « (Sic expresse GREGOR. XIII, const. *Dubiis.*) Non possunt episcopi secum ducere in clausuram minus quam duo nec plusquam octo personas, alias incurrunt prædictas censuras ; qui autem utitur minori numero, melius facit. Absolutio tamen ab istis censuris non est papæ reservata. (FERRAR. verb. *Moniales*, art. 3, n. 66 et seq., et verb. *Episcopus*, art. 7, n. 100 et seq.)

Episcopus non tenetur ante accessum monialibus præfinire diem et horam visitationis. Sufficit ut moniales episcopo visitanti stratum præparent in utraque ecclesia exteriori et interiori. Episcopus clausuram ingressus potest convocare moniales in choro interiori, aut alio loco, et ad eas sermonem habere. (FERRARIS, verb. *Moniales*, art. 3, n. 96, ubi adducit responsa S. congr. Concil.)

II. Moniales visitationem impedientes incurrunt excommunicationem, modo tamen prius monitæ fuerint, ut ab impedimento apposito desistant. (Clement. *Attendentes* 2, *De statu monachorum.*)

III. Jus expositum de canonica monialium visitatione et clausura, applicandum non venit iis monialium congregationibus quæ per vota solemnia non profitentur. (*Vide* lib. III, caput 10, in fine.)

CAPUT XV.

De jure regularium relative ad parochos et parœcias.

§ I. — Aliquid additur expensis in lib. *De parochis.*

Quæstiones præcipuæ quæ respectiva parochorum et regularium jura respiciunt jam in tom. I, lib. VI, *De parochis*, cap. XIV et XVII, et in præsenti libro expensæ sunt : aliquid addere hic utile duximus.

I. Nequit parochus impedire ne regulares in sua ecclesia bona sibi bene visa prædicent; nec ut festa et jejunia sequentis hebdomadæ populo denuntient.

II. Regularibus non licet processiones per parochiæ territorium, seu extra claustri ambitum ducere, exceptis casibus : 1° Si licentiam episcopi habeant; 2° per Octavam et Dominica infra Octavam Corporis Christi. In dictis processionibus impedire nequit parochus ne regulares propriam crucem erigant.

III. Quando parochianus in ecclesia regularium sepeliendus est, quarta funeralis a regularibus debetur parocho. (*Vide* alia lib. VI, cap. XVII.)

IV. Nec parochus nec episcopus possunt impedire ne regulares ante missam parochialem sacras suas functiones et missas celebrent, prævio etiam campanarum sonitu, præterquam in Sabbato sancto quoad campanarum sonitum. (*Vide* probatum apud D. BOUIX, *De jure regul.* t. II, p. 341 et seq.)

V. « Quando regularis defunctus sepeliri nequit in conventus ecclesia (obstante, v. gr. lege civili, ut hodie in Gallia), possunt regulares cadaver ad commune cœmeterium deferre, cum stola et cruce conventus, absque interventu ullius parochi, dummodo tamen cadaver deferatur absque solemni pompa et recto tramite ad cœmeterium. » (Res decisa fuit in causa *ordinis Prædicatorum* 24 Januarii 1846 ; *Thesaur. resol.* tom. anni 1846, p. 35 ; apud D. BOUIX, *ibid.* p. 345.)

VI. « Quando moniales exemptæ sepeliendæ sunt extra suum conventum in communi cœmeterio, ad confessarium monialium, non autem ad parochum, pertinet funus ducere : imo id extendendum ad feminas sæculares quæ in conventu, cum animo perpetuo manendi, sese receperunt. » Jus autem parochi quoad puellas educationis causa sub clausura monialium degentes præservari videtur pluribus sacr. congr. declarationibus, ut jam dictum est.

VII. Quoad moniales non exemptas standum est consuetudini et statutis ab episcopo.

VIII. Universalis consuetudo, quæ juri communi æquivalet, obtinuit ut congregationes virorum simplicia duntaxat vel nulla vota emittentium a lege parochiæ eximantur; ita ut nempe superior communitatis quoad suos subditos sit quasi parochus.

§ II. — An hodie regulares in Belgio et in Hollandia jus in aliquas parochias habeant.

Hanc quæstionem expendit D. Bouix, *De jure regul.* part. V, sect. 7. Et ejusdem auctoris conclusiones præcipuæ sunt sequentes.

I. *Quoad Belgium, ex Concordato* 1802.— 1. Belgii regularibus periit jus in eas parochias, quæ vel evaserunt parochiæ *stricte dictæ*, vel intra fines parochiarum stricte dictarum conclusæ sunt. « Et hæc conclusio videtur certa. » — 2. « Regularibus Belgii haud periit jus in parochias ipsis subjectas, quæ in *succursales* transmutatæ sunt. » De hac conclusione disputari potest et revera disputatur ; quod referre longius foret.

II. *Quoad Hollandiam*, sic præfatus auctor concludit : « Hinc adhuc vigere dictum jus

regularium pro certo tenendum omnino videtur. Cui cæteroquin conclusioni consonam decisionem, quoad casum aliquem particularem, ab Urbe haud pridem expeditam rescivi. »

CAPUT XVI.

De congregationibus virorum votis solemnibus carentium, relative ad episcopos.

§ I. — De congregationibus ex sola ordinarii auctoritate erectis.

Si congregatio fuerit sola episcopi auctoritate erecta, et ejusdem constitutiones aliquas in suo regimine partes episcopo tribuerent; tunc jus haberet episcopus in dicto regimine interveniendi, eo modo quem constitutiones exprimerent.

§ II. — De congregationibus, quarum constitutiones a sede apostolica approbatæ fuerint.

Quoad dictas congregationes applicandum venit quod fuit resolutum pro Oratorianis in celebri decisione a Benedicto XIV confirmata, constit. *Emanavit*, 21 Januarii 1758. Hinc sequitur :

I. Dictæ congregationes episcopo non sunt subjectæ quoad ipsarum constitutiones, a sede apostolica approbatas; nam in præfata constitutione, «*Ad dubium* 1 : An congregatio sit omnimodo subjecta reverendissimo archiepiscopo, in modo, forma, assumptis, et materiis? » — responsum est : ad primum, *affirmative*, excepto ejus instituto, sive iis de quibus loquentur constitutiones congregationis.

« Hoc ipso enim quod pontifex institutum approbet, vult congregationem cum hac instituti forma posse exsistere. Consequenter nulla auctoritas, pontificia inferior, jure sic exsistendi, seu constitutiones prout approbatæ sunt retinendi, congregationem privare potest.

« Conclusio autem vera remanet, sive congregatio vota perpetua habeat et religiosi status essentiam, sive habeat tantum vota temporaria, vel nulla.

« Hinc nequit episcopus ullam immutationem in ejusmodi congregationem constitutionibus decernere aut exigere. » (Ita D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 378.)

II. Dictæ congregationes ab episcopo dependent quoad bonorum suorum temporalium alienationes, eodem modo ac regulares omnes. Ideoque indigent beneplacito apostolico in alienationibus valoris plusquam modici; et in alienationibus valoris modici, ipsis necessaria est episcopi licentia.

III. Reliqua vero rei temporalis administratio penes ipsam congregationem omnino remanet, absque ulla ab episcopo dependentia. Præterea ab episcopo non dependent quoad membrorum admissiones, eorumdem expulsiones, superiorum electiones et ad alia officia congregationis nominationes. Hæc omnia decisa sunt quoad Oratorianos in dicta const. *Emanavit*, ibi, *Ad dubium* 4 : An interiores œconomicæ congregationis quoad expensas et computa, nec non electiones præpositorum, nominationes, admissiones et expulsiones presbyterorum, sint subordinatæ directioni archiepiscopi? — Responsum est : Ad quartum *negative in omnibus*.

IV. Quando in hisce congregationibus oritur contentio de legitima superiorum electione, episcopus est judex competens ad causam dirimendam, si electio facta fuerit in et pro sua diœcesi a residentibus in eadem; nequit tamen procedere curia episcopalis, nisi ad ipsius tribunal a congregationis membro aliquo delata fuerit causa. Attamen dictæ congregationes ab episcopo non dependent quoad constitutionum suarum observantiam. Ita per omnia decisum est quoad Oratorianos Limanæ archidiœcesis; const. *Emanavit*, ibi : *Ad dubium* 7 : « An archiepiscopus sit judex competens in causa nullitatis electionis ad præposituram, et promotor fiscalis de ea jure agere valeat; prout etiam pro observantia omnium constitutionum? » — Responsum est : « Ad septimum, *affirmative* quoad primam partem; quoad vero secundam, promotorem fiscalem agere non posse ex officio et nullo ex sacerdotibus congregationis instante pro nullitate electionis; quoad vero tertiam, *negative*. »

« Si tamen agatur de electione superioris generalis, vel etiam de electione superioris localis, sed facta a generali præposito, vel a generali capitulo, et congregatio in pluribus diœcesibus domos habeat, non videtur causa nullitatis electionis dirimi posse ab episcopo, defectu jurisdictionis in domos aliarum diœceseon; sed in hoc casu videtur ad sanctam sedem recurrendum.

V. « Nequeunt dictæ congregationes in aliqua diœcesi novum conventum sibi consti-

tuere, nisi obtenta ab hujus diœcesis episcopo licentia, ex lege Tridentina.

VI. « Semel autem legitime constituto in aliqua diœcesi conventu, jam non poterit episcopus conventum hunc supprimere, seu congregationem jure ibi conventualiter exsistendi spoliare. » (D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 382.)

VII. Potest seminariorum regimen dictis congregationibus committi; sed subjiciuntur legi Tridentinæ de seminariis in omnibus. *Vide* t. I lib. V, cap. IX, col. 1097. Ut gaudeant privilegio regularium in regimine seminariorum, et de eodem pacisci possint cum episcopo, excluso capitulo et etiam exclusis Tridentinis commissionibus, necesse est ut interveniat sanctæ sedis auctoritas. Non enim potest episcopus contra legem Ecclesiæ universalem quidquam statuere.

VIII. Dictarum congregationum presbyteri parochialibus ecclesiis præfici possunt absque pontificia dispensatione; non sunt enim stricte dicti regulares.

IX. Si in ipsarum instituto a sede apostolica confirmato, expresse caveatur presbyteros congregationis posse confratrum confessiones audire ex sola superiorum congregationis facultate, dicti presbyteri non indigent licentia et approbatione episcopi pro confratrum confessionibus audiendis: secus vero, dictarum congregationum presbyteri pro audiendis confessionibus, non tantum exterorum, sed etiam confratrum, debent jurisdictionem ab ordinario recipere. (*Vide* D. Bouix, *De jure regul.*, t. II, a pag. 377 ad 385.)

CAPUT XVII.

De monialibus generali superiorissæ subjectis, relative ad ordinarios singularum diœceseon.

I. Olim aliquæ sed perpaucæ exstabant monialium congregationes, quarum conventus unum sociale corpus efficerent, sub unius generalis superiorissæ regimine. Inter quatuor talium congregationum exempla a Benedicto XIV, in sua constit. *Quamvis justo*, 30 Aprilis 1749, memorata, superiorissa generalis ordinis Fontebraldensis amplam, quamdam jurisdictionem in subditas exercebat, ipsaque ab ordinaria episcopi auctoritate exempta erat. Talis erat etiam abbatissa Burgensis in Hispania.

II. « Recentioribus vero temporibus, ortæ sunt (in Gallia præsertim) quamplurimæ monialium familiæ, quarum conventus omnes in variis diœcesibus constituti, dicta regiminis unitate inter se cohærent, et unicam generalem superiorissam agnoscunt. » (D. Bouix, *De jure regul.*, tom. II, p. 387.)

III. Dictæ congregationes privilegium exemptionis non habent; unde seclusa in earumdem favorem speciali sedis apostolicæ dispositione, gravissimæ oriuntur relative ad ordinariam episcoporum jurisdictionem, difficultates. Nam nullus episcopus suam jurisdictionem exercere potest in conventus dictarum monialium extra suam diœcesim exsistentes. Si tamen unusquisque episcopus potest suam jurisdictionem exercere in conventus intra suæ diœcesis fines exstantes, jam impossibile evadet regimen sive superiorissæ generalis, sive capituli generalis ejusmodi congregationum.

IV. Benedictus XIV, in sua citata constit. *Quamvis justo*, quasdam dispositiones statuit ad tollendas eas difficultates, quoad unam ex istis monialium congregationibus, scilicet quoad virgines anglicas. Ex dicta constitutione superiorissa generalis virginum anglicarum:

1. « Nullam, quantumvis parvam, facultatem exercere debet, independenter ab ordinaria auctoritate eorum præsulum, in quorum diœcesibus exsistunt instituti sui conservatoria

2. « Huic generali superiorissæ minime licebit virginem ullam ad votorum professionem admittere,... nisi prius ipsi ab episcopo necessaria facultas ad hunc effectum... concessa fuerit... »

3. « Eidem tali generali superiorissæ licebit, prævio expresso diœcesani præsulis assensu, conservatoria seu domos visitare... ad quem (præsulem) post visitationem, de omnibus relatio fieri debebit.

4. « Eadem quoque poterit magistras et virgines de uno ad aliud conservatorium transferre...; habita tamen ad hujusmodi translationes pro tempore exsequendas, licentia et facultate illius ordinarii præsulis, seu illorum, in cujus vel quorum diœcesi ipsa conservatoria respective sita reperiuntur. »

Hujusmodi dispositiones merito sufficere visæ sunt, quia dictarum monialium perpauci erant et in perpaucis diœcesibus conventus.

V. At vero hodie, ejusmodi monialium variæ congregationes conventuum et exercendorum piorum operum multitudine valde excreverunt, et in simili proportione diffi-

cultates auctæ sunt. Ideoque jam ab aliquanto tempore sedes apostolica dictis congregationibus aliter providere cœpit. Etenim moniales *ab Immaculata Conceptione* nuncupatæ, quoad ea præsertim quæ totius congregationis regimen concernunt, nec respectivis conventuum ordinariis, nec ordinario domus principalis in qua degit generalis superiorissa, sed sacr. congr. Propagandæ subjiciendæ visæ sunt. — Item sorores *A bono Pastore*, quarum principalis domus exstat Andegavi, cardinalem protectorem habent, cui attribuitur jurisdictio in regimine et causis totius congregationis. Hæc sanctæ sedis praxis arguit utilitatem ne dicam necessitatem alicujus pontificii delegati in omnes simul ejusdem congregationis conventus jurisdictionem habentis.

VI. His præmissis, quid de jure communi videatur circa præfatas difficultates, quando nulla sedis apostolicæ exstat dispositio quoad aliquam ejusmodi congregationem? « Dictis congregationibus, sub unius generalis superiorissæ regimine constitutis, competere videtur plena et libera rei temporalis administratio, excepta semper immobilium et mobilium pretiosorum alienatione, quæ fieri nequit absque beneplacito apostolico, ut dictum est. — Etenim dominium bonorum de quibus agitur, stat *primario* penes summum pontificem; *secundario* penes ipsam congregationem; nullatenus vero penes ordinarium. Igitur de jure administratio dictorum bonorum ad ipsam congregationem pertinet, ubi nulla intervenit dispositio pontificia.

« Equidem *consuetudine* inductum est ut tenerentur moniales ordinarii consensum habere pro gravioribus administrativis actibus, atque eidem ordinario administrationis rationem reddere. Atqui tamen hæc ab ordinario dependentia nequit afficere conventus in alienis diœcesibus exsistentes, defectu jurisdictionis et potestatis. Cum vero hujusmodi congregationum administratio generalis respiciat ad omnes ejusdem conventus, sequitur eamdem administrationem nullo locorum ordinario competere posse nec ab eo dependere, nisi aliquid jus hanc statuerit dependentiam. Nullum vero jus quidquam hujusmodi statuit quoad dictarum congregationum generalem administrationem.

« Idem argui posse videtur ex eo quod dictæ monialium congregationes a sede apostolica (ut supponimus) suarum constitutionum seu regularum approbationem obtinuerint. Etenim hoc ipso quod sedes apostolica ejusmodi constitutiones approbet, vult hoc ipso congregationem ad normam earum constitutionum exsistere posse ac regi. Ergo vult a nullo impediri posse ea, sine quibus stare nequit congregationis unitas et constitutionum substantia. Jam vero imprimis ad id necessarium videtur, ut rei temporalis administratio non stet penes singulorum conventuum ordinarios. » (D. Bouix, *De jure regul.*, t. II, p. 396 et seq.)

Attamen « *ratione delicti* in administratione commissi, administratio hæc cadit sub *jurisdictionem* ordinarii : unde potest tunc ordinarius de administratione cognoscere, et excessus coercere. » (*Ibid.* p. 398.)

VII. « Penes ejusmodi congregationes stare etiam censenda est libera facultas, moniales ex uno in alium conventum transferendi, aliaque peragendi, quæ generale totius congregationis regimen respiciunt. » Et deducitur ex jam allatis rationibus. (Id. *ibid.* p. 399.)

—

SECTIO III. — DE JURE REGULARIUM AD INTRA

—

CAPUT XVIII.

De potestate semetipsos regendi ad religiosos ordines pertinente.

§ I. — Jure naturali potestas semetipsos regendi ad religiosos ordines pertinet.

I. Deus creavit hominem liberum et socialem. Ex eo quod homo sit natura ens sociale, nequit exsistere totamque suam naturam explicare nisi in quodam societatis plus minusve perfectæ statu. Prima creata societas est naturalis familia in qua necessario potestatem dominativam habent vir in uxorem, pater in filium. Diversæ humanarum societatum formæ varias efficiunt nationum constitutiones et gubernationes, in quibus ex ipsamet rei natura rector seu gubernator potestatem dominativam habet in cujusque societatis membra.

Sed ex eo quod homo sit natura et creatione liber, electio societatis et ejusdem gubernationis formæ primitive libera est in quacunque naturali societate; sed ex ipsamet libera electione gubernativæ formæ, exsurgit necessario inter eligentes et gubernatorem electum naturalis contractus, cujus obligatione utraque pars ligatur. In hac vero naturali societate, servari et protegi omnium membrorum nativa libertas ad bonum jure naturali debet. Unde remanet integra apud omnes cujuscunque societatis cives libertas inter se peculiares ad communem finem cum mediis communibus attingendum associationes ineundi et paciscendi, dummodo nihil ex tali associatione patiatur bonum naturalis societatis commune. In hujusmodi vero associatione seu collegio quod conflarent cives, necesse est ut ex pacto conventionali præsidi cuidam potestatem tribuant collegium gubernandi juxta certa statuta, et mulctis aliisve pœnis infractores pacti coercendi. In his casibus adest potestas dominativa ad proprium ejusmodi societatum scopum sufficiens.

II. Sed non tantum ex jure naturali, verum etiam ex divino jure omnibus in quacunque naturali societate exsistentibus hominibus liberum est inter se pacisci associationem ad perfectiorem vitam agendam, finem meliorem et quidem supernaturalem tutius obtinendum. Igitur in his associationibus adest potestas dominativa ad proprium earumdem scopum sufficiens. Sic constitutus status religiosus sibi sufficeret, si non adesset societas supernaturalis divinitus fundatæ Ecclesiæ, extra quam nulla societas peculiaris finem supernaturalem habens nequit exsistere, nec talem finem obtinere.

III. Ex eo quod essentia status religiosi consistat in perfectione evangelica per tria substantialia vota attingenda, et salute æterna tutius obtinenda, sequitur omnes religiosos ordines de jure divino cadere sub jurisdictionem Ecclesiæ, cui soli pertinet perfectionem evangelicam interpretari, docere et regulare et per rectam salutis tramitem ducere omnibus media hujus salutis simul et perfectionis necessaria præbendo. Et revera semper exstat in Ecclesia spiritualis jurisdictio in omnes fidelium status; et quidem jurisdictio specialis in status *ecclesiasticos*, de quorum numero est status religiosus. Ergo facta institutione alicujus religiosi ordinis, status religiosi essentiam habentis, statim ordo ille cadit sub prælatorum ecclesiasticorum jurisdictionem, atque ei subjicitur. « Religiosus status, inquit Suarez (*De religione*, tom. III, lib. II, c. 18, n. 12 eo ipso quod per Ecclesiam approbatur et instituitur, est status sacer et ecclesiasticus; et personæ ejus... sunt personæ sacræ et ecclesiasticæ... Hinc ergo fit ut eo ipso quod aliquis religiosus constituitur, sub spirituali jurisdictione pastorum Ecclesiæ constituatur. Illa ergo subjectio non est conditio necessaria ad statum religiosum constituendum, sed est quasi proprietas consequens ad illum statum; et eadem ratio est de subjectione quæ illi jurisdictioni respondet. »

IV. Ex prædictis in ordinibus religiosis duplex distinguenda est potestas, dominativa scilicet et jurisdictionalis. Potestas dominativa jure naturali ad ipsum religiosum ordinem pertinet; potestas vero jurisdictionalis jure divino pertinet ad Ecclesiam et ab ipsa sola procedere potest.

V. Igitur omnes religiosi ordines primario subjiciuntur summo pontifici, qui est ordinarius ordinariorum; secundario subjiciuntur jurisdictioni ordinariorum locorum. At ex multis et gravissimis rationibus, quas hic adducere longius foret, omnes fere instituti religiosi aliquo modo ab immediata sedis apostolicæ jurisdictione dependent, et in plurimis eximuntur ab immediata locorum ordinariorum jurisdictione. Et fere omnes religiones virorum exemptæ sunt ab ordinariorum jurisdictione.

Cum tamen impossibile sit Romano pontifici immediate et per se regere omnes religiosos ordines, necesse est ut potestas jurisdictionalis conferatur a papa alicui prælato ejusdem ordinis religioso. Igitur, « in religionibus exemptis, quales nunc sunt fere omnes religiones virorum, necessarii sunt prælati proprie dicti, habentes spiritualem, imo et episcopalem jurisdictionem, » ut, ex Suaresio, demonstrat D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 406. Ii religiosi qui conventibus exemptis præsunt et jurisdictionem habent, sunt prælati in vero et stricto sensu, quamvis jurisdictionem tantum habeant ex jure positivo ecclesiastico, non autem ex jure divino. Et « dicendum est hanc jurisdictionem in prælatis religionum esse *quasi episcopalem*. Ita loquuntur omnes auctores

(in Clement 1, *De rebus eccles. non alienandis*, verb. *Proprii*); et sumitur ex cap. *Abbates*, *De privilegiis* in 6, ibi : *In quos ecclesiasticam et quasi episcopalem jurisdictionem obtinent*. Ubi glossa notat vocari *quasi episcopalem*, quia non se extendit ad actus, ad quos potestas ordinis seu consecratio episcoporum necessaria est. » (Suarez. *De religione*, tom. IV, tract. VIII, lib. II, c. 2, n. 9.)

§ II. — Quinam religiosi sint prælati.

« Generales ordinum, provinciales, et singulorum conventuum superiores, seu rectores, vere et proprie sunt prælati, et habent a lege canonica jurisdictionem ordinariam, non vero delegatam. « Triplex religionis prælatus generaliter distingui potest, scilicet infimus, supremus et medius... *Prælati infimi* in religione sunt illi, qui conventuales seu locales vocantur, quorum unusquisque uni tantum monasterio præest, et in eo immediatam gerit prælationem, ita ut infra se nullum alium prælatum habeat. Hujusmodi est abbas, verbi gratia, unius monasterii; prior, guardianus, etc. Nam hos omnes vere prælatos esse communis sententia est.

« I. *Supremus prælatus* religionis dicitur, qui intra illam superiorem non habet, et omnes alios ejusdem religionis prælatos sibi habet subjectos. Qui prælatus, in omnibus religionibus quæ illum habent, vocatur *generalis*; quamvis in quibusdam appelletur *prior generalis*; aut etiam *abbas generalis*; in aliis *magister*, *minister*, aut *præpositus generalis*.

« *Prælati medii* dicuntur, qui intra eamdem religionem superiorem prælatum habent, et nihilominus aliquo modo universales prælati sunt; plures domos pluresque prælatos inferiores sub se habentes, ut sunt *provinciales* religionum mendicantium, et aliarum quæ eas imitantur.

« Porro dicendum est omnes hos prælatos habere jurisdictionem spiritualem in subditos, tam in foro pœnitentiæ, quam in foro exteriori ecclesiastico aut religioso.... Hoc certum est apud omnes.... quia omnes hi sunt ordinarii pastores, quibus ex officio incumbit cura animarum religiosorum. Nam respectu eorum, superiores et universales prælati (id est *generales*, et *provinciales*) sunt quasi episcopi : inferiores vero seu locales sunt quasi parochi, et ideo habere debent ordinariam jurisdictionem in foro pœnitentiæ...

« Atque eadem ratio cum proportione applicari potest ad externam jurisdictionem : nam hæc etiam necessaria est ad religionis gubernationem... Quamvis enim, in rigore loquendo, potestas dominativa posset sufficere ad exteriorem gubernationem, præsertim ad œconomicam unius domus, tamen efficacior et utilior erit, si fiat simul per potestatem jurisdictionis. Supposita autem exemptione religionum ab episcopis, necessarium est ut in ipsa religione sit hæc jurisdictio et efficacia ejus; quia non potest relinqui sine proprio gubernatore infra summum pontificem. Hac ergo ratione necessaria est in generali, et quia ille non potest immediate præesse singulis provinciis, necessaria etiam est in provinciali. Præter quem in unaquaque domo necessarius est proprius gubernator, qui participet etiam curam episcopalem; et ideo etiam in illo est moraliter necessaria hæc jurisdictio. Et in omnibus ordinaria est, quia omnes sunt ex officio pastores et rectores in hoc etiam exteriori foro. Ita sentiunt communiter doctores. » (Suarez, *De religione*, tract. VIII, lib. II, c. 2, n. 1 ad 7.)

II. « Prælatus major, sine justa causa non potest licite restringere jurisdictionem ordinariam prælati inferioris : potest autem valide. Item sine justa causa nequit eum licite amovere : potest autem valide. » (*Vide* id discussum a Suaresio, citato capite.)

III. « In congregationibus virorum, quæ status religiosi essentiam habent, sed absque votis solemnibus, superiores regulariter loquendo, non sunt prælati, seu non habent potestatem jurisdictionalem, sed tantum dominativam. » Ideoque tenent jurisdictionem ab episcopo. « Dicimus *regulariter loquendo*; quia fieri potest ut papa aliquam etiam ejusmodi congregationem exemptam decernat, et ejus superioribus ordinariam jurisdictionem conferat. » (D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 411.)

§ III. — De norma canonica legitime constituendi prælatos regulares in virorum ordinibus.

I. Prælatus regularis legitime constitui potest, per designationem et nominationem Romani pontificis.

II. Per electionem canonice factam.

III. Constitui nequit per hæreditariam successionem, nec per prælati decedentis

nominationem, quæ pariter a jure prohibentur. Non tamen juri communi repugnat, quod prælatus decedens nominare possit vicarium, qui congregationem regat, donec prælatus successor legitime constitutus fuerit, ut fit in societate Jesu.

IV. *Quid ad validam prælati regularis electionem requiratur ex parte ipsius eligendi?* — 1. Abstrahendo a particularibus religionum hac de re præscriptionibus, requiritur saltem 25 annorum ætas. — 2. Ut religiosus electus, professionem *expressam*, non vero *tacitam*, et probabilius saltem *validam* in eadem religione emiserit. — 3. Si religiosus faciat professionem, prælatura jam vacante, et subito eligatur, probabilius electio non est ipso facto irrita, nec videtur etiam, invito capite *Officii*, *De elect.*, irritanda hodie propter celeritatem ejus, post legitimam professionem electi, nisi aliunde manifeste redundet in personæ electæ insufficientiam et indignitatem. (Ita Suarez, *De relig.* t. II, tract. viii, lib. ii, c. 3, n. 19.) — 4. Requiritur ut sit clericus, cum debeat habere spiritualem jurisdictionem ordinariam; sed non requiritur ut hic et nunc sit sacerdos; sed tenetur presbyteratus ordinem debito tempore suscipere ob animarum curam quæ ipsi incumbit. — 5. Valide eligi nequit, si ob aliquam irregularitatem sit inhabilis ad dignitates et prælaturas. Si innodatus sit irregularitate quæ eum inhabilem reddat ad episcopatum, non vero ad presbyteratum, valide eligi potest. Si vero irregularitas eum inhabilem reddat ad suscipiendum etiam presbyteratum, an irrita sit ipso facto electio, vide apud Suarez, loco citato, n. 26. — 6. Eligi nequeunt excommunicati etiam excommunicatione minori, nec suspensi sive a jure, sive ab homine, nec personaliter interdicti; nec pœnitentiati a S. Officio, quamvis pœnitentias compleverint, nec qui abjuraverunt in S. Officio etiamsi de levi; item nec hæretici, schismatici, infames. (*Vide* apud Ferrar. verb. *Electio*, art. 2.)

Hæc de jure communi: nam ex peculiaribus ordinum religiosorum constitutionibus, possunt et aliæ conditiones requiri, ex parte personæ eligendæ, ad validam ipsius electionem.

V. *Quid ad validam electionem requiratur ex parte eligentium?* — Requiritur: 1° Ut convocatio fiat ab eo, qui auctoritatem ad id munus explendum habet; 2° ut eligentes sint professi ejusdem religionis; 3° ut sint in sacris, id est, saltem subdiaconi. A quo tamen excipiuntur religiones mere laicorum; 4° ut nulla censura sint irretiti, quæ eos reddat ad eligendum inhabiles. (Ita communiter apud Suarez, et alios.)

VI. *De legitima electionis forma.* — Pro eligendis prælatis regularibus est attendenda forma in unaquaque religione præscripta et consueta. De jure autem communi, attendendum est ad cap. *Quia propter*, *De electione*, et ad cap. 6, sess. 25, *De regul.* Tridentinæ synodi, ubi in specie de eligendis prælatis regularibus agitur. Unde ante electionem requiritur: 1° Ut convocentur omnes qui jus eligendi habent, si commode fieri possit; alioquin electio irritari poterit. Possunt tamen qui despecti sunt electioni factæ consentire; et tunc valida erit. — 2° Necesse non est ut adsint omnes qui jus eligendi habent; si quidem dicitur in cap. *Quia propter: Qui volunt et commode possunt.* Si contingat nullos aut fere nullos venire, electio devolvitur ad summum pontificem, si religio sit exempta. — 3° Electio fieri debet in communi congregatione, non autem remanendo in singulis conventibus aut provinciis. — 4° Requiritur ut *assumantur tres de collegio fide digni qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant.*

In ipsa electione requiritur: 1° Ut dicti tres commissarii secrete vota exquirant et in scriptis redigent; sed prævaluit mos ut scriptum electi nomen a singulis eligentibus tradatur. — 2° Tenentur ad secretum non tantum commissarii, sed etiam ipsimet eligentes, ita ut sufficiat manifestatio unius suffragii ad annulandam electionem, si in ipsa electione fiat. Et durat obligatio secreti etiam post electionem, quamvis, si violetur post consummatam electionem, nequaquam sequatur ejusdem electionis irritatio. — 3° Requiritur ad valorem electionis ut *in scriptis* redigantur nomina eorum qui electi sunt. — 4° Si quis ex electoribus præsentibus non admitteretur ad suffragium, electio foret hoc ipso irrita. — 5° Ad valorem electionis necesse est ut suffragia omnia *mox in communi* publicentur; ideoque debet dici coram tota congregatione *quot personæ* suffragium tulerint; non autem in quorum favorem suffragia data fuerint; id est, dici nequit tot suffragia in hanc personam, tot in talem aliam cecidisse; sed duntaxat publice enuntiandus est latorum suffragiorum numerus.

— 6° Scrutatores collationem inter se de suffragiis habere debent. (C. *Quia propter: Collatione habita, is eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit.*) Estque hæc *collatio* de substantia electionis; ejusque omissio electionem irritaret. — 7° Requiritur *major* pars, relative ad totalem eligentium numerum. « Non enim sufficit habere plura vota quam cæteri, si numerus votorum non contineat majorem partem totius capituli. » — 8° Debet tandem is, qui dictam majoritatem suffragiorum obtinuit publice nominari et electus declarari. Qui actus ad valorem electionis necessarius est, utpote per quem completa electio censetur. (Suarez, *De religione*, tom. IV, tract. VIII lib. II, c. 25; apud D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 414 et seq.)

VII. *De confirmatione.* — « De jure communi requireretur electi confirmatio per summum pontificem; et prælatus electus jure acquisito privaretur ipso facto, si ante confirmationem aliquem prælationis actuum exerceret. At de jure speciali multarum religionum, qui legitime electus fuit, censetur simul auctoritate apostolica confirmatus, et statim jurisdictionem exercere potest. » (*Ibid.* p. 416.)

VIII. *Quœnam sit legitima forma eligendi cæteros infra generalem prælatos.* — 1° Dari possunt religiones in quibus dicti prælati constitui debeant a prælato generali, sive solo, sive cum assensu generalis capituli, aut aliquot consiliariorum. — 2° Si vero, juxta ordinis constitutiones, in inferiores prælati *per electionem* assumendi sunt, de jure communi servanda sunt fere eadem, quæ pro generalis prælati electione descripsimus. Nempe requiritur ætas saltem annorum 25; ut sit ejusdem religionis professus, non tamen ejusdem monasterii aut provinciæ; sed si assumatur ex familia, ejusdem quidem religionis, sed diversum habitum habentis requiritur ut diversitas hæc habitus non sit substantialis. — 3° Facienda est electio a congregatione proportionata; id est a capitulo conventus, si conventualis prælatus eligendus sit; et a capitulo provinciali, si eligendus sit provincialis. — 4° Oportet ut electores sint ejusdem religionis professi et clerici. — 5° In cæteris eadem servanda sunt ac in electione prælati generalis.

§ IV. — De legitima electione superiorissæ seu abbatissæ monialium.

Tridentina synodus sess. 25, *De regul.* cap. 7, ita decrevit: *Abbatissa et priorissa, et quocunque alio nomine præfecta vel præposita appelletur, eligatur non minor annis quadraginta, et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit. Quod si his qualitatibus non reperiatur in eodem monasterio, ex alio ejusdem ordinis eligi possit. Si hoc etiam incommodum superiori, qui electioni præest, videatur, ex iis quæ in eodem monasterio annum tricesimum excesserint, et quinque saltem annis post professionem recte vixerint, episcopo vel alio superiore consentiente, eligatur. Duobus vero monasteriis nulla præficiatur. Et si qua duo vel plura quocunque modo obtinet, cogatur, uno excepto, intra sex menses cætera resignare: post id vero tempus nisi resignaverit, omnia ipso jure vacent. Is vero qui electioni præest episcopus, sive alius superior, claustra monasterii non ingrediatur, sed ante cancellorum fenestrellam vota singularum audiat vel accipiat. In reliquis serventur singulorum ordinum vel monasteriorum constitutiones.*

Ex dicto capite Tridentino et aliis juris capitibus adnotanda sunt cum Ferrar. verb. *Abbatissa*, et cum aliis auctoribus, sequentia:

I. Quoad ætatem in abbatissa requisitam, solus summus pontifex dispensare potest. Et si aliqua eligatur non habens ætatem a concilio requisitam, electio ipso jure esset nulla. (S. congr. 16 Maii 1623.) — Et dato quod in monasterio reperiretur una sola habens ætatem requisitam a concilio, ipsa deberet eligi, nisi esset penitus inhabilis ex alio capite. Non enim potest eligi alia, quæ deficiat a dicta ætate aut tempore etiam per solum mensem, licet sit habilior illa quæ habet requisitam ætatem et tempus. (Ead. sacr. congr.)

II. Non potest eligi in abbatissam illegitima sine dispensatione apostolica; neque publice pœnitentiata; neque vidua, sine dispensatione apostolica; neque corrupta; neque cæca, neque surda; neque tertia soror, viventibus aliis duabus sororibus, quia absque dispensatione, ipsis adhuc viventibus, caret voce activa et passiva. Non prohibetur tamen a jure communi, quin soror possit succedere immediate sorori in officio

abbatissatus. (Ita per omnia ex decretis sacr. congr. pluribus.)

III. Electio abbatissæ debet fieri per vota secreta; alias esset nulla etiamsi ex ignorantia. Per hoc tamen quod præses electionis accipiat vota, ore tenus exhibita, præsentibus duobus vel tribus probatis viris, qui vota audiant et notent, non tollitur secretum et talis electio est canonica. — Per disjunctivam enim *audiat* vel *accipiat*, qua utitur concilium loco citato, datur libertas ut electio abbatissæ fiat per schedulas ab unaquaque moniali scriptas et sic per omnia declaravit sacr. congr. Concil. pluribus decretis.

IV. In electione abbatissæ de jure communi habent vocem activam omnes moniales chorales professæ ejusdem monasterii, etiam recenter professæ immediate ante electionem; et si reperiretur aliqua monialis infirma, quæ nollet renuntiare juri suo, posset præses mittere ad ipsam duas prudentes moniales, quæ ab ipsa diligenter votum requirerent, et postea ipsi præsidi referrent, aut posset ipsa mittere scriptum, et sigillo munitum suum votum. — Si vero in aliquibus monasteriis vigeret consuetudo, quod etiam conversæ in tali electione votarent, essent manutenendæ in sua possessione votandi. — Si electio abbatissæ fiat per schedulas, et in aperitione scrutinii reperiantur plures schedulæ quam sint vocales, adhuc electio erit valida, si, demptis superfluis, remanet major pars. Unde valida et canonica est electio quoties major pars capituli monialium concurrit in unam. (Ita per omnia jus et declarationes sacr. congr.)

V. Nec episcopus nec alius superior potest ferre suffragium in electione abbatissæ, quamvis vota monialium essent paria, et moniales in electione non concordarent. Sed in casu quo moniales non essent concordes in eligenda abbatissa, quia monasterium non debet manere sine capite, episcopus sive alius superior deberet præfigere illis certum tempus, in quo concordarent; quod si, eo elapso, non convenissent in eligenda, tunc superior deberet ipse nominare eam, quam judicaret magis idoneam, et deputare in abbatissam. Ita per omnia sacr. congr. Concil.

VI. Episcopus in monasteriis non exemptis potest per se vel per alium abbatissæ electioni præsidere, et omnia juxta canones peragere.

VII. In monasteriis vero exemptis, prælati regulares teneantur significare ordinario diem electionis abbatissarum sibi subjectarum, ut per se vel per alium possit intervenire, si velit, et ipsum expectare, si expresse declaraverit velle per se vel per alium intervenire; alioquin, si ante tempus significatum ad electionem procederent, possent ab ipso puniri, ex const. Gregor. XV *Inscrutabilis*.

« Si autem vocatus et admonitus de tempore electionis noluerit intervenire, neque per se neque per alium, tunc superior regularis posset procedere ad electionem, quæ esset canonica et valida.

« Episcopus, seu vicarius non potest secum ducere ad interessendum etiam notarium; neque exquirere, seu recipere vota monialium, sed illa debent exquiri et accipi a superiore regulari, sciente tamen et audiente eodem episcopo. Neque potest moniales ante actum electionis personaliter audire et interrogare in materia ad electionem spectante. Neque potest per se vel per alium adnotare vota monialium. — Neque jus habet confirmandi abbatissas electas, sed publicandæ et confirmandæ sunt a prælato regulari, utpote superiori immediato earum. » (Ita in omnibus ex decretis diversis sacr. congr. Concil. etc.)

VIII. In omnibus casibus, « electio abbatissæ seu superiorissæ debet publicari statim ac est secuta, significando numerum suffragiorum et monialem quæ majorem suffragiorum partem obtinuerit. Et si, facta publicatione abbatissæ, moniales statim opponant se elegisse non illam quæ fuit publicata, sed aliam, sacr. congr. *in una Liciensi*, declaravit in tali casu moniales omnes iterum audiri debere per personam non suspectam, ut sic de veritate constet et electio censeatur canonica. »

IX. Nec moniales possunt electionem abbatissæ in episcopum, vel alium superiorem, vel prælatum compromittere. Sic expresse tenent communiter doctores post Tridentinum, et ex pluribus sacr. congr. declarationibus concludendum est electionem quorumcunque superiorum regularium non posse fieri per viam compromissi aut inspirationis, sed solum per vota secreta, ut statuit concilium Trident. sess. 25, c. 6, *De reg.*

X. Electio ut sit valida requirit ut in

ipsam concurrat saltem major pars capituli.

XI. Abbatissæ non possunt durare in officio abbatissatus ultra triennium, et, eo elapso, debent vacare per integrum triennium. (Ex const. GREGORII XIII 1 Januar. 1583.) Imo expleto triennio, officium abbatissæ non potest ab episcopo prorogari, nec ea sub nomine vicariæ, vel alterius tituli præfici gubernio usque ad novam electionem, quia elapso triennio, debet ex citata constit. Gregorii XIII, statim carere omni prorsus auctoritate, regimine et administratione monasterii per aliud triennium, a die finitæ administrationis inchoandum; et sic declaravit sacr. congr. Episc. et Regul. pluries. Praxis tamen videtur esse contraria.

Attamen abbatissa potest eligi et confirmari pro secundo triennio ex dispensatione sacr. congr.; sed nequit iterum eligi a monialibus ad tertium triennium sine nova dispensatione. (Huc usque FERRAR. verb. *Abbatissa*, n. 1 ad 57.)

Nota. Quod ait Ferraris, « de triennio a Gregorio XIII præfinito abbatissatui, id intelligendum est de monasteriis intra, non item extra Italiam exsistentibus. — Quinimo in ipsa Italia in collegiis, seu universitatibus mulierum oblatarum, quæ tria vota non emittunt, locum haud habere Gregorianam constitutionem, monet Castellin. » — « Excipiendæ sunt etiam religiosæ moniales congregationis Sanctæ Ursulæ, quæ licet tria vota emittant, tamen juxta earumdem constitutiones part. III, cap. 2, a sede apostolica non semel approbatas, earum superior seu prima potest ad secundum triennium confirmari. » (Apud FERRAR. *ibid.* nota in edit. Barbiell.)

XII. De cætero servandæ sunt singulorum ordinum constitutiones approbatæ, quia præservantur in decreto Tridentino.

XIII. Electa superiorissa confirmari debet a prælato regulari, si huic monasterium subjaceat; ab episcopo, si non sit exemptum; si vero exemptum sit, et sedi Apostolicæ immediate subjectum, debet electa per procuratorem a summo Pontifice confirmationem petere.

CAPUT XIX.

De potestate gubernativa superiorum regularium.

§ I. — De potestate superiorum regularium subditis imponendi præcepta quæ obligent in conscientia.

I. Ex sola potestate dominativa possunt superiores religiosorum subditis suis præcepta intimare, quæ eos obligent in conscientia; et quidem sub gravi, modo adsit apta et sufficiens materia. — Etenim religiosus ex vi voti obedientiæ tenetur superiori obedire; quia hoc est ipsum hujus voti objectum. Item tenetur ex traditione sui ipsius a religioso facta illi religiosæ communitati quam ingreditur; et tandem ex promissione humana superioribus parendi, qua se religiosus obstrinxit.

II. « Si regularis superior sit etiam prælatus, id est, ordinariam jurisdictionem fori externi habeat, etiam ex hoc titulo potest per præcepta sua subditos in conscientia obligare. » (*Vide* id probatum ex *Suarez.* apud D. BOUIX, *De jure regul.* tom. II, p. 427 et seqq.)

III. Verum est tamen præceptum superioris non obligare, etiam sub veniali, nisi manifesta sit ejus voluntas obligandi in conscientia. « Notandum quod, nisi prælatus mandatum explicet, verbi gratia, dicens: *Jubeo*, *præcipio*, etc., subditus non tenetur obedire... Et dicente prælato: *Jubeo*, *præcipio*, etc., nec etiam tenetur subditus obedire sub gravi, nisi addatur, *in nomine D. N. Jesu Christi*, vel *in virtute obedientiæ*, vel nisi addatur pœna excommunicationis, non solum ferendæ, sed etiam latæ sententiæ. » (S. LIGORIUS, lib. IV, n. 38.) Id tanquam jus commune in religionibus inductum est ad præcavendas anxietates et dubia. (*Vide* SUAREZ, *De religione*, tom. III, lib. X, cap. 7.)

IV. « Superior seu superiorissa præcipere potest rem gravem sub culpa gravi, et levem sub culpa levi, et quamvis possit quandoque præcipere rem gravem sub culpa levi, nunquam tamen rem levem sub culpa gravi, cum non possit legislator materiæ capacitatem excedere, et materia levis sit incapax obligationis gravis. » (FERRAR. verb. *Votum*, art. 1, n. 39 ad 43, et art. 2, n. 42.)

V. « Religiosus ex vi voti obedientiæ tenetur superiori obedire quoad omnia, quæ præcipit secundum Regulam, et constitutiones sui ordinis, sive directe, et explicite, sive indirecte et implicite. » (Communis.)

« Illa autem dicuntur directe et explicite contineri in Regula, quæ clare et expresse in Regula ipsa habentur, et illa dicuntur in ea contineri indirecte et implicite, quæ ad Regulæ observantiam sunt necessaria, et sine quibus Regula proprii ordinis in suo

vigore conservari non potest. (Ita communis.)

VI. « Religiosus tenetur obedire suo superiori non solum in rebus, quas certo cognoscit esse secundum Regulam, et constitutiones sui ordinis, sed etiam quando dubitat an res, quæ illi præcipitur, sit vere secundum dictam Regulam et constitutiones sui ordinis, et an sit licita necne; — dummodo non cognoscat evidenter esse malam, et illicitam. Sic fere communis doctorum per text. in cap. *Quid culpatur*, causa 23, quæst. 1, et cap. *Ad aures* 5, *De temporibus ordinat.*, ubi generaliter definitur, quod subditi in omnibus etiam in his tenentur superioribus obedire; dummodo tamen non præcipiant quod manifeste malum sit... Et ratio est, quia superior est in possessione præcipiendi, et in dubiis melior est conditio possidentis. »

VII. « Unde religiosus non tenetur obedire superiori in iis quæ clare sunt contra suam regulam, et constitutiones sui ordinis, nisi superior sit talis, qui possit in ipsis dispensare, et causa legitima adsit. (Communis.)

« Neque communiter loquendo in iis, quæ sunt supra Regulam, ut si superior præcipiat nimiam macerationem corporis, extraordinarias mortificationes, et austeritates, et hujusmodi opera supererogatoria. Item nec in iis quæ sunt præter Regulam, ut si superior præcipiat opera, quæ ex objecto, et circumstantiis sunt omnino indifferentia, et inutilia, et quæ ad institutum nihil conferunt. S. Thomas 2-2, quæst. 186, art. 9; sanctus Bernardus, *De præcepto et dispensat.*, cap. 5, al. cap. 8, ubi sic expresse habet: « Prælati jussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis, nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nil me prælatus prohibeat harum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi. » (Communis.)

VIII. Potest tamen superior regularis præcipere alicui subdito ambulationem, honestam recreationem, et hujusmodi, si hoc judicet expediens, ut talis subditus vegetior resurgat ad regularem observantiam. Item potest superior alicui subdito præcipere omissionem alicujus præcepti, Regulæ, ut jejunii, recitationis divini Officii, etc., si id cognoscat expedire pro aliqua differentia temporis ad ejus salutem corporalem... et tunc tenetur subditus obedire, ut notant communiter doctores. »

IX. « Item potest superior aliquam austeritatem, et mortificationem extraordinariam præcipere subdito tam ad puniendum crimen commissum, tum ad recidivam præcavendam, et tunc tenetur subditus obedire, quia hoc expedit ad Regulæ observantiam. » (Communis.)

X. « Religiosi tenentur obedire prælatis jubentibus, ut eant ad commorandum in aliquibus monasteriis aeris intemperie laborantibus. Id enim est Regulæ conforme et necessarium pro conservatione conventuum, seu locorum regularium; dummodo tamen superiores in his non ducantur aliqua passione, aut mala voluntate... »

XI. « Item tenentur subditi religiosi tempore pestis, aut alterius mali contagiosi obedire prælatis præcipientibus sibi, ut ministrent in spiritualibus et temporalibus suis religiosis tali morbo, seu malo contagioso infectis. » (Communis.)

« Non tenentur tamen religiosi regulariter, et per se obedire prælatis præcipientibus, ut ministrent similibus infirmis extraneis cum periculo vitæ, sicuti cum tali periculo tenentur obedire et servire suis religiosis sic infirmis... Dicitur autem notanter *regulariter, et per se*, quia per accidens, et in casu, quo deessent parochi, qui illis sacramenta ministrarent, vel qui ob multitudinem infirmorum non sufficerent ad id præstandum, tunc tenerentur religiosi obedire, et sacramenta ministrare etiam ipsis extraneis. Et ratio est, quia id non est supra Regulam, sed potius illam concernit, cum religiosi, præsertim Mendicantes et alii, quorum institutum est saluti proximorum incumbere, sint coadjutores episcoporum, et parochorum in salute proximorum procuranda, et ob id fidelium eleemosynis sustententur. Ita multi qui omnes cum sancto Thoma, opuscul. 18, cap. 12, ob easdem rationes idem concludunt de tempore hæresis, quæ est perniciosissima pestis spiritualis animæ, nempe teneri religiosos obedire prælatis suis præcipientibus, ut assistant aliquibus locis ad prædicandam, et contra hæreticos defendendam fidem catholicam etiam cum periculo propriæ vitæ.

XII. « Quamvis religiosus non teneatur obedire superiori præcipienti actus mere

internos, et nullam habentes connexionem cum actibus externis... tenetur tamen religiosus obedire superiori præcipienti actus internos, prout connexionem habent cum actibus externis, cum sic per accidens, et indirecte subsint judicio humano, et possint præcipi... v. g. prælati regulares possunt subditis per obedientiam præcipere, ut quas celebrant missas, pro sua intentione offerant...

XIII. « Religiosi ex vi voti obedientiæ tenentur obedire in his, quæ concernunt Regulam, non solum prælatis religionis, sed etiam specialiter summo pontifici, non solum quatenus est caput Ecclesiæ, quo titulo omnes etiam sæculares obedire tenentur, sed specialiter etiam ratione voti obedientiæ emissi in regulari professione. (S. Thomas 2-2, quæst. 186, art. 5; et alii communiter.) Et ratio est, quia votum obedientiæ per se primo, et principaliter fit Romano pontifici tanquam generalissimo omnium religionum, cum omnis potestas jurisdictionis generalium, aliorumque prælatorum religionum ab illo dependeat; et eam prælatis regularibus in approbatione religionum censeatur concedere dependenter tamen semper ab ipso. »

Item ex vi voti obedientiæ tenentur religiosi obedire sacris congregationibus Romanis, quæ a papa habent jurisdictionem in religiosos.

« Item ex vi voti obedientiæ tenentur religiosi obedire sacro collegio cardinalium tempore sedis vacantis. »

XIV. « Item ex voto obedientiæ tenentur obedire episcopo religiosi illorum conventuum, qui episcopi jurisdictioni subsunt, ut declaravit sacr. congr. super statu regularium 27 Julii 1657. »

XV. « Si in aliquo conventu episcopo subjecto contraria præcipiant superior et episcopus, subditus in illis, quæ spectant ad Regulam, et constitutiones ordinis ordinarie loquendo tenetur obedire superiori, quia in hujus manibus vovit obedientiam secundum Regulam. In aliis autem, quæ spectant ad disciplinam ecclesiasticam, tenetur obedire episcopo, quia ad illa superior ipse est episcopo subjectus. Si tamen episcopus cum causa rationabili dispenset circa statuta et constitutiones dicti conventus, et tunc præcipiat, debebit subditus obedire episcopo. »

XVI. « Duobus prælatis diversa præcipientibus, si ipsi sunt diversæ auctoritatis, debet subditus obedire majori, relicto minori, si minor a majori dependet, nempe summo pontifici, et dictis sacris congregationibus, et collegio cardinalium sede vacante, omissis omnibus superioribus ordinis, Patri generali, omisso provinciali, et huic omisso superiore locali, et sic de aliis. » (Communis, textu expresso in c. *Quæ contra* 2, dist. 8; et can. *Qui resistit* 97, causa 11, quæst. 3.)

XVII. « Regulares ex vi voti obedientiæ tenentur adimplere præcepta a prælato imposita etiam exsistentibus illis extra provinciam, seu monasterium illius. » (Communis.)

XVIII. « Non tenentur tamen regulares obedire suo superiori excommunicato publico, et non tolerato, quia tunc superior caret jurisdictione in subditos. Imo neque possunt tunc subditi licite obedire superiori sic excommunicato, quia hoc esset cognoscere in illo potestatem jurisdictionis, quam non habet, et communicare cum illo, quod non licet. » (*C. Nuper* 29; c. *Si aliquando* 41, *De sent. excom.* cum similibus.)

XIX. « Papa potest eximere quemcunque religiosum ab obedientia inferiorum prælatorum, et sibi reservare. Hoc enim ei competit jure supremi prælati religionum, quod ipse habet. » (Communissima.)

XX. Item P. generalis, vel provincialis potest ex justa causa eximere subditum ab obedientia sui immediati superioris, et sibi reservare; habent enim ipsi in inferiores superiores absolutam jurisdictionem. (*Communis.*)

XXI. « Regulares nequeunt licite acceptare episcopatum, vel aliam dignitatem extra ordinem sine licentia superioris. » (Communis per text. in c. *Cum sit necessarium* 5, causa 18, quæst. 2; et c. *Si religiosus* 27, *De electione*, in 6.) — (Huc usque Ferrar. verb. *Votum*. art. 2, a num. 13 ad 40.)

§ II. — De potestate condendi statuta perpetua, quæ rationem et vim legis habeant in aliqua religione.

I. Certum est et tenendum quod 1° inferiores prælati potestatem ordinariam non habent ad condenda ejusmodi statuta. 2° Neque etiam illam habent provinciales. 3° Ipsi etiam ordinum generales (attento solo jure communi, et nisi aliter in aliquo instituto, a sede apostolica approbato, disponatur),

nequeunt absque generali totius ordinis capitulo dicta statuta edicere. Unde 4° potestas hæc de jure communi censenda est residere solummodo penes supremum totius ordinis tribunal, id est, penes generale capitulum. » (Ita ex SUAREZ. D. BOUIX, *De jure regul.* tom. II, p. 439.)

II. Unde cum eodem Suarezio concludit dictus auctor ut sequitur :

1. « Condi possunt a capitulo generali nova statuta, quoad omnes religiosos obligatoria, modo sint regulæ consona, et sub ea reductive saltem comprehendantur.

2. Si capitulum generale condat nova statuta, quæ ita sint supra regulam, ut nec directe quidem seu reductive sub ea comprehendantur, statuta hæc non obligabunt religiosos qui antea professionem emiserunt.

3. Posset tamen capitulum prædicta statuta, quæ nec reductive quidem sub regula comprehenduntur, condere, ita ut iis obligarentur, non jam professi, sed professionem in posterum emissuri. ».

III. Summus pontifex in virtute suæ primariæ jurisdictionis potest statuere ea quæ judicat vel ad universalis Ecclesiæ bonum, vel ad majorem decentiam talis religionis expedire.

§ III. De relaxatione, mitigatione et reformatione ordinum religiosorum.

I. Fieri potest regulæ mitigatio decreto auctoritatis apostolicæ, sive per dispensationem sive per abrogationem; item decreto ipsius religionis, si ex proprio instituto potestatem habeat aliqua moderandi, et moderationem illam decernat.

II. Introduci potest relaxatio per consuetudinem legitime præscriptam.

III. Si Regula fuerit mitigata, non potest ante factam reformationem, religiosus obligari ad servandam primitivam regulam, nisi in pœnam delicti, aut si res præcepta non sit omnino supra regulam.

IV. Etiamsi regula mitigata fuerit auctoritate pontificia, potest reformari, non solum ab ipso papa, sed etiam ab ipsa religione, nisi tamen adsit papæ prohibitio.

V. « Quando mitigatio introducta fuit per legitime præscriptam consuetudinem, reformari potest, tum a Romano pontifice tum ab ipsa etiam religione.

VI. Si mitigatio inducta sit per sedis apostolicæ auctoritatem, et reformatio fiat a capitulo generali, regulam primitivam reducente, religiosus, qui ante reformationem professus est, ad eam servandam non tenetur; nisi tamen talis sit reformatio, ut indirecte seu reductive sub regula mitigata contineatur.

VII. Si mitigatio inducta sit per consuetudinem, et reformatio fiat a capitulo generali, qui ante reformationem professus est, obligari potest ad illam observandam.

VIII. « Si reformatio fiat auctoritate pontificia, in quocunque casu ad eam observandam obligari possunt religiosi antea professi. » (Huc usque D. BOUIX, ubi supra.)

§ IV. — De abbatissarum et superiorissarum potestate.

I. De jure communi ecclesiastico monialium superiorissis nulla competit ordinaria jurisdictio; unde nihil possunt in iis quæ indigent, in præcipiente, jurisdictione ecclesiastica.

II. Possunt tamen abbatissæ habere jurisdictionem delegatam, sed solummodo a papa. Unde nequeunt esse vere prælatæ.

III. « Moniales ex voto obedientiæ tenentur obedire abbatissæ, seu superiorissæ monasterii. Abbatissa enim potest præcipere monialibus in virtute sanctæ obedientiæ, et præcepta formalia et spiritualia imponere, quæ in conscientia obligent. Quia licet utpote femina sit incapax jurisdictionis, et potestatis spiritualis spectantis ad claves, et dependentis ab ordine, ut est potestas censuras ferendi, absolvendi, et hujusmodi, est tamen capax jurisdictionis et potestatis præceptivæ, dominativæ et correctivæ spectantis ad superioritatem, ipsique annexæ, quam ei ex vi voti in professione emissi tradunt moniales, quæ ideo tenentur eidem obedire. Unde talis jurisdictio, et potestas potest competere etiam laicis, seu conversis in iis religionibus, in quibus possunt esse superiores, ut in religione Sancti Joannis de Deo, et in ordine Fratrum Minorum; tum quia officium abbatissatus, sicuti in dictis religionibus officium superioratus, est officium ecclesiasticum, ob quod si pretium interveniat, erit simonia, qualis non esset, si nulla potestas spiritualis ei esset annexa. » (Ita multi apud FERRAR., verb. *Votum*, art. 2, n. 41.)

IV. « Conveniunt communiter doctores, quod abbatissa, ratione potestatis dominativæ, quam ob votum obedientiæ habet

supra suas subditas, sicut habent parentes super filias suas, possit irritare earum vota, sive de re supererogatoria, sive de re circa regulas; et hac etiamsi votum fuerit transeundi ad strictiorem religionem, ut tenent... multi... » (S. LIGORIUS, lib. IV, n. 53.)

« Vota novitiarum non potest abbatissa irritare; sed tantum suspendere earum exsecutionem, si probationi officiant... (S. LIGOR. *Ibid.* n. 55.)

V. Nequit superiosissa dispensare in votis suarum monialium, nec in legibus Ecclesiæ, nec in observantiis regularibus, quia ad hæc requiritur potestas jurisdictionalis. Potest tamen superiorissa declarare hic et nunc religiosam non teneri hac vel illa regulari observantia.

VI. Nequit superiorissa extraneis licentiam concedere monasterium ingrediendi.

VII. Potest superiorissa monialibus suis indicere certas preces recitandas, pro amicis, benefactoribus aut similibus.

VIII. Nequit superiorissa moniales suas obligare, ut frequentius aut minus frequenter sacram communionem faciant. (Colligitur ex cap. 10, sess. 25 Trident.) Nequit etiam superiorissa monialibus suis publice benedicere, quia necessaria est ad id potestas clavium; at potest privatim eo modo quo parentes filiis suis solent benedicere (FERRAR. verb. *Abbatissa*, 68.)

Nequit etiam prædicare, si agatur de prædicatione proprie dicta; quod autem superiorissa exhortationes in capitulo ad moniales suas habeat, nullo jure prohibetur. (*Ibid.* n. 68.)

CAPUT XX.

De potestate coercitiva superiorum regularium.

§ I. — Qualis et quanta sit coercitiva potestas superiorum regularium.

Certum est superioribus regularibus competere aliquam potestatem coercitivam. (SUAREZ, *De religione*, tom. IV, tract. VIII, lib. II, c. 9, n. 1.) Explicandum vero est qualis et quanta sit.

I. « Si prælati regulares essent tantummodo superiores, et eis a sede apostolica non fuisset addita prælatio, id est jurisdictio, non possent subditos coercere, nisi modo paterno et juxta limites Regulæ. (Ita ex SUAREZ, D. BOUIX, *De jure regul.* tom. II, p. 6, sect. 2, p. 465.)

II. « In virorum congregationibus non exemptis, superiores coercere nequeunt nisi modo paterno et juxta regulam.

III. « Prælati vero regulares ordinum exemptorum potestatem coercitivam episcopalem habent... (*Ibid.*)

§ II. — De extensione potestatis coercitivæ prælatorum regularium.

I. « Prælati regulares, et generales et provinciales, et etiam prælati locales seu conventuales, potestatem habent subditos suos coercendi per quascunque ecclesiasticas censuras, quæ juste possunt in tali materia seu crimine personis imponi; modo tamen ipsis facultas hæc jure particulari sui ordinis non fuerit sublata aut limitata. (*Ibid.* p. 467.)

II. Certum est non posse ab ipsis pœnam mortis imponi, nec subditos brachio sæculari tradere; nec subditum ad membri alicujus mutilationem damnare.

III. Potest prælatus religiosum ad subeundam flagellationis pœnam damnare; modo tamen flagellatio non ministretur per laicum sæcularem; sed per prælatum ipsum, vel per alium qui clericus sit et sit religiosus. (C. *Universitatis* 24, *De sent. excomm.*)

IV. Possunt prælati regulares condemnare religiosum ad infligendum sibi ipsi graves pœnitentias, et opera dura et abjecta; illum relegare in conventum aliquem longinquum, extra suam provinciam et patriam; ipsum plectere diuturno et etiam perpetuo carcere; eumdem ex ordine ejicere, si ejus delicta id mereantur, et se incorrigibilem præbuerit.

§ III. — De forma canonica processus criminalis intra religiosos ordines.

I. Locus non est processui criminali quoties pœna imponenda non excedit *dominativam* prælati potestatem.

II. At vero si tale sit delictum, ut imponenda veniat gravis pœna, quæ dominativam potestatem excedat (verbi gratia, excommunicatio, suspensio, ejectio ab ordine, carceratio, flagellatio, privatio vocis activæ et passivæ), tunc locus est processui criminali : nequit nempe superior hisce pœnis subditum coercere, nisi tanquam judex et servata legitima quoad regulares processus criminalis forma.

III. In processibus criminalibus regularium sufficit servari formam *judicii summarii*, et necesse non est procedi ad juris apices.

IV. « Si procedatur contra prælatum regularem, ad deponendum ipsum a munere, minores requiruntur causæ ac probationes, quam si ageretur de sæculari prælato deponendo. »

V. « Juxta communiorem canonistarum sententiam, non sunt reo communicanda testium nomina; sed tantum ipsi exhibendæ sunt ipsorum depositiones. Quæ tamen nominum communicatio, extra regularium familias, est de jure communi, etiamsi summarie procedatur.

VI. « Processus criminalis, apud regulares, formari valet juxta rationabiles consuetudines et statuta generalia cujusque ordinis. « (*Const. Bonifacii VIII, Ad augmentum.*)

§ IV. — De essentialibus juris, in processu criminali, intra religiosas familias servandis.

« Etsi valeant regulares ejusmodi processus expedire summarie, et juxta proprias ordinis sui constitutiones ac legitimas consuetudines, semper tamen debent ea observare, quæ juris *essentialia* dicuntur. (Ita sentiunt doctores unanimiter.)

« Præcipua ex dictis juris *essentialibus* sic breviter memorabimus cum D. Bouix. (*De jure regul.* t. II, p. 471.)

I. « Nullus, etiam apud regulares, institui valet criminalis processus, nisi præcesserit accusatio aut denuntiatio; vel ipsa fama, et indicia delicti, causam ex officio inquirendi præbuerint; vel processui occasionem dederit exceptio, in aliquo alio judicio contra aliquem facta.

II. « Necesse est ut judex sit competens.

III. « In libello accusationis seu denuntiationis necesse est exprimi nomen judicis apud quem fit accusatio, nomen accusatoris et accusati, delictum de quo fit accusatio vel denuntiatio, et tempus, id est, saltem annus, quo patratum prætenditur.

IV. « Ad accusandum aut denuntiandum admitti non debent personæ ad id de jure inhabiles.

V « Pro actuario seu cancellario adhibendus est notarius publicus. Ac proinde si tales nondum in ordine religioso creati fuerint, debet prælatus judex aliquem creare et deputare.

VI. « Debet juramentum de non calumniando præstari, tum ab accusatore seu denuntiante, tum a testibus.

VII. « Reus debet citari; et nequit inauditus condemnari, nisi fuerit contumax.

VIII. « Debet ipsi concedi ad probationes et defensiones tempus competens.

IX. « Ipsi communicari debent articuli, seu capita, ob quæ contra ipsum proceditur; necnon testium dicta. An autem ei etiam communicari debeant testium nomina, infra expenditur.

X. « Ipsi petenti concedendus est patronus, seu consiliarius peritus, tanquam advocatus.

XI. « Justæ ipsius exceptiones admittendæ sunt.

XII. « Audiendi sunt testes, quos in suam defensionem proponit. »

XIII. « Ad pœnam ordinariam nonnisi convictus aut confessus condemnari potest.

XIV. « Sententia ferri nequit nisi secundum allegata et probata.

XV. « Præter hæc omnia servanda sunt statuta ordinis circa ejusmodi criminalis processus.

XVI. « Certum est pluribus juris textibus, necnon variarum religionum statutis prohibitam religiosis fuisse appellationem.» (C. *Reprehensibilis;* et c. *Ad nostram, De appellationibus.*) — Sed « quocunque modo intelligenda sit præfata prohibitio, certum est religiosis licitum saltem esse recursum ad superiores prælatos. » — « Recursus vero ad personas, jurisdictionem in religiosos non habentes, ad hunc finem ut jurisdictionaliter religioso recurrenti subveniant, grave delictum procul dubio censendum est. Si vero fiat recursus, ut hujusmodi personæ intercessionem suam apud prælatos legitimos interponant, *per se* malum non est; quod tamen jure particulari singularium religionum prohiberi solet. »

« In gravioribus causis potest religiosus, non tantum recursum, sed proprie dictam appellationem interponere : in communibus autem correctionibus, quæ nec infamiam, nec acerbam pœnam inducunt, vox appellationis apud regulares audienda non est. »

§ V. — De visitatione canonica per prælatos regulares.

I. Visitatio distingui solet in *ordinariam*, quæ fit statutis temporibus, et *extraordinariam* quæ extra solita tempora peragitur: *in generalem*, quæ generaliter de omnium subditorum statu et moribus inquiritur, et *specialem* quæ respicit, aut aliquem vel aliquos duntaxat subditos, aut aliquam solummodo materiam; in *judicialem*, qua prælatus pro-

cedit tanquam judex; et *paternam*, qua procedit ex sola potestate sua dominativa ad instar patrisfamilias.

II. Visitatio ordinaria instituitur ad cognoscendos et tollendos defectus vel excessus regularium, sed etiam ad cognoscendos bonos religiosos et qualitates eorum, quatenus sciat prælatus major quales religiosos aliis præficere, vel ad officia applicare possit ac debeat.

III. Prælati regulares visitationem facere tenentur etiam jure divino; sed jure ecclesiastico eamdem facere semel in anno debent; statutis vero religionis possunt teneri ad visitationes frequentiores. Imo de jure communi tenentur, præter annuas, alias etiam visitationes facere, si gravis causa exposcat.

IV. In visitatione ordinaria potest visitator in specie de tali religioso, verbi gratia, qualiter superior domus sese in suo officio gerat, vel quomodo talis alter religiosus regulas servet. Potest etiam subditis per sanctam obedientiam præcipere ne aliquid retineant, sed cuncta visitatori fideliter revelent. Nequit tamen adhibere secretarius notariusve, qui interrogatorum dicta adnotet.

V. Tenentur subditi in visitatione ordinaria superiori visitanti manifestare, et saltem *paterne* denuntiare omnia delicta, excessus, defectus, transgressiones et abusus fratrum conventus aut provinciæ, et delicta etiam occultissima, solique peccanti nociva.

VI. Delicta tamen occulta, per visitationem paternam cognita, nequaquam visitatori licet publice in capitulo, aut cuivis pro libitu manifestare. Potest tamen, ex rationabili causa, verbi gratia, pro petendo consilio, ea revelare uni aut pluribus; hi vero ad secretum servandum tenebuntur.

VII. Potest visitator, ob delicta alicujus religiosi, per visitationem paternam cognita, circa ipsum remedia utilia ad emendationem disponere. Attamen superior nullum potest judicialiter tractare, condemnare aut punire, ob peccata per solam visitationem ordinariam cognita.

VIII. Potest nihilominus visitator, occasione visitationis paternæ, gressum facere ad inquisitionem judicialem in sequentibus casibus.

1. Quando delictum, quod ei in visitatione paterna denuntiatum fuit, jam est notorium;

2. Si ex visitatione ordinaria deprehendit visitator exsistere jam communem famam de delicto religiosi;

3. Si denuntians sponte sua delictum *judicialiter* revelarit;

4. Si delictum ita vergat in communitatis, aut tertii, aut ipsiusmet delinquentis detrimentum, ut denuntians teneatur illud etiam *judicialiter* manifestare, et ita de facto manifestet, quamvis non sponte, sed hortante vel etiam præcipiente visitatore;

5. Si visitatori manifestetur aliquod ex criminibus quæ *excepta* et *publica* dicuntur. Nam contra hæc crimina potest et debet *judicialiter* procedere, quantumvis ipsi ut patri, et non ut judici fuerint revelata. Dicta autem crimina sunt sequentia : hæresis, crimen læsæ majestatis, blasphemia, crimen sacrilegii (ut sortilegia et profanationes sacrorum), latrocinium et grassationes viarum publicarum, crimen assassinii, crimen falsæ monetæ et simonia;

6. Si contra aliquem religiosum exstent sufficientia indicia criminis ab eo commissi.

7. Si delictum vergat in damnum communitatis vel tertii;

8. Si delinquens in flagranti delicto deprehendatur. (Quoad varia in præsenti capite asserta, vide probationes apud Reiffenst., in tit. I, lib. V *Decretalium*; et Suarez, *De religione*, tract. VIII, lib. II; et apud D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, pag. 464 et seq.)

CAPUT XXI.

De potestate religiosos solvendi a votis et ab ipso etiam religioso statu.

§ I. — De papæ potestate.

1. Papa ex justa et rationabili causa dispensare potest in quolibet voto, tam simplici quam solemni, non solum edito in susceptione sacri ordinis, sed etiam in professione religiosa, et regulares liberos professionis suæ vinculo facere. (Communis, per verba Christi Matth. XVIII, 18; *Quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis*. Et de facto plures pontifices sic dispensaverunt.

II. Potest papa, duo alia vota solemnia in sua integritate relinquendo, dispensare partialiter seu totaliter in voto paupertatis, ita ut si tantum dispenset partialiter, remaneat, status religiosi essentia. (Sed si dispenset totaliter in dicto voto, deficit status religiosi essentia.)

§ II. — De episcopi potestate.

I. Nequit episcopus a votorum solemnium et professionis vinculo solvere.

II. Non potest episcopus religiosos congregationum quæ vota solemnia non habent, sed perpetua duntaxat simplicia, a dictis votis dispensare, nisi ipsa congregatio consentiat. Imo nequit episcopus solvere membra earum congregationum quæ status religiosi essentiam non habent, ab obligatione in iis permanendi. Nam quoties intervenit promissio perseverantiæ a congregatione accepta, nisi congregatio ipsa consentiat, nemo præter summum pontificem potest ullum congregationis membrum liberum facere, sive a dicta promissione, sive a juramento aut votis eam firmantibus. (*Vide* hæc probata apud SUAREZ, *De religione*, tom. II, tract. VI, lib. VI, cap. 15; et S. LIGORIUM, lib. III, tract. II, c. 4, n. 255, not. 3, ubi affertur in confirmatione bulla BENEDICT. XIV, *Convocatis* 25 Novembr. 1749.)

§ III. — De superiorum regularium potestate.

I. Certum est prælatos regulares nequaquam posse in votis solemnibus cum suis etiam subditis dispensare; solus papa in dictis votis dispensare potest.

II. In religionibus quæ vota solemnia non habent potest religio, et etiam de ejusdem consensu episcopus in votis substantialibus religiosum dispensare; cum dicta vota tanquam simplicia non sint per se papæ reservata.

§ IV. — De aliis votis quoad dispensationem et commutationem.

I. Omnia vota in sæculo emissa per professionem religiosam solvuntur. « Est sententia communis omnia vota præcedentia exstingui per professionem religionis, veluti per quamdam commutationem in quidpiam ita melius, ut universaliter et quasi eminenter omnia præcedentia comprehendat; ita tenet divus Thomas. » (SUAREZ. *De relig.* tom. III, lib. VI, c. 14, n. 3.)

II. Probabile tamen est vota præcedentia cum religioso statu compatibilia, non exstingui, nisi ita velit profitens.

III. Hæc præcedentium votorum commutatio efficitur etiam per professionem in congregatione tria vota substantialia, etsi simplicia habente. Sed si congregatio status religiosi essentiam non habeat, in ea profitens non solvatur votis simplicibus antea emissis; nisi vota quæ in congregatione fiunt, sint ex natura sua melioris boni, et ipse in ea commutet vota sua præcedentia; aut nisi cum eo in votis præcedentibus legitime dispensetur.

IV. Superiores regulares non possunt irritare directe vota novitiorum, sed eorum obligationem suspendere possunt, quatenus eorum gubernationi, et exercitiis probationis impedimento sunt. (FERRAR. verb. *Votum*, art. 3, n. 26.)

V. Prælati regulares etiam locales religionum exemptarum dispensare possunt in omnibus dictis votis cum suis subditis, et cum novitiis circa vota, quæ in sæculo, vel novitiatu emiserunt. Non sic autem prælati religionum non exemptarum, nisi id eis, vel ex consuetudine, vel ex episcopi licentia seu commissione concessum sit. (*Ibid.* n. 74 et 75.)

VI. Potestas prælatorum dispensandi in votis novitiorum, non extenditur ad vota papæ reservata, quæ tamen possunt indirecte irritare.

VII. Vota religiosorum professorum directe irritare possunt superiores generales, provinciales et locales, et etiam abbatissæ seu superiorissæ monialium. Non possunt tamen superiores regulares irritare vota subditorum transeundi ad religionem strictiorem, quia quoad hunc transitum religiosi sunt subditi tantum papæ, cum talis transitus sit eis etiam invitis suis superioribus de jure concessus. (Textu expresso in cap. *Licet*, 18, *De regularibus*; FERRAR. verb. *Votum*, art. 3, n. 21 et seq.) Possunt tamen prælati exempti in dicto voto ad strictiorem religionem transeundi, dispensare.

VIII. Prælati regulares exempti possunt non tantum dicta vota irritare, sed etiam in iis dispensare; secus autem si non sint exempti. Abbatissæ, quantumvis exemptæ, in nullis votis dispensare nequeunt, quia carent potestate jurisdictionali necessaria ad dispensandum, dum e contra ad irritandum vota sufficit potestas dominativa quæ ipsis abbatissis et superiorissis competit.

CAPUT XXII.

De religiosorum professorum apostasia, ejectione, dimissione, et dispensatione in sæculo manendi.

§ I. — De apostasia.

I. Apostasia ex vi nominis significat quamdam desertionem vel recessum a Deo; aut aliquo bono, in quo homo tenebatur per-

severare, vel ex præcepto, vel ex voto. Unde quia a Deo tripliciter recedere possumus, secundum tres modos conjunctionis debitæ ad ipsum, scilicet per fidem, obedientiam, et religionem professam, vel sacrum ordinem susceptum, ideo triplex est apostasia, seu defectio scilicet a fide, obedientia, religione professa, vel ordine sacro suscepto. » (Ita communiter doctores, cum divo Thoma, 2-2, quæst. 12, art. 1. — Ferrar. verb. *Apostasia*, n. 1.)

II. *De apostasia a religione.* — « Apostasia a religione proprie loquendo est criminosa discessio a religione cum animo non amplius redeundi ad regulare institutum. Dicitur *criminosa discessio*, ad denotandum quod ad incurrendam veram apostasiam, debet esse temeraria discessio, et facta sine licentia superioris, unde apostatæ non sunt qui discedunt cum legitima facultate, vel liberantur a regulari observantia, vel ad episcopatum legitime transferuntur (juxta Clem. 1, *De elect.*). Dicitur autem *cum animo non amplius redeundi ad regulare institutum*, ad denotandum quod ut incurratur vera apostasia, debet haberi animus deliberatus nunquam redeundi, sive ad suum derelictum, sive ad aliud quodcunque regulare institutum. Unde quia a religione professa etiam sine legitima facultate ad aliam laxiorem transiret, non esset rigorose et proprie apostata. » (Ita Ferrar. *ibid.* n. 22, cum Innocent. in cap. *Intelleximus*, cum Glossa et aliis plurimis.) Alii tamen sustinent apostatam esse qui non petita licentia transit ad aliam religionem...

III. Apostasiam vere incurrit, qui a religione temere discedit cum animo non amplius redeundi, etiamsi retineat habitum. Ex pluribus pontificiis decretis.... (Ferrar. verb. *Apostasia*, n. 23.)

IV. Fugitivi, id est qui cum animo redeundi discedunt, quamvis non sint proprie apostatæ, tamen in praxi et jure communiter accipiuntur et tractantur ut veri apostatæ. (*Ibid.* n. 25 et seq.)

V. « Non est tamen apostata regularis qui injuste et notabiliter gravatur a superiore, et non habens aliud remedium, recta via ad generalem, provincialem, aut alios ad quos de jure accedit, absque licentia superioris. Nec officit quod decernit concil. Trident. cap. 5, sess. 25, *De regul.*, in quo agitur de regularibus ex quocunque, levi, inani et colorato prætextu vagantibus... Et sic declaratum fuisse a sacr. congr. refert Rodriguez. ..... A fortiori non est apostata regularis recurrens recto tramite ad Urbem a gravaminibus superiorum sine eorum licentia, dummodo non vagetur, et se præsentet R. P. D. secretario sacr. congr. ut pluries fuit decretum... (*Ibid.* n. 29 et seq.)

VI. Regularis dimittens habitum ad evitanda pericula non est apostata, et licite agit. Si vero religiosus habitum dimittat liberius vagandi causa, excommunicationem ipso facto incurrit. (*Ibid.* n. 39 et seq. et 46.)

VII. Pœnæ apostasiæ a religione seu statu religioso de jure communi sunt sequentes : *Prima* est excommunicatio, quæ ipso facto incurritur si fiat apostasia cum dimissione habitus. (C. *Ut periculosa* 2, *Ne clerici vel monachi in* 6) Secus autem si apostasia fiat cum retentione habitus, quia nullus textus dictam excommunicationem infligens allegari potest. » — *Secunda* pœna est suspensio ab ordinibus sacris, et si durante suspensione celebret, fit irregularis. — *Tertia* pœna est, quod durante apostasia, regularis apostata exsistat privatus privilegiis suæ religionis. (*Concil. Trident.* sess. 25, *De regul.* c. 19.) Iisdem pœnis subjiciuntur fugitivi. — Sunt etiam aliæ pœnæ latæ in cujusque religionis constitutionibus, in quibus fere omnibus est imposita excommunicatio ipso facto incurrenda ab apostatis et fugitivis, sive habitu retento, sive dimisso, fiat apostasia aut fuga. » (*Ibid.* n. 49 et seq.)

VIII. Apostatas et fugitivos recipientes, retinentes vel occultantes, aut eis pro fuga et apostasia consilium aut auxilium præstantes, peccant mortaliter, et ipso facto excommunicationem incurrunt, ut patet ex pluribus constitutionibus pontificiis. » (*Ibid.* n. 56.)

IX. Prælati seu superiores regulares tenentur fugitivos seu apostatas requirere et revocare, et eos cogere ut ad ordinem revertantur. (Cap. *Ne religiosi* 24, *De regularibus*, lib. III *Decret.* tit. XXXI.) (*Ibid.* n. 57.)

§ II. — De ejectione religiosorum qui solemnia vota emiserunt

I. Religiosi professi vere incorrigibiles possunt, servatis servandis, licite ejici a religione. Hæc conclusio certa est et eruitur ex multis juris capitibus, et habetur expresse in decretis Urbani VIII et Innocentii XII, quæ sunt regula et norma obser-

vanda circa ipsos incorrigibiles ejiciendos, et ejectos. Quæque reperies ad litteram apud Ferrar. verb. ***Ejecti a religione***, n. 1, 2 et 3.

II. Ex quibus decretis colligitur quinque prærequiri ad expulsionem incorrigibilis. Primum est recidivatio expellendi in grave crimen. Secundum est monitio, seu pœna reiterata, reo incussa ad ejus correctionem. Tertium est processus institutus juxta ordinum constitutiones in ordine ad expulsionem. Quartum est formalis carceratio expellendi in jejunio et pœnitentia. Et quintum est incorrigibilitas in eodem. » (*Ibid.* n. 4.)

« Recidivatio in ordine ad expulsionem non requiritur quod fiat in idem crimen specie, sed sufficit quod fiat in alia delicta specie diversa. » (*Ibid.* n. 5.)

« Monitio seu punitio debet esse trina : (C. *Contingit* 45, *De sent. excom.;* c. *Ea quæ* 8, *De statu monachor. ibid.* n. 6.)

« Processus debet esse instructus juxta cujusque religionis stylum, et constitutiones et per ipsum debent plene probari causæ expulsionis, nempe quod reus de delictis gravibus juxta jus commune, aut proprii ordinis constitutiones antea fuerit ter punitus, aut canonice, et judicialiter monitus, et his non obstantibus nihilo melior factus adhuc conversationem, et vitam relaxatam continuet sine ulla spe emendationis. » (*Ibid.* n. 7.)

« Carceratio formalis ex decreto Innocentii XII restringitur ad solos sex menses, sed continuos. » (*Ibid.* n. 8 et 9.) Carceratio non debet esse ad solam custodiam, sed debet esse qualificata arctatione, et pœnitentia in carcere formali, seris et vectibus munito, sine caputio et chorda, seu hujusmodi, et in pane, et aqua simul cum flagellatione in publico refectorio saltem aliquibus hebdomadæ diebus, vel saltem qualibet feria sexta. » (*Ibid.* n. 12.)

« Ad probandam incorrigibilitatem pro expulsione, necesse est ut per intervalla fiant crimina et cuilibet adhibeatur punitio... et non potest carcerari pro expulsione, nisi qui post tertium delictum, et tertiam punitionem, iterum delinquit. » (*Ibid.* n. 13 et 14.)

« Incorrigibilis, completo carceris tempore, non est statim expellendus, sed adhuc post carcerem probatorium debet durare, et apparere incorrigibilitas pro expulsione. » (*Ibid.* n. 16 et seq.)

III. « Facultas expellendi incorrigibiles ex decreto Urbani VIII restringitur ad generalem de consilio, et assensu sex Patrum ex gravioribus eligendis in singulis capitulis vel congregationibus generalibus. In decreto autem Innocentii XII extenditur ad provinciales, qui electis pariter in congregationibus provincialibus sex gravioribus e propria provincia religiosis a generali confirmandis, de illorum consilio, et assensu causas hujusmodi cognoscant, et ad effectum ejiciendi incorrigibiles suæ provinciæ, et ejectionem pronuntiandi, accedente approbatione generalis, definiant, salva semper sanctæ sedis, et sacræ congregationis concilii in causa recursus et appellationis auctoritate. » Non potest tamen nec a generali, nec a provinciali, hæc potestas expellendi alteri delegari, ut habetur ex responsione sacr. congr. Concil. 21 Junii 1653. » (*Ibid.* n. 19 et seq.)

IV. « Si nec a religione, et nec a provincia hujusmodi sex patres fuerint electi in capitulo, seu congregatione, debet haberi recursum ad sacr. congr. Concilii in singulis casibus, ut habetur ex responsione ejusdem sacr. congr. » Ad eamdem sacr. congr. recurri debet pro carcerationis formalis dispensatione, in religionibus in quibus, sicut in Gallia, lex civilis non agnoscit leges Ecclesiæ et prohibet cives in carcere detineri ab aliis quam a potestate civili.

V. « Non adest obligatio religiosum expellendi, quamvis incorrigibilis in expressa sua obligatione persistat, sed facultativum est superiori, seu judici, vel in carcerem adhuc detinere, vel ad expulsionem procedere. (Ferrar. *ibid.* n. 18.)

VI. « Pro ferenda sententia definitiva super expulsione incorrigibilis non requiritur, quod singula sex Patrum vota concordent, sed sufficit ut major pars consentiat. » (S. congr. Concil. — *Ibid.* n. 28.)

VII. « Sententia definitiva expulsionis incorrigibilium non potest fieri nisi prius instructo secundum cujusque. religionis stylum et constitutiones processu, et plene probatis causis expulsionis ad sacr. canonum præscriptum. » (Cit. decret. Urbani VIII. — *Ibid.* n. 31.)

VIII. « Constructo et absoluto processu,

est actorum copia exhibenda reo, eique assignandus benevisus advocatus cum congruis terminis ad defensiones necessariis. Completis exinde ab assignato advocato defensionibus, eisque præsentatis Patribus electis, et ab ipsis una cum causis expulsionis ad unguem libratis, et suo voto in scriptis tradito, debet provincialis vota sex Patrum cum summario processus, et defensionum notitia cum responsione ad ipsos facta ab advocato fisci religionis transmittere ad generalem, a quo habita approbatione, si reum expellendum judicaverit, poterit ad definitivam sententiam expulsionis procedere; ita habetur ex decreto Innocentii XII. » (*Ibid.* n. 32.)

IX. « Lata sententia debet intimari reo, qui si intra decem dies ad sanctam sedem et sacram congregationem concilii appellaverit, ad eam devolvitur causa, ipso interim in carceribus persistente. » (*Ibid.* n. 33.)

X. « Sententia expulsionis est statim significanda a superiore ordinario loci. Ordinarius nequit sententiam expulsionis examinare, et inquirere an regularis sit juste vel injuste ejectus. » (*Ibid.* n. 36 et 38.)

XI. « Si ejectus petat a superiore litteras testimoniales expulsionis, poterunt ei concedi sub formula, » quam reperies. *ibid.*, n. 39.

§ III. — De ejectorum conditione.

I. Ejectus debet se præsentari illi ordinario, in cujus diœcesi est conventus a quo ejicitur. Remanet subjectus jurisdictioni et obedientiæ ordinarii loci. Tenetur incedere in habitu clericali, si saltem minores ordines receperit.

II. Nequit tamen nec in suscepto ordine ministrare, nec ad alias ascendere, neque concionari, neque docere; secus potest a superioribus regularibus excommunicari. Et si exerceat ordines quos habet, fit irregularis, quia violat suspensionem.

III. Juste et legitime ejectus non potest prætendere alimenta a religione. Sed regularis injuste ejectus potest compellere monasterium ad alimenta futura, et etiam præterita, si illa mutuo accepit; et monasterium obligatur etiam ad illi ministrandas expensas pro lite.

IV. Ejecti stantes in sæculo tenentur ad vota essentialia religionis. In ejectis perseverat rigorosa et omnimoda obligatio castitatis, taliter quod si contrahant matrimonium, sit ipso facto nullum, et incidant in excommunicationem. (Ex Clement. unica *De consanguinit. et affinit.*) Tamen obligatio paupertatis et obedientiæ suspenditur quoad exsecutionem et observantiam multorum juxta capacitatem sui status... acquirunt administrationem rerum temporalium; possunt negotiari, civiliter se obligare, de acquisitis disponere ad finem procurandi sibi alimenta. Item non obtenta facultate superioris possunt pro suo libito mutare domicilium, et libere agere, quæ ad suum statum occurrunt... (*Ibid.* n. 49 et seq.)

V. « Ejectus juste tenetur se corrigere, et similiter petere ut iterum admittatur; et potest cogere religionem ut se iterum recipiat, dummodo saltem ex litteris testimonialibus ordinarii constet esse plene emendatum. Habetur expresse a Greg. IX, in cap. fin. *De reg.* innovato in decr. Urbani VIII.

« Ejectus rediens ad religionem non tenetur de novo novitiatum obire, et professionem emittere; quia prior professio non fuit exstincta, sed tantum quoad aliqua suspensa. (Ferrar. *ibid.* n. 53 et seq.)

VI. « Ejectus a religione ob crimina falsa, quæ ipse sibi ad hunc finem imposuit, non est securus in conscientia, extra illam, sed est verus apostata... Unde tenetur detegere fraudes, et redire ad religionem. » (*Ibid.* n. 59.)

VII. « Ejectus juste, si emendatus ad claustra rediens non admittatur, potest tuta conscientia remanere in sæculo, et instar clericorum sacramenta recipere... » (*Ibid.* n. 61.)

VIII. « Ejectus acquirit adhuc bona monasterio, vel religioni unde est ejectus... potest tamen de acquisitis disponere prout ejus status exigit quoad vitæ necessaria... Non potest autem facere expensas magnas superfluas, nec donationes illicitas, aut rerum pretiosarum et magni valoris, et accipientes ab illo tenentur ad restitutionem, quia ejectus non est dominus eorum, quæ possidet, sed solum administrator nomine religionis in ordine ad supradictos usus necessarios; quamvis tamen possit expendere, et donare res minus pretiosas, et parvi valoris absque eo quod accipientes teneantur ad restitutionem, quia quoad ista censetur habere facultatem tacitam a superioribus religionis, a qua est expulsus...

« Ejectus non potest testari de bonis acquisitis in sæculo, et si decedat extra claustra, omnia sua bona in sæculo acqui-

sita, sed non alia, fiunt cameræ apostolicæ. » (*Ibid.* n. 67 et seq.)

IX. « Ejectus si decedat extra claustra, debet sepeliri in sepulcro a se electo, vel in ecclesia parochiali, non autem in regulari. » (*Ibid.* n. 74.)

§ IV. — De ejectione ac dimissione religiosorum, qui simplicia duntaxat vota emiserunt.

Ejectionem vocamus quando religiosus invitus a congregatione sejungitur; dimissionem quando consentiens.

I. Congregationes quæ habent simplicia duntaxat vota, sed cum vero statu religioso, ejicere nequeunt religiosum absque justa causa, et quidem ut videtur secundum formam judicialem canonicam, nisi tamen congregationis hujusmodi constitutiones de hac re disposuerint, prout disponitur in constitutionibus societatis Jesu quoad scholasticos et coadjutores formatos. Unde religiosus absque rationabili causa ejectus recurrere potest ad superiores prælatos et sanctam sedem apostolicam contra ejusmodi ejectionem.

II. Religiosi dictarum congregationum, dimitti nequeunt absque justa causa, etiamsi in id ultro consentiant; quia « cum adsit verus status religiosus, adest et traditio, qua se religiosus in perpetuum Deo et congregationi mancipavit; atque eam acceptando congregatio sese obligavit ad non dimittendum eum sine justa causa. Non adest autem justa causa ex eo solo quod religiosus consentiat, aut etiam petat. »

« Nihilominus, si consentiat religiosus, minor requiretur causa ad eum dimittendum; et causa hæc esse poterit aliquid ex parte religiosi nullatenus culpabile, verbi gratia, infirma valetudo, etc.

III. « Caveri solet in constitutionibus earum congregationum, quæ statum religiosum cum simplicibus duntaxat votis haberet, ut religiosus ejectus, dimissusve, censeatur a votis ipso facto solutus. Et tunc revera prorsus liber a votorum vinculo religiosus ille remanet, fitque e religioso non religiosus : quia vota fecit juxta institutum, ac proinde cum hac implicita limitatione, *donec dimissus non fuero.* Quoad societatis Jesu scholasticos et coadjutores ejectos aut dimissos, certum est eos in sæcularium conditionem reincidere, perinde ac si nunquam vovissent. » (D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 514 et seq.)

§ V. — De ejectione, in congregationibus quæ status religiosi essentiam non habent.

I. In congregationibus, quæ status religiosi essentiam non habent, « si interveniat votum, vel juramentum, vel promissio perseverandi in congregatione, et congregatio acceptet, ejectio sine causa fieri non poterit. Quia sic acceptando, congregatio censetur sese obligare ad non ejiciendum membrum invitum sine justa causa.

II. « Si membrum consentiat, videtur etiam sine causa valide dimitti posse, quia non obstat status religiosus, qui (ex hypothesi) non adest; sed solus contractus utrinque onerosus. At contractus ille tunc non violatur per dimissionem absque causa factam; quia consentit dimissus, et sic ei non fit injuria. » (*Ibid.* p. 517.)

§ VI. — De religiosis facultatem habentibus degendi in sæculo.

Quoad religiosos solemniter professos, ex indulto pontificio facultatem habentes degendi in sæculo, applicanda veniunt quæ diximus de religiosis in tempore dispersionis, et etiam ea quæ de ejectis mox dicta sunt, præter tamen delicta et delictorum pœnas et obligationes pœnales. Præsentes quidem religiosi æstimatione et benevolentia digni sunt, et apti ad explenda varia munia ecclesiastica, sub ordinarii et Romani pontificis regimine.

CAPUT XXIII.

De regularium transitu ad aliam religionem.

I. Præcipuæ juris dispositiones circa hanc materiam attendendæ, continentur in sequentibus. 1° Decretalis Innocentii III, an. 1212, cap. *Licet* 18, tit. xxxi, *De regularibus*, lib. iii *Decretal.* — 2° Decretum Tridentinum, cap. 16 sessionis 25 *De regul.*, et cap. 11, sess. 14. *De reform.* — 3° Decretum Urbani VIII de apostatis et ejectis, incipiens *Sacra.* — 4° Constitutio Benedicti XIII, *Licet sacra.* — 5° Constitutio Benedicti XIV, *Pastor bonus*, 13 April. 1744. — 6° Sacrarum congregationum declarationes. — Hæc omnia jura reperies apud D. Bouix, *De jure regul.* t. II, p. 520 et seq. Apud Ferraris, verb. *Transitus;* et verb. *Regulares* art. 1, n. 61; apud Monacelli, *Formulare*, tom. II, tit. xvi, form. 3, n. 16 et seq.

II. Ex dictis juribus deducitur : 1. « Regulares professi non possunt hodie ad aliam religionem etiam strictiorem transire sine

licentia sedis apostolicæ. (MONACELL., tom. II, tit. XVI, form. 3, n. 17 et seq., ex decretis sacr. congr. Concil.) Et addit n. 18 : « Religiosus enim professus (quisquis ille sit) nec ad parem, nec ad strictiorem, hodie transire debet, nisi consulta sacr. congr. Concil. ut advertit Donatus, *Prax. regul.* tom. II. part. II, tract. II, quæst. 22, n. 11, et communis aliorum ex praxi et stylo curiæ. » (FERRAR. verb. *Transitus*, n. 1.)

2. « Regularis professus, qui habet indultum apostolicum transeundi ad aliam religionem, non potest transire ad laxiorem (Concil. Trident. cap. 19, sess. 25; et sacr. congr. Concil., 4 Mart. 1743.)

« Si tamen indultum sit concessum transeundi ad quamcunque religionem, in qua regularis et claustralis observantia vigeat, tunc potest transire etiam ad laxiorem, dummodo sit religio claustralis et regularis. » (ID. *ibid.* n. 3 et 4.)

3. « Regulares professi transeuntes de licentia sedis apostolicæ ad laxiorem religionem etiam ejusdem ordinis, tenentur in secunda religione novum annum probationis peragere, et ibi professionem emittere (S. congr. Concil. — *Ibid.* n. 2.)

4. Ex const. Benedicti XIV, *Pastor bonus*, « transitus regularium de uno ad alium ordinem concedi potest a cardinali summo pœnitentiario, nedum a laxiore ad arctiorem, verum etiam ad æqualem; et ab arctiori ad laxiorem ob justas tamen et graves respective causas ab eodem probandas, audito prius superiore a quo et cum consensu superioris ordinis ad quem. Et pro majori transitus firmitate, potest in his omnibus idem major pœnitentiarius statutis et privilegiis apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare.

« Non potest tamen ipsum transitum concedere summus pœnitentiarius a religione claustrali ad ordines hospitalarios, aut militares, excepto ordine S. Joannis de Deo, nec ad ordinem S. Benedicti antiquioris Observantiæ, aliasque similes congregationes.» (FERRAR. *ibid.* n.15 et seq.)

5. « Transitus regularium ab ordine laxiore ad strictiorem impediri non debet sine causa. Si superiores duorum ordinum dissentiant, judicium ad sedem apostolicam devolvitur, quæ concedere solet dictum transitum cum derogatione super consensu superioris ordinis laxioris. » (Const. Benedict. XIV, *Pastor bonus*. — *Ibid.* n. 21 et seq.)

6. « Transitus regularium conversorum ad statum clericalem in eadem religione etiam in anno novitiatus est prohibitus. — Unde non potest concedi, nisi a sede apostolica. (Decrt. CLEMENT. VIII. *Cum ad regularem.*) Et a fortiori, si jam professionem emiserint in statu laicorum seu conversorum, non possunt sine licentia sedis apostolicæ transire ad statum clericalem. » (*Ibid.* n. 5 et seq.)

« Transitus de statu clericali ad illum conversorum, justa causa concurrente, potest fieri cum sola licentia prælati regularis, scilicet provincialis, aut generalis cum consensu discretorum, vel alias prout cujusque ordinis statuta præscribunt; dummodo transiens non sit constitutus in ordinibus sacris, vel onere divini officii recitandi non teneatur; nam in his casibus ad sedem apostolicam semper confugiendum est. (*Ibid.* n. 9 et seq.)

CAPUT XXIV.

De religiosorum obligationibus ex eorum votis, etc.

§ I. — Quod religiosorum triplex obedientia distinguatur.

De obedientia ad quam tenentur religiosi ex vi voti sui, supra tractavimus ubi de potestate superiorum religiosorum diximus. Hic solummodo addemus : « Divus Thomas (2-2 quæst. 104, art. 5, ad 3) triplicem religiosorum obedientiam distinguit : *necessariam, perfectam, indiscretam.* Hæc tertia est quæ ad illicita extenditur. Perfecta, quæ ad omnia licita, etiamsi non cadant sub obligationem. Necessaria vero, quæ ad votum pertinet.

« Ad obedientiam necessariam, seu ad voti impletionem, requiritur et sufficit ut religiosus rem sibi injunctam velit exsequi et exsequatur. Non enim aliud vovit quam legitima superioris præcepta exsequi. » (D. BOUIX *De jure regul.* t. II, p. 568.) De requisitis ad obedientiam perfectam vide moralistas, et citatum auctorem. *Ibid.*

§ II. — De obligationibus ex voto paupertatis.

I. « Paupertas religiosa est votum, quo religiosus in aliqua religione a sancta sede approbata voluntarie abdicat a se dominium et proprietatem omnium rerum temporalium, et omne jus civile ad illas; est in re communis. » (FERRAR. verb. *Votum*, art. 2, n. 43. — Sed juxta præsentem Ecclesiæ discipli-

nam, votum paupertatis constare potest cum dominio bonorum temporalium, sed prohibet saltem liberum et independentem eorumdem bonorum usum. (D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 537.)

Regulares utriusque sexus nequeunt aliquid proprium habere in particulari. Communis, per expressos textus juris, et conc. Trident, sess. 25, *De regul.*, cap. 2, ibi: *Nemini regularium, tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia cuiuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ac eis acquisita, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere, vel tenere, sed statim ea superiori tradantur conventuique incorporentur.*

Et confirmatur decreto Clementis VIII, pro reformatione regularium, incip., *Nullus omnino*, ubi sic expresse præcipitur : *Quo Tridentini concilii decreta de paupertatis voto custodiendo fidelius observentur, præcipitur, ut nullus ex fratribus, etiamsi superior sit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleemosynas, sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro missis, tam in propria ecclesia, quam ubicunque celebrandis, aliove ipsorum justo labore, et causa, et quocunque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitione legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, aut etiam nomine conventus possidere possit, sed ea omnia statim superiori tradantur, et conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo communis inde victus et vestitus omnibus suppeditari possit.* Quæ decreta confirmata sunt ab Urbano VIII.

Ex quibus textibus per plurima sacrarum congregationum decreta confirmatis patet regulares utriusque sexus non posse in particulari habere, et retinere aliquid proprium, neque de licentia, ac dispensatione, cujuscunque superioris, vel superiorissæ. Imo talis licentia, etiamsi esset obtenta ab eorum generalibus, qui dicerent eam posse concedere, non excusaret regulares utriusque a culpa, et pœna a Tridentino concilio imposita, textu expresso in cit. decret. Clement. VIII, *Nullus.*

II. *De livellis et peculio.* — *Livella* sunt quædam pensio vitalitia annualiter alicui religioso vel moniali a consanguineis soluta. Peculium hic intelligitur quodlibet bonum temporale, ad particulares alicujus religiosi non autem ad communes monasterii usus destinatum. Unde pecunia, res comestibiles, annui census, seu livella aut vitalitiæ pensiones, aliaque id genus, quæ destinantur et inservire debent ad privatam alicujus religiosi utilitatem, dicuntur et sunt hujus religiosi *peculium.* Conventus in quibus nullum exstat ejusmodi peculium, dicuntur *communem* vitam habere; quæ locutio *communis vitæ* tunc nihil aliud indicat, quam ejusmodi peculiorum exclusionem.

« Omnes conveniunt, ait sanctus Ligorius, quod in iis conventibus in quibus non observatur vita communis, ob paupertatem, vel incuriam superiorum subministrandi subditis necessaria, possunt concedi peculia ad nutum prælatorum. Ratio, quia Tridentinum tunc præcipit religiosis vitam communem, cum a conventu nihil *quod sit necessarium denegetur.* (Lib. IV, c. 1, n. 15.)

III. Attamen ex Tridentinis et pontificiis decretis peculium prohibetur regularibus. Sed saltem ex consuetudine et sedis apostolicæ praxi, hodie licita sunt peculia in iis conventibus in quibus viget eorum usus. (Ita D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 545, cum S. Ligorio. lib. IV cap. 1, n. 15 et aliis.)

« Ubi vero viget vita communis, aut ubi auctoritate legitima reduceretur, tenentur regulares huic vitæ communi et reformationi sese submittere, modo simul ipsis necessaria suppeditentur, et graviter peccarent prælati regulares peculiorum praxim absque necessitate introducentes. Præterea regulares qui possent absque gravibus incommodis vitam communem in suis conventibus reducere, atque id non faciunt, vituperio digni sunt, et vel ex hoc ipso sese produnt in prosequenda vitæ religiosæ perfectione valde remissos. » (D. Bouix, *De jure regul.* tom. II, p. 548 et seq.)

IV. Igitur peculia non sunt tolerata nisi in monasteriis pauperibus : atque ut regulares, et « moniales in monasteriis ubi non adest vita communis, possint licite exigere, retinere et expendere livella, debent quinque conditiones, seu circumstantiæ concurrere : *prima* scilicet, quod habeant dependenter a voluntate superioris ; *secunda*, ut sint paratæ peculium consignare ad nutum ejusdem superioris ; *tertia*, ut pecunias convertant in licitos et pios usus, et decentes eorum statui ; *quarta*, quod non sit peculium superfluum ; *quinta*, quod sit penes capsam depo-

siti, seu ærarium commune. Donat. *Prax. rer. regul.* tom. IV, tract. xv, quæst. 11 et 19, et alii plures ibi citati, Monacell. part. I, tit. II, form. 20, n. 4 et 6, ubi habet, quod hæc Donati theorica potest tute practicari et tolerari prout tolerari posse declaravit sacr. congr. *In una Cæsenaten.* 12 Mart. 1693. »

« Livella non possunt a monialibus et regularibus cedi eorum consanguineis sine licentia sacræ congregationis.

« Posse autem moniales et regulares remittere suis consanguineis, vel aliis donare fructus sui livelli cum sola licentia superioris tenent... plurimi... Intellige tamen de cessione, seu donatione fructuum livelli non ascendentium ad magnam summam, quia pro cessione, seu donatione annualitatum conflantium magnam et notabilem summam, seu pro cessione juris livelli recurrendum est ad sacr. congr. Episc. et Regul. » (FERRAR. verb. *Moniales*, art. 2, n. 7.)

V. Regulares utriusque sexus ex pecunia sui livelli seu aliunde quæsita nequeunt sibi censum emere, seu constituere, neque fundare censum, aut donare alteri cuicunque, ut post eorum mortem celebrentur missæ pro anima eorum, neque quocunque modo disponere possunt pro suo libitu; quia quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit. Quæ « omnia clare deducuntur ex eo, quod sedes apostolica quotiescunque per sacr. congr. Episc. aut Concil. facultatem habendi livella, seu vitalitia regularibus, aut monialibus concedit, solet adjicere sequentes conditiones. *Dummodo annuus redditus a procuratore monasterii exigatur et recta via deferatur in commune depositum, et tunc de manu depositarii, et de licentia superiorum ipse orator recipiat quantum, et quatenus opus fuerit, et in suas religiosas necessitates applicet, applicatorumque, quoties a superioribus fuerit requisitus, rationem reddat, et residuum in communes monasterii necessitates erogetur.* (Ex multis sacr. congregationum declarationibus. — FERRAR. verb. *Moniales*, art. 2, n. 76 et seq.)

VI. Si nulli regulares quidquam possidere possunt privatim, attamen de jure communi ordines, religiones, congregationes et conventus possunt in communi possidere bona temporalia, præterquam Capuccini et Minores de Observantia, qui ex jure particulari nequeunt etiam in communi bona temporalia possidere.

Ideoque quidquid acquirit religiosus, monasterio acquirit. « Hinc legatum relictum moniali, seu regulari in particulari sub conditione, quod, quandiu vivit, pertineat irrevocabiliter ad eam, vel eum independenter a licentia superiorissæ, vel superioris, non debetur ipsi moniali, seu religioso, sed monasterio et talis conditio habetur pro non adjecta. » FERRAR. verb. *Moniales, ibid.* n. 83.)

VII. « Monialis et regularis transiens ab uno monasterio ad aliud defert secum livellum ad secundum monasterium, vel secundam religionem, quia livellum, seu vitalitium est personale, et sequitur personam religiosæ seu religiosi, pendetque ab illius vita. » (Cardin. DE LUCA, *De regul.* et alii; et decisum fuit a congr. particulari; *in Romana annui redditus* 7 Jun. 1707. — *Ibid.* n. 90.

VIII. Contra regularem utriusque sexus proprietarium decrevit sancta synodus Tridentina ut *biennio activa et passiva voce privatus sit, atque etiam juxta suæ regulæ et ordinis constitutiones puniatur.* (Sess. 25, *De regul.* c. 2.)

« Regulares utriusque deprehensi in morte habere aliquam proprietatem, debent cum ipsa subterrari extra monasterium in sterquilinio in signum suæ damnationis æternæ. » (C. *Cum ad monasterium* 6, *De statu monachor.*)

« Pro regulari mortuo proprietario non sunt offerenda sacrificia, nec fieri debent orationes, nec ei danda est sepultura cum aliis fratribus in ecclesia, seu cœmeterio. (C. *Monachi* 2, *De statu monachor.*; et c. *Super quodam* 4, eod. tit.)

« Advertendum tamen est, quod si regularis subitanea morte, vel aliter defunctus reperiatur cum crumena pecuniæ, non est statim sepultura ecclesiastica privandus, et in sterquilinio tumulandus, nisi certo constet certitudine morali, quod interrogatus a superiore an haberet aliquod peculium, responderit non habere. Dicta enim pœna tumulationis in sterquilinio non est danda indifferenter omnibus regularibus cum pecunia decedentibus, sed solum illis qui admonitione præmissa deprehensi. et in morte inventi fuerint cum peculio, quo noluerunt se expropriare, ut expresse habetur in cap. *Super quodam* et supponitur in cap. *Monachi*, et cap. *Ad monasterium*, supra citatis.

§ III. — An et quatenus religioso licitum sit donationes facere, testamentum condere, et dona sibi oblata acceptare, vel recusare.

Respondemus cum sancto Ligorio, libr. 5, cap. 1, *De statu religioso*, dub. 4.

I. Regula generalis: « Peccat contra paupertatem religiosus, si quid, seu domi, seu foris, etiam ex iis, quæ ad victum et vestitum pertinent, sine superioris consensu expresso, tacito, vel præsumpto, accipiat, retineat, absumat, permutet, alteri donet vel accommodet. » (N° 17.)

II. « Contra votum paupertatis peccas, si quid ex rebus in usum tuum concessis, in alium usum expendas, aut culpabiliter amittas, vel destruas lata culpa. Ratio est, quia in iis tantum habes usum facti, idque precario, quandiu superiori videbitur; estque actus dominii, posse rem arbitratu suo destruere. » (*Ibid.* n. 19.)

III. « Notandum 1° quod religiosus, licet non possit donare, nec remittere sibi debita .., nec renuntiare legata sibi relicta, sive mercedes suis laboribus debitas, quia horum jus immediate monasterium acquirit, potest tamen religiosus non acceptare munera; nam votum paupertatis obligat ad non alienandum acquisita, non vero ad acquirendum quæ nondum acquisivit.

« Notandum 2° quod religiosus sine licentia potest facere donationes remuneratorias ex bonis sibi concessis ad usum, quia tales donationes sunt quasi debiti solutiones... Imo potest plus donare, quam accepit, usque ad excessum quartæ partis... Quia postulat gratitudo, ut semper plus reddatur quam sit acceptum... » (*Ibid.* n. 20.)

IV. Religiosus potest sine licentia donare, quæ parcius vivendo sibi subtrahit ex rebus sibi concessis ad usum,... modo tamen religioso ad suam sustentationem certa quantitas ita assignetur, ut nec monasterium teneatur aliud ei præstare, nec ipse rationem reddere.

« Ab auctoribus autem communiter permittitur religiosis, qui cum debita licentia vivunt extra claustrum, eleemosynas moderate facere ex iis, quæ a monasterio, vel ab aliis eis subministrantur ad victum. Item permittitur religiosis elargiri, cui velint, suas pitantias, quæ limitate eis præbentur, ut ova, carnes, etc.; nisi superior expresse id vetaverit. Præterea permittitur eis succurrere pauperi magna paupertate laboranti ex bonis monasterii, quando aditus superiori non patet. Item permittitur leves donationes facere amicis, et consanguineis in signum gratitudinis, vel debitæ amicitiæ, vel ad conciliandum aliorum amorem erga religionem. » (*Ibid.* n. 23.)

V. « Quænam quantitas requiratur, ut religiosus eam expendens sine licentia peccet graviter? Alii plus, alii minus assignant.» (*Vide* discussum apud S. Ligor. lib. v, c. 1, n. 24.)

VI. « Item peccas, si quid abscondas, ut illud liberæ dispositioni superioris subducas. Nec procuratores, œconomi, administratores, prælati inferiores quidquam possunt expendere, contra quam regula ordinis, voluntas superiorum, vel consuetudo postulat. Ratio est, quia non sunt domini bonorum communium, sed tantum administratores. »

Si prælatus permittat subdito, ut bona ex quacunque causa aut titulo provenientia, in usus vanos, turpes, aut illicitos expendat, aut superflua, pretiosa et statum suum dedecentia penes se habeat, peccant et prælatus et subditus contra votum paupertatis; estque talis donatio, seu alienatio irrita, et restitutioni obnoxia. Quia prælatus non potest dare veniam majorem quam ipse habet: ipse autem cum non sit dominus, non potest bona suo arbitrio, et inutiliter expendere, sed tantum in religionis necessitatem et utilitatem. » (*Ibid.* n. 28 et 29.)

VII. « Bona accipere a religioso, est peccatum papæ reservatum (sine censura), et qui donum excedens decem scuta acciperet, ne posset quidem a sacra Pœnitentiaria absolvi, nisi facta prius restitutione doni. » (*Id.* S. Ligor. *Homo apost.* tract. xiii, n. 8.) Decem scuta Romana æquivalent circiter quinquaginta tribus francis, 80 c.

VIII. A supradicta generali prohibitione excipiuntur *leviora esculenta et poculenta;* item *munuscula ad devotionem vel religionem pertinentia.* Et supradicta omnia confirmantur decreto Urbani VIII, in quo declaratur *munera a religiosis utriusque sexus tribui posse ex causis gratitudinis, conciliationis, benevolentiæ, ejusque conservationis, erga ipsam religionem vel conventum; aliisve causis ex sui natura actum virtutis et meriti continentibus; modeste tamen et discrete, et dummodo id non fiat nisi de superiorum localium licentia, ac etiam cum consensu majoris partis conventus, si talis consensus de*

jure, vel ex constitutionibus seu consuetudinibus cujusque religionis respective, in hujusmodi casibus requiratur.

« Ex eodem decreto Urbani, in recipiendis benefactoribus, protectoribus vel ordinariis, non sunt illicitæ compotationes et convivia, nisi quatenus status religiosi decentiæ adversarentur.

Regulares autem qui præfatas prohibitiones transgrediuntur, ipso facto pœnam incurrunt privationis dignitatum et officiorum, inhabilitatis ad ipsa, et privationem vocis activæ et passivæ.

Per dictas sanctiones non prohibetur, sed e contra valde commendatur hospitalitas, præsertim erga pauperes et peregrinos.

IX. *De testamentis.* — 1. « Regulares omnes professi tam superiores quam subditi nequeunt condere testamentum. (Communis et certa per text. in c. *Quia ingredientibus* 7, causa 19, quæst. 3.) Et ratio clara est, quia ob votum obedientiæ et paupertatis omni libertate et proprietate se privant, ita ut nec velle, nec nolle, nec quidquam proprium, de quo disponere possint, amplius habeant. » (Arg. citat. cap. juncto cap. *Non dicatis* 11, causa 12, quæst. 1. — FERRAR. verb. *Regulares*, n. 62.)

2. Neque regulares testari possunt ad pias causas ;... nec possunt testari, etiamsi ante professionem sibi aliquam summam suorum bonorum reservassent cum facultate testandi... Quinimo regularibus professis neque licet testamentum a se conditum ante emissam professionem moderari per viam declarationis. » (*Ibid.* n. 63 et seq.)

« Possunt autem regulares professi testamentum a se factum ante professionem interpretari et declarari, si declaratione aut interpretatione egeat. » (FERRAR. verb. *Testamentum*, art. 3, n. 37.)

X. « Si novitius ante professionem testari omittat, succedit in ejus bona, actiones et jura monasterium, si sit capax bonorum : si autem monasterium sit incapax, succedunt consanguinei ab intestato... (ID. *ibid.* n. 41.)

« Licet religiosus non possit testari ullo modo,... si tamen petat licentiam donandi aliquid post suam mortem, et prælatus id promittat exsequi,.. tunc tenetur prælatus stare promissis. » S. LIGOR. lib. v, cap. 1, n. 22.)

XI. Excipiuntur duo casus : 1. Potest testamentum licite et valide fieri a religioso solemniter professo, ex indulto summi pontificis. — 2. Paterfamilias, filios habens, qui ante professionem suam de bonis suis non disposuit, potest ea inter filios distribuere.

XII. Religiosi qui vota tria substantialia duntaxat simplicia habent, non possunt *licite* absque superioris licentia testamentum condere: sed possunt, ut videtur Suaresio *valide ;* eorum tamen testamenta sunt per superiorem *irritabilia.* (*Vide* SUAREZ, *De relig.* tom. IV, tract. x, lib. IV, c. 6.)

XIII. Sunt religiones, ut minores de Observantia Capuccini, quæ possidere etiam in communi nec bona immobilia nec mobilia, nec recipere pecunias possunt; sed usum tantummodo dictorum bonorum habent. Ideoque si quis velit pecuniam eis in eleemosynam erogare, debet remitti ad ipsorum syndicum, qui eam in ipsorum usus impendendam recipiet. Cæteras autem eleemosynas dicti regulares per se ipsos recipere possunt. In pluribus tamen regionibus ob temporum difficultates, sancta sedes cum dictis regularibus dispensavit quoad possessionem et usum bonorum temporalium; proptereaque constitutionibus ex apostolica dispensatione moderatis standum est.

§ IV. — De obligationibus ex voto castitatis.

I. « Castitas religiosa est votum, quo religiosus in aliqua religione a sancta sede approbata sibi interdicit omnem delectationem voluntariam veneream tam internam, quam externam... Et sic violatio castitatis in regularibus duplicem malitiam habet specificam in confessione necessario explicandam ; nempe malitiam luxuriæ contra castitatem, et sacrilegii contra religionem. » (Communis. — FERRAR. verb. *Votum*, art. 2, n. 157 et seq.) De hac materia vide moralistas.

CAPUT XXV.

De aliis religiosorum obligationibus.

§ I. — De regula et constitutionibus.

Relative ad præsentem quæstionem de obligatione ex regula exsurgente, vox *regula* de omnibus simul regulis et constitutionibus uniuscujusque ordinis intelligitur.

I. Regulæ non sunt mera consilia; sed habent aliquatenus rationem legis ; ac proinde aliquatenus obligant. Attamen Re-

gula non obligat vi voti obedientiæ, nisi forte id in ea clare exprimatur.

II. Quando in regula expresse dicitur eam obligare quantum potest, ejus violatio erit peccatum mortale, si materia sit gravis: veniale, si materia sit levis. Regula obligat sub veniali tantum, si hoc in ea expresse habetur; sed ne sub veniali quidem obligat, si hoc in ipsa declaretur. Quando silet regula de obligatione ex ipsa exsurgente, anteponenda est opinio quæ tenet regulam tunc sub gravi non obligare, et an obliget sub levi, dignoscendum esse ex circumstantiis et recepta interpretatione.

III. Violatio regulæ evadit plus minusve peccaminosa ex adjunctis, videlicet ex contemptu; ex odio et ira contra suam religionem; ex proposito nunquam regulam servandi; ex ratione periculi proximi labendi in peccatum mortale; ex eo quod religioni damnum inferat; ex eo quod secum trahat voti alicujus aut præcepti Ecclesiæ vel Dei violationem; ex eo quod violatio justa causa esse possit expellendi religiosi; ex eo quod annexam habeat violationem præcepti tendendi ad perfectionem. (*Vide* hæc omnia probata apud D. Bouix, *De jure regul.*, tom. II, p. 573 ad 580.)

§ II. — De obligatione progrediendi in virtutibus.

Tenetur religiosus aliquo modo tendere ad perfectionem; et servando vota sua, et cætera quæ ipsi sub peccato injunguntur, vere tendit ad perfectionem.

§ III. — De obligatione habitum deferendi.

I. Religiosus tenetur semper portare habitum suæ religionis, etiam in lecto, et dormire cum ipso. (De jure communi.) Nisi tamen excusetur ex aliqua causa rationabili. Ex Ferrar. verb. *Habitus*, n. 19, ubi jura adducit, et addit quod dormientes sine habitu, dempto contemptu, et scandalo, non peccent ne quidem venialiter, etsi alias sint castigandi.

II. Habitus religionis debet patenter deferri, non autem occulte; nullus enim religiosus de jure communi potest habitum sui ordinis dimittere, ut constat ex cap. *Est periculosa* 2, *Ne clerici vel monachi*, in 6; et ex Trident. sess. 25, *De regul.* c. 19. Potest autem religiosus habitum occulte deferre, seu etiam deponere, et alium induere absque culpa, dum transiturus est per loca infidelium, vel hæreticorum cum periculo vitæ, aut ob metum servitutis, verberum, vel alterius gravis incommodi, et hujusmodi. » (Arg. cap. *Deus qui* 11, *De vita et honest. cleric.*)

III. « Religiosus dimittens temere habitum suæ religionis est ipso facto excommunicatus. (Textu expresso in c. *Est periculosa* 2, *Ne clerici vel monachi*, in 6.) Habitus dimissio dicitur temeraria ad incurrendam hanc excommunicationem, cum sit animo vagandi, et sine rationabili causa, secus si ex justa causa. Religiosus dimittens habitum temere, sed intra claustra, vel etiam extra ex quadam levitate dummodo ad breve tempus et non ex causa divagandi, non incurrit dictam excommunicationem, quia ipsa incurritur ob dimissionem habitus factam ad finem libere divagandi, ut aperte habetur in principio ipsius capitis *Est periculosa.* » (Ferrar. verb. *Habitus*, passim.)

IV. In ordinibus qui nullam specialem habitus formam injungunt, præsens quæstio non habet locum.

§ IV. — De obligatione clausuræ quoad viros.

I. Omnes regulares quicunque sint obligantur ad habendum aliquod genus clausuræ in claustris, et conventibus suorum ordinum. (C. *Placuit* 18; c. *Juxta* 11; c. *Monachi* 33, causa 16, quæst. 1; et c. *Pervenit* 20, causa 18, quæst. 2, ubi prohibentur introduci mulieres in monasterio virorum. Specialius tamen conventuum regularium clausuram respiciunt duæ constitutiones sancti Pii V, quarum prima incipit *Regularium personarum*, et secunda *Decet Romanum pontificem;* Gregorii XIII constit. *Alii gratiæ;* plurima sacrarum congregationum decreta, et postremo Benedicti XIV constit. *Regularis disciplina*, ut videre est apud Ferrar. verb. *Conventus*, art. 3, *quoad ea quæ concernunt conventuum clausuram.*

II. Nomine clausuræ conventuum virorum, in quam est feminis interdictus ingressus, intelligitur totum illud spatium quod intra septa monasterii, seu conventus continetur, id est claustra, cellæ, officinæ, cœnaculum seu refectorium, dormitorium, infirmaria, coquina et hujusmodi. (Est communis.) Viridaria, seu horti, et prata cum conventu, et claustro conjuncta veniunt nomine clausuræ, ita ut mulieres ipsæ ingredientes excommunicationem incurrant. Secus vero si ipsa viridaria et prata sint a

clausura separata clavi, et muro convenienti. Sacristia, ad quam non patet aditus nisi per januam, quæ sit in claustro comprehenditur sub clausura; secus vero si habet ingressum a sola ecclesia. Si vero ad sacristiam duplici porta, una in claustro, et alia in ecclesia exsistente pateat aditus, contineri sub clausura docuerunt plures et hujus mentis videtur fuisse sacr. congr. Episc. et Regul... Sed praxis fere ubique videtur in contrarium. » (Ferrar. verb. *Conventus*, art. 3, n. 9 et seqq.)

III. Feminæ omnes et quæcunque religiosorum clausuram ingredientes, sive sub prætextu privilegiorum, sive absque hoc prætextu, excommunicationem papæ reservatam incurrunt. (Constat ex allatis pontificiis constitutionibus.)

IV. « In prædictis bullis pontificum non comprehenduntur imperatrices et reginæ, earumque filiæ, et aliæ feminæ quæcunque, quæ illas comitantur. » Pirhing, in tit. xxxv, lib. iii *Decretal.* n. 45.)

V. A prohibitione non excipiuntur ducissæ, fundatrices, benefactrices, aliæve ullæ feminæ, nisi privilegium pontificium habeant juxta formam præscriptam in constit. Benedicti XIV *Super regularis*. Attamen de puellulis parvulis disputatur, unde saltem concludendum videtur pœnas in præfatis bullis statutas non incursuros religiosos, qui puellulam intra claustra admitterent.

VI. Religiosi feminas, a generali prohibitione non exceptas, intra clausuram introducentes seu admittentes, incurrunt ipso facto privationem officiorum suorum, inhabilitatem ad ipsa, et suspensionem a divinis; præterea incurrunt etiam excommunicationem papæ reservatam.

« Nomine religiosorum introducentium, vel admittentium mulieres in clausuram conventus veniunt omnes religiosi active influentes in talem ingressum mulierum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes et auctoritative sive ratione sui officii permittentes ut intrent... (Ferrar. verb. *Conventus*, art. 3, n. 30.)

« Nec potest superior, sive alius religiosus mulieres introducere, quando murus clausuræ materialis ex accidenti est dirutus, quia semper remanent fundamenta, quæ sunt limites clausuræ jam positæ... et de facto sacr. congr. in similibus casibus consuevit semper declarare transgressores incursos in pœnas taxatas. » *Ibid.*, n. 29.)

VII. Quamvis viris sæcularibus non sit de jure communi prohibitus ingressus conventus regularium, nec absolute prohibita in ipsis commoratio; prohibetur tamen aliquibus regularibus eos recipere, et admittere in certis temporibus et circumstantiis, ut signanter pro fratribus Minoribus de Observantia decrevit sacr. congr. Episc. et Regul. » (Vide Ferrar., *ibid.* n. 33 et seq.)

VIII. Ad obligationem clausuræ refertur pro religiosis obligatio non egrediendi claustro absque licentia sui prælati. Transgressio hujusmodi obligationis potest esse plus minusve gravis, et de eadem judicandum est juxta constitutiones et legitimas consuetudines uniuscujusque ordinis et circumstantias.

§ V. — De monialium clausura.

I. Primo sub formali et absoluto præcepto, quæ antea tantum erat de consilio, clausuram monialibus indixit Bonifacius VIII, in cap. *Periculoso*, unic. *De statu regul.* in 6; et deinde concilium Trident. sess. 25, *De regul.* cap. 5; S. Pius V, constit. *Circa pastoralis officii;* et constit. *Decori et honestati*, et Gregorius XIII, constit. *Deo sacris.*

II. Unde ad clausuram tenentur, nunc moniales omnes professæ cujuscunque regulæ, ordinis et nominis, etiam tertiariæ in congregatione viventes, et tria vota essentialia emittentes. — Excipiendæ sunt religiosæ mulieres quæ vota duntaxat simplicia emittunt sive ex decretis sanctæ sedis ut in Gallia, sive ex ejusdem sedis apostolicæ tolerantia ut jam dictum est. Hujusmodi religiosæ possunt teneri ad clausuram ex regula et votis, sed non incurrunt pœnas contra violatores clausuræ papalis latas.

III. Pœnas contra violatores clausuræ papalis statuit sanctus Pius in constit. *Decori et honestati* his terminis: *Aliter autem egredientes, seu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas, sive laicas, aut sæculares, vel ecclesiasticas, consanguineas, vel non, excommunicationem majoris latæ sententiæ vinculo, statim, eo ipso, absque alia declaratione subjacere, a qua*

præterquam a Romano pontifice, nisi in mortis articulo, absolvi nequeant. Et insuper tam egressas, quam præsidentes, et alias superiores prædictas eis licentiam hujusmodi concedentes, dignitatibus, officiis, et administrationibus per eas et eos, tunc obtentis privamus, et illas et illos ad obtenta, et alia in posterum obtinenda inhabiles.. decernimus.

IV. « Supradictas pœnas, ut vides ex dicta constit. sancti Pii V, incurrunt episcopi aliique superiores monialium injuste licentiam monialibus egrediendi e monasterio concedentes, etc... Non tamen incurrunt dictas pœnas, qui post illicitum et injustum egressum moniales comitantur, non ut cooperantur illi illicito egressui, seu perseverantiæ in ipso, sed solum ut earum honori, et honestati, seu castitati consulant, vel gratia urbanitatis, amicitiæ, aut honoris, seu consanguinitatis et affinitatis. » (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 3, n. 1 ad 9 huc usque.)

V. « Excommunicationem et alias dictas pœnas incurrit monialis, quæ ambobus pedibus exit ostium clausuræ uno, vel altero palmo; item monialis ascendens supra tectum; item monialis faciens se dimitti e fenestra correspondente viæ publicæ patenti sæcularibus, quamvis non totaliter descendat; item monialis ascendens in arborem positam in horto monasterii, et procedens ad ramum omnino prominentem extra murum; item monialis se ponens in rota, eamque volvens versus partem externam, ad quam sæculares accedunt; et uno verbo monialis egrediens quocunque modo et causa quacunque extra limitem clausuræ.

VI. A tali excommunicatione violatæ per illicitum egressum clausuræ, seu per cooperationem, si sit publica, absolvit solus summus pontifex, vel habens ab eo auctoritatem. (Ex constit. S. Pii V.) — Si autem sit occulta, certant inter se doctores quisnam ab ea possit absolvere; sed ex pluribus sacr. congr. declarationibus tenendum est non posse absolvi nisi a solo Romano pontifice. Sed quia moniales perpetuo sunt impeditæ Romam adire, episcopus et superior regularis habent a papa facultatem ab ista excommunicatione easdem absolvendi; sed non alios violatores clausuræ.

VII. Moniales possunt in aliquibus casibus de monasterio exire absque incursu pœnarum et præcipue in tribus casibus expressis a S. Pio V in d. constit. *Decori*, ibi: *Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidemiæ;* et etiam in aliis casibus gravissimis consimilibus. — Occurrente aliquo casu, in quo, juxta dicta licitus est egressus monialium e monasterio, requiritur licentia superioris et etiam episcopi pro etiam exemptis. (*Trident.* sess. 25, *De regul.* c. 6.) Nisi tamen periculum sit in mora, et necessitas urgeat, quia tunc absque licentia exire possunt. (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 3, n. 10 ad 32.)

VIII. Sed pro quacunque alia causa, etiam ad monasterium fundandum, ad curandam infirmitatem, etc., necessaria est licentia sacr. congr., ut monialis licite exire e suo monasterio possit. (*Ibid.* n. 34 et seq.)

§ VI. — De ingressu in monasteria.

I. Ingressus in monasteria monialium absque justa causa, et legitima facultate est absolute prohibitus omnibus omnino personis a Bonifacio VIII, cap. *Periculoso* cit., sed sub nulla censura. Item a concilio Trident. sess. 25, cap. 5, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, sed nemini reservata. Deinde sanctus Pius V, decretum Trident. confirmat in sua const. *Circa pastoralis.* Gregorius autem XIII const. *Ubi gratiæ*, idem statuit sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, et papæ reservata contra præsumentes ingredi monasteria monialium prætextu facultatum a summo pontifice, vel a legatis seu ab aliis concessarum, revocando omnes, et quascunque licentias a quibuscunque concessas ingrediendi monasteria monialium; et præter excommunicationem ipso facto incurrendam, et summo pontifici reservatam, imposuit etiam pro abbatibus, et abbatissis, aliisque monasteriorum utriusque sexus superioribus et personis, privationem dignitatum, beneficiorum et officiorum, et inhabilitatem ad illa in posterum obtinenda. — Item Paulus V constit. *Monialium statui*, inhærendo litteris dicti Gregorii XIII qui prædecessoris revocavit omnes licentias, etc.... et præterea prohibuit abbatissis, seu priorissis, ac superioribus, ne mulieres ipsas introducere seu admittere, vel admissas quomodocunque retinere audeant et præsumant; idque sub pœna excommunicationis majoris reservatæ summo ponti-

ficii, et sub omnibus aliis pœnis contentis in cit. constit. Gregor. XIII.

« Pueri et puellæ cujuscunque sint ætatis, nequeunt ingredi et introduci in monasteria monialium. (*Trident.* sess. 24, *De regul.* cap. 5.) Et introducens incurrit censuras violatæ clausuræ. (S. congr. Episc. et Regul. sæpius; — Ferrar. *ibid.* n. 42 ad 46, et n. 58.)

II. « Imperatores, imperatrices, reges et reginæ; eorumque filii et filiæ possunt absque incursu excommunicationis, aliarumque pœnarum ingredi cum sua decenti comitativa in monasteria monialium, quia hujusmodi personæ, ratione excellentiæ et dignitatis non comprehenduntur in dispositionibus odiosis, nisi exprimantur... Ita plurimi... sed alii tenent probabiliter contrarium, præsertim ex dispositione Benedicti XIV, const. *Salutare in catholica Ecclesia* institutum, in qua decernit *quemlibet... etiam speciali mentione dignorum quacunque facultate hujusmodi sive pro se, sive pro aliis temere uti audentem, ipso facto absque ulla declaratione pœnas, et ecclesiasticas censuras contra violantes clausuram monialium incurrere, et incursas esse a quibus præterquam a Romano pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit....* » (Ferrar. *ibid.* n. 53 et 98.)

III. Mulieres, quibus a sede apostolica conceditur licentia ingrediendi monasteria monialium, non possunt ingredi nisi prius habito consensu monialium capitulariter præstito per suffragia secreta. (Urban. VIII, constit. *Sacrosanctum apostolatus ministerium.*)

IV. « Nomine monialium introducentium, vel admittentium in clausuram personas non habentes ad id legitimam facultatem veniunt omnes active influentes in talem ingressum, ut sunt invitantes, consulentes, hortantes, approbantes, monstrantes iter, auferentes impedimenta, januam aperientes, eas recipientes, concedentes, et auctoritative, sive ratione officii sui permittentes, ut intrent. » (Ferraris, *ibid.* n. 59.)

V. Cardinales, etiam legati aut episcopi, sive alii prælati sine licentia episcopi ingredi non possunt monasteria monialium, quæ eorum jurisdictioni non subsunt, sub pœnis et censuris contra violantes clausuram latis. (Const. Bened. XIV *Salutare.*)

« Prælati omnes sæculares episcopali, ac etiam cardinalatus dignitate præditi nequeunt ingredi clausuram monialium etiam sibi subjectarum, nisi in casibus necessariis, et comitati a paucis, iisque senioribus ac religiosis personis. Si autem contrafecerint, incurrunt interdictum ab ingressu ecclesiæ pro prima vice, pro secunda vero contrahunt suspensionem a pontificali munere et a divinis, pro tertia autem vice, ac deinceps, excommunicatione majori ipso facto afficiuntur. (Sic expresse Gregorius XIII, const. *Dubiis.*)

« Prælati regulares ingredientes extra necessitatem monasteria monialium sibi subjectarum ligantur dicta excommunicatione majori, et privantur omnibus officiis et dignitatibus... (Ead. Gregor. XIII, const. *Dubiis.*)

VI. Confessarii quomodo, et quando possint ingredi clausuram, dictum est supra. — Medici, chirurgi non minores annis quadraginta et associati, factores, syndici, aliique operarii ad monialium servitium necessarii possunt de legitimi superioris licentia ingredi clausuram ad exercenda suæ artis opera, quæ commode extra monasterium exercere non possunt. (Communis; Ferrar., *ibid.* n. 80 et 81.) — Qui ingreditur, etiam sine licentia, ad exstinguendum incendium, vel ad servandum seipsum, aut monasterium ab incendio, vel ad succurrendum in aliis casibus repentinæ minæ, non violat clausuram, nec incurrit pœnas. (*Ibid.* n. 84.)

VII. Licentiam concedere pro ingressu in clausuram monialium spectat ad episcopum auctoritate quidem propria pro monasteriis sibi subjectis, et auctoritate delegata, pro monasteriis sedi apostolicæ subjectis... Item pro dictis monasteriis talem licentiam concedere potest vicarius capitularis, sede vacante, et vicarius generalis episcopi, si ad hoc habeat speciale mandatum, non enim eidem sufficit generalis facultas. (Communis ex pluribus sacr. congr. Concil. decretis. — *Ibid.* n. 85 et seq.)

« Pro ingressu in monasteria regularibus immediate subjecta, stando in jure concilii Tridentini, sufficere videtur sola licentia superioris regularis. (Sess. *Trident.* 25, *De regul.* cap. 6; et sic decisum fuit pluries a sacr. congr. Concil.) Nisi tamen adsit consuetudo contraria, qua istæ licentiæ ab episcopo tantum concedantur, cui consuetudini standum est. (S. congr., 21 Maii 1630; Ferrar. *ibid.* n. 85 et seqq.)

§ VII. — De accessu ad monialium monasteria, et locutione cum eis.

I. Accessus ad monasteria monialium causa eas visitandi et alloquendi sine rationabili causa et absque licentia est prohibitus omnibus, sive laicis sive clericis. (C. *Monasteria* 8, *De vita et honest. cleric.*) Accedentes ad moniales sine rationabili causa, et legitima facultate, sive sint sæculares, sive ecclesiastici, ordinarie peccant mortaliter; et ordinarius potest dictum accessum prohibere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, sibi reservatæ.

II. Patres et matres monialium, filii monialium, item fratres et sorores earumdem sæculares possunt sine licentia diebus non prohibitis alloqui suas filias, matres, sorores moniales. (S. congr. Episc. et Regul. pluries.) Excepto casu, in quo ex constitutionibus monasterii, vel speciali decreto episcopi prohiberentur etiam conjuncti in primo vel secundo gradu moniales alloqui, sine licentia, quæ tamen, nisi aliud obstet, concedi debet ad annum pro alloquendis monialibus sibi conjunctis semel in mense. (Ead. sacr. congr. 10 Februar. 1599.)

III. Regulares autem nunquam possunt moniales sibi conjunctas, aut alias intra clausuram degentes alloqui sine ordinarii licentia. Imo episcopus non potest concedere regularibus licentiam alloquendi moniales, aut alias intra clausuram degentes, nisi sint ejus conjunctæ in primo, vel secundo gradu; et quater tantum in anno pro die, et hora certa, et extra adventum et quadragesimam, feriam sextam, sabbatum, vigilias, et dies festos; quæ licentia subscribi debet etiam a superiore regulari pro monialibus sub regularium gubernio exsistentibus, item registrari, et confessario consignari qui assistat cum auscultatricibus. (Ita expresse sacr. congr. Episc. jussu Urbani VIII, XII Kalend. Decembr. 1623.)

IV. Regulares sine legitima licentia alloquentes moniales, seu alias intra clausuram degentes peccant mortaliter, etiamsi alloquantur ad bonum finem, ut expresse declaravit sacr. congr. Concil. — Regulares missi ad cratos monialium pro munere prædicationis obeundo peccant mortaliter, et incurrunt censuras et pœnas, si sine expressa licentia ad colloquendum immediate post concionem cum aliquibus, seu cum una tantum, omnibus aliis audientibus, immisceant sermones cum quæstionibus, vel dubiis spiritualibus, aut materia ipsius concionis, ut expresse declaravit ead. sacr. congr. Concil. Et ad hæc omnia facit constitutio Clementis XII, *Romanus pontifex :* in qua revocat diversas facultates... et tertia decima revocata est sequens : « *Facultas regularibus alloquendi moniales etiam consanguineas, aliasque personas intra clausuram degentes, absque peculiari superiorum, ad quos quomodocunque spectat, licentia.* Unde caveant regulares ne sine tali licentia, moniales aliasque personas intra clausuram degentes alloquantur; cum prædictus summus pontifex inter alia id prohibeat *sub pœna excommunicationis, ac privationis officiorum, dignitatum, ac quorumvis beneficiorum obtentorum, vocis activæ et passivæ, necnon inhabilitatis ad audiendas confessiones, et ad officia, dignitates, et beneficia hujusmodi in futurum obtinenda, ipso facto absque ulla alia declaratione per transgressores respective incurrenda, a quo nonnisi a nobis, seu Romano pontifice pro tempore exsistente, præterquam quoad excommunicationem præfatam in mortis articulo constituti absolutionis, dispensationis, seu rehabilitationis beneficium valeant obtinere.* (Ferrar. verb. *Moniales*, art. 4, n. 1 ad 21.)

V. Superiores regulares et confessarii monialium non egent licentia ordinarii ad alloquendas moniales suæ curæ commissas. (Ex decretis Sixti V et Urbani VIII et sacr. congr. Episc., *ibid.* n. 22 et seq.)

VI. Episcopus potest imponere censuras, aliasque pœnas non solum contra regulares, sed etiam contra omnes clericos etiam episcopos et canonicos, et sæculares sine legitima facultate accedentes ad moniales, et etiam contra moniales supradictas excipientes et alloquentes, ex pluribus sacræ congr. decretis. (Ferrar, *ibid.* n. 29 et seq.)

VII. « Pauperes ostiatim mendicantes, si accedant sine expressa licentia ad moniales causa quærendi eleemosynam, secluso dolo et scandalo, non incurrunt dictas censuras et pœnas ; nec etiam famuli et famulæ sine expressa licentia deferentes munuscula ad moniales jussu suorum dominorum, seu dominarum, dummodo id faciant sine dolo et scandalo. » (*Ibid.* n. 37 et 38.)

VIII. « Non debet permitti magistris accessus ad monasteria ad effectum in-

struendi moniales in sono et cantu, etiam ad crates; sacr. congr. Episc. » *ibid.* n. 58.

IX. Licentiam concedere pro alloquendis monialibus, et aliis personis intra clausuram degentibus, in omnibus casibus spectat ad ordinarios; sed pro monasteriis exemptis et regularibus subjectis necessaria est etiam licentia superioris regularis, cui tamen non licet licentiam episcopi alterare addendo vel aliquid adimendo. (S. congr. Concil., 29 Januarii 1633.)

X. Tota clausuræ monialium materia jurisdictioni episcoporum demandata fuit a sancta synodo Tridentina, sess. 25, c. 5.

§ VIII. — De quibusdam aliis monialium obligationibus.

I. Tenentur moniales publice in choro officium divinum persolvere: et monialis absens a choro, tenetur sub mortali horas canonicas privatim recitare. Moniales choristæ propter imperitiam, donec discant expedite legere, aut si ex aliqua alia rationabili causa, ut infirmitas, scrupulum, nequeant horas canonicas persolvere, judicio prælatorum, confessariorum vel abbatissarum, satisfaciunt dicendo officium laicarum seu non choristarum. Ferrar. verb *Moniales*, art. 6 n. 1 ad 5.)

II. Moniales non obligantur sub mortali ad confitendum et communicandum singulis mensibus, juxta multos doctores; alii tamen exsistimant eas ad id teneri sub gravi. (*Ibid.* n. 11.)

III Nequeunt moniales confessionario uti pro locutorio, nec fenestrella communionis quæ etiam pro confessione inservire nequit. Per hanc fenestrellam debet ministrari confirmatio monialibus et aliis sub clausura degentibus. Fenestrella hæc debet esse lata palmo integro, et alta dimidio; clavis fenestrellæ communionis debet retineri ab abbatissa monasterii.

IV. Collocutorium non debet esse in secundo plano, neque in ecclesia. (*Ibid.* n. 28 ad 38.)

V. Monasterii fenestræ ita debent esse dispositæ, ut nequeant moniales videre exteros, nec ab eis videri. (*Ibid.* n. 46.)

VI. Clavis custodiæ sanctissimi sacramenti, non debet esse penes moniales; sed penes sacerdotem ad quem spectat sacramenta monialibus ministrare. Reliquiæ asservari debent, non intra clausuram monialium, sed in exteriori ipsarum ecclesia. (*Ibid.* n. 59 et 60.)

VII. Prohibere potest episcopus ne moniales in suis ecclesiis quidquam canant lingua vernacula. (*Ibid.* n. 63.)

VIII. Moniales nequeunt esse commatres, etiam per procuratorem; generaliter enim regularibus prohibitum fuit infantes de baptismo levare. (*Ibid.* n. 70.)

IX. Monialibus non licet canes habere, ob generalem hac de re prohibitionem. (*ibid.* n. 71.)

CAPUT XXVI.

De regularium obligatione legendi varias constitutiones apostolicas et decreta sacrarum congregationum.

Sub gravissimis pœnis regularibus præscriptum est in certis et determinatis anni temporibus publice legere plures constitutiones apostolicas et plurima sacrarum congregationum decreta.

Hic assignatur tempus, quo a regularibus legendæ sunt variæ constitutiones apostolicæ, et decreta sacrarum congregationum sub pœna privationis officii, vocisque activæ et passivæ ipso facto a superioribus incurrenda si ex eorum culpa non perlegantur *in aliqua publica congregatione, vel saltem in publica mensa.* (Constit. Urbani VIII, *Nuper a congregatione*, ut notat Lantusca, in *Theatr. regul.* verb. *Decreta*, n. 2.)

I. Mense igitur Januario, legi debent const. Clementis VIII, incip. *Religiosæ congregationes* (quam ad litteram reperies apud Ferraris, verb. *Regulares*, n. 67), et Urbani VIII, *Nuper a congregatione* (quam *ibidem* reperies). Sic statuitur in dicta const. *Urbana*, § 2.

II. Kalendis Martii, legi debet decretum spectans ad sanctum officium Alexandri VII jussu editum incip. *Licet alias*. Sic statuitur in ipsa const. § 5, ubi mandatur, quod legatur una cum aliis decretis et constit. apostolicis ad S. Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pertinentibus quæ quotannis legi debent juxta decretum Urbani VIII, incip. *Sanct. Dom.*

III. « Feria sexta post Octavam Corporis Christi, et feria secunda post primam Dominicam Adventus; vel intra terminum unius mensis immediate subsequentis, vel infra terminum decem dierum immediate subsequentium, juxta duo diversa decreta sacr. congr. Episc. et Regul. legi debent decreta sacr. congr. Concil., de celebratione

missarum, incip. *Nuper a congregatione* (Quæ *decreta* ad litteram reperies apud Ferrar. verb. *Missa*. art, 2 n. 2.)

IV. Feria sexta post octavam Assumptionis B. M. V. vel per totum residuum mensis Augusti, juxta decretum sacr. congr. S. Inquisitionis 11 Februar., 1638.) legi debet sub pœnis, etc., decretum sacr. congr. S. Officii jussu Urbani VIII, editum de observantia constit. apostolicarum ad S. Officium pertinentium, incip. *Sanctissimus Dominus*.

Item decretum ejusdem sacr. congr. jussu Benedicti XIV editum, incip. *Sanctissimus Dominus*. (Quod decretum ad litteram reperies apud Ferrar. verb. *Inquisitionis S. Officium*. n. 96.)

V. Diebus a superiore assignandis, bis quotannis, legi debent sub pœnis, etc. decreta generalia Clementis VIII pro reformatione regularium, incip. *Nullus omnino* (quod integrum reperies apud Ferrar. verb. *Regulares*, n. 85); et decreta sacr. congr. Concil. Urbani VIII jussu edita de regularibus apostatis et ejectis, incip. *Sacra congregatio* (quod decretum integrum reperies apud Ferrar. verb. *Ejecti a religione*, n. 2), una cum decreto ejusdem sacr. congr. Innocentii XII jussu editum, moderatorio, et incorrigibilium respective innovatorio incip. *Instantibus procuratoribus*. (Quod etiam integrum reperies, apud Ferrar. *ibid*. n. 30.)

VI. Item bis quotannis diebus a superiore assignandis, legi debent Clementis VIII super receptione, educatione, et professione novitiorum, quorum primum, incip. *Regularis disciplinæ ;* secundum, incip. *Sanctissimus in Christo ;* tertium item incip. *Sanctissimus in Christo Pater ;* quartum, item, incip. *Sanctissimus in Christo Pater ;* quintum, incip. *Cum ad regularem disciplinam* (Quod ultimum decretum integrum reperies apud Ferrar., verb. *Novitiatus*, n. 98).

VII. Item in quolibet generali vel provinciali capitulo, congregatione, capitulari congressu, diæta, etc., sub pœnis privationis officii, vocisque activæ et passivæ ipso facto incurrendis, legi debet decretum sacr. congr. S. Officii Urbani VIII jussu editum de observantia constitutionum apostolicarum et decretorum ad S. Officium pertinentium, incip. *Sanctissimus Dominus*. Item sub iisdem pœnis legi debet saltem semel singulis annis Kalendis Martii in publica mensa, vel alias in capitulo ad hoc specialiter convocato una cum aliis decretis et constitutionibus apostolicis ad S. Officium Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem quotannis legi solitis.

VIII. Item pro minoribus regularis Observantiæ S. Francisci, sexto quoque mense in conventibus recollectionis et novitiatus, debet legi decretum Innocentii XI, incip. *Pro meliori novitiorum*, et saltem bis in singulis annis in omnibus conventibus legi debet constitutio pro restituendo ac conservando candore regularis disciplinæ, edita ab Urbano VIII die 1 Junii 1640, et incip. *Militantis Ecclesiæ*.

CAPUT XXVII

De regularium præcedentiis.

§ I. — De præcedentia inter regulares et clericos sæculares.

Regula generalis est : « Præcedentia semper dignioribus danda est » (Sacr. Rituum congr. pluries.)

Secunda regula sic habetur : « Præcedentia semper debetur clero sæculari supra regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis. » (C. *Alia* 6, causa 16, quæst. 1, cum similibus ; et sacr. congr. Rituum sæpius.)

I. Unde episcopi præcedentiam habent supra quoscunque abbates et superiores regularium generales etiam in dictorum regularium ecclesiis.

II. Prælati regulares præcedentiam habent supra omnes clericos sæculares non prælatos præterquam in canonicos cathedralis ecclesiæ capitulariter intervenientes, quia canonici cathedralis episcopi corpus formant. Sed prælati regulares præcedentia gaudent supra canonicos uti singulos, prout declarant decreta sacr. congregationis Rituum et alia jura.

III. Clemens IV, in decretali, *Ut apostolicæ, De priv.* in 6, decrevit ut abbates et alii exempti, quibus usus pontificalium est a sede apostolica concessus, in provincialibus conciliis et episcopalibus synodis uti possint mitris tantummodo auro frisiatis, non tamen aureas, vel argenteas laminas habentibus : prælati autem non exempti, sed qui usum pontificalium habent, in iisdem sacris conventibus, mitris puris duntaxat et simplicibus, albis et planis uterentur. (Benedict.

XIV, constit. *Causarum*, tom. II. *Bullar.* p. 350.)

Abbates jus mitræ et baculi habentes, etiamsi titulares et commendatarii sint, sive sæculares, sive regulares, præcedunt in synodo canonicis etiam cathedralis capitulariter non intervenientibus. (BENEDICT. XIV, *De synod. diœces.* lib. III, cap. 10, n. 5; et *Cœremoniale episc.* lib. I, cap. 31.) Habentes jurisdictionem quasi episcopalem habent suffragium in concilio provinciali, ac subscribunt, et jus etiam habent interveniendi conciliis generalibus. (Idem. lib. VIII, cap. 2, n. 5.)

IV. Abbates convenientes cum capitulo cathedralis, sedere debent in loco decenti, non autem supra, vel inter canonicos. S. Rit. congr. 2 Junii 1685 et *Cœremoniale episc.* lib. I, cap. 13, n. 9, ibi : *Abbates diœcesani benedicti, habentes usum mitræ et baculi, habebunt locum condecentem pro judicio et prudentia episcopi : dummodo non sit supra, nec inter canonicos.*

V. Eadem regula proportionaliter servanda videtur quoad superiores regulares jurisdictionem quasi episcopalem habentes, id est generales et provinciales ; nam ex prima regula, digniores sunt omnibus clericis sæcularibus uti singulis quia jurisdictionem utriusque fori cum honore habent. Igitur præcedere debent omnes clericos sæculares præterquam canonicos cathedralis capitulariter intervenientes.

VI. Superiores regulares locales seu conventuales parochis æquiparantur ; ideoque quia præcedentia debetur clero sæculari supra regulares, videtur parochis deberi præcedentiam supra superiores locales seu conventuales.

VII. « Collegialiter intervenientibus clero sæculari et regularibus, « præcedentia semper debetur clero sæculari supra regulares, etiam in ipsorum regularium ecclesiis... Hinc sacr. congr. Rit. die 3 Augusti 1601, decrevit et ordinavit, ut in generalibus processionibus fratres seu monachi, vel ordines regulares antecedant, et presbyteri, seu clerici sæculares subsequantur, et ultimum locum teneant, nec mistim cum regularibus incedant, et Clemens VIII in sua constit. incip. *Quæ ad removendum*, 5 Novembris 1603, ex voto ejusdem sacr. congr. declaravit clerum sæcularem in omnibus locis, etiam in propriis ecclesiis, conventibus patrum, monachorum et religiosorum quorumcunque, in universo regno Castellæ et Legionis præferendum esse, et præcedere debere, quam Clementis VIII constit. observari mandavit Gregor. XV in sua const. *Alias a felicis* die 3 August. 1622. » (FERRAR. verb. *Præcedentia*. n. 9.)

Attamen « officium super cadaveribus in ecclesiis regularium per ipsos regulares, non autem per parochos defunctorum peragi debere, » decrevit sacr. congr. Rit. 9 Decembr. 1638 et sæpius. — Item non potest parochus (nisi adsit consuetudo) occasione funerum ingredi ecclesiam regularium cum stola et cruce, ut respondit ead. sacr. congr. Rituum pluries, et sacr. congr. Concil. (*Ibid.* Addit. Casinenses ad n. 5 et 9.)

VIII. Uti singulis intervenientibus clericis sæcularibus et regularibus, præcedentia debetur clericis sæcularibus supra regulares non prælatos.

§ II. — De præcedentia inter diversos regularium ordines.

I. Præcedentiam habent canonici regulares Lateranenses quoad monachos Casinenses. (S. PIUS V. const. *Romanus.*) Imo etiam ante omnes alios regulares post clerum sæcularem. (S. PIUS V, const. *Cum ex ordinum*). — FERRAR. verb. *Præcedentia*, n. 16.)

II. Præcedentiam habent antiqui ordines monachales supra alios ordines.

III. Præcedentiam fratrum Prædicatorum quoad alios fratres Mendicantes et etiam non Mendicantes post clerum sæcularem et antiquos ordines monachales statuit sanctus Pius V, const. *Divina*, et Clemens VIII, const. *Inter cætera.* » *Ibid.* n. 17.)

IV. Præcedentiam habent monachi Cistercienses reformati ordinis B. Mariæ, Pulien. ante ordines Mendicantes. (CLEMENS VIII, constit. *Regis.*) Præcedentiam monachis semper, et ubique tribuere debent fratres Mendicantes. (S. Rit. congr., 23 Mart. 1619. — *Ibid.* n. 20 et 21.)

V. Præcedentiam habent fratres Minores S. Francisci de Observantia ante fratres Minores conventuales. (LEO X, constit. *Licet*, 7 Decembr. 1517.)

VI. Præcedentia inter fratres etiam Observantes, et Tertiarios S. Francisci servatur juxta bullam Gregorii XIII, ut ii præferantur, qui prius in loco controversiæ monasterium et locum obtinuerunt. S. congr. Rit. pluries.)

VII. Præcedentia inter regulares de suburbiis et territorio Romano servatur sicut in ipsa urbe. (S. congr. Rit. 2 Mart. 1631.) Nam ad tollendas omnes lites et controversias in materia præcedentiarum debet servari id, quod in alma Urbe omnium magistra servatur. (S. congr. Episc. et Regul. 26 et 30 August. 1593.)

III. — De præcedentia inter religiosos ejusdem ordinis et conventus.

I. Præcedentia inter regulares utriusque sexus incipit a die professionis, non habitus, non obstante quolibet prætextu et contraria consuetudine. (S. congr. Episc. et Regul. pluries, et sacr. congr. Concil.) Ideoque qui prior professionem emisit, habet præcedentiam, licet quis vellet cedere juri suo. (S. congr. Episc. et Regul. 30 Octobr. 1600.)

II. Si duo profiterentur eodem prorsus temporis momento, et eodem quoque tempore fuissent vestiti, data paritate professionis, præcedit qui prius acceptatus fuit, licet in eodem capitulo. Et hoc habet locum etiamsi professio facta fuisset in alio monasterio. (S. congr. Episc. et Regul. pluribus decretis.)

III. In laicis factis clericis per breve, incipit a die professionis clericalis. (S. congr. Episc. et Regul. 26 Februar. 1643.)

IV. « Clerici et choristæ præcedunt conversis, licet professione antiquioribus. (S. congr. Episc.) Et expresse Urbanus VIII in suo brevi *Cum sicut*, in quo sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda prohibetur, ne laici ordinis Minorum, etiam ratione antiquioris receptionis ad habitum, vel professionis emissæ, clericos, tam in publicis quam in privatis ejusdem ordinis functionibus præcedere audeant; qua censura ligantur quoque superiores id permittente. »

V. « Clerici religionis ministrantium infirmis in quibusvis actibus, laicis ejusdem ordinis etiam antiquioribus professione præferuntur, ut expresse statuit Alexander VII, in suo brevi *Alias emanavit*, 5 Decembr. 1662.

VI. « Præcedentia fratribus Minoribus de observantia de una ad aliam provinciam incorporatis debetur a die tantum suæ incorporationis... »

VII. « In novitiis, durante novitiatu, præcedentia desumitur a die habitus. »

VIII. « Novitii clerici in ordine Minorum de Observantia et Reformatorum non præcedunt laicos professos. » (S. congr. Episc. et Regul. 8. August. 1663.) — Hucusque Ferrar, verb. *Præcedentia*, n. 30 ad 43.)

LIBER IX. — DE LAICIS ET POTESTATIBUS CIVILIBUS.

De hierarchia seu divina potestate in Ecclesia divinitus instituta, et de variis personis quibus jure divino conflatur hierarchia, de earumdem personarum juribus et obligationibus, hucusque tractavimus; et tandem in libro VII præcedenti de regularibus et monialibus, de religiosis personis, quæ quodam strictiori vinculo ad forum Ecclesiæ pertinent, et sunt aliquo modo de hierarchia saltem prout ab ipsa sola Ecclesia dependeant et regantur, diximus. Restat nunc ut de subjectis regni Dei, seu de omnibus hominibus, quos sanctificare et ad æternam salutem ducere pro fine habet Ecclesia, tractemus. Sed quia Deus non tantum homines uti singulos, sed etiam familiam et societatem humanam in genere creavit et instituit, ut societas et familia præberent omnibus et singulis suis membris media naturalia et etiam divina ad ultimum et supremum finem, id est vitam æternam obtinendam, sequitur ut omnes homines non tantum uti singuli, sed etiam tanquam familiam et societatem humanam formantes subjiciantur Ecclesiæ in ordine salutis æternæ. Ideoque omnes sive homines sive familiæ, sive societates quæcunque humanæ tenentur audire Ecclesiam præcepta Dei sive naturalia, sive divina docentem, et eidem obedire. Hinc enascuntur obligationes omnium hominum, gentium et nationum : 1° Erga Ecclesiam, et 2° inter se invicem, de quibus nunc dicturi sumus.

CAPUT PRIMUM.

De omnium hominum, gentium et populorum subjectione in spiritualibus ecclesiæ de necessitate salutis.

§ I. — Quod omnis humana creatura fortius subsit Ecclesiæ quam civitati.

Omnes homines strictiori ratione sunt Ecclesiæ quam civitatis membra. (Hæc propositio certa est et unanimis canonistarum.) — Etenim sive res spectetur ratione dignitatis, sive ratione necessitatis homines sunt fortius Ecclesiæ quam civitatis membra.

I. *Ratione dignitatis.*— Ecclesia, est societas divino-humana, a Deo ipso immediate instituta, spiritualis, sancta, et cætera hujusmodi quæ in lib. *De constitutione Ecclesiæ* tradidimus; et aliunde certum est societates temporales mere humanas esse temporales, profanas, et ita porro, non est disputandum an una et quæ prævaleat alteri, siculi nec an spiritus prævaleat carni, æternum temporaneo, Deus homini. Cum igitur dignior sit Ecclesia, quam societas mere temporalis, dignius proinde vinculum erit quo homines ad illam colligantur vinculo quo in ista detinentur.

II. *Ratione necessitatis.* — « Sed fortior longe ratio deducitur ex necessitate Ecclesiæ quam non participant societates temporales. Demonstratum enim fuit Ecclesiam esse societatem, *legalem* seu obligatoriam, legeque imposita, sub discrimine salutis, a quolibet hujus præcepti conscio ineundam, semelque initam retinendam. Porro hanc necessitatis rationem nequaquam participant societates temporales quas ingredi liberum est hominibus, ingressas deserere, uti etiam videmus quotidiano exemplo factitum. »(Ita D. R. De M. *Instit. juris canon.* t. I. p. 105.)

De fide est quod Deus vult omnes homines salvos fieri et Christum incarnatum et mortuum esse pro omnium salute. Atqui de fide etiam est nullam esse salutem extra Ecclesiam; ergo(ut est definitum per constitutionem *Unam sanctam,* inter extravag.) omnis humana creatura subest Romano pontifici, Ecclesiæ capiti, de necessitate salutis.

§ II. — Quod omnes gentes et nationes in spiritualibus Ecclesiæ et Romano pontifici subjiciantur de jure divino.

I. *Probatur ex Scriptura.* — Pater æternus Filio suo submisit omnes gentes, ut in Psalmo II legitur: *Filius meus es tu....* et *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.* Et Psalmo XXI, vers 28 et seq. *Reminiscentur et convertentur ad Dominum universi fines terræ: et adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum : et ipse dominabitur gentium.* Eadem prophetia et potestas Christi regis legimus in multis textibus Psalmorum, Isaiæ cap. II, vers. 2; c. XI. vers 10 ; c. XIX, vers. 18 ; c. XXV, vers. 7, etc. — Jeremiæ, c. IX, vers. 25; c. XII, vers. 16; c. XVI, vers. 19. — Oseæ, c. II, vers. 1 et 24; Joelis, c. I, vers. 28; Micheæ c. IV, vers. 2, et in aliis prophetis.

Atqui Christus, qui est *Rex regum* et *Dominus dominantium* dedit Ecclesiæ in apostolis suam divinam potestatem in omnes gentes, Matth. c. XXVIII, vers. 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris... Docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis ; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi.*

Hac divina missione adimpletur prophetia et extenditur regnum Christi super omnes gentes: Christus namque primo dat postestatem divinam apostolis, deinde ipsis jubet et mandat ut eant et doceant omnes omnino gentes, et eis sacramenta administrent; postea ut doceant omnes gentes servare omnia quæcunque ipse mandavit apostolis; atqui mandavit et de novo promulgavit omnia legis naturalis præcepta, et omnia legis positivæ divinæ mandata. Ergo omnes gentes præcepto divino tenentur audire Ecclesiam quæ sunt credenda docentem, ab eadem Ecclesia accipere divina sacramenta et interpretationem legis naturalis et omnia legis divinæ mandata; nam Christus est cum Ecclesia, docens, et per sacramenta sanctificans et quæcunque mandavit docens omnibus diebus, sine intermissione, usque ad consummationem sæculi.

Ergo Christus Ecclesiæ suæ submisit non solum homines uti singulos, sed etiam omnes gentes tanquam nationes, ut vivant et gubernentur juxta legis naturalis et divinæ præcepta.

Præterea Christus dedit Petro potestatem et mandatum pascendi omnes agnos suos, omnes oves suas. (*Joan.* XXI, 15 et seq.) Id est regendi ut monarcha omnes oves et agnos, qui sunt omnes homines. Hinc ex doctrina Christi et catholica traditione sacrum œcu-

menicum concilium Florentinum definit *sanctam apostolicam sedem et pontificem Romanum in universum Christi orbem* tenere primatum, et ipsum Romanum pontificem esse successorem B. Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium...» Hæc est fides catholica.

II. *Confirmatur et explicatur sacris canonibus et doctorum autoritate.*—Super caput 1, tit. II, lib. I, Decretal., ubi legitur: *Canonum statuta custodiantur ab omnibus*, sic bene dissertat Fagnanus n. 55 et seq. : « Ultimo nota principalem regulam hujus textus videlicet constitutiones canonicas ligare omnem creaturam. Concordat c. *Si quis omnem* (ex VII synodo) causa 1 quæst. 7; c. *Si Romanorum*, XIX dist.; et cap, 13. *De constitutionibus*, lib. I *Decretal.* Quia, ut inquit Innocentius, hic n. 1, conditori canonum et vicario Creatoris omnis creatura subjecta est. Et hoc dictum Innocentii quotidie a doctoribus allegatur et probatur... idque esse ex necessitate salutis, definitum est in extravag. *Unam sanctam De majorit. et obedient.* Docet sanctus Thomas, *Contra errores Græcorum*, quæst. 72, et post eum Glossa in Clement. fine De hæretic..... Quo vero ad paganos, et infideles primum omnium expendenda est littera sacri concilii Tridentini sess. 14, cap. 2, *De differentia sacramenti pœnitentiæ et baptismi*, ibi : *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsum per baptismi januam fuerit ingressus.* Deinde libet referre ad litteram verba Innocentii in cap. *Quod super his*, n. 3, *De voto*, quia sunt magni ponderis, et valde exemplaria :

« Credimus, inquit Innocentius, imo scimus secundum Hostiensem et Joann. Andr. quod papa, qui est vicarius Jesu Christi, potestatem habeat non tantum super Christianos sed etiam super infideles. Etenim cum Christus plenam receperit potestatem, unde in Psalmo (LXXI, 2): *Deus judicium tuum regi da*; non videretur diligens Paterfamilias, nisi vicario suo, quem in terra dimittebat, plenam potestatem super omnes dimisisset. Item Petro et successoribus ejus dedi claves regni cœlorum et dixit; *Quodcunque ligaveris.* (*Matth.* XVI, 19.) Item alibi : *Pasce oves meas.* (*Joan.* XXI, 17.) Omnes autem tam fideles, quam infideles oves sunt Christi per creationem, licet non sint de ovili ecclesiæ; et sic per prædicta apparet, quod papa super omnes habeat jurisdictionem et potestatem, de jure, licet non de facto. Unde per potestatem, quam habet papa, credo quod gentilis, qui non habet legem nisi naturæ, si contra legem naturæ facit, potest licite puniri per papam. Arg. *Genes.* XIX, ubi habes, quod Sodomistæ, qui contra legem naturæ peccabant, puniti sunt a Deo. Cum autem Dei judicia sint nobis exemplaria, non video quare papa qui est vicarius Christi, hoc non possit, et etiam debeat, dummodo facultas adsit. Et idem dico, si colant idola : naturale enim est unum, et solum Deum creatorem colere et non creaturas. Item Judæos potest judicare papa, si contra legem Evangelii faciunt in moralibus, si eorum prælati eos non puniant; et eodem modo si hæreses circa suam legem inveniant; et hac ratione motus papa Gregorius et Innocentius (loquitur de seipso) mandaverunt comburi librum Talmud, in quo multæ continentur hæreses et mandaverunt puniri illos, qui dictas hæreses sequerentur, vel docerent... Et licet aliquando papa omittat pœnas justas et debitas omnibus prædictis inferendas, est vel quia facultatem non habet (scilicet de facto) vel propter pericula et scandala, quæ inde obveniunt, vel evenire timerentur; potestas tamen faciendi est apud eum.»

Et infra. « Contra infideles, qui nunc tenent terram, in qua jurisdictionem habuerunt Christiani principes, potest papa juste facere præceptum, et constitutionem, quod non molestent Christianos injuste, qui subsunt eorum jurisdictioni. Imo, quod plus est, potest eos eximere a jurisdictione eorum et dominio in totum. (C. *Mancipia* 13 ex S. GREGOR.; et c. *Nulla officia* 14, ex *Concil. Toletano* III, dist. 54; et ita decrevit INNOCENT. III in concil. gen. *Lateran.* an. 1216, ut habetur in c. *Cum sit nimis* 16, et c. *Ad liberandam* 17; et in c. *Ex speciali* 18, ex GREGOR. IX; et c. *Nulli Judæo* 19, tit. VI, *De Judæis*, *Saracenis*, lib. V *Decretal.*) Imo si male tractarent Christianos, posset eos privare per sententiam jurisdictione et dominio, quod super eos habent quamvis id facere non debeat, nisi magna subsistente causa. Item licet non debeant infideles cogi ad fidem, quia omnes libero arbitrio relinquendi sunt, et sola Dei gratia in hac vocatione valeat (C. *De Judæis* 5, *dist.* 45), tamen mandare potest papa infidelibus, ut admittant prædicatores Evangelii in terris

suæ jurisdictionis. Nam cum omnis creatura rationabilis facta sit ad Deum laudandum, ut in II *Sent.* dist. 1-6, *Etsi quæritur*, si ipsi prohibent prædicatores prædicare, peccant contra Deum et legem naturæ, ut Anton. de *Butr.* interpretatur; et ideo puniri possunt. In omnibus autem prædictis casibus, et aliis, ubi licet papæ aliquid mandare, si non obediant, compellendi sunt brachio sæculari et indicendum est bellum per papam et non per alios, ubi quis de jure suo contendit.

« Ita Innocentius, quem totidem verbis referunt et sequuntur in eod. cap. *Quod super his*, *De voto*, Hostiensis... et alii; et Abbas n. 12, qui amplius distinguit an crimina sint ecclesiastica et in his affirmat papam posse exercere jurisdictionem contra infideles, sicut contra fideles, ideoque Ecclesiam posse in Judæos animadvertere, si delinquant contra matrimonium, ut in cap. *In nonnullis*, *De Judæis*. Si autem crimina non sunt ecclesiastica, imperator exercebit jurisdictionem: in mistis vero locus erit præventioni, ad notata per eum in c. *Cum sit generale*, *De foro competenti*. Ideoque in crimine usurarum se ingerit Ecclesia etiam contra infideles, ut in cap. *Post miserabilem*, et cap. fin. infra *De usur.* Et cum prædicta Innocentii doctrina consentit etiam D. Thomas, in 2-2, quæst. 10, art. 10, ubi docet jus dominii, vel prælationis, quod habent infideles super fideles, posse juste tolli per sententiam, vel ordinationem Ecclesiæ auctoritatem Dei habentis. Ubi Cajetanus in conclus. 3, dicit semper esse memorandum hoc sancti Thomæ dictum, scilicet quod Ecclesia auctoritatem Dei habet super regna. Subdit tamen sanctus Thomas, quod et Innocentius advertit Ecclesiam quandoque hoc facere et quandoque non. In illis enim infidelibus, qui etiam temporali subjectione subjiciuntur Ecclesiæ et membris ejus hoc jus Ecclesia statuit. In illis vero infidelibus qui temporaliter Ecclesiæ, vel ejus membris non subjacent, prædictum jus Ecclesia non statuit ad scandalum vitandum, licet posset instituere de jure.

« Neque obstat quod secundum Apostolum, I ad Cor. v, 12, ad Ecclesiam non spectat de his *qui foris sunt, judicare*. (c. *multi*, causa 2, quæst. 1.) *Foris*, id est *extra Ecclesiam*... Infideles enim secundum D. Thomam relatum ibi a Turrecremata n. 10, non sunt directe de foro Ecclesiæ, sed alieni a Christo et servi diaboli; ideoque divino judicio relinquuntur. Id, inquam, non obstat, quia, ut respondet Innocentius, quem cæteri sequuntur... Illa auctoritas ita debet intelligi: Ut non debeamus infideles judicare excommunicando, vel compellendo ad fidem, ad quam sola Dei gratia vocantur... Eodem modo respondet Glossa in dicto cap. *Multi*... Cum igitur, ut ex prædictis apparet, Apostolico omnis anima sive fidelis, sive infidelis subjecta sit, consequitur hinc, ut omnes ligentur ejus statutis; quia forum sortiri, et statutis ligari a pari procedunt. (C. *Ut animarum*, *De const.* lib. VI.)

« Concludendo... arbitror sic distinguendum : Aut quæritur an constitutiones canonum ligent omnes in universum in materia eis adaptabili; et tenendum est ligare omnem creaturam,.. quia nullus in orbe reperitur, qui non subsit Apostolico, et in materia sibi adaptabili ejus constitutionibus non ligetur, sive ecclesiasticus, sive laicus, sive princeps, sive subditus, sive Christianus, sive infidelis. (Ad hoc c. *Novit. De jud.*; c. *Solitæ*, *De major. et obed.*; c. *Pro humani*, *De homicid.* lib. VI; et quod notat INNOCENT. in c. *Ad apostolicæ*, *De re judic.* eod. lib.) Ideoque procedit præscriptio exemptionis ab imperatore, nec præscribens remanet acephalus, quia subest papæ, et ad eum recurritur pro justitia obtinenda, adversus eos qui in terris superiorem non habent, ut tradit cardin. in Clement. *Pastoralis*. et alii... Et propterea si Judæi delinquant contra legem Mosaicam per legem canonicam puniuntur... et idem si obsint fidelibus (c. *Si inimicus*, 93 dist.) — Aut si delinquant in opprobrium Christianæ religionis, ut in c. *Sæpe*, 28 dist., etc.

« Aut quæritur, an singulæ constitutiones canonicæ ligent omnes in materia eis non adaptabili. Et dicendum est non ligare, non quia subditi non sint, sed quia materia eis non congruit; ideoque in eo particulari casu non subjiciuntur legi. Nemo enim dixerit Judæos et paganos ligari edicto generalis concilii, de confitendo semel in anno et communicando in Paschate quod accidit, non quia infideles non sint subditi Ecclesiæ; sed quia sacramentorum perceptio eis non adaptatur....

« In his igitur casibus et aliis consimilibus infideles non ligantur statutis canonum, quia materia eis non congruit. Nec mirum; nam

nec laici fideles in mere temporalibus et profanis ligantur constitutionibus canonicis ; nisi in terris Ecclesiæ. » (c. *Quoniam*, 10 dist., c. *Si duobus; De appellat.* etc.) — (Hucusque FAGNANUS.)

COROLLARIA.

COROL. I. — *Conclusio generalis ex præcedentibus deducta.*

De necessitate salutis summo pontifici conditori canonum et vicario Creatoris omnis humana creatura subjecta est, sive ecclesiasticus, sive laicus; sive princeps, sive subditus ; sive christianus, sive infidelis.

Hæc propositio ad fidem pertinet et a nullo Catholico negari potest.

Diversimode tamen singuli subjiciuntur Ecclesiæ et Romano pontifici auctoritatem Dei habenti. Nam 1° omnes omnino subjiciuntur in materia eis adaptabili; — 2°. sed non subjiciuntur in materia eis non adaptabili. Quod distinguendum est in sequentibus.

COROL. II. — *Quoad infideles et Judæos temporaliter subjectos Ecclesiæ, seu ejus membris.*

I. Quoad infideles et Judæos, si etiam temporali subjectione subjiciantur Ecclesiæ et membris ejus, Ecclesia jus habet eos vi coactiva cogendi ut non delinquant contra legem naturalem, nec in opprobrium Christianæ religionis, nec obsint fidelibus et ut Judæi non delinquant contra legem Mosaicam. Probatur c. *In nonnullis* 15, tit. 6 *De Judæis et Saracenis*, lib. v *Decretal.* Quia Christianis, qui sanctissimæ Passionis Dominicæ memoriam exhibentes, lamentationis signa prætendunt, illudere non formidant Judæi, etc. Statuit concil. gener. ann. 1216 in dicto cap. his verbis : *Illud autem strictissime nihilominus, ne in contumeliam Creatoris prosilire præsumant. Et quoniam illius dissimulare non debemus opprobrium, qui probra nostra delevit, præcipimus præsumptores hujusmodi per principes sæculares condignæ animadversionis adjectione compesci, ne crucifixum pro nobis aliquatenus blasphemare præsumant.*

Propter eamdem rationem sacris canonibus prohibetur ne Christiani mancipia sint Judæorum, et ne officia publica Judæis in Christianos committantur, dist. 54, cap. *Mancipia* 13, ibi : *Mancipia christiana quæcunque Judæum comparasse patuerit, ad libertatem juxta legum præcepta sine omni ambiguitate perducite, ne, quod absit, Christiana religio Judæis subdita polluatur.* Et cap. *Nulla* 14 ejusd. dist. quod sic ex concilio Toletano summatur : *Officia publica Judæis non sunt committenda*, ibi : *Nulla officia publica Judæis injunguntur, per quæ eis occasio tribuatur Christianis pœnam inferre.*

Eadem jura innovavit et sancivit concilium generale an. 1216, cap. *Cum sit nimis*, tit. vi *De Judæis*, etc., lib. v *Decretal.*, quod sic summatur : *Præponens Judæum vel paganum publicis officiis, per concilium provinciale corripitur, et præposito denegatur Christianorum commercium, donec deposuerit officium, et in usu Christianorum pauperum restituet inde quæsita, secundum episcopi prudentiam.* Et ratio adducitur in ipsomet capite, his verbis : *Cum sit nimis absurdum, ut blasphemus Christi in Christianos vim potestatis exerceat; quod super hoc Toletanum concilium provide statuit, nos propter transgressorum audaciam in hoc generali concilio innovamus, prohibentes*, etc. » Et confirmatur cap. *Ex speciali* 18, et cap. *Nulli* 19, ejusdem tit. vi et lib. v *Decretal.*

Ergo ut docent Innocentius et D. Thomas jus dominii et prælationis, quod habent infideles super fideles, potest juste tolli per sententiam et ordinationem Ecclesiæ, auctoritatem Dei habentis.

Contra legem naturalem justitiæ delinquentes infideles juste ab Ecclesia puniuntur, cap. *Post miserabilem* 12, tit. XVIII, *De usuris*, lib. v, *Decretal.*, ibi : *Judæos ad remittendas Christianis usuras, per principes et potestates compelli præcipimus sæculares. Et donec eis remiserint, ab universis Christifidelibus tam in mercimoniis, quam in aliis per excommunicationis sententiam, eis jubemus communionem omnimodam denegari.* Et cap. *Quanto amplius* 18, ejusd. tit. et lib., conc. gen. 1216, ibi : *Quanto amplius Christiana religio ab exactione compescitur usurarum, tanto gravius super his Judæorum perfidia inolescit, ita quod brevi tempore Christianorum exhauriunt facultates. Volentes igitur in hac parte prospicere Christianis, ne a Judæis immaniter aggraventur, synodali decreto statuimus ut, si de cætero quocunque prætextu Judæi a Christianis graves immoderatasve usuras extorserint, Christianorum eis participium subtrahatur, donec de immoderato gravamine satisfecerint competenter. Unde Christiani (si quis fuerit) per censuras eccles. appellatione postposita, compellantur ab eorum commerciis abstinere. Principibus*

autem injungimus, ut propter hæc non sint Christianis infesti, sed potius a tanto gravamine studeant cohibere Judæos. Hac eadem pœna Judæos decernimus compellendos, ad satisfaciendum Ecclesiis pro decimis et oblationibus debitis, quas a Christianis de domibus et possessionibus aliis percipere consueverant, antequam ad Judæos quocunque titulo devenissent : ut sic Ecclesiæ conserventur indemnes.

II. Ecclesia potest compellere Judæos et infideles sibi temporaliter subjectos, aut principibus Christianis subditos ad audiendum evangelicam prædicationem et fidei doctrinam, salvo tamen infidelium dictorum libero arbitrio quoad fidei susceptionem. Etenim Christus strictum imponit præceptum Ecclesiæ fidem per universum orbem omni creaturæ prædicandi, ut probatur Scriptura sacra, Matth. XXVIII, 18; I Cor. IX, 16; Rom. I, 13 et 14; Act. apost. IV, 18 et seq. et multis aliis textibus. Probatur etiam sacris canonibus, dist. 43, fere per totum, et cap. *Ex injuncto* 12, tit. VII, *De hæret.* lib. V *Decret.* ibi : *Deus enim lux vera quæ omnem hominem in hunc mundum venientem illuminat, in tantum odit opera tenebrarum ut apostolos suos in mundum universum prædicaturos Evangelium omni creaturæ missurus, eis præceperit aperte dicens : « Quod dico vobis in tenebris dicite in lumine, et quod in aure auditis prædicate super tecta.* (*Matth.* X, 27.) Et ex cap. *Ephesiis*, dist. 43 : *Mundus ergo a sanguine eorum non esset* (Apostolus nec Ecclesia), *si eis* (omnibus) *Dei consilium annuntiare noluisset.* Ergo tenetur Ecclesia infidelibus sibi subjectis prædicare; proindeque potest eos compellere ad suam prædicationem audiendam; et est communior doctorum sententia, prout supra et apud Suarez. *De fide*, disp. 18, sect. 2; et confirmatur exemplo non solum plurium Christianorum principum, sed et pontificum. Sic Nicol. III, bulla *Vineam*, et Gregor. XIII, const. *Sancta mater Ecclesia*, Judæos sibi temporaliter subditos cogebant ad auditionem fidei. Aliunde nullum erga dictos infideles jus violatur; sed e contra ipsis debitum redditur, scilicet veritas et vita æterna præbetur.

Sed Ecclesia non habet potestatem infideles etiam temporaliter subjectos ad fidem suscipiendam cogendi. Ratio est quia sunt ex natura et ab intrinseco liberi, et pro suo arbitrio possunt præcepta Dei servare aut non; et cum Deus ipse eos ad suum arbitrium reliquerit, non majorem quam sibi reservavit potestatem dedit Ecclesiæ. Et probatur Scriptura sacra, I Cor. V, 12; II Cor. V, 20; et sacris canonibus, cap. *De Judæis* 5, dist. 45, in quo concilium Toletanum IV sic statuit : *De Judæis autem præcipit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferri, « cui enim vult Deus miseretur, et quem vult indurat.* (*Rom.* IX, 18.) *Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes ut integra sit forma justitiæ. Sicut enim homo proprii arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei, propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed liberi arbitrii facultate ut convertantur suadendi sunt, non potius impellendi.* Et cap. *Qui sincera* 3, ejusd. dist. et cap. *Sicut Judæi* 9, tit. VI, *De Judæis*, etc., lib. V *Decret.* ibi : *Statuimus ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad baptismum venire compellat... quique Christi fidem habere non creditur qui ad Christianorum baptismum non spontaneus, sed invitus cogitur pervenire.* Cap. *Majores Ecclesiæ* 3, tit. XLII, *De baptismo*, lib. III *Decretal.* ibi : *Sed opponitur talibus quod qui fuissent inviti reluctantes immersi, saltem ratione sacramenti ad jurisdictionem ecclesiasticam pertinerent, unde ad servandam regulam fidei Christianæ forent rationabiliter compellendi. Verum id est religioni Christianæ contrarium ut semper invitus et penitus contradicens ad recipiendam et servandam Christianitatem aliquis compellatur.*

Imo Ecclesia prohibet infantes infidelium baptizare absque consensu parentum, nisi in articulo mortis, aut si puer a parentibus fuisset derelictus. (BENEDICT. XIV, const. *Postremo mense.*) Sed Judæi ad fidem conversi et baptizati etiam ex consensu coacto, dummodo adfuerit consensus, a fide recedere non permittuntur; et eam tenere cogendi sunt. (C. *De Judæis* 5, dist. 45; et c. *Majores* 3, tit. XLII, lib. III *Decretal.*) Qui vero nunquam consenserunt, etsi coactione baptizati, ad suum arbitrium relinquendi sunt. (Arg. ex eod. cap. *Majores*, sub finem.)

III. Semper curavit Ecclesia ex una parte ut Judæi et infideles subditi in temporalibus fidelibus et religioni Christianæ non nocerent; sed ex altera parte ut justitia erga

eosdem Judæos a Christianis servaretur et libertas cultus Mosaici ipsismet Judæis rationabiliter relinqueretur et etiam protegeretur canonibus.

Probatur prima pars, ex titulo VI *De Judæis, Saracenis et eorum servis*, lib. V *Decr.* cap. *Præsenti* 1, *quod sic summatur : Si servus a Judæo emptus causa mercimonii factus est vel fieri desiderat Christianus, pro duodecim solidis redimitur.* Cap. *Multorum* 2 : *Judæus Christianum in servum habere non potest, in ascriptitium seu colonum vero potest.* Cap. *Judæi* 5. *Excommunicari debent Christiani, qui in domo serviunt Judæis, vel Saracenis, vel paganis. Et principes sæculares excommunicari debent, qui Judæos baptizatos suis bonis spoliare præsumunt.* Cap. *Ad hæc* 8. *In familiari servitio Judæorum, Christiani esse non debent, nec etiam obstetrices et nutrices infantes Judæorum in eorum domibus nutrire præsumant.* Cap. *Etsi Judæos*, 13 : *Judæi nutrices, vel servientes Christianos habere non debent, contra facientibus interdicitur Christianorum commercium.* Cap. *Nulli* 19 : *Nulli Judæo baptizatum vel baptizari volentem emere liceat, vel in suo servitio retinere.* Et hæc jura lata sunt ne Judæi contumelias, injurias contra Christum et religionem Christianam, et alia contra fidem catholicam detestabilia et inaudita committerent, ut expresse habetur in cap. *Etsi Judæos*, cit.

Probatur secunda pars, quod scilicet Ecclesia curavit ut justitia erga Judæos servaretur, et libertas sui cultus ipsis relinqueretur. Ex eod. tit. VI et lib. V, cap. *Sicut Judæi* 9, ibi : *Nullus etiam Christianus eorum* (Judæorum) *quemlibet sine judicio terrenæ potestatis vel occidere, vel vulnerare, vel suas pecunias auferre præsumat, aut bonas, quas hactenus habuerint consuetudines, immutare : præsertim in festivitatum suarum celebratione quisquam fustibus vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta servitia exigat, nisi quæ ipsi tempore præterito facere consueverunt. Ad hoc malorum hominum pravitati et avaritiæ obviantes, decernimus ut nemo cæmeterium Judæorum mutilare aut invadere audeat, sive obtentu pecuniæ corpora humata effodere. Si quis autem hujusmodi decreti tenore cognito (quod absit!) contraire præsumpserit, honoris et officii sui periculum patiatur, aut excommunicationis sententia plectatur, nisi præsumptionem suam digna satisfactione correxerit.* Præterea jure statutum fuit ut Judæi antiquas synagogas retinere, et veteres in priorem statum reformare possint; sed novas erigere non possint. (C. *Judæi* 3, et c. *Consuluit* 7, eiusd. tit. et lib.)

Concludendum ergo Ecclesiam per suas leges semper curavisse ut Judæi Christianis non nocerent, et vicissim ut erga Judæos justitia et lex naturalis servaretur et ipsismet Judæis libertas cultus mosaici relinqueretur, et ipsis liberum esset fidem Christianam suscipere. Hæc de Judæis et infidelibus temporaliter subjectis Ecclesiæ et principibus Christianis.

Corol. III. — *Quoad infideles et Judæos non temporaliter subjectos Ecclesiæ seu ejus membris.*

I. Ex Fagnano, Innocentio, D. Thoma et aliis, ut supra dictum est, jus et obligationem habet Ecclesia hujusmodi infidelibus Evangelium prædicandi, et ideo « mandare potest papa, infidelibus, ut admittant prædicatores Evangelii in terris suæ jurisditionis... Et si ipsi prohibent prædicatores prædicare, peccant contra Deum, et legem naturæ, et ideo puniri possunt. In omnibus autem prædictis casibus, et aliis, ubi licet papæ aliquid mandare, si non obediant, compellendi sunt brachio sæculari, et indicendum est bellum per papam, et non per alios, ubi quis de jure suo contendit. » (Fagnan. supra.)

II. Item si infideles persecutionem, mortem fidelibus Christianis sibi temporaliter subjectis inferant; si fidei et catholicæ religionis libertatem eisdem fidelibus auferant, jure naturali et divino potest papa, si expediens judicaverit, contra hujusmodi persecutores et tyrannos infideles indicere bellum. Nam de jure naturali licitum est principi bellum facere ad propulsandam, vel vindicandam injuriam sibi aut suis factam.

III. Sed nequit Ecclesia, ex rationibus supra allatis, cogere infideles non temporaliter subjectos non amplius quam subjectos ad fidem Christianam suscipiendam; neque etiam ad deserendos errores contra legem naturalem a se admissos. Unde Nicolaus papa ad interrogationem Bulgarorum respondens, dixit : *De iis qui idolis immolant nihil aliud dicere possumus nisi quod ratione potius quam vi convincendi sunt.* Ideoque nequit Ecclesia leges ferre quæ ligant infideles, nec

proinde eosdem cogere ad tales leges observandas.

IV. Potest tamen Ecclesia et debet prohibere Christianis cum infidelibus non subjectis commercia, quæ reipublicæ Christianæ, religioni et Ecclesiæ grave præjudicium et periculum afferrent. Nam, cap. *Ita quarumdam* 6, tit. VI, *De Judæis, Saracenis*, etc., lib. V : *Christiani deferentes Saracenis merces prohibitas, vel in ipsorum navibus navigantes, excommunicandi sunt, et rebus eorum privandi et efficiuntur capientium servi.* Et ibid. cap. *Quod olim* 12 : *Excommunicati sunt ipso jure, qui cum Saracenis tempore guerræ aliquod habent commercium, vel eis præstant subsidium.*

V. Infideles tenentur imprimis ad audiendam prædicationem fidei ; secundo ad suscipiendam hanc fidei prædicationem; patet ex dictis et multis aliis quæ longius et inutile foret hic adducere. Ideoque infideles qui fidem sibi sufficienter propositam non suscipiunt, magni criminis rei constituuntur.

Infideles qui aliquid de fide audierunt, insufficienter tamen, et in infidelitate permanent, non peccatum quidem infidelitatis proprie contrahunt, sæpius tamen ab aliqua culpa excusari non poterunt. Infideles vero qui nullam sensibilem fidei propositionem habuerunt, regulariter, seu quantum ex lege communi constare potest, immunes sunt a culpa. (Ita comm. doctores post S. THOMAM, 2-2, quæst. 10, art. 1, et 1-2, quæst. 76, art. 1, contra paucos. — Apud D. R. de M. *Instit. jur. can.* tom. I, pag. 17 ad 21.)

COROL. IV. — *Quoad potestatem prædicandi infidelibus.*

I. Potestas completa, absoluta et universalis, necnon officium inde consequens prædicandi per se, aut a se delegatis fidem infidelibus jure divino est penes solum Romanum pontificem; quia solus tenet a Christo primatum in universum orbem. Hæc conclusio certa est.

II. Potestas subordinata et particularis prædicandi per se, aut a se delegatis fidem infidelibus jure divino solis et singulis episcopis respective pro suis diœcesibus competit. Hæc secunda conclusio eadem certitudine pollet.

III. Ipsis etiam parochis, cæterique animarum curam habentibus competit, sed jure ecclesiastico tantum, respectiva auctoritas infidelibus, si qui sint in propria parœcia, fidem prædicandi.

IV. Nulla competit laicis auctoritas proprie dicta fidem infidelibus prædicandi, sed ad summum aliqua facultas, ubi hæc non fuit specialiter sublata, et prudenter exerceri potest. (C. *Cum ex injuncto* 12, tit. VII, *De hæret.*; lib. V. *Decretal.* et similibus. — Ita citatus auctor, *ibid.* p. 7 ad 10.)

COROL. V. — *De catechumenis.*

I. Cum omnis creatura de necessitate salutis subdita sit Ecclesiæ, sequitur quod catechumeni teneantur non solum credere quidquid eos docet Ecclesia, seu fidem habere, sed præterea Ecclesiam ingredi per susceptionem baptismi. (De fide). (Dist. 4, *De consecratione*, c. *Catechum.* 37 ; c. *Agunt* 97; c. *Non dubito* 149.)

II. Præceptum Ecclesiam ineundi et baptismum suscipiendi, quamprimum moraliter, seu ubi cognoscitur et opportune impleri potest adimplendum est. (Communissima c. *Quando quis* 128, dist. 4, *De consecrat.*)

III. Ecclesia tamen proprie præcipere non potest catechumenis ut tempore opportuno et debito baptismum suscipiant. (I Cor. V. 12.) Et Trident. sess. 14, cap. 2 : *Cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus.*

IV. De dispositionibus prævìis catechumenorum ad baptismum et Ecclesiæ ingressum, habetur per totam dist. 4, *De consecratione;* ex qua decerpsimus quæ sequuntur : 1. Ad licitam baptismi susceptionem catechumenus credere tenetur saltem in genere totam doctrinam fidei quam ei Ecclesia huc usque proposuit, aut in futurum proponet (de fide). (*Concil. Trident.*. sess. 6, can. 6, *De justificatione*, et can. 12.)—2. « Catechumenus non solum ita fidem in genere, sed et præterea explicite ejus præcipua puncta, ea maxime quæ in symbolo Apostolorum sunt contenta addiscere et in specie credere tenetur. » — 3. « Præter notitiam et fidem explicitam rerum fidei mox dictam, catechumenus competentem et explicitam notitiam mandatorum Dei et Ecclesiæ habere debet. » — 4. « Ad validam baptismi susceptionem et Ecclesiæ ingressum in adulto in primis requiritur voluntas seu consensus baptismum suscipiendi. (*C. Majores, De ba-*

tismo, lib. III *Decretal.*) — 5. « Ad licitam baptismi susceptionem, et Ecclesiæ ingressum requiritur in adulto firmum propositum servandi totam legem Christi et Ecclesiæ. » (*Trident.* sess. 6, cap. 6, et can. 19, 20 et 21) — 6. Requiritur in adulto alia præter originale peccatum mortalia habente detestatio prioris vitæ et attritio supernaturalis, necessaria autem non est contritio perfecta. (*Trident.* sess. 6, cap. 6; et can. 3, 6, 7, 9.)

Corol. VI. — *De parvulis Christianorum parentum baptizandis.*

Ex dist. 4 *De consecratione*, et tit. 42 *De baptismo*, lib. III, *Decretal.* et concilio Trident, sess. 7. 1, præstat parvulos, etsi non actu proprio credentes, baptizari et merito Ecclesia præcepit eos quam primum baptizari. (*Trident.* sess. 7, can. 13, etc.) Ideoque parentes fideles, tanquam Ecclesiæ in spiritualibus subjecti tenentur ex ejus præcepto suos filios parvulos quam primum ad baptismum afferre. — 2° In parvulis mater Ecclesia supplet fidem et propositum servandæ legis Christi, cunctasque dispositiones prærequisitas ad baptismum. (C. *Parvuli;* c. *Parvuli fideles;* c. *Mater Ecclesia;* dist. 4, *De consecratione;* et c. *Majores, de baptismo.* lib. III *Decretal.* Vide quæ dicta sunt de hac materia in lib. VI, *De parochis*, etc., cap. X, tom. I, col. 1399.

Corol. VII. — *De subjectione fidelium erga Ecclesiam.*

I. Si de jure divino et etiam naturali infideles Ecclesiæ subjiciuntur in materia eis adaptabili, a fortiori fideles quos mater Ecclesia genuit ad vitam spiritualem, tenentur in omnibus spiritualibus obedire Ecclesiæ et subjiciuntur Romano pontifici de necessitate salutis. Igitur de fide est omnes Christifideles teneri ad observantiam decem præceptorum et etiam aliorum mandatorum Dei et Ecclesiæ, et Christum accipere et audire non solum ut redemptorem, cui fidant, sed etiam ut legislatorem, cui obediant. (*Trident.* sess. 6, can. 19, 20 et 21.) Item de fide est omnes baptizatos, dum baptizarentur, pollicitos esse per se aut per patrinos promissiones obligatorias et irrevocabiles, ex quibus ad Christianam vitam cogendi sunt. (*Trident.* sess. 7, can. 9.) Ideoque de fide est omnes baptizatos per baptismum ipsum non solius tantum fidei debitores fieri, verum autem universæ legis Christi servandæ, *ibid.* can. 7, et eosdem baptizatos non liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare teneantur, vi promissionis in baptismo ipso jam factæ. (*Ibid.* can. 8 et 9.)

II. In lege autem evangelica, nullum præceptum continetur, quod non sit juris naturalis, præter præcepta de sacramentis, et de fide, ut docet sanctus Thomas in 1-2, quæst. 168, art. 1 et 2; et alii post eum. (Fagnan. n. 119, in c. *Cum esses, De testamentis*, lib. III, *Decretal.*) Et omnia præcepta moralia sunt de lege naturali. (S. Thom. in 1-2, quæst. 87, art. 5 et alibi.) Quidquid autem contrariatur legi naturæ peccatum est, ut idem docet in 2-2, quæst. 133, art. 1 et q. 142, art. (Apud Fagnan. *ibid.* n. 128.) Atqui Christus Ecclesiæ præcepit et mandavit docere omnes gentes servare omnia quæcunque ipsimet Ecclesiæ in apostolis mandavit. Ergo et præcepta moralia juris naturalis, quæ in lege evangelica continentur. Præterea de fide est Ecclesiam esse infallibilem in doctrina fidei, in doctrina morum, et universalis ecclesiasticæ disciplinæ.

III. Ergo omnes baptizatos, de jure divino et etiam naturali, vi promissionis in ipso baptismo factæ : 1° tenentur credere fidei doctrinam ab Ecclesia traditam. — 2° Tenentur obedire Ecclesiæ in doctrina morum et interpretatione legis naturalis ab ipsa Ecclesia infallibiliter promulgata. — 3° Tenentur obedire Ecclesiæ in legibus ecclesiasticæ disciplinæ. Hæc enim omnia spiritualia sunt et a Christo Ecclesiæ mandata tanquam ad salutem necessaria.

IV. Atqui de fide est *sanctam apostolicam sedem et Romanum pontificem in universam Christi orbem tenere primatum, et ipsum Romanum pontificem esse successorem B. Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem exsistere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.* (*Concil. œcumen. Florent.*) Ideoque de fide est omnes Christifideles teneri Romano pontifici obedire in doctrina fidei, morum et universalis ecclesiasticæ disciplinæ.

V. Cum vero populi et nationes teneantur ad juris naturalis observantiam inter se invicem tanquam nationes; cumque principes et omnes potestates idem jus teneantur servare erga sibi subjectos, subjectique ad eam-

dem observantiam obligentur erga principes et potestates; cum præterea hujusmodi juris seu legis naturalis interpres infallibilis et judex sit Ecclesia, cumque summus pontifex in Ecclesia et toto orbe sit supremus interpres et judex a quo appellari non licet ex institutione Christi; sequitur populos et nationes, principes et potestates, eorumque subditos esse in observantia legis naturalis Romano pontifici et Ecclesiæ subjectos et etiam de jure naturali, quia certitudinem habent quod summus pontifex sit istius necessarii juris infallibilis interpres et judex divinitus institutus; proindeque in pontificiis decretis et sententiis veritatem, quam de jure naturali et rationis dictamine sequi tenentur, inveniunt, eoque ipso certum justitiæ criterium possident. Hinc in politicis etiam vera et certa regula in nationibus Christianis adest, qua pax servatur, quia juria tam subjectorum quam regentium in tuto servantur et semper ad justitiam reduci possunt per auctoritatem Ecclesiæ et Romani pontificis.

Verum etiam ex jure divino in rebus fidei et morum et in disciplina universali Ecclesiæ omnes tam nationes quam principes et potestates ipsimet Ecclesiæ et Romano pontifici subjiciuntur.

VI. Ex præfatis, Romanus pontifex, tanquam Regis æterni omnium gentium Christi vicarius, est rex regum, et legislator et judex omnium nationum, et solus orbis universi immediate a Deo institutus imperator ad omnes populos et eorum reges et principes in justitia et veritate tum fidei, tum juris divini, tum legis naturalis docendos et regendos.

Et nostræ conclusiones sacris canonibus confirmantur; in dist. 10, reges et imperatores Romano pontifici et Ecclesiæ subjiciuntur jure divino. Etenim in hujus distinctionis cap. 1, Nicolaus papa scribit :

Lex imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus. Imperiali judicio non possunt ecclesiastica jura dissolvi.... non quod imperatorum leges.... dicamus penitus renuendas, sed quod eas evangelicis apostolicis atque canonicis decretis (quibus postponendæ sunt) nullum posse inferre præjudicium asseramus.

Cap. 2. Symmachus papa in sexta synodo Romana, sic statuit : *Non licet imperatori, vel cuiquam pietatem custodienti, aliquid contra divina mandata præsumere, nec quidquam, quod evangelicis, propheticis, aut apostolicis regulis obviet, agere.*

Cap. 3. Felix papa ita decernit : *Certum est hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, juxta ipsius constitutionem, regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non præferre, et sacrosancta per eorum præsules potius discere, quam docere; ecclesiasticam formam sequi, non huic humanitus sequenda jura præfigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cujus clementiæ Deus voluit tuæ piæ devotionis colla submittere : ne, dum mensura cœlestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis.*

Cap. 4. Idem pontifex : *Constitutiones contra canones, et decreta præsulum romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti.*

Cap. 5. Nicolaus papa I ad Michaelem imperatorem scribit : *Imperium vestrum suis publicæ rei quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare quæ sacerdotibus Domini solum conveniunt.*

Cap. 6. Quod sic summatur : *Tribunalia regum sacerdotali sunt potestati subjecta;* ibi Gregorius Nazianzenus : *Suscipitisque libertatem verbi? libenter accipitis, quod lex Christi sacerdotali vos subjicit potestati, atque istis tribunalibus subdit? Dedit enim et nobis potestatem, dedit et principatum multo perfectiorem principatibus vestris; aut nunquid justum vobis videtur, si cedat spiritus carni; si a terrenis cœlestia superentur; si divinis superantur humana?*

Lib. I *Decretal.* tit. XXXIII, *De majoritate et obedientia*, cap. 4. Sic summatur : *Ab omnibus de diœcesi obediendum est episcopo;* Ibi Clemens papa III : *Omnes principes terræ, et cæteros homines episcopis obedire, beatus Petrus præcipiebat.* Et ibid. cap. *Solitæ* summatur : *Imperium non præest sacerdotio, sed subest, et ei obedire tenetur.* Vel sic : *Episcopus non debet subesse principibus, sed præesse.*

Sed quia doctrinam et interpretationem sacræ Scripturæ et errorum refutationem continet ex epistola Innocentii papæ III, Illustrissimo Constantinopolitano imperatori, an. 1198, dictum caput *Solitæ* integrum transcribere utilissimum duximus ibi : *Solitæ benignitatis affectu... Mirata est imperialis sublimitas, quod te nisi fuimus in nostris litteris increpare. Huic autem tuæ*

admirationi non causam, sed occasionem præbuit, quod legisti, beatum Petrum apostolorum principem sic scripsisse : « Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, tanquam præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. » (*I Petr.* II, 13, 14.) *Verum si personam loquentis, et eorum ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentius attendisses scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, et eos ad humilitatis meritum provocabat : nam si per hoc, quod dixit : « Subditi estote : » sacerdotibus voluit imponere jugum subjectionis, et eis prælationis auctoritatem afferre, quibus eos subjectos esse monebat; sequeretur ex hoc etiam, quod servus quilibet in sacerdotes imperium accepisset, cum dicatur : « Omni humanæ creaturæ. » Quod autem sequitur : « Regi tanquam præcellenti, » non negamus quin præcellat imperator in temporalibus illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia : sed pontifex in spiritualibus antecellit : quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori : licet non simpliciter dictum fuerit, « Subditi estote : » sed additum est : « Propter Deum : » Nec pure sit scriptum, « Regi præcellenti » : sed interpositum forsitan fuit non sine causa « tanquam. » Quod autem sequitur, « Ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; » intelligendum non est quod rex vel imperator super bonos et malos gladii acceperit potestatem, sed in eos solummodo, qui utentes gladio ejus sunt jurisdictioni commissi. — Potuisses autem prærogativam sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum est, non a quolibet, sed a Deo : non regi, sed sacerdoti : non de regia stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot : « Ecce constitui te super gentes, et regna, ut evellas et dissipes, ædifices et plantes. »* (*Jerem.* I, 10.) *Præterea nosse debueras, quod « Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cœli : luminare majus, ut præesset diei : et luminare minus, ut præesset nocti. »* (*Gen.* I, 16.) *Utrumque magnum, sed alterum majus. Ad firmamentum igitur cœli, hoc est, universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis auctoritas, et regalis potestas. Sed illa, quæ præest diebus, id est, spiritualibus, major est : quæ vero carnalibus, minor : ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter pontifices et reges differentia cognoscatur. Hæc autem si prudenter attenderet imperatoria celsitudo non faceret, aut permitteret Constantinopolitanum patriarcham, magnum quidem et honorabile membrum Ecclesiæ, juxta scabellum pedum suorum in sinistra parte sedere : cum alii reges et principes, archiepiscopis et episcopis suis (sicut debent) reverenter assurgant, et eis juxta se venerabilem sedem assignent. — Non autem etsi non increpando scripserimus, potuissemus tamen rationabiliter increpare : Nobis autem in B. Petro sunt oves Christi commissæ, dicente Domino : « Pasce oves meas* « (*Joan.* XXI, 17); *non distinguens inter has oves et alias : ut alienum a suo demonstraret ovili, qui Petrum et successores ipsius magistros non recognosceret et pastores : ut illud tanquam notissimum omittamus, quod Dominus dixit ad Petrum, et in Petro dixit ad successores ipsius : « Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, »* etc. (*Matth.* XVI, 19.) *Nihil excipiens qui dixit : « Quodcunque. »* Eadem doctrina sancitur ab eodem Innocentio III in cap. *Novit ille* 13, tit. I, *De judiciis*, lib. II *Decretal.* ibi : *Non putet aliquis, quod jurisdictionem illustris regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cum ipse jurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire. Sed cum Dominus dicat in Evangelio : « Si peccaverit in te frater tuus, »* etc. (*Matth.* XVIII, 15.) *et rex Angliæ sit paratus sufficienter ostendere, quod rex Francorum peccat in ipsum, et ipse circa eum in correptione processit secundum regulam evangelicam, et tandem nullo modo profecit, dixit Ecclesiæ : Quomodo nos qui sumus ad regimen universalis Ecclesiæ superna dispositione vocati, mandatum divinum possumus non exaudire, ut non procedamus secundum formam ipsius?... Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium, nisi forte juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum : sed decernere de peccato, cujus ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus et debemus. Non igitur injuriosum sibi debet regia dignitas reputare, si super hoc apostolico judicio se committat, cum Valentinianus inclytus imperator....*

Theodosius statuerunt : et Carolus innovavit, de cujus genere rex ipse noscitur descendisse : quicunque videlicet litem habens.... Si judicium elegerit sacrosanctæ sedis antistitis, illico sine aliqua dubitatione (etiamsi pars alia refragetur) ad episcoporum judicium cum sermone litigantium dirigatur. Cum enim non humanæ constitutioni, sed divinæ potius innitamur, quia potestas nostra non est ex homine, sed ex Deo, nullus qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad officium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum : et si correptionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere. Sed forsan dicetur, quod aliter cum regibus et aliter cum aliis est agendum. Cæterum scriptum novimus in lege divina : « Ita magnum judicabis ut parvum, nec erit apud te acceptio personarum. » (*Deut.* I, 17.) *Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato..... præcipue cum contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis. Postremo cum inter reges ipsos reformata fuerint pacis fœdera, et utrinque præstito proprio juramento firmata, quæ tamen usque ad tempus prætaxatum servata non fuerint : nunquid non poterimus de juramenti religione cognoscere, quod ad judicium Ecclesiæ non est dubium permittere, ut rupto pacis fœdere reformentur?.....*

Eadem sanctæ sedis auctoritas de causis nationum et imperatorum et regum inter se judicandi statuitur in Clementina *Pastoralis* 2, tit. XI, *De sententia et re judic.* lib. II *Clement.*, ibi Clemens V in concilio Viennensi sic decrevit : *Pastoralis cura sollicitudinis nobis divinitus super cunctas Christiani populi nationes injuncta, nos invigilare remediis subjectorum, eorumdem periculis obviare et scandala removere compellit. Sane cum jam dudum inter quemdam Henricum imperatorem Romanum, et charissimum in Christo Filium nostrum Robertum Siciliæ regem, gravis fuisset materia turbationis exorta..... nos tunc ex superioritate, quam ad imperium non est dubium nos habere, quam ex potestate, in qua (vacante imperio) imperatori succedimus : et nihilominus ex plenitudine potestatis, quam Christus Rex regum et Dominus dominantium nobis, licet immeritis in persona beati Petri convenit, sententiam (imperatoris) et processus omnes prædictos..... de fratrum nostrorum consilio declaramus fuisse et esse omnino irritos et inanes....*

Et tandem cap. *Unam sanctam* 1, tit. VIII, *De majorit. et obedient.* lib. I *Extravag. comm.*, ex quo cap. aliquid decerpere libet, ibi : *Unam sanctam Ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere.... Extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum.... Quæ unum corpus mysticum repræsentat, cujus caput Christus : Christi vero Deus..... Igitur Ecclesiæ unius et unicæ, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipso Petro: Pasce oves meas* (*Joan.* XX, 17), *meas, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas, per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Græci sive alii se dicant Petro ejusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse se de ovibus Christi non esse : dicente Domino in Joanne : Unum ovile et unicum esse pastorem. In hac ejusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, Evangelicis dictis instruimur..... Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotibus, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subjici potestati. Nam cum dicat Apostolus : « Non est potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt* (*Rom.* XIII, 1); *» non autem ordinatæ essent, nisi gladius esset sub gladio, et tanquam inferior reduceretur per alium in suprema..... Nam veritate testante, spiritalis potestas terrenam potestatem instituere habet, et judicare, si bona non fuerit : sic de Ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Jeremiæ : « Ecce constitui te hodie super gentes et regna; »* etc. (*Jerem.* I, 10.) *Ergo si deviat terrena potestas, judicabitur a potestate spiritali : sed si deviat spiritalis minor, a suo superiori; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit judicari, testante Apostolo : « Spiritalis homo judicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur. »* (*I Cor.* II, 15.) *Est autem hæc auctoritas (et si data sit homini, et exerceatur per hominem) non humana, sed potius divina ore divino Petro data, sibique suis-*

que successoribus in ipso quem confessus fuit petra firmata, dicente Domino ipsi Petro : « Quodcunque ligaveris. » (*Matth.* XVI, 19.) *Quicunque igitur huic potestati a Deo sic ordinatæ resistit, Dei ordinationi resistit..... porro subesse Romano pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus omnino esse de necessitate salutis.*

COROL. VIII. — *De præeminentia canonum super leges civiles.*

Cum igitur pontifex Romanus, vicarius Christi, sit supremus legislator et judex omnium Christianorum, et cunctarum populi Christiani nationum, regum et imperatorum in rebus fidei, et morum, in justitia juxta legem naturalem cujus est interpres infallibilis, sequitur : 1° quod sacri canones prævaleant legibus civilibus in omnibus quæ sunt de jure naturali et divino positivo: 2° quod leges civiles debent imitari canones, sed non e converso; 3° quod jus civile interpretari debet per jus canonicum huicque cedere.

I. *Quod sacri canones legibus civilibus prævaleant in omnibus quæ sunt de jure naturali et divino.* — Nec dubitari potest quin jus pontificium sit potentius ac dignius jure Cæsareo, ut in cap. 1, *De novi operis nuntiatione* lib. V *Decretal.* tenent doctores; apud Fagnan. in cap. *Non magnopere, Ne clerici vel monachi,* lib. III *Decretal.* « Data etiam contrarietate juris civilis et canonici, cum agatur de naturali æquitate, prævalet jus canonicum etiam in terris imperii, et etiam ubi juris civilis rigor induceret iniquum. Ac demum ubi in causis miserabilium personarum canon aliquid statuit contra jus civile, servari debet canon in illa materia etiam in foro civili. » (FAGNAN. et ab ipso citati doctores in c. *Licet, de censibus;* lib. III *Decretal.* n. 26 et seq.) Et dist. 10 decreti per totum probat *constitutiones principum sæcularium ecclesiasticis constitutionibus non præeminere, sed obsequi.* Et textu expresso in cap. 4, Felix papa ibi : *Constitutiones contra canones, et decreta præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti.* — In materia autem concernente peccatum jus canonicum in totum derogat juri civili, et ubique locorum servari debet. (Communis.) Textu expresso per generale concilium an. 1216 sub Innocent. III; in cap. *Quoniam* 20, tit. XXVI, *De præscript.* lib. II *Decretal.* ibi : *Quoniam omne quod non est ex fide peccatum est : synodali judicio definimus ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica, quam civilis. Cum generaliter sit omni constitutioni atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari.*

II. Quod leges civiles debent imitari canones, sed e non converso. (Ita communiter doctores apud Fagnan. in cap. *Cæterum, De rescriptis,* lib. I *Decretal.* n. 66.) Et ratio est quia conditor canonum auctoritatem a Deo immediate habet et est infallibilis in doctrina morum seu legis naturalis.

III. « Lex civilis dubia intelligi debet secundum determinationem juris canonici; nam ut in proposito arguit Abbas,... si in dubio pro interpretatione legis recurrimus ad consuetudinem,.. longe magis recurrendum est ad jus pontificium, quod est majoris auctoritatis, quam consuetudo (Arg. a simili in c. *Quis nescit,* 11 dist. Confert textus in c. *Per venerabilem, qui fil. sint legit.*) Ultimo aliis omissis, non est constituenda differentia inter jus canonicum, et jus civile, nisi ubi clare id reperitur expressum. (Arg. c. 1, *De novi operis nuntiat.*) Ergo cum habeamus legem canonicam... lex civilis habens varios intellectus accipienda est in eo sensu, in quo magis convenit cum lege canonica, ut sic jura juribus concordentur. C. *Cum expediat, De elect.* in 6, facit quia ubi ius civile est dubium, et jus canonicum est clarum, seu declarativum ejus quod de jure civili non est expresse decisum, servari debet ubique locorum et in utroque foro jus canonicum, ut notabiliter tenent doctores. (Apud FAGNAN. in cap. *Ex parte, De arbitris,* lib. I *Decret.*)

COROL. IX. — *Quoad judices et principes sæculares.*

« Judices et principes sæculares possunt compelli per Ecclesiam ad justitiam faciendam (ut in cap. supra citatis, tit. *De Judæis et Sarracenis*); hoc enim facere potest papa ratione peccati. (Ut c. *Novit, De Judæis.*) Unde potest eos propter hoc dignitate privare (c. *Ad abolendam, eod.*); sicut et propter alias iniquitates. (C. *Alius,* causa 16, quæst. 6.) Quemadmodum Leo III Romanum imperium in personam Caroli Magni a Græcis transtulit in Germanos propterea quod imperatores Constantinopolitani Ecclesiam Romanam, quæ ab Astulpho rege Longobar-

dorum opprimebatur, defendere noluerunt. (Ut c. *Venerabilem, cum sua glossa, De elect.*) De qua imperii translatione latissime disserit cardin. Bellarminus, in tract. *De translat.* Imper. lib. I cap. 4 et seq. et lib. II per totum et lib. III, maxime cap. 3. » (FAGNAN. in cap. *Vergentis De hæret.* lib. V *Decret.*)

CAPUT II.

In mere temporalibus laici, nationes earumque principes non subjiciuntur Ecclesiæ nec summo pontifici, nisi sint ipsi temporaliter subditi; in mixtis vero rebus primatum habet Ecclesia et pontifex.

§ I. — Quod mere temporalia a sancta sede non dependeant.

In mere temporalibus laici, nationes et civiles potestates non subjiciuntur Ecclesiæ nisi forte interesset de justitia et æquitate. Etenim « Clerici, ait Fagnanus, vacare debent reipublicæ spirituali, laici vero reipublicæ temporali. (Arg.) *Duo sunt genera* 7, causa 12, quæst. 13, *Reprehensibile* 19, *Convenior* 21, causa 23, quæst. 8; et c. *Duo sunt quippe* 10, distinct. 96; et in dist. 10, a. c. 8, ad 13; et c. *Si duobus* 7, *De appellat.* lib. II *Decretal.* § *Denique*; et cap. *Meruit* 2, tit. VII *De privilegiis*, lib. V, *Extrav. com.*, quod sic summatur: *Rex Franciæ et regnicolæ per extravagantem, « Unam sanctam, »* supr. « *De majorit. et obed.* » *non amplius subjiciuntur Ecclesiæ Rom. quam prius erant.* Ibi Clemens V, sic statuit: *Hinc est, quod nos regi et regno per definitionem et declarationem bonæ memoriæ Bonifacii papæ VIII, prædecessoris nost. quæ incipit, « Unam sanctam, » nullum volumus vel intendimus præjudicium generari. Nec quod per illam rex, regnum, et regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subjecti Romanæ, quam antea exsistebant: sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam: tam quantum ad Ecclesiam, quam etiam ad regem, regnum, et regnicolas superius nominatos.* Id est subjiciuntur in spiritualibus, non autem in temporalibus.

Et *Novit* 13, tit. I *De judiciis*, lib. II *Decretal. ibi : Non putet aliquis, quod jurisdictionem illustris regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cum ipse jurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire.... Non enim intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum spectat judicium.... sed decernere de peccato....*

« Jus civile, ait Fagnanus (in I part. lib. III *Decretal.*; c. *Cum esses*, n. 98 et 99, contradicens juri canonico in his, quæ mere spiritualia non sunt, aut a spiritualibus non dependent, observandum est in terris imperii.... nec papa in his casibus potest tollere leges civiles quantum ad eos qui non sunt de sua temporali jurisdictione. (Arg. cap. *Si duobus*, *De appel.* et cap. *Non de judiciis.*)

« Jus canonicum statuit, ut in his, in quibus non est contrarium expresse dispositum per sacros canones, servetur jus civile ut in cap. 1 *De nov. operis nuntiat.* et ibi omnes interpretes, SUAREZ. *De leg.* lib III, cap. 8. » (FAGNAN. in II part. lib. V *Decretal.* c. *Qui presbyterum*, n. 34.)

« Ubicunque non reperitur aliqua dispositio juris civilis expresse immutata a jure canonico, non debemus inducere discrepantiam inter jus canonicum et jus civile; imo lex civilis servari debet etiam in foro Ecclesiæ, ut in c. I, *De nov. oper. nunt.* » (ID. in I part. lib. III. *Decretal.* c. *Cum esses.*)

§ II. — De primatu Ecclesiæ et pontificis in mixtis rebus.

In mixtis rebus, id est quæ sunt simul spirituales et temporales primatum habet ecclesia et pontifex. Ideoque de bonis ecclesiasticis et de personis ecclesiasticis ad solam Ecclesiam pertinet statuere, nisi in causis in quibus ex jure canonico potest judex laicus cognoscere.

Hinc « causæ misti fori illæ sunt, quæ tam coram judice laico, quam coram judice Ecclesiastico agitari queunt, ita ut operetur præventio. Ad eas referuntur causæ miserabilium personarum. (C. 26, *De verb. sign.* in fin.) Item contractuum usurariorum... concubinatus, adulterii, stupri, incestus, et aliorum delictorum carnis.... Tum aliorum criminum, turbationis scilicet sacrorum, violationis festorum, » etc. (FERRAR. verb. *Forum*, n. 72.) Et probatur in tit. I *De judiciis*, et II *De foro competenti*, lib. II *Decretal.*

« Abbas in cap. *Clerici*, num. 2, *De judic.*, ait, materia indifferenti data contrarietate inter canonem, et legem, canonem servari in foro suo; legem in foro suo.... In materia vero mixta in foro ecclesiastico ubique locorum, et indistincte etiam inter laicos servanda est lex canonum, et non lex civilis discrepans a canone, ut tenent communiter doctores. » (FAGNAN. c. *Antigonus*, *De pactis*, lib. 1 *Decretal.* n. 28 et seq.)

CAPUT III.

De quorumcunque laicorum incapacitate in spiritualibus et beneficiis et de eorum subjectione et locis in ecclesiis.

I. Ecclesia est regnum Dei a Christo Domino institutum, ut est de fide, ad quod regnum gubernandum hierarchia divina ordinatione instituta fuit. (*Conc. Trident.* sess. 23, can. 6.) Et super hierarchiam et totam Ecclesiam ab ipso Christo constituta fuit monarchia seu primatus et principatus Romani pontificis. (*Conc. Florent.; Lugdun.* I et II.) Cui omnes humanæ creaturæ de necessitate salutis omnino subjiciuntur. (Extravag. *Unam sanctam.*) Hæ conclusiones sunt de fide definita.

Hinc sequitur : I quod laici quicunque sunt incapaces juris spiritualis, seu ecclesiastici. (C. *Massana* 56, *De elect.* cum similibus.) Unde in cap. *Decernimus* 2, *De judiciis*, sic statuitur : *Decernimus ut laici ecclesiastica tractare negotia non præsumant. Sed episcopi, abbates, de negotiis ecclesiasticis (maxime de illis, quæ spiritualia esse noscuntur) laicorum judicio non disponant. Nec propter eorum prohibitionem, ecclesiasticam dimittant exercere.* » Et cap. *Ecclesiæ sanctæ Mariæ* 10, *De constitut.* lib. I *Decretal.* ibi : *Nos attendentes quod laicis (etiam religiosis) super Ecclesiis et personis ecclesiasticis nulla sit attributa facultas : quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi ; a quibus si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum et favorem, nullius firmitatis exsistit, nisi ab Ecclesia fuerit approbatum...* Et cap. *Cum laicis* 12, in concilio generali, an. 1216 ibi : *Cum laicis, quamvis religiosis, disponendi de rebus Ecclesiæ nulla sit attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, non auctoritas imperandi : dolemus in quibusdam ex illis sic refrigescere charitatem, quod immunitatem ecclesiasticæ libertatis... Non formidant suis constitutionibus seu potius destitutionibus impugnare, non solum de alienatione feudorum, ac aliarum possessionum Ecclesiarum, et usurpatione jurisdictionum, sed etiam de mortuariis, necnon et aliis, quæ juri spirituali annexa videntur, illicite præsumendo, Volentes igitur super his indemnitatibus consulere Ecclesiarum, ac tantis gravaminibus providere, constitutiones et venditiones hujusmodi feudorum, seu aliorum bonorum ecclesiasticorum, sine legitimo personarum Eccles. assensu præsumptas, occasione constitutionis laicæ potestatis (cum non constitutio, sed destitutio vel destructio dici possit, nec non usurpatio jurisdictionum) sacri approbatione concilii non tenere, præsumptoribus per censuram ecclesiast. compellendis.*

II. « Laici causas spirituales beneficiales, vel decimales ad se avocantes, vel eorum cursum impedientes, vel qui partes astringunt ad revocandum citationes, inhibitiones, aut alia acta in causis præfatis, etiamsi id facientes sint superiores, cancellarii, consiliarii, et ministri cujuscunque principis, incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ*, ibi § 14. Item similem excommunicationem bullæ *Cœnæ* incurrunt laici, qui personas ecclesiasticas, collegia, seu capitula, trahunt ad suum forum, sive directe, sive indirecte, vel quomodocunque juri ecclesiastico per suas constitutiones, statuta, etc., præjudicant, ibi § 15. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici, qui impediunt episcopos, vel alios prælatos ecclesiasticos, ne suo jure utantur in ecclesiasticis, capiendo vel persequendo agentes eorum, consanguineos, affines, vel procuratores, ibi § 16. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici usurpantes bona, jura, fructus et alia hujusmodi sedis apostolicæ vel aliarum ecclesiarum, vel qui ea sequestrant absque licentia superioris competentis, ibi § 17 ; et conc. Trident. sess. 22, cap. 11. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici imponentes decimas, talleas, collectas, vel alia onera ecclesiasticis, vel eorum bonis absque licentia papæ; vel qui sic imposita exigunt, aut recipiunt. Sic etiam, qui directe, vel indirecte ea exsequi faciunt, vel procurant, aut dant auxilium, favorem, vel consilium, cujuscunque gradus aut dignitatis sint, ibi § 18. Item eamdem excommunicationem incurrunt laici causas criminales ecclesiasticorum judicantes, tractantes, etc., ut judices, notarii, scribæ, exsecutores processando, banniendo, capiendo, vel contra eos sententiando sine licentia papæ. » (*Ibid.*) (FERRAR. verb. *Laicus*, n. 4 et seq. Unde laici qui talia committunt, sive imperatores, sive reges, sive principes aut alii quicunque sint, mortaliter peccant contra jus Ecclesiæ divinum.

III. « Laicis personis de mysteriis fidei publice, vel privatim disputare prohibitum

est sub pœna excommunicationis ferendæ. (Textu expresso in c. *Quicunque* 2, *De hæretic.* in 6, et in const. 2 Nicolai III, *Noverit* et const. Gregorii IX *Excommunicamus*, et const. Innocentii IV, *Noverit;* et c. *Mulier* 20, dist. 23, et c. *Cum ex injuncto* 12, *De hæretic.*, et tenent communiter doctores.) Hæc prohibitio non solum comprehendit disputationem fidei dubitativam, quæ fiat animo improbandi, seu revocandi in dubium aliquem fidei articulum, quia hoc sensu disputare de fide est prohibitum tam clericis quam laicis; sed comprehendit etiam disputationem fidei confirmativam, qua quis laicus constans in fide ejus veritatem propugnat contra hæreticos et infideles ex motivo eos convincendi, card. Petra, tom. III. in constit. 1 Nicolai III, n. 17 ad 19 et alii. — Possunt tamen laici docti de fide disputare in casu necessitatis, aut evidentis utilitatis, veluti si nullus esset ecclesiasticus idoneus, qui hæretico simplicem plebem seducenti opponeretur, vel si disputationem suscipiat rogantibus clericis. Disputatio fidei materialis, hoc est ficta, quæ fit inter catholicos ut melius veritatem attingamus, errores propulsemus, etiam laicis est permissa et licita servatis tamen conditionibus, aut circumstantiis, quas recenset doctiss. Suarez *De fide*, disp. 20, sect. 1; scilicet tum ex parte disputantium, ne sint viri indocti, seu rixosi tum ex parte audientium ne ob eorum simplicitatem decipi, aut scandalum pati contingat, ut etiam notaverat sanctus Thomas 2-2, quæst. 10, art. 7. (Ita communiter apud (Ferrar. verb. *Fides*.)

IV. Prohibitum est laicis prædicare ex iisdem juribus; imo laici prædicantes subjacent excommunicationi, et nisi quam citius resipuerint, alia competenti pœna sunt plectendi. (Textu expresso in c *Cum ex injuncto* 12, et cap. *Excommunicamus* 12, *De hæreticis*, lib. v *Decretal.*)

V. Nulla sacramenta administrare possunt laici, nisi baptismum in casu necessitatis tantum. Laici neque possunt exercere ministerium ordinum minorum, nec regulariter inservire ministris in altari. (*Trident.* sess. 23, *De reform.* cap. 17.) Ex consuetudine tamen et tolerantia laici exercent ministeria ordinum minorum; sed nunquam possunt exercere ministeria, nec locum tenere subdiaconorum et diaconorum. (Ex multis juribus et sacr. congr. Rit. decretis.) Ita ut evadant irregulares exercentes solemniter et scienter actum ordinis sacri quem non habent, ut clerici, et a fortiori laici in minoribus exercentes solemniter et scienter et adhibitis eorum insignibus, ordines majores. (C. 1 et 2, *De clerico non ordinato ministrante.*) Laici non possunt tangere sacras reliquias, neque vasa sacra, et neque illa abluere. (*Concil. Coloniens.* II, p. 3, c. 31.)

VI. In hodierno jure laici eligere et eligi non possunt ad dignitates et prælaturas ecclesiasticas. (C. 1, 6, 8, 12, dist. 63; c. *Contingit* 8 *De arbitris;* c. *Decernimus* 2, *De judiciis;* c. *Sacrosancta* 51, et c. *Massana* 56, *De election.* cum similibus.) — Qui enim necdum sunt tonsurati, sunt inhabiles ad quodlibet beneficium, ita ut nec sufficiat post illud jam acquisitum tonsurari. (Arg. c. *Ex litteris* 6, *De transact.*) Nisi tamen papa dispensaverit cum laico, ut possit eligi, et postea quam primum tonsurari.—Possunt tamen laici præsentari ad beneficia a patronis coram ordinario, sub conditione quod clericentur intra tempus statutum ad præsentandum. Laici non possunt habere pensiones ecclesiasticas. » (S. Pius V const. 74, *Sacrosanctum.*) — (Ferrar. verb. *Laicus*, n. 38.)

VII. « Laici etiam patroni non possunt conferre clericis beneficia aliasque ecclesias, sed possunt ad ea præsentare si habent jus; et si concedant sine licentia episcopi, nulla est concessio. (C. *Cum laici* 10, *De jure patron.*; *Conc. Lateran.* III; in append. tit. *De jure patron.*, c. 3.) Laici non possunt alicui domui religiosæ concedere jus patronatus sine licentia episcopi : (C. *Cura pastoralis* 11, *De jure patron. Conc. Later.* ibid. c. 6.) Laici non possunt spoliare de ecclesiis seu beneficiis clericos delinquentes. (*Conc. Constantiens.* contra art. 16; Wicleff, c. *Relatum* 21, *De jure patron.*) Laici qui clericos instituunt et destituunt, in ecclesiis etiam patronatis subjacent excommunicationi. (C. *Præterea* 4, *De jure patron.*)

VIII. Laici non possunt facere judicia nec sua concilia in ecclesiis, et domibus earum. (C. *Ut in domibus ecclesiarum* 1, *De immunit. Eccles.*)

IX. Laici magistratus jus non habent indicendi publicas preces. (Bened. XIV, tom. I, const. 82, *Quemadmodum*, § 3 et 6.) Et consequenter episcopi nequeunt in ecclesiis

publicare mandata laici magistratus ad indicendas publicas preces.

X. Laici nequeunt habere cryptas, et aditus subterraneos, per quos e suis domibus ad ecclesias et loca immunia transeant; et ubi adsint, injungitur episcopo ut eos claudere faciat. (S. congr. Immunit. 9 Martii 1633.) Laici, etiamsi sint illustres, et de magistratu, dum divina celebrantur, non debent inter canonicos, et alios ecclesiæ præbendatos stare vel sedere in choro, vel presbyterio, nec occupare stalla seu loca clericorum. (C. *Sacerdotum* 29, dist. 2, *De consecrat*; c. *Ut laici* 1, *De vita et honest. cleric.*; et sacr. Rit. congr. pluries.) Laici non possunt retinere sedilia in presbyterio, nec possunt retinere baldachinum in ecclesia; nec eis est deferendum Evangelium ad osculandum. (Ex pluribus decretis generalibus sacr. Rit. congr.) Hinc sacra Rit. congr. mandavit aptandum esse locum magistratui extra presbyterium juxta designationem porrectam a magistro cæremoniarum, non obstante quod magistratus reperiretur in possessione, et allegaret alterius loci congrui deficientiam. Laici, exceptis personis regalibus, nequeunt sibi facere deferri tapeta aut strata ad ecclesias, nec retinere. (Et hæc omnia ex pluribus sacr. congr. Rit. generalibus decretis, apud FERRAR. verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 28 et seqq.)

Et in concilio Romano tit. XXVIII, *De immunit.* cap. 4, sic habetur : *Generali sanctæ sedis decreto in ecclesiis etiam regularibus intra presbyteriorum et altarium septa, dum missæ ibi celebrantur aliave divina officia persolvuntur, sæcularium personarum cujuscunque conditionis, et sexus assistentiam prohibitam fuisse non ignoratur. Verum tamen cum ad hoc laici quidam in vetita temeritate nitantur, et ibidem stare, aut scamna habere, vel genuflexoria sibi arrogare præsumant, id iterum juxta sacrorum canonum ejusdemque apostolicæ sedis mentem, sub ecclesiarum regularium etiam, et quomodocunque exemptarum interdicti pœna ipso facto incurrenda, et Romano pontifici reservata inhibemus, mandantes ut, si quæ sint pro laicis sacra intra loca prædicta sedes, scamna et genuflexoria, illinc auferantur et removeantur omnino.*

Laici tamen, extra chorum et presbyterium, possunt ex tolerantia, vel licentia episcopi, seu rectoris ecclesiæ, acquirere jus retinendi sedilia, seu sedendi in ecclesia, non quoad dominium, vel proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum rectoris, et episcopi, ut tradunt communiter doctores et declaravit pluries sacr. congr. Episc.—(*Vide* FERRAR. verb. *Ecclesia*, art. 5, et verb. *Laicus*.)

CAPUT IV.

De laicorum fidelium uti singulorum obligationibus in communi.

§ I. — Ratione vinculi fidei.

I. Tenentur fideles, ratione vinculi fidei, fidem in baptismo acceptam et solemniter juratam servare et retinere. (*De fide*, c. *Prima salus*, causa 25, quæst. 1; c. *Firmissime*; et c. *Excommunicamus*, *De hæret.*)

II. Ipsi etiam pueri baptizati, cum adolescunt, in fide in baptismo a se, etsi per alios, jurata perseverare debent, adeoque interrogandi non sunt an ratum habere velint quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt. De fide. (*Trident.* sess. 7, can. 14; et c. *Parvuli*, *De consecrat.* dist. 4.)

III. Tenentur fideles fidem in baptismo susceptam et juratam non solum corde interius retinere, sed etiam exterius aliquando profiteri. 1. Tenentur semper et pro semper abstinere a negatione fidei; — 2. Tenentur ad professionem positivam ordinariam per actus ordinarios et externos religionis, quoties illi actus sunt præcepti. — 3. Tenentur ad extraordinariam fidei professionem, quando honor Dei aut proximi utilitas id postulat.

§ II. — Ratione vinculi obedientiæ.

I. Tenentur fideles, ratione vinculi obedientiæ, suis subesse pastoribus, et cum iis respective unitatem servare. De fide. (C. *Scire debes*; et cap. *Denique*, causa 7, quæst. I., etc.)

II. Imprimis tenentur fideles omnes Romano pontifici, utpote totius universæ Ecclesiæ episcopo subesse, cum eoque unitatem servare. De fide. (C. *Non decet.* dist. 12; c. *Ita Dominus*, dist. 19; et ex omnibus conciliis œcumenicis. præsertim *Lugdunens.* I et II; et *Florent.* c. *Unam sanctam*, extravag. com.) Igitur in discrepantia inter diœcesanum episcopum, seu omnes particulares episcopos et Romanum pontificem, tenentur omnes fideles et sacerdotes Romano pontifici obedire, suum diœcesanum et alios episcopos omittendo et relinquendo.

III. Tenentur fideles, ratione vinculi obedientiæ, eorumdem pastorum præceptis obtemperare, et in universum singula Dei et Ecclesiæ mandata observare. De fide.

§ III. — Ratione vinculi participationis sacramentorum.

I. Tenentur in genere fideles sacramentis Ecclesiæ participare. De Fide. (C. *Est unitas, De consecrat.* dist. 4; *Trident.* sess. 7, can. 4.)

II. Tenentur primum in specie fideles sacrosancto missæ sacrificio sæpius, præsertim festis diebus interesse. (C. *Omnes fideles;* c. *Missas;* c. *Cum ad celebrandas* et c. *Qui die, De consecrat.* dist. 1; ex usu et praxi Ecclesiæ et communi doctorum consensu.)

III. Jure tum divino, tum ecclesiastico tenentur secundo in specie singuli fideles adulti sanctissimum Eucharistiæ sacramentum interdum accipere. (C. *Si non sunt tanta;* c. *Etsi non frequentius, De consecr.* dist. 2; *Trident.* sess. 13, can. 2 et 9), et præ sertim quotannis in Paschate. (C. *Omnis utriusque sexus*), et viaticum in articulo mortis.

IV. Tenentur ultimo singuli fideles qui post baptismum in aliquod mortale inciderunt jure tum divino, tum ecclesiastico sacramento pœnitentiæ se expiare. (C. *Secunda De pœnit.* dist. 1; c. *Omnis utriusque sexus. De pœnit.* ex *Conc. gen. Lateran.* et *Trident.* sess. 24, can. 8.)—(*Vide* lib. VI, *De parochis,* etc., cap. XI; et *Instit. juris canon.* auctore R. D. M. t. II, pag. 37 ad 51, ex quo hujusce capitis conclusiones transcripsimus.)

CAPUT V.

De jure naturali, divino et ecclesiastico quoad personas societatis domesticæ seu ut membra familiæ.

Ecclesia est omnium societatum prima inter Deum et Adamum formata per status innocentiæ legem; ideoque est societas divino-humana. In Ecclesia vero jam sic exsistente creata fuit conjgalis societas.

Conjugalis societas prima est humani generis societas. (C. *Quidquid*, c. 32, q. 2.)

§ I. — De origine et institutione societatis conjugalis.

I. Societas conjugalis est a Deo instituta. De fide ex clara revelatione in Scripturis, et aperta Ecclesiæ doctrina.—Scriptur. Gen. II, 20; I, 27; Matth. XIX, 4.—Sacris canonibus, c. *Unico, De voto...* in 6, ibi : *Nos igitur attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, matrimonii vero vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore, ipsum in paradiso et in statu innocentiæ instituente unionem et indissolubilitatem a Deo acceperit...* — Trident. sess. 24, c. unic. *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit cum dixit : « Hoc nunc os. »* (Gen. II, 23.) Pius VIII enc. *Traditi humilit.*, 24 Maii 1829: *Matrimonii conjunctionis Deus auctor est.*

II. Societas conjugalis in Ecclesia catholica, seu matrimonium Christianorum a Christo elevatum est ad dignitatem sacramenti. (De fide.) S. Paul. ad Ephes. V, 25 et seqq. : *Viri, diligite uxores vestras...... sacramentum hoc magnum est...*—Sacris canonibus : c. *Ad abolendam, De hæret.;* conc. Florentin. decret. ad Armenos. *Septimum est sacramentum matrimonii...* Trident. sess. 24 *Decret., de sacramento matrimonii,* § *Gratiam vero*, etc.; et can. 1 : *Si quis dixerit matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit.*

III. Matrimonium igitur est societas a Deo creatore instituta pro omnibus hominibus, sed est sacramentum pro solis Christianis.

IV. Finis primarius matrimonii est generatio et educatio prolis. Hæc conclusio est certa. Ex Gen. I, 27; Tob. VIII, 9; et canonibus, c. *In omni*, causa 27, quæst. 2, ibi : *In omni matrimonio conjunctio intelligitur spiritualis quam confirmat et perficit conjunctorum commistio corporalis.* C. *Omne itaque*, causa 27, quæst. 2, ibi : *Omne itaque nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus, Christi proles...* Et c. *Quidquid*, causa 32, quæst. 2, ibi : *Debent ergo sibi conjugati non solum ipsius sexus commiscendi fidem, liberorum procreandorum causa, quæ prima est humani generis in ista mortalitate societas, verum etiam...*

V. Nec prolis tamen actualis susceptio, nec ipsum opus suscipiendæ prolis, id est nec ipse usus matrimonii pertinent ad essentiam societatis conjugalis, seu matrimonii. (*De fide*, contra Julianum.) Matth. I, 16; et sacr. canonibus, cap. *Omne itaque* supra allegato; et c. *Pudor est feminis*, c. 32, q. 2.

VI. Præter prolis susceptionem, sunt et alii plures fines societatis conjugalis, sed minores, adeoque secundarii; ut, mutuum solatium conjugum. Gen. II, 18; concupi-

scentiæ remedium, c. *Quidquid* causa 32, quæst. 2.

§ II. — De efficiente causa societatis conjugalis.

I. Causa efficiens societatis conjugalis sunt ipsi conjuges per consensum mutuum. Gen. II, 24. — Sacris canonibus, c. *Sufficiat*, causa 27, quæst. 2, ibi : *Sufficiat secundum leges solus consensus de quorum conjunctionibus agitur; qui consensus si in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia, etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur*. Et c. *Tuæ fraternitati, De sponsalib.* ibi : *Postulasti utrum ex solis verbis, et ex quibus matrimonium contrahatur. Nos igitur inquisitioni tuæ taliter respondemus quod matrimonium in veritate contrahitur per legitimum viri et mulieris consensum.* Consentiunt innumeri alibi canones passim. Tandem id expressis terminis docet conc. Florentinum, decret. ad Armenos; ibi : *Causa efficiens matrimonii regulariter est mutuus consensus.* Et probatur ex sequentibus sacræ congregationis concilii declarationibus, de matrimoniis tempore persecutionis per hæreticos et schismaticos vel infideles.

1. « Si vero parochia in qua fuit aliquando observatum decretum (*Conc. Trident. De reformatione matrim.* sess. 24, c. 1), proprio parocho careat, et cathedralis ibidem episcopo et capitulo habentibus a concilio facultatem alium sacerdotem ad id delegandi, nullusque alius ibi sit, qui vices parochi aut episcopi suppleat, matrimonium valet absque præsentia parochi, observata tamen, in eo quo potest, forma concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Si vero existent quidem parochus et episcopus, sed, nullo constituto vicario, uterque metu hæreticorum lateat, ita ut vere ignoretur ubi sit, vel eodem metu a diœcesi absit, nec ad alterutrum *sit tutus accessus*, validum est matrimonium absque parocho, adhibitis tamen duobus testibus... (*Declarat. Cardinal.*, 27 *Mart.* 1632.)

2. « Vel parochi legitimi aut missionarii aderant in ea regione, et accessus ad eos erat *tutus et facilis*, vel non aderant, nec, si aderant, accessus ad eos erat *tutus et facilis*. Si primum, omnia præfata matrimonia sunt invalida et revalidanda... si secundum, juxta alios decisum a sacra congregatione, stante impossibilitate habendi legitimum pastorem vel missionnarium, sunt valida, si coram testibus saltem facta sunt. » (*Declarat. Card.* 30 *Mart.* 1669.)

In dictis casibus decet, ut postea nuptialis benedictio detur a sacerdote competenti, quando id possibile erit.

II. Ad validitatem efficientiæ societatis conjugalis seu matrimonii consensus exprimi debet per verba, aut signa de præsenti, et in facie Ecclesiæ. (Cap. *Tuæ fraternitati;* c. *Cum apud, De sponsalib.* et *Conc. Florent.* ibid.; et *Conc. Trident.* sess. 24, c. 1.)

§ III. — Ad solam Ecclesiam spectat societatem conjugalem quoad vinculum moderari.

I. Ecclesia jure proprio Christianorum matrimonium potest moderari, adeoque impedimenta, etiam dirimentia matrimonium constituere, causasque matrimoniales cognoscere. De fide. Trident. sess. 24, can. 3, 4, 9 et 12; et Pius VI in bulla *Auctorem fidei*, ibi in proposit. 59 : *Doctrina synodi, asserens ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis quæ ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia...; quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in Christianorum matrimoniis, jure proprio, impedimenta constituere quæ matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddunt quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur, etiam in terris infidelium, in eisdem dispensare, canonum 3, 4, 9, 12, sess. 24, conc. Trident. eversiva, hæretica.*

III. Potestas qua Ecclesia gaudet matrimonium moderandi apponendo impedimenta illud dirimentia, causasque matrimoniales inde consequentes judicandi ei privative competit ad exclusionem fori civilis. Hæc conclusio certa et tenenda est, ex canonibus, sess. 24, Tridentin. Quod confirmatur ex brevi Pii VI, an. 1788 ad episc. Motulens. ibi : *Ignotum nobis non est*, ait pontifex, *quosdam adesse qui sæcularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba hujus canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt, ut quoniam Tridentini Patres hac docendi formula usi non fuerint : « ad solos judices ecclesiasticos, » aut « omnes causas matrimoniales, » potestatem reliquerint judicibus laicis facti. Sed scimus etiam hanc captiunculam, et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim*

canonis (12 *Trident.*) *ita generalia sunt, ut omnes causas comprehendant et complectantur.*

Ex declaratione SS. congregationum. Sic sacr. Pœnitentiaria in responsione ad episcopum Vivariensem. 1 Junii 1824 data : *Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, Venerabili in Christo Patri episcopo Vivariensi respondet primum matrimonium a Petro contractum in forma Ecclesiæ consueta, absque impedimento canonico, sed tantum cum impedimento civili validum esse. Ita enim ex instructione a suprema Inquisitione per sacr. congr. Concil. organum, ad episcopum Brexinonensem an.* 1804 *transmissa :* « *Matrimoniis fidelium quibus nullum obstat canonicum impedimentum suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacunque tandem fuerint impedimenta a sæculari potestate, Ecclesia non consulta, nec probante, perperam ac nulliter constituta.* » *Quo posito clare patet secundum matrimonium a Petro attentatum nullum et irritum fore, ac propterea nullo modo posse parochum eidem benedictionem tribuere.*

Id probatur ex constanti Ecclesiæ praxi; ex auctoritate scholarum et universitatum, et unanimi sanioris doctrinæ theologorum et canonistarum consensu.

§ IV. — De impedimentis matrimonio ab Ecclesia inductis, et eorumdem dispensatione.

Vide lib. III, cap. XIII; et lib. VI, cap. XIII, supra, t. I.

§ V. — De societatis conjugalis proprietatibus.

I. Societas conjugalis est honesta, de fide. Gen. I, 28 : *Benedixitque illis Deus et ait : Crescite et multiplicamini*... et Apostolus I ad Tim. IV, prædicit futuros : *In novissimo tempore, attendentes doctrinis dæmoniorum, prohibentes nubere.*

Sacris canonibus, dist. 30, c. *Si quis propter Deum virginitatem professus in conjugio positos per arrogantiam vituperaverit, anathema sit.* — Item c. *Si quis nuptias in accusationem duxerit.... tanquam non posse conjugatos in regnum Dei ingredi, anathema sit*

II. Status tamen virginitatis aut cælibatus anteponendus est statui conjugali; de fide, ex conc. Trident. sess. 24, can. 10 : *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis,* vel *cælibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu quam jungi matrimonio, anathema sit.*

III. Unde sequitur ut nullo argumento efficaci ostendi possit matrimonium aliquando fuisse communiter tum jure naturali, tum jure divino præceptum; sed e contra de fide est quod sub lege evangelica matrimonium non sit præceptum, et consequenter societas conjugalis est libera.

IV. Societas conjugalis, seu matrimonium primitus institutum est a Deo unum unitate simultanea; seu polygamia simultanea primævæ institutioni matrimonii repugnat. Christus matrimonium ad primævam unitatem a qua, Deo permittente, aliquando deflexerat, revocavit, adeoque sub lege evangelica, saltem pro Christianis polygamia simultanea est et illicita et invalida. Cap. *Gaudemus, De divortiis,* et Trident. sess. 24, can. 2 : *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum, anathema sit.*

V. Polygamia succesiva nunquam fuit prohibita, etsi in Ecclesia minus sit probata. C. *Super illa, De secundis nuptiis;* et concil. Florent. decreto ad Armenos, ibi : *Declaramus non solum secundas, sed etiam tertias et quartas, atque ulteriores (nuptias), si aliquod canonicum impedimentum non obstat licite contrahi posse.*

VI. Societas conjugalis primitus instituta fuit a Deo indissolubilis, et Christus matrimonium ad primitivam indissolubilitatem a qua, Deo permittente, aliquando deflexerat, revocavit; adeoque matrimonium consummatum, saltem pro Christianis est indissolubile. (C. *Omnes,* caus. 32, quæst. 7 et per totam.)

In specie propter adulterium, hæresim, molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi non potest matrimonii consummati vinculum. Proximum fidei de adulterio, simpliciter de fide de cæteris ex *Trident.* sess. 24, can. 7 : *Si quis dixerit ecclesiam errare cum docuit et docet juxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente, aliud matrimonium contrahere, mœcharique eum qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam quæ dimisso adultero alii nupserit, anathema sit. Et ibid.* can. 5 : *Si quis dixerit propter hæresim, aut molestam coha-*

bitationem, aut affectatam absentiam conjuge dissolvi posse matrimonii vinculum anathema sit.

§ VI. — De officiis societatis conjugalis.

I. Conjugum officia communia sunt fides conjugalis, individuaque vitæ consuetudo sancte et inviolate servandæ. (C. *Nemo blandiatur*, quæst. 4, et c. *Apud nos*, quæst. 5, causa 32.) — Mutuum in omni vita et quacunque fortuna adjutorium, ex his verbis Scripturæ : *Non est bonum hominem esse solum; faciamus ei adjutorium simile sibi.*

II. Officia marito propria sunt gubernatio domestica, etiam uxoris tanquam caput ipsius. (Ad Ephes. v, 23; et c. *Est ordo;* c. *Hæc imago;* c. *Cum caput*, causa 33, quæst. 5, et innumeri alii, *ibid.*) — Uxoris defensio quæ sequitur connaturaliter ex præcedenti.

III. Officia uxoris propria sunt honoris et obedientiæ erga virum exhibitio, ad Ephes. v; Coloss. III, 18; Tit. II, 4; sancti Petri, III, 2; c. *Mulierem;* c. *Satis hinc;* c. *Adam per Evam*, causa 33, quæst. 5, ejusdem in cura rei familiaris adjutorium, etc.

§ VII. — De dissolutione societatis conjugalis.

I. Ob *Multas causas* (societas conjugalis improprie dissolvi potest, id est) *separatio inter conjuges quoad torum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus decerni potest.* Sunt verba Trident. can. 8, sess. 24.) Plures sunt causæ dissolvendi tori : Si alter conjux sui conjugis fidei religionem corrumpere velit vel suum conjugem ad infidelitatis maleficium traxerit, poterit separari innocens. (C. *Quæsivit, De divortiis.*) Huic primæ causæ addunt aliam adulterii (c. *Significasti*, c. *Ex litteris* eod. tit.); causam hæresis (c. *De illa*, eod. tit.); causam vitæ sanctioris de utriusque consensu (c. *Scripsit*, causa 27, quæst. 2); causam lepræ (c. *Pervenit, De conjugio leprosor.*); causam sævitiæ (c. *Ex transmissa;* c. *Litteras, De restitut. spoliator.*) Licita est ergo, justa exsistente causa, separatio conjugum aut perpetua, aut temporaria pro gravitate causæ, nempe perpetua in causa adulterii, temporaria in cæteris. Neutra vero proprio arbitrio est attentanda, sed utraque auctoritate judicis, causa prolata et cognita est pronuntianda, uti multiplici jure cautum est et in specie per c. *Sæculares*, causa 33, quæst. 2; c. *Porro;* c. *De illa, de divortiis.* Quare si citra judicialem auctoritatem ad hanc separationem properatum fuerit, ita privatim divertentes ad cohabitandum rursus sunt cogendi. (C. *De illa* supra cit.) De cætero jus commune probat causam separationis ex mutuo consensu si conjuges vitam religiosam amplectantur, aut vir sacros ordines suscipiat. Facta demum, firmataque per judicis sententiam separatione, manet tamen integrum vinculum substantiale matrimonii, manentque proinde conjugum ad invicem officia et jura iis solis exceptis quæ a cohabitatione derivantur. Judex vero competens in hujusmodi causis est connaturaliter episcopus, ejusve ex mandato speciali vicarius. (*Trident.* sess. 24, *De reform.* c. 20.) Causæ vero istæ sicut omnes matrimoniales *summarie* sunt tractandæ et quam brevissime expediendæ (Clem. *Dispendiosam, De judic.*)

II. Societas conjugalis, seu matrimonium ab infidelibus legitime contractum dissolvi potest quoad vinculum, si alterutro conjuge ad fidem converso, *alter vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini nominis, vel nonnisi ut eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohobitare velit.* (Textu expresso, in c. *Quanto, de divortiis*; et c. *Gaudemus*, eod. tit.) Confirmat Gregorius XIII, const. *Quoniam sæpe*, et pontifices alii plures, nec non infinitæ responsiones sacr. congr. Concilii.)

« Diximus matrimonium hujusmodi *dissolvi posse* in triplici enuntiato casu, non autem illud ipso facto, aliquo ex his exsistente, dissolvi. Quin per se et regulariter loquendo pars infidelis interpellanda est an velit pacifice cohabitare antequam conversus ad novum matrimonium possit procedere. (S. congr. apud Benedict. XIV, quest, 241; et *De synod. diœc.* lib. 13, cap. 21.) Si omittatur interpellatio judicandum erit, ait Collet, n. 95, quemadmodum judicatur quando quis init matrimonium de morte prioris conjugis non satis certus. Valebit vel irritum erit prout altera pars consentit vel dissentit. Si illa interpellatio sit moraliter impossibilis omitti potest, saltem cum dispensatione sancti pontificis v. gr. si ignoretur ubinam sit conjux, vel responsum ab eo haberi non possit, » Re ipsa dispensarunt plures summi pontifices non quidem solvendo matrimonium, ait Benedict. XIV, *De synod. diœc.* lib. XIII, c. 21, n. 4., sed interpretando jus divinum,

et declarando tunc locum habere privilegium Apostoli. Ita inter alios Gregorius XIII, *ibid.* et ipse Benedictus XIV, *Bullar.* const. 97. Ea ratione declararunt etiam matrimonium initum subsistere, licet postea comperiretur partem infidelem fuisse legitime a respondendo impeditam, imo et sacris initiatam, quia semel applicatum privilegium postea cessare non debet. Dixi: *Saltem cum dispensatione summi pontificis.* Multi putant eam non requiri. Alii requirunt, quia summi pontificis est declarare quandonam obligare desinat jus divinum. Huic sententiæ adhæsit sacr. congr. an. 1722. (*Vide* Bened. XIV, *De synod.* lib. VI c. 4, n. 3.) Et ipse statuit postea ut interpellatio non omitteretur absque auctoritate summi pontificis. (Constit. 38.) Si infidelis interpellatus moras nectat, aliquandiu exspectandum erit; sed elapso termino conversus poterit ulterius progredi, quia non debet privilegio suo frustrari. (Ita Collet, n. 96.)

Si conversus plures in infidelitate uxores habebat, primæ soli interpellatio est facienda, quia sola est legitima. Matrimonium autem non dissolvitur hac interpellatione, seu negativa responsione conjugis infidelis, imo nec ipsa sententia judicis qua denuntiatur converso quod potest ad novas nuptias procedere, sed ipsamet celebratione harum nuptiarum.

III. Societatis conjugalis, seu matrimonii rati, non consummati vinculum per solemnem religionis professionem alterius conjugum dirimitur. (De fide; c. *Verum, De convers. conjugat.*; c. *Ex publico*; c. *Ex parte tua*, eod. tit et *Trident.* sess. 24 can. 6: *Si quis dixerit matrimonium ratum, non consummatum per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi, anathema sit.*)

Ideoque ex cap. *Ex publico*, citato, facultas duorum mensium suppetit novis conjugibus, intra quos eorum quisque, liber a debito conjugali, deliberare potest de transitu ad religionem, huncque transitum si huic steterit, operari. Elapso vero illo bimestri tempore, jam eorum nulli licet, alio reclamante, solutionem debiti conjugalis procrastinare, quamvis tamen si nondum fuerit persolutum liceat adhuc ad religionem transire in casu quo alteruter transit ad religionem matrimonium non dissolvitur ipsomet novitiatus ingressu, sed sola *solemni religionis* professione; proindeque remanens in sæculo ad alias nuptias procedere nequit nisi post solemnem alterius professionem; nam si conjux probatus a religione se retraxerit ad compartem illico remeare tenebitur.

IV. Societas conjugalis, seu matrimonium ratum, non consummatum potest pontificis, specialibus in circumstantiis et causis, dispensatione dissolvi. Hæc conclusio est certa, ex fere unanimi canonistarum sententia; ex praxi repetita et continua Ecclesiæ. Ex constitutione Benedicti XIV *Dei miseratione*, in qua modus procedendi præscribitur his verbis: *Et quoniam sæpe apud sedem apostolicam preces porrigi solent pro dispensatione matrimonii rati et non consummati.... Volumus et mandamus ut supplex libellus nobis vel Rom. pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurrata totius facti species contineatur, causæque omnes in eo exprimantur quæ ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a supplicante censentur, ut Rom. pontifex eo lecto et mature considerato secum deliberare possit an petitionem rejiciat, vel ejus examen alicui ex congregationibus committat.*

(Vide *Instit. jur. can.*, auctor. R. de M. tom. II, pag. 51 ad 96, ex quo præsens caput abreviatum transcripsimus, fere ad verbum.)

Scholium.

Ex dictis in hoc capite eruuntur plures valde notandæ conclusiones, quæ sunt immutabilia cujuscunque societatis humanæ principia.

I. Societas humana in genere a Deo creata est, et est naturæ humanæ necessaria. (*Gen.* I: *Non est bonum hominem esse solum.*)

II. Omnis vero hominum societas in libertate humanarum personarum constat quoad initiationem et formationem; quod verificatur in societate conjugali, nam *matrimonium non facit coitus sed voluntas* C. *Matrimonium* 1, causa 27, quæst. 2.) *Et solus eorum consensus de quorum conjunctionibus agitur, qui consensus, si in nuptiis solus forte defuerit, cætera omnia etiam cum ipso coitu celebrata frustrantur.* C. *Sufficiat* 2; etc. *Omnis res* 4, ejusdem causæ et quæst. *Et solo consensu legitimo contrahitur matrimonium* (C. *Tuæ fraternitati*

25, tit. 1. *De sponsalib.* lib. IV *Decretal.* *in matrimoniis et sponsalibus debet esse libertas....* (C. *Gemma mulier*, 29, *ibid.* ; et per totum hunc titulum; et tit. II, *De desponsatione impuberum.*) Ergo solus liber consensus facit societatem conjugalem, non autem facta, nec quidem coitus etsi voluntarius absque libero consensu in ordine ad matrimonium.

III. Atqui societas conjugalis *prima est humani generis in ista mortalitate societas* (C. *Quidquid* 3, causa 32, quæst. 2); et est a Deo instituta, (*de fide*), tanquam origo et exemplar omnium aliarum societatum humanarum. Ergo omnis societas libertate seu libero consensu initur et formatur. Etenim omnes homines sive viri, sive mulieres sunt similes et æquales ex primæva origine ; Gen. II, 18: *Non est bonum hominem esse solum : faciamus ei adjutorium simile sibi.* Atqui *cum non habeat imperium par in parem* (C. *Innotuit* 20, tit. VI *De electione*, lib. I *Decretal.*) sequitur in nulla societate qualemcumque hominem in alium non habere imperium nisi in quantum teneat sive a jure naturæ, sive a jure divino, sive ex libero contractu seu pacto.

IV Unde sequitur quod vir imperium in uxorem non habeat nisi ad matrimonii et societatis conjugalis fines ; ideoque conjugum officia communia ab utroque pari obligatione servari debent. (C. *apud nos* 20 causa 32, quæst. 5, ibi : *Apud nos quod non licet feminis, æque non licet viris, et eadem servitus pari conditione censetur.* Ex quo *non potest vir continentiam servare, nisi uxoris teneat consensum.* (C. *Si dicat* 1, causa 33, quæst. 5) *Nec mulier absque viri consensu.* (C. *Mulier* 3, *ibid* et per totam.)

V. Libera est mulier virum in societate conjugali accipere, sed semel inito matrimonio, mulieres jure naturali et divino, et etiam ex fœderis pacto, viris suis debent subesse. C. est ordo 12, causa 33, quæst. 5, ibi : *Est ordo naturalis in hominibus, ut serviant feminæ viris, filii parentibus...* Et cap. *Hæc imago* 13, *ibid.* : *Vir est caput mulieris. Hæc imago Dei est in homine ut unus factus sit quasi Dominus, ex quo cæteri orirentur, habens imperium Dei, quasi vicarius ejus : quia omnis rex Dei habet imaginem....* et ita multi alii canones ejusdem causæ.

VI. Sed nihil potest vir contra mulieris legitima jura ; et ex violatione juris sive naturalis, sive divini per virum erga mulierem potest dissolvi societas conjugalis, ut probatum est § 7 præcedenti : etsi vinculum non semper dissolvatur.

Hujusmodi conclusiones aliis societatibus suo justo modo applicandæ venient.

CAPUT VI.

De jure naturali, et divino cujuscunque societatis humanæ in genere et primo in societate domestica seu familia.

§ I. — De auctoritate et potestate regendi et gubernandi in genere.

I. Quid sit auctoritas ? Absolute loquendo, nulla est auctoritas nisi Deus. Solus enim Deus per semetipsum est ; omnium auctor exsistit, et est princeps, causa, supremus arbiter omnium creaturarum. Ab ipso pendent omnia et ipsi omnes subjiciuntur creaturæ, ita ut ex hac necessaria subjectione emanant ipsis creaturis omnia officia seu debita, et ex officiis enascuntur jura.

Auctoritas, quæ est ipsemet Deus, sub variis formis sese delegat ; semetipsam visibilem in suarum potestatum depositariis pro subjectorum bono ostendit. *Non est enim potestas nisi a Deo : quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.... Dei enim minister est tibi in bonum. Rom.* XIII, 1, 4.

Homines et simul humanam societatem creavit Deus ; societas in se non est inventa nec conventa inter homines ; cum enim hi nequeunt exsistere, perfectam suæ naturæ evolutionem obtinere nisi in societate, necesse est ut principio et ratione anterior singulis hominibus fuerit.

Atqui, omnis societas necessario supponit legem qua ordinantur ipsa societas et ejusdem membra relative ad Deum, membraque inter se, et omnia membra relative ad ipsam societatem, a qua unumquodque exsistentiam, media naturales facultates suas evolvendi, et finem attingendi, accipit.

Lex autem, quæ eam observare faciat, violationesque ad boni regulam pro omnium felicitate reducat, auctoritatem exigit.

A Deo igitur emanat omnis lex, omnis auctoritas, omnis potestas in humana societate naturali sicut in societate supernaturali, quæ est Ecclesia, titulis tamen et mediis diversis.

II. Idem probatur ex Patribus et Theologis; sufficiat sanctum Thomam adducere.

Summæ pars prima.

« QUÆST. XCVI. — *De dominio hominis in statu innocentiæ.*

« Art. 1. *Utrum homines in statu innocentiæ fuissent æquales?* — Respondeo dicendum quod necesse est dicere aliquam disparitatem in primo statu futuram fuisse, ad minus quantum ad sexum; quia sine diversitate sexus generatio non fuisset; similiter etiam quantum ad ætatem; sic enim quidam ex aliis nascebantur... — Sed et secundum animam diversitas fuisset et quantum ad justitiam, et quantum ad scientiam. Non enim ex necessitate homo operabatur, sed per liberum arbitrium, ex quo homo habet quod possit magis et minus animam applicare ad aliquid faciendum, vel volendum, vel cognoscendum; unde quidam magis profecissent in justitia et scientia, quam alii. Ex parte etiam corporis poterat esse disparitas. Non enim erat exemptum corpus humanum totaliter a legibus naturæ, quin ex exterioribus agentibus aliquid commodum aut auxilium reciperet magis vel minus, cum etiam cibus eorum vita sustentaretur....

« Art. 2. *Utrum homo in statu innocentiæ homini dominabatur?* Conditio hominum in statu innocentiæ non erat dignior quam conditio angelorum; sed inter angelos quidam aliis dominantur; unde et unus ordo *Dominationum* vocantur. Ergo non est contra dignitatem status innocentiæ quod homo homini dominaretur. »

« Respondeo dicendum quod dominium accipitur dupliciter uno modo secundum quod opponitur servituti; et sic dominus dicitur cui aliquis subditur ut servus. Alio modo accipitur dominium, secundum quod communiter refertur ad subjectum qualitercunque; et sic etiam ille qui habet officium gubernandi et dirigendi liberos, dominus dici potest. Primo ergo modo accepto dominio, in statu innocentiæ homo homini non dominaretur; sed secundo modo accepto dominio, in statu innocentiæ homo homini dominari potuisset.

« Cujus ratio est, quia servus in hoc differt a libero, quod *liber est causa sui, servus autem ordinatur ad alium.* Tunc ergo aliquis dominatur alicui ut servo; quando eum cui dominatur, ad propriam utilitatem sui, scilicet dominantis, refert. Et quia unicuique est appetibile proprium bonum; et per consequens contristabile est unicuique quod illud bonum quod deberet esse suum, cedat alteri tantum; ideo tale dominium non potest esse sine pœna subjectorum; propter quod in statu innocentiæ non fuisset tale dominium hominis ad hominem.

Tunc vero dominatur aliquis alteri ut libero, quando dirigit ipsum ad proprium bonum ejus qui dirigitur, vel ad bonum commune; et tale dominium hominis ad hominem in statu innocentiæ fuisset propter duo; primo *quia homo naturaliter est animal sociale.* Unde homines in statu innocentiæ socialiter vixissent. Socialis autem vita multorum esse non potest, nisi aliquis præsideret, qui ad bonum commune intenderet... Secundo, quia si unus homo habuisset super alios supereminentiam scientiæ et justitiæ, inconveniens fuisset; nisi hoc exsequeretur in utilitatem aliorum, secundum quod dicitur, I Petr. IV, 10: *Unusquisque gratiam quam accepit, in alterutrum illam administrantes.* Unde Augustinus dicit, lib. XIX, *De civit. Dei*, cap. 14, in fin. *Quod justi non dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi;* et cap. 15. *Hoc naturalis ordo præscribit; ita Deus hominem condidit.* »

Hæc cum ita sint ex necessitate rerum, cuilibet humanæ societati necessaria est auctoritas, potestas et Lex. — Deus est ipsamet auctoritas et potestas, a qua essentialiter procedit Lex.

§ II. — De origine legis.

Deus, omnium conditor, a semetipso exsistens, omnem in se auctoritatem habet. Ex hac vero auctoritate, cui omnia subduntur et nullus imperare potest, creaturæ earumque leges et fines emanant. Deus Pater est, Rex omnipotens et absolutus; a quo omnis paternitas et regia potestas emanat in cœlo et in terra. Nulla subsistit creatura nisi per incessantem omnipotentiæ actum, quæ servando creare pergit, sic que dat animis sicut et corporibus omnem agendi potentiam, subsistere faciendo.

Deus, bonitas infinita, nisi ad felicitatem entia non creat. Homo igitur, imago et similitudo Dei, sed non eidem æqualis ad

felicitatem conditus est. Non est vero felicitas possibilis pro quolibet ente nisi in vera suæ naturæ necessitatum satisfactione per legum observantiam, quibus ejusdem decreta fuit creatio, necessitates volitæ, finesque positæ sunt. Hujusmodi leges legi Dei æternæ necessario sunt conformes; sunt ipsamet lex æterna, juxta quam creaturas cum earum necessitatibus et finibus fecit Deus. In creatura intelligenti et libera debet necessario imprimi ista lex, sine qua nec exsistere, nec suæ naturæ necessitates adimplere, nec fines attingere potest. Lex igitur naturalis in cordibus hominum scripta, nihil aliud est quam legis æternæ participatio. *Lex naturæ est impressio divini luminis in rationali creatura*, ut inquit sanctus Thomas, in 1-2, quæst. 91, art. 2. Et *lumen naturale intellectus nihil aliud est quam manifestatio veritatis*, ut idem sanctus Thomas docuit in 1-2, quæst. 67, art. 1. Item argumenta rei indicant ipsam rem; cap. *Intelligentia, De verborum significat*. Consequenter ut lex æterna naturæ lex est immutabilis et ab ea dispensare nemo potest: quia quod prohibet malum est essentialiter malum, cum sit rationi divinæ oppositum; et quod mandat bonum, est de se bonum cum sit supremo bono conforme.

Legis naturæ alicujus entis violatio ad ejusdem destructionem tendit et invincibilem finis obtinendi obicem ponit. Dum e contra hujusce legis observantia omnes entis quem regit fines et destinationes adimplet. Atqui ex lege æterna et consequenter ex lege naturali, homo omnia Deo debet a quo omnia accepit. Omnis veritas, omne bonum, omnis justitia et felicitas homini adveniunt ex plenitudine divina. Ad subsistendum igitur in veritate suæ naturæ ad felicitatem obtinendam homo necessario debet ad Deum tendere, quia in oppositum tendentia est omnino nihilum. Cultum igitur et adorationem, subjectionem et gratitudinis amorisque obedientiam Deo debemus; hæc est prima nostræ naturæ lex; quam adimplendo, ad felicitatem quæ ipsi competit adveniret homo, si nihil amplius supra naturam ipsi ab infinita bonitate proponeretur.

Hic tantum loquimur, ut patet, de puræ naturæ hypothetico statu, cujus possibilitas est fidei catholicæ dogma. In hujusmodi statu, ad quem de se pertinet creatio, homo est ens socialis, qui exsistere, vivere, semetipsum physice, intellectualiter et moraliter evolvere nequit nisi in hominum societate aliqua. Tanto perfectior est in qua homo nascitur societas, quanto melius suarum facultatum facilem et perfectiorem evolutionem obtinet. Societas igitur aliqua est hominis naturalis status, nec eidem renuntiare, nec ex ea exire magis quam sese creare potest.

Prima vero naturalis societas, quæ et necessaria est, et elementum, et principium et fundamentum omnium aliarum societatum exsistit, est familia. Deus sic eam condidit ut unum haberet principium, ducem et caput: *Nec illud otiosum, quod non de eadem terra, de qua plasmatus est Adam, sed de ipsius Adæ costa facta sit mulier: ut sciremus unam in viro et muliere corporis esse naturam, unum fontem generis humani. Ideo non duo a principio facti vir et mulier, neque duo viri, neque duæ mulieres. Sed primum vir, deinde ex eo mulier. Unam enim naturam volens hominum constituere Deus, ab uno principio creaturæ hujus incipiens multarum et disparium naturarum eripuit facultatem.* (C. *Nec illud* 20, causa 33, quæst. 5.) Ecce familiæ origo, cujus unum est principium, in quo Dei auctoritas et potestas delegatur. Pater imperandi jus habet, quia *hæc imago Dei est in homine, ut unus factus sit, quasi Dominus, ex quo cæteri orirentur, habens imperium Dei, quasi vicarius ejus...* (C. *Hæc imago* 13, causa 33, quæst. 5.) In eo sensu auctoritas patrisfamilias est divina, a Creatore ordinata. Quemadmodum Creatori subjectionem et obedientiam debent creaturæ, ita subjectionem et obedientiam eorum procreatori, eorum patri debent liberi; hocque ab æterna lege procedit.

Attamen unaquæque patris, matri et filiorum persona suum esse et subsistere proprium habet a conditore et natura. Ideoque unaquæque persona est libera et ab aliis in suis actibus liberis independens. Unde necesse est ut inter auctoritatem patris et libertatem personarum familiæ concordiam aliqua lex præbeat et imperet. Quod est nobis considerandum, 1° dogma libertatis præponendo; et 2° auctoritatem legis prosequendo.

§ III. — De humanæ personæ libertate, seu de libero arbitrio.

I. Intellectus et ratio hominis in suis

actibus non sunt liberi. De sua enim natura intellectus sibi intelligibilia intelligit, et ratio de vero, justo et bono dijudicat. Voluntatis tamen imperio majorem in suis actibus attentionem afferre possunt intellectus et ratio. Voluntas autem potest libere agere, quia ad eam pertinet liberum arbitrium.

II. Libertas est primus humanæ personalitatis character; liberum arbitrium facit hominem sui ipsius arbitrum et dominum. Libertatis enim dogma cum omnibus liberi arbitrii proprietatibus ab Ecclesia positum est tanquam humanum omnium hominis actuum meriti ac demeriti fundamentum. Nihil Ecclesia magis quam hujus dogmatis, a quo omnia personarum jura fluunt, veritatem tuita est et propugnavit.

Post omnes SS. Patres et catholicam traditionem sacrosanctum concil. Trident. sess. 6, definivit: *Liberum hominis arbitrium... cooperari posse assentiendo Deo excitanti atque vocanti... atque dissentire, si velit.*» (Can. 4.) *Liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et exstinctum non esse... et rem esse veram.* (Can. 5). Et *consequenter esse in potestate hominis, vias suas malas facere.* (Can. 6.) *Unde in sacris Litteris, cum dicitur:* « *Convertimini ad me et convertar ad vos* (*Zachar.* I, 3); » *libertatis nostræ admonemur, cum respondemus:* « *Converte nos, Domine, ad te et convertimur* (*Thren.* V, 21); » *Dei nos gratia præveniri confitemur.* (Cap. 5 *De justific.*)

Cum novis formulis error libertatem humanam debellaret, pontificum Romanorum auctoritas contra novos hæreticos definivit: *Voluntatem humanam, si necessario facit, libere non agere.* (ex Baii propositione 39 damnata.) Attamen hæc libertas et a necessitate et a coactione exempta est vera hominis libertas, per quam solam potest mereri et demereri; nam de fide est *ad merendum et demerendum in statu naturæ lapsæ requiri in homine non solum libertas a coactione sed etiam libertas a necessitate.*» (Ex tertiæ Jansenianæ proportionis damnatione.)

Non est forte dogma, quod accuratius definierit Ecclesia quam libertatis humanæ dogma, ex qua fluunt omnia officia, jura, merita et demerita personæ humanæ. Itaque reponit Ecclesia omnem humanarum conventionum, et etiam votorum et promissionum Deo factorum valorem in libero voluntatis consensu.

Voluntas igitur libera est, ab ipso Deo independens in suæ libertatis exercitio. Per suam liberam voluntatem omnis creatura se possidet et principaliter constituitur personalitas, quæ est major Dei imago, in quantum facit ens principium activum et suorum actuum responsabile. Personalitas libera, suorum actuum arbiter, est hominis prima et inalienabilis proprietas, seu primum dominium. In omnibus aliis potentiis et facultatibus suis homo subest dependentiæ et immediatæ actioni Dei, in sua vero independente et libera personalitate cum Deo collaborat et cooperatur, eidem dissentire et contra ipsum Deum quam ab eo incessanter accipit energiam exercere potest juxta prophetæ verba: *Servire me fecisti in peccatis tuis, laborem præbuisti mihi in iniquitatibus tuis.* (*Isa.* XLIII, 24.) Per voluntatem igitur liberam homo sese possidet, est sui ipsius dominus, suorumque consequenter actuum respondens et destinationum suarum arbiter. Hæc est principium et fons omnium aliarum hominis proprietatum seu dominiorum.

« Habet homo dominium omnium actuum suorum liberorum etiam internorum, imo et supernaturalium, ut gratiæ, virtutum, etc. (Est communis.) Et ratio est quia potest homo pleno jure libere uti omnibus dictis actibus tanquam rebus suis, et in suum commodum, potestque illos ponere, vel non ponere; sine gratia quidem nunquam operabitur supernaturaliter, sed ipsa recepta, adhuc liber est ut agat, vel non agat, physice loquendo. Homo est etiam dominus propriæ libertatis. (Est etiam communis.) Et ratio est, quia homo potest ea pro suo arbitrio frui, et non frui, aut si velit, potest ipsam vendere, et se servum constituere. » (Ferrar. verb. *Dominium*, art. 2, n. 12 et 13.)

Ab hoc essentiali dominio personalitatis liberæ procedit omnium aliarum externarum rerum dominium in homine. Sed quia ad hanc personalitatem humanam sese refert quodcunque hominis dominium seu proprietas, aliquid de dominio in genere et de ejus natura explorandum venit.

§ IV. — De dominio seu possessionis proprietate.

I. Dominium et proprietas unum pro alio generaliter usurpantur; quamvis aliqua in-

tercedat differentia. Sed quidquid sit, *dominium generalissime sumptum est facultas disponendi de re tanquam sibi subjecta.* (Est in re communis.) Dominium sic generalissime sumptum dividitur in *dominium* quale competit Deo per essentiam in omnes creaturas; et *dominium humanum*, quod convenit homini per participationem, seu potestatem sibi a Deo collatam in alias creaturas, juxta illud Gen. I, 28 : *Crescite et multiplicamini, et replete terram et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus cœli; et universis animantibus, quæ moventur super terram.*

De natura Dominii. — Dominium ad hominem pertinet ex lege et necessitate naturæ; homo etenim rerum pro ipso creatarum necessario opus habet ad vitam suam sive intellectualem, sive corporalem; ideoque necesse est ut possit tanquam persona libera res sibi appropriare, et de sic appropriatis rebus libere uti; secus nullum actum ponere posset libertas humana. Atqui conformiter huic humanæ naturæ necessitati Deus mandavit hominibus : *Subjicite terram*, *et dominamini*, etc.

Dominium vero est personale et individuale; quælibet enim persona libera idem jus habet sibi suo ingenio et labore res appropriandi et possidendi. Nam vi æqualitatis metaphysicæ inter personas, nulla liberam suæ paris activitatem impediendi, extensionem prohibendi, vires annulandi jus habet. Omnes personæ sibi invicem mutuam observantiam, æquales in suis utilibus aut necessariis relationibus concessiones debent. In eo constat justitia, quæ in reciprocam officiorum et jurium æqualitatem reincidit.

Atqui de sua natura homo suum intellectum, suamque rationem et voluntatem, suum laborem et suam vivam actionem, quæ est totalis ejusdem personalitas libera, in quamdam terræ partem, in industriam exteriorem, et in omnia ex his consequentia, immittit. Per hanc intelligentem actionem homo fecundat et perficit sibi omnia quæ in dominio ad ipsum creato attingere potest; hæc sibi appropriat, ex iisdemque existentiæ et perfectibilitatis suæ evolutionis elementa necessaria extrahit. Hæc est secunda hominis proprietas ab ipsa libera personalitate, quæ est prima et fundamentalis proprietas, quasi procreata et producta. Nemo hanc secundam proprietatem injuste arripere potest absque omnium personalitatis jurium violatione, absque ejusdem servitute et annihilatione, absque imperii in parem usurpatione, absque legis eversione Creatoris, qui personas ab ipsomet in eorum liberæ voluntatis exercitio independentes futuras esse voluit.

Ergo necesse est ut proprietas quælibet sit personalis et individualis.

Nostræ conclusiones firmantur auctoritate canonum et doctorum : satis sit adducere Fagnanum et ab ipso plurimos citatos in cap. *Quæ in ecclesiarum*, *De constit.* lib. I *Decret.* n. 108 et seq. :

« Quæro cum Innocentio, an principis rescriptum, lex, vel statutum in læsionem juris alterius valeat, necne? Pro solutione duo casus principales sunt distinguendi. Primus est, cum princeps aufert jus alteri quæsitum, vel acquirendum de jure naturali, id est gentium, ut sunt dominia, obligationes, et hujusmodi, quæ non dantur a jure civili, sicut dantur actiones, sed proveniunt a jure gentium, quod etiam dicitur jus naturale, quia naturali ratione inductum est...

« Et in hoc primo casu subdistingue : nam aut princeps auferendo jus alterius procedit sine justa causa, et hoc est certum : et concludendum est secundum Innocentium.... hujusmodi rescriptum, aut legem, vel statutum non valere... et concordant reliqui omnes. Et hanc dicit esse opinionem Canonistarum, et legistarum, Abbas, hic, *num.* 11, vers. *Si autem non subest causa*, per textum in Clement. *Pastoralis*, *De re judicat.* ubi habetur, imperatorem non posse tollere ea, quæ sunt de jure naturali; et sic non potest imperator alicui rem suam auferre, quia licet habeat jurisdictionem in universas... non tamen habet dominium rerum privatarum quæ a principio fuerunt concessæ occupantibus. (Ex communi doctorum sententia...) Eamdem conclusionem posuit Bart. in Procemio *Digestorum* per textum *Quem dicit meliorem de mundo in* lib. *Venditor;* § *Si constat, ff. Commun. prædiorum*, per quod dicit, nec principem, nec civitatem posse aliquem privare dominio rei suæ sine causa... Et hæc opinio est communior, et rationabilior..., et eam sequitur D. Thomas, dicens, hujusmodi leges esse tyrannicas. (In *Quodlib.* 12, art. 24, in fin.) Et sicut non valeret

rescriptum, lex vel statutum; ita nec consuetudo, secundum Innocentium .. »

Et isdem Fagnanus, in c. *Ex parte, De arbitris*, lib. I *Decretal.* n. 11, Nota ex fine capituli, de jure impossibile esse ut duo eodem tempore jus habeant in eodem beneficio, secundum Joan. Andr., etc... Nec mirum, quia etiam impossibile est ut valeant duæ electiones de eodem ad eamdem. (C. *Ut quis duas, De elect.* in 6.) Unde statim atque pronuntiatur jus uni competere; simul etiam tacite pronuntiatur jus alteri non competere, ut hic in littera, et est simile in dominio, ut in leg. *Pomponius*, § *Sed et his qui*, in fine, ibi : *Nam cum judicatur rem meam esse, simul judicatur illius non esse, ff. De procurat.*; non enim potest esse in solidum apud plures, ut l. *Si ut certo*, § *Si duobus, ff. Commod.* Et idem in possessione ut ibi est textus, et in l. *Duo, ff. De præcar.* » Ergo ex doctorum sententia, canonibus et legibus firmata, dominium est necessario personale, et proprietas ad unum individuum pertinere debet; ut de cætero dicit et consonat verbum *proprietas*, nam nihil est proprium quod est pluribus commune.

Atqui dominium seu proprietas est jure naturæ et divino inviolabile; nam : *Non furtum facies* (*Exod.* xx, 15). Et c. *Nemo* 4, causa 14, quæst. 5, ibi : *Nemo qui rapit, moriens, si habet unde reddat, salvatur.* Et c. seq. *Rapinam emere non licet, nisi ea intentione, ut cui est ablata reddatur.* Et c. *Pœnale*, 13, ejusd. caus. et quæst. : *Furti enim nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ. Non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit.* Unde in c. *Si res aliena* 1, ejusd. caus., quæst. 6 : *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* quæ ultima verba sunt *regula* 4, *Juris in* 6.

III. *Definitio et origo dominii.* — Ex præfatis, dominium rectius definitur *jus in corporali, quo hæc ita nobis propria est, seu ad nos spectat, ut alios possimus excludere ab usu ejus rei deque illa disponere, quatenus lege, pacto, vel testamento jus disponendi non reperiatur restrictum.*

« Quomodo autem in primævo hominum statu res terræ in dominium singulorum pervenerint, non est una omnium sententia... Plerique vero, et quidem simplicius, et indoli humani generis, prout tum ejus status fuit, convenientius sentiunt, res ab initio non communes, sed nullius, id est in nullorum hominum bonis et proprietate fuisse, et per occupationem demum in dominium singulorum pervenisse. » (Ferrar. verb. *Dominium*, Add. ex aliena manu, n. 38 et seq.)

IV. *De modis dominium acquirendi.* — Dominium rerum tribus modis acquiri potest, scilicet jure naturali, seu gentium; jure civili atque canonico : jure particulari, privati alicujus contractus, seu conventionis. Jure naturali, seu gentium acquiritur dominium rerum, quæ nullius sunt, et multiplici modo, scilicet occupatione, alluvione, specificatione, accessione, confusione, commixtione, et fructuum perceptione. Jure civili, atque canonico acquiritur dominium rerum, quæ quidem alicujus sunt, sed præfixo per leges et canones tempore possidentur. — Jure particulari privati alicujus contractus, seu conventionis acquiritur dominium rerum quæ sunt alicujus tanquam domini et possessoris, sed in alium transferuntur per donationem, venditionem, aut alium contractum. (Communis.) De his omnibus sicut et de dominii prærogativis, quibus integritas et libertas humanæ personalitatis præservantur, vide moralistas et canonistas, ad quos brevitatis causa remittimus, cum huc usque dicta ad nostrum finem sufficiant.

§ V. — De dominii seu proprietatis transmissione in familia naturali.

I. Societas conjugalis, seu familia humana a Deo creata et instituta fuit; et præcipue ad hanc familiam dictum est, Genes. I, 28 : *Crescite et multiplicamini, replete terram et subjicite eam, et dominamini*, etc. Itaque ad existentiam et perpetuitatem familiæ necesse est ut quodlibet dominium sit personale et transmittatur a parentibus ad liberos et vice versa a liberis ad parentes. Etenim personalitas humana transmittitur per generationem a parentibus ad liberos, qui sunt quasi prolongatio generantium. Atqui dominium est aliquid proprium personæ, ut probatum est. Ergo dominium sequitur personarum prolongationem, seu transit a generantibus ad generatos. Item dominium revertitur a liberis ad parentes, qui jus habent ad ea quæ ab ipsis sive mediate sive immediate producta sunt. Hoc est jus naturæ, lex justitiæ promanans ex natura et distinctione personarum, ex natura familiæ et ex æternis le-

gibus quæ eamdem regunt. Itaque ad solam parentum auctoritatem pertinet facere inter suos liberos, quando ad eorumdem legitimam subsistentiam proviserunt, largitatem majorem vel minorem superabundantium fructuum suæ liberæ personalitatis; quemadmodum ad auctoritatem Dei pertinet sua dona cuilibet creaturæ, juxta suam liberam voluntatem, ultra id quod uniuscujusque creaturæ natura exigit.

II. Confirmatur omnibus humanis legibus et sententia unanimi doctorum. « Legitima enim portio de omnibus bonis parentum est debita filiis de jure naturæ. (Authentic. *Ut cum, De appellat.* et cap. ***Raynutius*** 16, tit. XXVI, *De testamentis*, lib. III *Decretal.* ibi, auctoritate apostolica Innocentius III expresse declarat, quod ***legitima portio est jure naturæ debita.*** Quod capitulum ita summatur : ***In bonis patris, matris, et aviæ, habet quis debitam jure naturæ, in qua gravari nequit : et filius rogatus de restituenda hæreditate sub conditione, detrahit debitum jure naturæ.*** Et cap. ***Raynuldus*** 18 ejusdem tit. et lib., auctoritate apostolica Gregorius IX confirmat ***in bonis patris tertiam partem filio esse debitam jure naturæ.*** Propterea a legibus et doctoribus descendentes et ascendentes vocantur hæredes necessarii.

III. Error igitur socialistarum et aliorum, quo dominium personale et proprietatem impugnant, est contra jus naturale et impugnat libertatem et independentiam humanæ personæ ; longius usurpando progreditur quam ipse Creator, qui voluit et fecit humanam personam independentem, sed tamen responsabilem in ejus libertatis exercitio.

IV. Quæ supra dicta sunt ex integro confirmantur capite ***Jus naturale*** 7, dist. 1, ibi : ***Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique instinctu naturæ, non constitutione aliqua habetur; ut viri et feminæ conjunctio, liberorum successio et educatio; communis omnium possessio, et omnium una libertas, acquisitio eorum, quæ cœlo, terra, marique capiuntur ; item depositæ rei, vel commendatæ pecuniæ restitutio, violentiæ per vim repulsio. Nam hoc, aut si quid huic simile est, nunquam injustum, sed naturale æquumque habetur.***

§ VI. — De paterna auctoritate et parentum obligationibus.

I. Omnes humanæ personæ sunt liberæ, et metaphysice pares et ab invicem independentes. Sola igitur lege naturali et divina primum Deo subjiciuntur, deinde omnibus auctoritatis divinæ delegatis. Atqui in primis ex creatione auctoritas divina delegatur in principio familiæ. (C. ***Nec illud*** 20; ***Hæc imago*** 13, causa 33, quæst. 5, supra citat.

Hinc duo hic opponuntur, scilicet personalitas libera filiorum, et auctoritas paterna; inter utramque igitur necessaria est concordia. Ex lege quæ hujusmodi concordiam ordinat nascuntur omnia officia, quorum libera observantia omnem personæ naturam perficit et ad finalem ejus destinationis harmoniam perducit; dum e contra eorumdem officiorum infractio ab ejus fine personam disturbat et in æternum separare potest. Hæc est sanctio necessaria.

II. Dei auctoritas per legem imperat in auctoritate patrisfamiliæ. (Cap. ***Hæc imago*** 13, causa 33, quæst. 5.) Pater igitur in personali libertate sibi subjectorum majora jura, majus imperium non habet, quam ipse Deus sibi reservavit. Consequenter nequit pater imperare nisi in ordine et subordinatione legi æternæ et naturali. Patris igitur auctoritas ad officia reducitur. Erga Deum, cujus est locum tenens naturalis, suæ delegationis responsabilis exsistit, eamdemque juxta legem exercere debet. Per proprietatem vero personæ, unicuique liberum est legem servare aut violare; et ita liberorum personnalitas ab auctoritate patris sese subtraheret, et annihilaretur familia, nisi pater ad ejus conservationem invigilandi, et per correctiones legitimæ obedientiæ malas voluntates coercendi officium haberet. Has conclusiones firmant simulque parentum obligationes statuunt ***Constitutiones apostol.*** l. IV, c. 10, ibi : ***Ac etiam vos, Patres, erudite filios vestros in Domino, educantes eos in disciplina et monitis Domini, eosque artes idoneas et verbo Domini congruentes docete, ne copia et opportunitate temporis fractis habenis, et a parentibus non objurgati ab honestate et virtute deflectant, ante tempus idoneum relaxati, quamobrem ne vereamini increpare eos, et aspere castigare... Qui ergo filium suum monere ab infantia et castigare desinit, idem filium suum odit... Idcirco date operam ut tempore ad conjugium maturo eos in matrimonio jungatis, ne in ipso flore, ætate fervescente, iis moribus evadant ut se dedant meretricibus, et a vobis ratio, in die judicii, a Domino reposcatur.*** Constat ergo hunc esse

finem societatis parentalis rectam humanamque liberorum educationem, ad quam de jure naturali tenentur parentes.

III. De parentum obligationibus. — 1. *Alimenta.* Parentes, quo nomine etiam intelliguntur ascendentes, uti avus, proavus... in genere tenentur gravi obligatione juris naturalis, Divini et canonici prolem susceptam alere, omnibusque ejusdem pro ætate et conditione indigentiis secundum suas facultates providere. Unde graviter peccant parentes, qui sine justa causa prolem in hospitali vel locis publicis exponunt, hancque canones in pœnam parentum a patria potestate liberant. (C. unic. *De infantib. et languid.*)

Mater tenetur, sub veniali tamen, lactare proprio lacte, nisi habeat justam excusationem. Tunc vero tenetur sub gravi peccato bonam nutricem quærere.

Pater (et in ejus defectu mater) tenetur proli, non tantum legitimæ, sed etiam (in quo jus civile Romanum a canonico correctum juxta c. *Cum haberet, De eo qui dux. in matrim. quam poll.*), spuriæ curare alimenta, hoc est cibum, potum, vestitum, et honestas artes, juxta suum statum, nisi tamen aliunde se alere possit, et non indigeat; deinde etiam dotem filiæ... Et quidem clerici etiam ex fructibus ecclesiasticis possunt hæc suis spuriis præstare... Hinc peccant : 1° Si non adhibeant diligentiam, saltem mediocrem, ut acquirant bona, quibus filii alantur, habeantque hæreditatem secundum suum statum. — 2° Si bona dilapidando impotentes se reddant, ad liberos honeste secundum statum suum educandos, ac dotandos. — 3° Si sine legitima causa filiæ dotem negent vel filium exhæredent, v. gr. quia vult ingredi, vel est ingressa religionem, vel quia, ipsis invitis, nupsit, licet se indigno; vel quia filius ordinem sacrum suscepit. Sicut enim pater tenetur dotare suas proles pro matrimonio, vel ingressu religionis : ita etiam ad suscipiendos sacros ordines. Neque hæc donatio est revocabilis... »

2. *Educatio.* « Parentes gravi obligatione tenentur instruere liberos per se, vel alios, in necessariis ad salutem. Hinc graviter peccant, 1° si, quantum in ipsis est, non curent, ut bonis moribus imbuantur, doctrinam Christianam, seu fidei rudimenta addiscant, pravorum consortia vitent, mandata Dei et Ecclesiæ observent, sacramenta frequentent, a peccatis abstineant... 2° Si occasiones peccandi ab ipsis non avertant, vel in locis, aut domibus suspectis eos habitare permittant... 3° Si consilio, vel exemplo malo depravent. 4° Si non objurgent, puniantque dissolutos, moderate tamen : nam peccant etiam verberando immoderate; v. gr. ut notabiliter lædantur. »

3. « Tenentur etiam proli relinquere libertatem circa electionem status. Unde peccant invitos ad matrimonium, vel religionem cogendo, vel abstrahendo... Et quidem Trident. sess. 25, *De regul.* c. 18, excommunicat cogentes ad monasterium filias. » (S. Ligor. et ab ipso citat., lib. iv, cap. 2, dub. 2 n. 336 et seq. — Ex præfatis manifestatur quam magna juris naturæ et divini violatio sint leges humanæ educandorum liberorum nativam libertatem parentibus tollentes. Sic Dei locum tenens auctoritas paterna pergere debet quasi procreare totum esse liberi procurando ejus conservationem et totalem evolutionem, sicut Deus pergit unumquemque hominem creare eum servando, et ad finem ejus ducit eumdem docendo per sua opera creata, per conscientiæ lumen incessanter promulgando legem naturæ per omnia media ab ipso Deo instituta et creata.

IV. *De auctoritate parentum coercitiva.* — Liber, factus vir adultus, auctoritati paternæ non magis quam Dei auctoritati subjici desinit. Tunc vero plenam suæ personæ libertatem possidens, obsequium ejusdem fit mere morale et rationabile; vice sua parentibus adjutorium et auxilium debet. Ipsi liberum est sua officia adimplere vel violare; potest, ad malum declinans, ab auctoritate paterna se subtrahere, eam spernere, sed nunquam jus habet hanc auctoritatem abolendi; nequit enim facere ut pater non sit pater, nec auctoritatis divinæ delegatus; si tamen secus agat, deordinationem et nihili confusionem in familiam introducit. Pater tamen, contra sic male agentem filium, habet tantum media coercitiva, quibus emendari potest; auctoritatem paternam venerari et timere facere tenetur pater, et si quidem necesse fuerit, e familiæ sinu ejusque juribus expellere indignum filium, qui ejusdem familiæ subsistentiæ et conservationi noceret. Sed cum homo non habeat dominium vitæ suæ, nec sit dominus membrorum sui corporis, tanto minus erunt parentes domini vitæ et membrorum corporum suorum filio-

rum. (Communis.) Adeoque nequit pater mutilare et tanto minus occidere malum filium, nisi in necessitate propriam seu aliorum membrorum familiæ vitam tuendi contra vim, et quidem in actu defensionis necessariæ. Si vero possibilis sit defensio absque aggressoris occisione, pater nullum jus mortis habet; præceptum enim naturale, *non occides*, obligat omnes homines et omnes delegatos divinæ auctoritatis a qua promanat lex, vi regulæ juris per quam inferior nequit superioris sui legem abrogare, nec ab ea dispensare.

In hac paternæ auctoritatis et libertatis filii rebellis oppositione, relinquitur patri sola exclusio a juribus familiæ. Si tamen filius pœnitens ad meliorem frugem revertatur, pater, locum Dei tenens, pœnitentiæ parcere et filium revertentem in essentialibus familiæ juribus redintegrare debet.

Quæ conclusiones confirmantur auctoritate doctorum. Nota 1° quod filius alimentis ad vitam necessariis privari nunquam potest, cum debeantur jure naturæ.

2° « Quæres, an filius aliquando possit a patre privari hæreditate? — Resp. potest ex justa causa, alias non : eadem in testamento debet exprimi. (Auth. *Sed si post*, c. *De inoff. test.*) Talis autem censetur : *Primo*, ingratitudo (nisi in gratiam patris redierit, ipsumque pœnituerit ante testamentum conditum), ut, si affecerit patrem gravi injuria, vel ejus vitæ insidiatus sit, vel manus injecerit in eum, vel maleficiis se immiscuerit... *Secundo*, si novercam, seu patris uxorem cognoverit carnaliter; si parenti furioso, vel carcere detento noluerit succurrere, fide jubendo; si impedierit patrem, quominus testaretur; si bona parentum dilapidaverit cum gravi ipsorum dispendio. *Tertio*, si filia, minor 25 annis, luxuriosam vitam elegerit, etc. Circa quas nota, valere has causas, quando filius aliunde habet, unde vivat; nam alimentis ad vitam necessariis privari non potest, cum debeantur jure naturæ; quod a jure civili tolli non potest. » (S. Ligor. lib. iv, c. 2 lib. 2, n 341.)

§ VII. — De hæreditatis jure.

Etsi moriantur et hoc mundo successive emigrent individui, familia non sic moritur; hæc quidem est vera humanæ speciei repræsentatio, et, sicut omnis creata species, familia est perpetua. Atqui vegetalium et animalium species omnes suis progenitis omnia speciei essentialia transmittunt ex lege naturæ, creationis continuatione. Perfectibilis autem creata fuit humana species, quatenus constituitur personalitat bus liberis. Non est vero perfectibilitas nisi per acquisitorum a parentibus transmissionem ad liberos. Præterea filiis suis omnia existentiæ, evolutionis et perfectionis media, in quantum possunt, tam in præsenti quam in futuro debent parentes. Si enim Deus creaturis suis debet necessaria ad finem earum obtinendum, parentes a Deo delegati ad idem debitum tenentur. Parentum prolongatio sunt liberi; inter utrosque solidaritas præexistit; et quemadmodum Deus non odit opera sua, item necessario condit rationabiles creaturas ad felicitatem earum naturæ conformem, ita parentes, qui omnia a Deo acceperunt, his qui per omnipotentiam creatricem ab ipsis nati sunt, transmittere debent felicitatis elementa, de quibus secundum justitiæ et naturæ legem disponere habent.

Igitur de jure naturæ, ut supra probatum est, « parentes tenentur filiis legitimis relinquere integram legitimam nullo aggravatam onere. (Communis.) Parentes nequeunt filios legitimos privare legitima eis debita, nisi occurrat aliqua ex quatuordecim causis assignatis in jure ... Parentes quamvis de rigore juris possint relinquere extraneis id, quod in suis bonis habent supra legitimam filiis debitam, ut tenent communiter doctores; tamen sine gravi et justa causa non debent suam hæreditatem alienis seu extraneis relinquere, quia juxta monitum Spiritus sancti; Prov. xiii, 22: *Bonus relinquit hæredes filios et nepotes*. Et cap. *Raynutius* 16; et cap. *Raynuldus* 18, *De testament.*

« Item dicendum est si pater gravi percitus odio contra matrem, relicta tantum legitima filio, eumdem reliqua hæreditate privet. Iniquum enim jure reputatur, ut quis ob odium tertii prægravetur; ideoque hujusmodi testamentum, in quo filius ob odium matris in sola legitima institutus a patre sit, irritum remanet, et talis filius succedit patri in universa hæreditate tanquam ab intestato. Ita magistraliter Rota in terminis, *in Fulginaten. nullitatis testament.* Maii 1780, § 3, ibi: *Ex purissimis juris fontibus æquissima manet sententia illa quæ monet contra leges prægravari filium, qui ex odio transversali in tertium in sola legitima a patre instituitur propterea que ejusmodi testamentum non valere:*

« Imo nec debent totam hæreditatem suam relinquere ecclesiæ, seu pio loco. C. *Quicunque* 43, causa 17, q. 4. in cujus summario expresse dicitur: *Non debet ecclesia suscipere, quæ filio exhæredato, sibi offeruntur.*

« Parentes universim tenentur filiis (etiam illegitimis et spuriis) procurare educationem corporalem, scilicet providentiam vitæ, victus et status. (Communis.) Et insuper strictissime tenentur procurare eis bonam educationem spiritualem, scilicet eos recte instruere per se, vel per alios in omnibus ad salutem animæ necessariis. » (Communis.) (FERRAR. verb. *Parentes*, n. 10 et seq.)

§ VIII. — De liberorum erga parentes obligationibus.

Honora patrem, etc. (*Exod.* XX, 12) Liberi « tenentur vi hujus præcepti, tum genitoribus, tum superioribus, in iis rebus, in quibus quisque, et quandiu subjectus iis est, *amorem, reverentiam et obedientiam* præstare, ita ut si notabilis horum defectus sit in re gravi, graviter peccetur? Quod facilius fiet respectu parentum, quam aliorum. » (Ita communiter.) — (S. LIGOR. lib. IV, cap. 2, n. 333 et seq. ubi, sicut et in aliis auctor. plura vide.)

« Tenetur proles alere parentes egentes; adeo ut, si in gravi necessitate aliter juvari non possint, teneatur manere in sæculo (nisi tamen in hoc illi certum, vel certe valde probabile periculum salutis immineret)... et, si religionem sit ingressus, teneatur ea egredi, et juvare parentes; dummodo eorum necessitas ejus professionem antecesserit. » (*Ibid.* n. 335.) Filii « hæredes, aliique executores post hæreditatem aditam et inventarium confectum statim tenentur solvere legata et alia exsequi, quæ defunctus præceperat, nisi justo impedimento excusentur, et ad hoc a judice cogi possunt. (C. *Si hæredes* 6, *De testament.*)... Dominium enim rei legatæ adita hæreditate statim transit in legatarium. » (FERRAR. *verb. Hæres*, n. 44.) Unde legata pia statim fiunt bona ecclesiastica et nequeunt subjici oneribus, decimis et impositionibus ex quacunque civili lege, sub pœnis et censuris a jure latis; ex quo fit ut executores legatorum piorum tenentur si possunt, statuta civilia hujusmodi legatis eludere

Parentes ad liberorum hæreditatem jus naturale habent dummodo liberi defuncti filios non relinquant.

CAPUT VII.

De jure naturali et divino in societatibus civilibus.

Familia igitur est quid naturale creatum et necessarium ad hominum existentiam; familiæ humanæ auctoritas est ab ipso Deo delegata. Homo vero ad societatem creatus, incipit a familia, sed sese expandere, multiplicari et crescere debet in civili societate, quæ est aucta familia. Quod sic eleganter describit Tullius l. 1 *De offic.* c. 17. « Cum hoc sit natura commune omnium animantium ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est, proxima in liberis, deinde una domus, communia omnia. Inde autem est principium urbis, et quasi seminarium reipublicæ. Sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque, qui cum una domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt. Sequuntur connubia et affinitates, ex quibus etiam plures propinqui; quæ propagatio et soboles origo est rerum publicarum. »

§ I. — De societatis necessitate, et origine.

I. Societates civiles sunt in præsenti statu naturæ lapsæ moraliter necessariæ. Hæc conclusio est certa et unanimis doctorum, eamdemque multipliciter deducit sanctus Thom. *De regim. princip* l. XIV, c. 2, ex parte corporis, ex parte animæ ratione intellectus, voluntatis et appetitus ad societatem.

II. Præterea dicendum « videtur homines in statu Innocentiæ, si durasset, habituros fuisse inter se politicam societatem qualis in civitate perfecta, vel regno esse potest. » (Ita sentit D. THOM. part I quæst. 96, art. 4, juncto 3, et cum eo alii doctores.) In hujusmodi vero statu sola supernaturalis societas seu primæva ecclesia extitisset; cum ab hac divino-humana societate schisma fuisset peccati originalis aliqua consummatio.

III. « Societas civilis secundum se spectata est a Deo ut auctore naturæ; etenim ex dictis, homo est natura sua ens sociale, seu ens a natura ad societatem conditum, sermone præditum, ratione instructum, necnon appetitu non modo domesticæ societatis quæ ei sufficiens non est ad præcavenda mala communia et bona comparanda, sed et civilis quæ sola hanc sufficientiam præstat. Atqui Deus est auctor naturæ, ergo Deus est, ut auctor naturæ, etiam societatis civilis institutor, adeoque generalis et remotus. (*Instit. jur. can.* auctore R. de M. t. II, p. 112.)

De cætero necessitatem societatis et ejusdem naturalem originem negare absurdum est.

§ II. — De juris naturalis principiis quoad societatem civilem.

I. Nulla est absque lege possibilis societas. Societas igitur naturalis a Deo creata, suæ naturæ legi necessario subjicitur. Atqui lex hujusmodi a solo conditore et institutore societatis promanare potest et est legis æternæ participatio. Nam «jus naturale (quod alio nomine nuncupatur *lex naturalis*) est illud cujus obligatio non ex libera alicujus præcipientis legislatoris voluntate, sed ex ipsa rei præceptæ vel prohibitæ natura oritur; est in re communis, et colligitur ex cap. *Jus naturale* 7, dist. 1 ubi dicitur: *Jus naturale est commune omnium nationum, eo quod ubique jure naturæ, non constitutione aliqua habetur*. Et clarissime insinuatur ad Romanos cap. II, ibi: *Gentes quæ legem non habent* (id est scriptam) *naturaliter ea quæ legis sunt faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis; testimonium reddente illis conscientia ipsorum*. Et jam indicaverat regius Psaltes *psalm*. IV, ibi: *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine*. (FERRAR. verb. *jus* art. 4 et 5.)

II. Lex naturalis ab ipso Deo sic promulgata fuit: «*Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet et prophetæ*. *Matth*. XXII, 37 et seq.: *Deut*. VI, 5, et XXII, 1, seqq.)

III. Imprimis igitur adorare et amare Deum, illique servire, ejus mandata servare, hæc est prima naturæ lex tum singulorum hominum, tum humanarum quarumcunque societatum. Adeoque status seu quævis societas non indifferenter se habere debet ad religionem, sed e contra de ea summam curam habere. «Error est plurimorum hujus sæculi, ab indifferentistis et incredulis passim disseminatus, ac quam plurimis neopoliticis libenter acceptus nihil societatis civilis interesse veram religionem, ad eamque proinde nullatenus spectare hujus habere curam, sed potius debere singulas, ut dicunt protegere. Sane novum illud dogma politicum, quod etiam sub aliqua boni specie catholicos quosdam invasit huc usque abominati fuerant quique sani politici et philosophi, nec Christiani tantum, sed et gentiles, quibus civitas sine religione, perinde erat ac societas scelestorum et impiorum; quin neque reputabant posse talem stare civitatem sine religione, teste Plutarcha, l. *Adv. Colotem* docente: «Facilius urbem sine sole quam opinone de diis (seu religione) sublata civitatem coire aut consistere.» Quapropter cum axioma illud quam plurimorum modernorum politicorum multos jam infecerit, et sit vere portentum nostri temporis, nec minus regnorum subversivum quam scelestum exsistat, huic destruendo concervatis potissimum auctoritatibus, juvat specialiter incumbere.» (*Inst. jur. can.* auctor R. de M. t. II, p. 116 et seq.) Et probat 1° Scriptura: Psal. XXI, 28; Psal. LXVII fere per totum; Psal. LXXI 8; Isaias, II, 2; XLIX per totum. — 2° SS. Patribus: sanctus Leo M. Epist. ad Leonem imperat.; id *Epist*. ad Pulcheriam; S. Isidor. l. *De summo bono* c. LIII. — S. August. l. *De verit. prædestin.* Epist. 48 ad Vincentium. — Et iterum atque permultæ Epist. ad Bonifac. Comitem. et contra Crescon. III, 51. — S. Gregor. M. lib. II, Epist. 61. — 3° Sacris canonibus: c. *Imperatores*, dist. 9; c. *Boni principis*, dist. 96; c. *Ecclesiæ meæ*, dist. 97, Consentiunt plurimi alii passim canones, uti c. *Si vos*; c. *non vos*; c. *De liguribus*; c. *qualis nos*, causa 23, quæst. 5; et Trident. sess. 25, *De reform*. c. 20. — 4° Liturgia, scilicet ex Pontificiali Rom. de benedictione et coronatione regis — 5° Exemplis et dictis principum: Theodosius junior Epist. ad Patres Ephesinos relata sub initio hujus synodi et probata ab ea; Justinian. epist. ad synodum generalem Constantinop. II, in synodo lecta pariter et probata. — 6. Unanimi sapientum consensu etiam apud Paganos. — 7° Ratione: «Etenim supra demonstratum est, ait idem auctor, beatitudinem civilem propter quam tenendam homines coeunt in societatem non esse tantum materialem et in externarum opum affluentia solummodo sitam, sed etiam in honestate morum virtutumque moralium cultura. Jam vero sine religione nec mores sunt, nec virtutes; sine religione namque mores sunt corruptissimi et virtutes falsissimæ, præsertim cum religio sit caput et princeps virtutum moralium. Quin neque sine religione esse potest, saltem integre, pax et beatitudo terrena; quippe sine reli-

gione nulla sunt officia, nulla exsistunt jura, sed omnia violentiæ aut dolo patent. ergo...

« Tandem demonstratum est pariter societates civiles esse a Deo. Jam vero unumquodque ens, præsertim morale, auctorem suum debet agnoscere, eumque perpetuo honore ac observantia prosequi. Ergo... »

IV. Secundum naturale præceptum est dilectio proximi; id est liberam uniuscujusque personalitatem perpetua observantia prosequi, sicut Deus ipse voluit personam humanam esse liberam, et est, jure naturæ, *omnium una libertas*, c. *Jus naturale* 7, dist. 1, consequenter: *Quod tibi vis fieri, alteri feceris, et quod tibi non vis fieri, alteri non feceris*, in hoc enim naturalis æquitas et æqualitas consistit. Proximum igitur amare debes, cum ab eo amari vis; ipsum in ejus indigentiis adjuvare et ei auxiliari; ejus personam, familiam, proprietatem revereri; ipsi quod debitum est reddere, et etiam de propriis juribus et tua libertate, in communis utilitatis mensura, concedere; ipsi verbum tuum, promissa et obligationes servare; cum hæc omnia et similia ab ipso tibi præstari velles. Hæc sunt quædam manifestæ conclusiones, quas secundum legis naturalis præceptum includit; essentialiter bonæ sunt, contrarium autem est essentialiter malum.

§ III. — De civilis potestatis necessitate et divina origine.

I. Horum vero præceptorum, etsi æternorum et immutabilium, observantiæ contra innumeros appetitus pravos quis manutenebit? auctoritas igitur est necessaria, judex observationis aut violationis præceptorum necessarius. Talis est potestas socialis, quæ est divinæ auctoritatis depositarius, eamque repræsentans, pater et pastor humanæ familiæ auctæ. Ex necessitate ergo, societas, ens naturale, qua regatur potestatem exigit.

II. Ideoque, « datur in societate civili potestas, seu principatus politicus justus et legitimus. » Hæc conclusio est de fide ex *Instit. jur. canon.* auct. R. de M. t. II. p. 128 ibi: » Probat. 1° Scriptura. Prov. xxi; *Rex justus erigit terram*; et iterum: *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*. Et tandem Sap. vi: *Rex sapiens stabilimentum populi est*. His quippe verbis affirmatur regimen politicum, seu regem in quovult subjecto residet esse justum, quin esse *stabilimentum* et salutem populi et societatis. Quapropter apud I Petr. II; 13, præcipitur, 1: Christianis, *ut subjecti sint omni humanæ creaturæ propter Deum sive regi tanquam præcellenti*. Et ad Rom. XIII: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*. Ergo illa sublimior potestas politica est legitima. — 2° Patribus et canonibus afferendis mox in propositione sequenti. — 3° Ratione canonica. Etenim, ex præcedenter dictis, societas politica seu civilis est legitima et justa, imo moraliter necessaria; ergo etiam et principatus politicus. Etenim nulla societas, vel communitas hominum stare potest absque rectore qui omnium voluntates et animos ad finem dirigat, et in eo, addita etiam ubi oportuerit pœna, contineat aut revocet.

III. « Potestas civilis, seu principatus politicus secundum se sumptus est a Deo. » De fide, juxta eumdem auctorem, R. de M. t. II, p. 129. «Hic porro agimus de derivatione immediata, et quidem principatus secundum se, seu in actu primo, ut aiunt, abstrahendo a subjecto in quo residet. » — Prob. 1° Scriptura: Prov. VIII, 15: *Per me reges regnant*; et sap. VI, 4: *Audite, reges..., quoniam data est a Deo potestas vobis, et virtus ab Altissimo*. Unde Apostolus supra, ubi a subditis reverentiam erga potestates sublimiores inculcat hanc reddit rationem, quia nempe *non est potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt*. (*Rom*. XIII, 1) Et infra: *Dei enim minister est*. (*Ibid*. 14.) Prob. 2° SS. Patribus; Tertull. *Ad Scapul.*: « Christianus nullius est hostis, neque imperatoris quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat et revereatur, et honoret, et salvum esse velit. » — Theoph. Antioch. « Deum non Cæsarem adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum. » 3° Sacris canonibus. Stephan. VI, Epist. ad imperat: *Licet enim ipsius Christi imperatoris similitudinem in terra geras, verumtamen mundanarum et civilium tantum curam gerere debes... quo igitur pacto a Deo largitus es nobis terrenis rebus præesse, ita etiam nos per principem Petrum spiritualibus rebus præfecit*. Ergo imperatorem, seu imperatoriam potestatem *largitus est nobis Deus terrenis rebus præesse*... C. *cum ad verum*, *dist*. 96: *Cum ad verum ventum est ultra, sibi nec imperator jura pontificatus arripuit, nec pontifex nomen imperatorium usurpavit, quoniam idem mediator Dei et*

hominum homo Christus Jesus sic actibus propriis dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit... ut et Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur. Si Christus ita utriusque discrevit officia, et imperatoris nempe et Pontificis utriusque est auctor. Cap. *Hæc imago* 13, causa 33, quæst. 5, ibi : *Habens imperium Dei, quasi vicarius ejus : quia omnis rex Dei habet imaginem.* — 4° ratione. Etenim demonstratum est supra ipsam societatem civilem esse a Deo institutam. Jam vero ad ejus essentiam et integritatem pertinet principatus politicus, siculi caput ad integritatem et rationem corporis humani. Ergo consequenter principatus politicus institutus est a Deo. Non enim condidit Deus societatem mancam et imperfectam, sed integram plane et omnibus suis partibus absolutam... Et in eo sensu potestas gubernativa est a Deo.

IV. Attamen principes civiles ut potestatis subjecti seu possessores non sunt immediate a Deo constituti. Quocirca sanctus Chrysostomus in hæc verba homil. 23 Epist ad Rom. : *Non est potestas nisi a Deo*, sic ait :

« Quid dicis ? omnis ergo princeps a Deo constitutus est ? Istud non dico. Nec enim de quovis principe mihi sermo nunc est, sed de ipsa re (*id est de ipsa potestate*), quod enim principatus sint, quodque hi quidem imperant, illi vero subjecti sint, quodque non simpliciter et temere cuncta feruntur, divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit ; non enim princeps est nisi a Deo, sed de ipsa re disserit dicens : Non enim potestas est nisi a Deo. »

Et nostram conclusionem probant Suarez. *Defensio fidei*, lib. III, c. 2 ; Bellarm, et unanimitas doctorum ab ipso citat. Ideoque principatus politicus in actu secundo, seu prout subjecto inest, non est immediate a Deo, sed mediate tantum.

§ IV. — De societatis civilis fine et potestatis ejusdem extensione.

I. Finis societatis civilis est vita humana tranquille et beate tradenda, seu est beatitudo humana temporalis. Nam ideo homines a natura ad coeundum in societatem inclinantur et adducuntur, ut insufficientiam quam a natura singuli trahunt ad vitam humanam ex mutuo auxilio compensent, et ita sive ex parte corporis sive ex parte animæ suam naturalem indigentiam compleant. Ergo beatitudo humana est finis societatis civilis. »

II. Finis societatis civilis non est supernaturalis, quia ad finem supernaturalem requiritur principium supernaturale, seu ens a Deo supernaturaliter conditum, ut principium et finis sibi respondeant. Jam vero societas civilis non est condita a Deo supernaturaliter, seu a Deo ut auctore gratiæ, sed a Deo ut auctore naturæ, ut modo ostensum est. — Aliunde demonstratum est Ecclesiam Christi et quidem privative esse societatem supernaturalem, habentem itidem finem et media supernaturalia ; et omnis humana creatura est de necessitate salutis Ecclesiæ subjecta. Ergo societas civilis non habet, proxime nempe et immediate, nisi finem naturalem, eumque temporalem.

III. Sed finis societatis civilis non est sola felicitas materialis ; nam sola commoda hujus vitæ extrinseca, in iisque comparandis industria communia sunt brutis. Sed iste finis est etiam, imo et principaliter moralis, consistens nempe in virtute ac honestate morum ; hæc conclusio apud omnes certa est. Quare sanctus Thomas, *De reg. princip.* lib. I, c. 15, docet : « ad bonam vitam unius hominis duo requiri, unum principale quod est, operatio secundum virtutem ; virtus enim est qua bene vivitur. Aliud vero secundarium, et quasi instrumentale, scilicet corporalium bonorum sufficientia quorum usus est necessarius ad actum virtutis. » Et præcedenti capite ; « Videtur autem ultimus finis esse multitudinis congregatæ vivere secundum virtutem : ad hoc enim homines congregantur, ut simul bene vivant, quod consequi non posset unusquisque singulariter vivens. Bona autem vita est secundum virtutem. Virtuosa igitur vita est congregationis humanæ finis. Hujus autem signum est quod hi partes sint multitudinis congregatæ, qui sibi invicem communicant in bene vivendo. Si enim propter solum vivere convenirent homines, animalia essent pars aliqua societatis civilis. »

IV. Atqui prima virtus est colere et ado-

rare Deum in spiritu et veritate, ut supra probatum est; ergo finis moralis societatis civilis includit religionem, de qua summam curam habere debet, ut omnes cives possint finem supernaturalem ad quem destinati et vocati sunt a Deo facile et libere obtinere.

V. Cura tamen de religione quæ ita de jure naturæ ad societatem civilem spectat eique incumbit, non ad *decernendum* porrigitur, sed tantum ad *exsequendum* ea nempe quæ altior societas, seu Ecclesia cui res religionis supernaturaliter concreditæ sunt super his decreverit. Hæc conclusio est de fide. Matth. XXVIII, 18-20 : *Data est mihi omnis potestas... docete omnes gentes... servare omnia quæcunque mandavi vobis*, etc.; cap. *Duo sunt;* et c. *Cum ad verum* dist. 96, cum multis similibus.

VI. Ex fine societatis civilis deducitur extensio potestatis gubernativæ ejusdem. Etenim potestas civilis a Deo ordinata est ad finem societatis obtinendum. Debet igitur hujusmodi potestas tueri et propugnare imprimis omnia principia moralia justitiæ et virtutum aliarum, protegere religionis veræ libertatem divinam et independentiam; debet postea providere commoda hujus vitæ extrinseca, scilicet corporalium bonorum sufficientiam, in quantum potest, suis subjectis; eorumdem proprietates, dominia et omnia jura conservare tenetur. Item contra hostes ab intra et ab extra pacem et tranquillitatem subjectorum defendere tenetur.

VII. Ex dictis, potestates temporales plene et absolute subordinatæ sunt ad Ecclesiam in causa religionis. *De fide ;* ut multoties in hujus tractatus decursu demonstratum est. C. *Duo sunt ;* c. *Si imperator*, dist. 96; extravag. *Unam sanctam, De majorit et obed.* ibi · *Unam sanctam Ecclesiam catholicam, et ipsam apostolicam urgente fide credere cogimur et tenere. Nosque hanc firmiter credimus et simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum..... Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem spirituali subjici potestati. Porro subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam* (*adeoque summos principes*), *declaramus, dicimus, definimus et pronuntiamus esse omnino de necessitate salutis.*

VIII. « Ad causam religionis referendus est usus potestatis temporalis in principibus Christianis, prout nempe est conformis vel non legi Christianæ; adeoque in hoc usu potestates temporales Christianæ subjacent Ecclesiasticæ sub respectu prædicto, ab eaque sunt moderandæ; » quia principes ex bono usu potestatis salvantur, malo autem pereunt. (Cap. *Unam sanctam*, inter extravag. com. *De majorit. et obed.*, et S. THOMAS, *De regim. princip.* lib. III, c. X) : « Si plenitudo potestatis S. Pontificis dicatur referre ad solam spiritualem potestatem, hoc esse non potest, quia corporale et temporale ex spirituali perpetuo dependet, sicut corporis operatio ex virtute animæ est. » Et iterum 2-2, quæst. 60, art. 6 ad 3 : « Potestas principum temporalis spirituali, sicut corpus animæ subdatur, et ideo non est usurpatum judicium si spiritualis prælatus se temporalibus intromittat. »

IX. Potestas prædicta Ecclesiæ in temporales potestates non solum directiva est, sed et vindicativa, seu potest Ecclesia potestates temporales devias et contumaces pœnis congruis afficere. « Hæc conclusio multis argumentis probatur ; unum adducemus. Trident. sess. 25, cap. 19, gravissimis pœnis afficit principes qui *locum ad monomachiam in terris suis* inter Christianos concesserint : *Imperator*, ait, *reges, duces, principes, marchiones, comites et quocunque alio nomine domini temporales, qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione et dominio civitatis, castri, aut loci in quo vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent privati intelligantur, et si feudalia sint directis dominis statim acquirantur.*

X. « Præfata potestas Ecclesiæ in principes Christianos non est temporalis, sed simpliciter spiritualis, neque proprie in temporalia, sed in personas Christianas temporalibus utentes. » Hæc conclusio deducitur ex utriusque potestatis natura, et Ecclesiæ praxi et doctrina.

IX. Tandem, « ex hac subordinatione status Christiani ad Ecclesiam, ac ubi deviat in hac per pœnam ad viam revocatione, exsurgit status temporalis salus et dignitas, Ecclesiæ gaudium et vigor, totius tandem mundi consensio et pulchritudo. »

(C. *Res autem*, causa 23, quæst. 5.) Et probatur ab auctore *Instit. jur. can.* R. de M. ex quo fere omnes hujus capitis conclusiones transcripsimus.

§ V. — De potestatis civilis forma et stabilitate.

I. Potestas gubernativa a Deo est; hujus autem potestatis forma non est immediate a Deo, sed generatim a libera hominum conventione pendet.

II. *Forma patriarchalis.* — Attamen primitiva et naturæ conformior potestatis gubernativæ forma fuit patrisfamilias auctoritas. In hoc rerum originario statu, filius primogenitus, vel filius cui pater benedictionem divinam transmisit, paternam auctoritatem super fratres et eorum familias exercet. Suis fratribus æqualis, ipsis tantum superior est ex missione quam accepit a patre; in ipso patris memoriam et voluntatem venerantur fratres. Hi vero etsi subjecti in conciliis et deliberationibus omnium communium jus habent, quemadmodum in familia pater ad deliberandum de eorum commodis majores liberos vocat. Hoc est gubernium magis naturale simplex et justum; omnia jure et recte prosequuntur; auctoritas scilicet et personarum libertas sicut et familiarum dignitas, quæ unam vere tantum efformant.

III. *Forma nationalis.* — Crescendo et multiplicando hæc magna familia vocatur *natio*, nomen aptissimum cum ab invicem *natarum* et ex eadem stipite genitarum familiarum coadunationem significet. Nationi vero regulariter liberum est sese primario constituere, sub forma gubernativa magis ipsi convenienti. Legitima potestatis igitur forma primario constituitur voluntatum personarum liberarum consensu, ideoque naturæ legi subjicitur; ex tunc enim, velint nolint, intervenit contractus sive expressus sive tacitus, bilateralis inter constitutam potestatem et nationem eligentem. Vi autem hujus de jure naturæ contractus subjectis non est liberum missionem quam potestati dederunt revocare, dum potestas regit conformiter fini societatis et naturali legi. Quinimo si forte a recto deviaret potestas, culpam autem recognoscens ad rectum rediret, in jure suo permanet: nam naturalis contractus violationum reparatio, ejusdem obligationes redintegrat. Subditi a potestate constituta separari nequeunt, nec eidem obedientiam recusare, nisi in casu unico, quo juris naturalis violatio aliam possibilem reparationem quam potestatis depositionem non admitteret. Etenim potestas civilis auctoritatem divinam repræsentat; cum sit societatibus necessaria, ejus stabilitas de earum stabilitate participat.

Unde, regulariter loquendo, non est liberum successivis generationibus sibi perpetuo effingere novam potestatis formam, nec principes legitime institutos mutare et deponere. Hoc portentosum, quod tot homines in doctrinam et societatum legem erigere nituntur, est ex omni parte oppositum perfectibilium societatum, et humanarum personalitatum naturæ sicut et justitiæ legi qua quælibet humana conventio regitur.

1. *Opponitur* societatum perfectibilium naturæ. Etenim esto quod filii sibi aliam quam a suis patribus potestatis formam constitutam effingant, non ideo parentes ab obligatione erga principes ab ipsis institutos solvent. Itaque sese obligando erga novos principes, necessariam separationem adducunt filii, aut patres suos cum eorum principibus expellunt, aut principes deponunt et in servitutem suæ voluntatis patres suos redigunt, duo portentosa ab omni divina et humana lege in æternum reprobata. Vel tandem filii sese expatriant cum novis principibus, ex tuncque familia interrumpitur et nova societas a qualibet generatione incipienda est, sicut absolute apium examina annuatim exeunt ex apiaria matre, ad novam quærendam habitationem; nam unius generationis humanæ jus erit, etiam jus aliarum. Quis a tali falso jure non videt exsurgere obstacula humanæ perfectibilitati invincibilia. Nam in omnibus enumeratis casibus, spernitur auctoritas, omnibus revolutionibus et destructionibus aperitur via, ut novum indesinenter incipiatur ædificium sociale, quod cras destruetur; sicque exhauriuntur vires et acquisita nationis, quæ suos mores in injustitia corrumpit et suam exsistentiam pravarum libidinum rapacitati tradit.

1. *Tale portentum opponitur* personalitatum humanarum naturæ. Filii enim, patrum suorum constitutionem evertendo, eorum personarum libertatem contra naturæ ordinem et dogma divinum oppugnantur. Si autem a patribus ad filios transmittuntur hu-

manæ personalitates, transmittuntur etiam necesario cum obligationibus earum simul cum juribus. Quicunque enim jura accipit, eo ipso correlativas obligationes assumit. Filii vero, a constitutione et nationalitate patrum suorum omnia temporalia jura acceperunt; tenentur ergo aut juribus renuntiare, aut correlativas obligationes adimplere.

3. *Hoc portentum* tandem *opponitur* justitiæ legi, qua reguntur humanæ conventiones. Hujusmodi enim filiorum insurrectio adversus principes ab eorum patribus constitutos, violaret legem naturalem gratitudinis, reverentiæ et subjectionis erga parentes et principes qui ipsorum infantiam, adolescentiam et juventutem protexerunt, ipsisque omnia quibus gaudent commoda procurarunt. Præterea principes jus habent potestatem servandi et possidendi ex necessaria naturalis contractus conditione; sese devoverunt hujus contractus observantiæ, justitia obligat filios ad ejusdem obligationes adimplendas, cum ab eodem jura acceperunt. Secus dicendum foret filium qui per hæreditatem agrum a patre emptum acceperit, posse ejusdem agri proprietatem servare absque completa pretii solutione. Nam una est tantum justitia, quæ, sive singulorum hominum, sive nationum conventiones regit, semper jubet jurium et obligationum æqualitatem, prohibetque alteri facere quod ab ipso nobis fieri nollemus.

IV. *Scholium de potestatis stabilitate et suprematia.* — Potestas igitur legitime constituta a subjectis non amplius pendet. De se et naturaliter elevatur in altissimis juris æterni, a quo omnem suam auctoritatem trahit; ab eoque jura inamissibilia et imprescriptibilia acquirit. Proptereaque ejusdem leges justo, vero, juri æterno tandem conformes aut non oppositæ, ante omnem subditorum acceptationem obligant.

Non enim ex subditorum electione, acceptatione vel approbatione suam auctoritatem potestas, nec ejusdem leges suam vim obligatoriam trahunt. Electio formæ seu depositariorum potestatis, firmat reipsa potestatem ejusque necessaria attributa, et eadem his aut istis hominibus inhærentia reddit; primario autem et in se potestas aliqua omni societati necessaria est; hæc est Dei ordinatio, hæc est necessitas, hæc est rerum natura, et in eo sensu *omnis potestas a Deo est; et qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, cujus auctoritas supra omnes dominatur creaturas, et ad eam repræsentandam visibiles potestatos delegat Deus.

Quid sit igitur suprematia, et in quo resideat? Suprematia est potestas, dominatio independens, auctoritas essentialis, omnium legum fons. Suprematia non est, nec potest esse in personis humanis individuis; nam ex earum natura omnes ab invicem independentes sunt humanæ personalitates, cum sint pares; atqui non est imperium, non est suprematia paris in parem.—Suprematia nequit amplius residere in individuorum collectione; nam cum nullus eam habeat, nullus eamdem collectioni conferre potest. Præterea multitudo sicut individui legi æternæ naturæ subjicitur, et est in solidum responsabilis necessariarum obligationum quas omnibus sicut singulis injungit hujusmodi lex justitiæ. Jura naturalia cujuslibet liberæ personæ tam inviolabilia sunt, quam eadem jura in collectione coadunata. Simplici analysi invicte demonstratur. Etenim duæ personæ humanæ iisdem naturalibus juribus essentialiter gaudent, duo pares sunt; harum personarum una nequit ab alia jurium ejus cessionem, absque reciproca concessione qua restituatur æqualitas, exigere. Tres personæ in juribus sunt æquales; duæ ex ipsis coadunari nequeunt ad tertiæ jura violanda, aut suis propriis immolanda, absque æquali compensatione. Jura duarum personarum non adduntur, manent jura individualia sicut persona, et sunt singula æqualia tertiæ personæ juribus. Vires quidem individuorum adduntur, crescunt et augmentantur per coadunationem, jura vero nec augmentari, nec minui possunt, de se sunt immutabilia et æterna, quia talis est essentia divina a qua promanant, talis natura rerum quas regunt et coordinant. Tot quot placebit personas, etiam innumerabiles addite, earum jura quæ sunt pro unaquaque manent, et nequeunt unius personæ juribus æqualibus prævalere. Non magis licet centum hominibus quam uni soli agrum solius hominis furari aut hunc hominem occidere, atqui hoc de omnibus juribus verum est. Violentia contra jus est semper culpabilis, est semper justitiæ violatio quæ reparationem necessariam exigit, ex regul. juris, *non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Vis aut vires coadunatæ legitime agere nequeunt, nisi ad tuenda

et propugnanda jura sive individuorum, sive personarum collectionis, sive nationum, sive legitimarum potestatum. Cum ergo, quanta sit numerosa, personarum collectio legi naturali et æternæ justitiæ subdatur, commodaque sua communia quærere nequeat et regulare nisi juxta legis conformitatem, hujusmodi collectio non est suprema potestas. Suprematia ergo non residet in populo.

Hæc suprematia non magis residet in principe, in quantum est humana persona. Omnis potestas est suprematiæ Dei delegatio quædam : atqui nullus delegatus habet, nec habere potest majorem potestatem et auctoritatem quam ipsi confert delegatio. Delegatus semper subjicitur deleganti, et a delegato appellatur ad delegantem. Princeps sicut subditus legi naturæ subjicitur; constituitur ad tuenda omnium jura. In quantum est potestas, repræsentat divinam suprematiam, sed non est hæc suprematia. Imprimis Deo, deinde subjectis diverso tamen modo suæ delegationis exercitii rationem debet. Suprematia ergo essentialis residet in solo Deo, a quo est omnis potestas.

Qui proinde contendunt populum esse supremum principatum, et audent dicere populum ad actus suos validandos ratione et justitia non indigere, idem manifeste docent ac si dicerent erroris excæcationem veritati æquivalere, injustitiam esse justitiam, juris violationem esse jus ipsum, violentiæ destructiones esse solam legitimam constitutionem, unicam suprematiam. Attamen hic omnis societatis subversivus error, scilicet populi suprematia, est principium et fundamentum famosi *socialis contractus*, a quo tot decepti sunt homines.

CAPUT VIII.

De reciprocis juribus et obligationibus nationis et potestatis civilis ex jure naturali et divino.

§ I. — De necessariis tacitis vel expressis conditionibus contractus naturalis inter nationem et principem civilem.

I. Libera formæ potestatis electio diversis nationibus relicta fuit. Sed per ipsam potestatis constitutionem, inter eamdem et nationem eligentem pleno jure paciscitur bilateralis contractus, de cujus obligationibus sese liberare absque injustitia neuter contractans potest. Hujusmodi contractus potestati ejusque subjectis reciprocas obligationes imponit, ipsisque confert jura quæ personarum fiunt proprietas perinde ac res et etiam meliori modo, cum etenim res nequeunt nisi vi jurium esse proprietas alicujus. Potestatis depositarii eam acceptando acquirunt jus imprescriptibile stabilitati eorum missionis, dum auctoritatem gerunt conformiter legi qua ipsi dominantur et clausulis, si forte sint per constitutionem liberam astipulatis. Auctoritatis et suprematiæ divinæ delegatæ omnes legitimæ potestatis formæ sunt eo sensu de jure divino; cum naturæ jus, vi cujus exstant, sit juris æterni participatio.

II. Quæcunque sit adoptata gubernationis forma, sequitur, ex principiis in præcedentibus capitibus expositis, quod personarum et familiarum jura in ipsa stricte servari et protegi debeant; ut earumdem indigentiis consuli et satisfieri, in quantum possibile fuerit, debeat: nam omne gubernium stabilitur ad bonum commune, potestas enim non ad proprium commodum, sed ad jura et commoda omnium communia tuenda delegatur. Ex quibus principiis consequitur personas uti singulas familias, associationes legitimas sive individuorum, sive familiarum, jus strictum et in rigore justitiæ habere ut audiantur et satisfiant in suis interesse et legitimis juribus, juxta possibilitatis limites et justitiæ regulas. Unde præcipuæ contractus naturalis obligationes dimanant ut sequitur.

§ II. — Potestatis obligationes.

Prima obligatio est defensio et protectio libertatis in vero cultu Deo debito, quod est primum naturale personarum, familiarum et ipsius societatis officium.

Secunda obligatio consistit in tuenda individuorum libertate, quæ est prima personarum naturalis proprietas. Hæc libertas, quæ est etiam divinum dogma, nequit subjici nisi observantiæ et obedientiæ ad legem communem, qua mutuæ et æquales prescribuntur concessiones, quas status socialis a personis inter se exigit.

Tertia obligatio, ex libertate personarum oritur associationis libertas inter singulos cives, qui talium associationum conventiones particulares determinare libere possunt. Lex autem generalis has conventiones protegere et earum observantiam tueri debet simul ac impedit ne hujusmodi associationes et earum particulares conventiones juribus nationalis communitatis noceant.

Quarta obligatio. Libertas et constitutio naturalis familiarum anteriores de jure et facto sunt nationibus, quarum familiæ exsistunt principium et fundamentum. Nationalis igitur constitutio debet omnia familiarum jura tueri, officiorum observantiam procurare. Nullum vero gubernium nec directe nec indirecte coarctare potest legitimam familiarum libertatem ad bonum. Exinde promanat educationis et instructionis libertas; hoc est enim primum familiæ erga liberos officium. Si igitur hanc educationis libertatem tueri tenetur gubernium, nequit semetipsum educatorem et institutorem facere, nisi injuste usurpando paternitatis jura, et eradicando familiarum libertatem. Vane enim liberam suis scholis concurrentiam concesserit, quia talis concurrentia impotens fiet contra status præpotentiam qua opibus, præferentiis, officiis gratiosis, functionibus bene retributis suos discipulos dotabit. Educatio sicut et justitia tribunalium nequeunt exerceri nisi per magistratuum libere constitutam et a gubernio independentem, etsi legibus communibus subjectam. Ideoque universitates liberæ, quæ per legem communem in sua institutione et constitutione reguntur; deinde semetipsas ad intra gubernantes sub legis communis protectione, possunt solæ sarta tecta servare æqualia jura familiarum in liberorum educatione. Absque dubio ad statum pertinet determinare gradum scientiæ et capacitatis requisitum ad functiones quæ ab ipso pendent exercendas; ipsi quoque renui non potest jus præbendi specialem instructionem necessariam functionibus specialibus, quas tenetur modo utiliori nationi gerere facere. Hic autem stat gubernii jus docendi, ultra quod transire nequit nisi declinando in animarum et conscientiarum tyranniam, familiarumque corruptionem et servitutem. Hæc educationis libertas maxime ad Ecclesiam pertinet, quod optime et omnino opportune docet postremum concilium provinc. Lugdunense, decret. 20, n. 1, ibi : *Religiosæ juventutis educatio ad Ecclesiam, utpote Christianorum matrem et magistram, ex ipsa Dei constitutione spectat, et omnis sexus, omnis ætas in his Christi verbis : « Docete omnes gentes (Matth.* XXVIII, 19), » *ita includitur, ut nonnisi conculcatis et pastorum et familiarum sacratissimis juribus, asseri queat docendi ea omnia quæ ad disciplinam Christianam conferunt, et ideo omnium doctrinarum magisteriis invigilandi, potestatem Ecclesiæ competere ex mera constitutione humana.* (Idem ex c. *Quoniam;* c. *Ne prohibeas*, etc., tit. *De magistris, Decretal.*)

Quinta obligatio est juris municipii protectio. Nam sicut individuæ personæ, ita familiæ jure naturali et necessario associationis gaudent. Hujusmodi associatione formatur et constituitur municipium seu communitas (Gallice *commune*) aut parochia, quæ jus habet sua communia commoda libere gerendi et sese administrandi. Lex generalis libertatem administrationis municipii seu oppidi, vel civitatis protegere debet, tuendo mutualia jura et officia civium singulorum et familiarum. Gubernium vero nationis nequit aliter sese ingerere in administratione municipii ejusdemque commodorum particularium, nisi coercendo omnes libertates naturales per vim coactionis quæ liberum arbitrium contra jus divinum tollit, et declinando ad tyrannicum despotismum, quod nostris temporibus vocatur centralisatio (Gallice *centralisation*), in qua præbetur inaudita anomalia, scilicet extranei longe manentes et loca eorumque commoda, necessitates et indigentias plane ignorantes dantur tanquam aptiores ad dijudicandum et regulandum ex relationibus, plus minusve falsis necessitates sæpe urgentes alicujus civitatis, quam ipsi cives interessati qui in locis habitant et ibi omnia deliberationis plane instructæ elementa vident. Cum talia sint contra naturam et faciant civitates regni quasi prædia in quibus cives facti colones et servi custodiuntur a ducibus extraneis, perit omnis activitas libera, pereunt mores cum omni vita civili, et exinde civitates ad talem vel talem dominum aut gubernium indifferentes subeunt revolutionibus periodicis tanquam pecora alteros pastores mutantur. Attamen de jure quæque civitas sibi proprias leges vel statuta constituere potest, dummodo non sint legibus nationis communibus oppositæ et supremi legislatoris voluntati contrariæ. Arg. cap. *Jus civile* 8, dist. 1, ubi sic præcise dicitur : *Jus civile est quod quisque populus vel quæque civitas sibi proprium divina humanaque causa constituit.*

Sexta obligatio est *proprietatis* individuorum et familiarum firmitas et tuitio. Pro-

prietas enim est necessarium familiæ suppedaneum, et quasi nidus, quem cœli avium familiis non recusavit Providentia; est etiam nationum visibile fundamentum, in quo stat earum vera potentia. Libertas personarum et familiarum habet in arcem et clypeum proprietatem, in qua sese confugit, et defensionem securitatis perpetuæ invenit. Sive sit territorialis, sive industrialis, proprietas est de sua natura personalis et a patribus ad filios transmissibilis, ut probatum est. Proindeque satis manifestum est quod prætensum altum dominium status seu principis in privatorum proprietate sit erronea moderni temporis inventio, qua logice ducitur ad statum unicum proprietarium, et consequenter rerum et personarum arbitrum absolutum, contra libertatis humanæ dogma. Hic error nihil aliud est quam *socialismus* seu violatio omnium jurium naturalium tam personarum quam familiarum in servitutem redactarum. Imperium seu principis jurisdictio a Grotio, lib. I *De jur. bell. et pac.* cap. 1, § 6; et lib. III, cap. 20, § 7, omnium primo eminens, seu altum dominium appellatur, sed merito reprehenditur a Samuel Coccejo in Comment. ad eumdem Grot. lib. I, c. 1, § 6, verum neque hoc sensu recte dicitur dominium jurisdictionis, seu imperii. Imperio enim utendi in nostra potestate non est, nisi quatenus id bonum publicum expostulet. Unusquisque potest proprium dominium dissipare, resque perdere.

Princeps vero, licet alto dominio perfruatur super privatorum bonis, illa nequit distrahere, nisi in extrema reipublicæ necessitate, ex qua sola limitata imperio utendi facultate manifesta ipsius cum dominio resultat repugnantia. (Rot. coram Tanar. decis. 57, n. 24.) Cum itaque tantum inter altum dominium, et dominium privatorum intercedat discrimen, rectius appellari debet imperium illud quod gentes altum in principes contulerunt ad universam tuendam rempublicam. Ita Coccejus, loc. cit. verb. *Majus est dominium.* « Imo non majus est, sed alterius generis : nam quod princeps dominio privatorum derogare possit, est consequens juris tuendi rempublicam, ad cujus conservationem quilibet de suo tribuere tenetur. Repetendum hic est quod antea monuimus, tutius est abstinere a voce dominii, ubi de juribus principum in subditos agitur, quia vox dominii proprie non significat jus regendi, et conservandi, sed id quod directo contrarium est, nimirum potestatem consumendi, abutendi, et pro libitu de re disponendi. » Rursus idem dissert. prooem. ad eumd. Grot. 12, § 237. « Imperium est potestas proprio jure competens ad tuenda jura civitatis. Dominium est facultas domino competens de re sua pro libitu disponendi. Ex jure imperii igitur saltem facultas oritur tuendi, et conservandi personas, et res imperio subjectas. Ex dominio autem sequitur facultas etiam perdendi res. » Et inferius, § 629, n. 2 et 3 : « Dominium, quod vocari solet eminens, est vera pars summæ potestatis, quia doctores voce illa nihil aliud intelligunt, quam effectum imperii vi cujus princeps jura subditis quæsita vel ob utilitatem publicam, vel in pœnam auferre potest. Negari tamen nequit vocem dominii improprie admodum hic usurpari, quia ex sua natura facultatem abutendi infert, adeoque consultius est voce illa abstinere, ac jus illud principi asserere non vi *dominii* eminentis, sed vi imperii legitimi, seu vi plenitudinis potestatis. Nulla autem ratione monstrum illud, vi cujus principi permissum esse aiunt jura subditis quæsita pro libitu tollere, ad objectum imperii referri potest : pugnat enim hæc opinio cum essentia summæ potestatis, quæ unice in tuendo jure consistit. » (Ita etiam Wolfius. *Jus gentium*, § 329, in not. apud Ferrar. verb. *Dominium*, art. 1. Addit. ex edit. Barbel. n. 44.)

Proprietas est jus naturale quoddam, promulgatum etiam a lege divina revelata; hoc duplici titulo hujus officia et jura interpretari ad Ecclesiam pertinet. Atqui omnes Ecclesiæ leges, omnia decreta proprietatem habent et propugnant tanquam personalem, sive ad individuum, sive ad collegium pertineat, cum in casu collegii proprietarii Ecclesia doceat et agnoscat jus proprietatis in unoquoque individuo, ita ut ultimus supervivens alicujus collegii in se assumat omnia collegialia jura.

Ecclesia cum etiam jurium tum rerum proprietatem tuetur : nulla alia legislatio personis et earum juribus majorem reverentiam magis salutarem protectionem confert quam ecclesiastica legislatio. Docet Ecclesia restitutionem jurium violatorum,

rerum raptarum esse ad salutem necessariam necessitate præcepti; et regularum juris canonici immutabilium una sic habetur : *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Ad restitutionem Ecclesia obligat omnes ad damnum efficaciter cooperantes; damnat usuram tanquam juris personarum violationem; damnat omnes usurariorum contractuum species.

Concludendum est ergo quod altum proprietatis dominium sit in solo Deo, et ab ipso in inviolabilitate humanæ personæ, quam Deus liberam creavit.

Sociabilitas tamen humana mutuas et necessarias jurium concessiones a personis inter se, a personis et familiis erga nationem, exigit, atque omnibus erga potestatem officia injungit. Lex generalis imprimis debet sartam tectam tueri proprietatem, postea proprietariorum mutuas concessiones regulare. Officia vero et debita proprietatis erga statum et gubernium nequeunt regulari et determinari per unicum potestatis arbitrium, nisi falso prætensum altum status solius proprietarii dominium reducendo. Jurium libratio omnium, justitiæ naturalis æquitas exigunt ut onera, decimæ, talliæ, et quæcunque impositiones super proprietatem consentientur a proprietariis aut ab eorum mandatariis responsabilibus.

Sed quo melius ostenditur Ecclesiam non videre gubernium tanquam in subditorum proprietatibus altum dominium habens, ex eo ipso est modo juxta quem ipsamet tradit et tuetur subditorum jura et officia relative ad tributa et contributiones quas gubernium jus reclamandi et imponendi tenet. « Ad justitiam gabellarum, tributorum et hujusmodi, tres potissimum conditiones requiruntur. (Communis doctorum.) Prima est, ut legitima auctoritate imposita sint. Unde gabellas, tributa, et hujusmodi imponere, et exigere possunt soli principes supremi, in terris suis alium superiorem non agnoscentes, aut ii, qui a supremis principibus privilegio, aut legitima consuetudine jam præscriptam facultatem has gabellas, tributa, et hujusmodi imponendi, consecuti sunt. (Communis, ac certa, argum. c. *Innovamus*, 10, *De censibus;* et c. *Super quibusdam*, 25; *De verbor. signific.*) Præterea *petens censum debet rationem exprimere.* C. *Pervenit* 5, *De censib.* textu expresso : *Census ignorantiæ nec divinis, nec humanis legibus invenitur : oportet quippe ut omnis census, ad quid, et quando persolvi debeat, præsciatur.* Nec novus census imponi potest, nec antiquus augeri contra libertatem civium. Cap. *Prohibemus* 7, *De censib.*, ibi : *Nec partem redditurum suis usibus appropriare præsumant; sed libertatem, quam sibi majores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent. Si quis vero aliter fecerit, irritum quod egerit habeatur.* Unde ut justa sint tributa requiritur ut ad onus imponendum vocentur et consentiant sive per se, sive per alios omnes illi qui solvere debent, quia quod omnes tangit ab omnibus particulariter debet approbari. (C. *Cum omnes*, *De reg. jur.* in 6 et arg. ex cap. *Non minus* 4, tit. 49 *De immunit. eccles.* l. III *Decretal.* et est doctrina Rotæ Rom. quoad clericos in *Brundusinæ gabellæ*, 13 Febr. 1604.)

« Secunda (conditio) est justa causa, videlicet principis decens sustentatio considerato ejusdem statu, dignitate et meritis in rempublicam : necessitas, seu magna utilitas communis reipublicæ : expunctio debitorum pro communi necessitate seu utilitate reipublicæ contractorum, et hujusmodi. (Communis.) Si causa necessitatis, vel utilitatis sit perpetua, v. g., conservatio murorum, pontium, custodia civitatis, et hujusmodi, perpetua etiam potest imponi gabella, tributum, et hujusmodi. Si vero causa sit solum temporalis et transitoria, ut defensio contra hostem tempore belli, reparatio constructorum per hostes, et hujusmodi, tunc ea causa cessante, debet cessare etiam gabella, tributum, et hujusmodi. (Communis et certa.) » — Tertia conditio est modus debitus imponendi gabellas, et tributa, ut videlicet exactio, seu contributio non sit nimia, sed moderata, et juxta mensuram causæ vel necessitatis, ob quam contribui debet, et secundum proportionem facultatum singulorum, ut non alii plus, alii minus graventur, quam justum sit. (Communis.) »

« Imponentes gabellas novas, nova pedagia, et hujusmodi sine dictis conditionibus; præter restituendi obligationem incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ*, ut expressis verbis habetur in § 5 ejusdem bullæ, ibi : *Item excommunicamus, et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia, seu gabellas, præterquam in casibus sibi a jure, seu speciali sedis apostolicæ licentia*

permissis imponunt. Unde hic juvat adducere ad litteram, quæ habet Reiffenstuel, lib. III *Decretal.*, tit. XXXIX, num. 42, ibi: « Colliges principes non tantum gravissime peccare, sed etiam ipso facto excommunicationi subjacere, ac insuper ad restitutionem teneri : 1. Quoties sine justa causa publica nova tributa, vectigalia, gabellas, vel alias exactiones, qualitercunque eas baptizent, imponunt subditis. — 2. Si plus exigunt, quam causa ipsa requirit. — 3. Si causa justa cessante continuant, nisi nova emergat. — 4. Si antiqua tributa, aut vectigalia augent, absque justa causa. — 5. Si antiqua, et extraordinaria tributa, aut vectigalia per se jam essent sufficientia ad causam, vel necessitatem præsentem tollendam, peccant etiam. — 6. Si nimiis et excessivis luxu, pompa, lusu, conviviis, donationibus, recreationibus, ædificiis, etc., omnino exhauriant æraria, vel etiam debitis cameram gravent, ut quavis urgente necessitate cogantur statim indicere nova tributa, vectigalia, gabellas, et id genus exactionum, cum alia antiqua tributa, et ærarium ad tollendas similes necessitates, vel omnino sufficientia fuissent, vel certe cum magno sublevamine pauperum multum contribuere potuissent. Et in hac habent, quod multum attendant consiliarii et confessarii principum, ne alias vel muti canes, vel adulantes politici, vel displicere timentes, et se, et principes in æternum perdant, simulque miseros subditos plurimis, iisque gravibus oneribus, et exactionibus emungant. Certo severe scribunt de hac materia cuncti doctores : » (Hactenus REIFFENSTUEL; apud FERRAR. verb. *Gabella*, n. 16 et seq.)

Septima obligatio. — Stat in libertate quasi physicarum civitatum, oppidorum et pagorum associationum. Etenim ex æqua et vera proprietatis notione, sicut ex intellectualibus et moralibus interesse personarum, familiarum et communitatum naturaliter et necessario oriuntur ampliores associationes diversarum alicujus magnæ nationis partium. Constitutione physica et geographica terræ, moribus et commodis communibus in perpetuo contactu repertis, naturaliter circumscriptæ hujusmodi associationes sub diversis nominibus sive districti sive provinciæ, etc., designari solent. Etsi multiplicata et complicata in hac ampliore associatione jura naturalia nihilominus essentialiter eadem permanent. Ideoque ad hujusmodi provinciam sicut ad urbis aut oppidi communitatem spectat sub legis generalis imperio regulare et administrare sua propria et particularia interesse per delegatos communitatum municipalium qui sint vera responsabilisque jurium personarum, familiarum et proprietatis repræsentatio. In tali administratione intervenire status nequit nisi tuendo tranquillitatem et justitiam ad jurium reverentiam omnium.

Scholium. Ex jure hæreditatis sive proprietatis, sive virtutum domesticarum, ex naturali sive communitatis sive provinciæ libera associatione nascuntur diversi ordines aristocratiæ, sive nobilitatis, quibus maxime competit justa nationis jura defendere, et principibus in rerum publicarum régimine auxiliari.

Octava obligatio. — Exercitus seu militum congregatio, est de sua natura vis et potentia quam populus seu natio gubernio præstat, ad ejusdem nationis jurium et legis auctoritatis sive ad intra sive ad extra defensionem legitimam. Exercitus debet principibus obedientiam. Manifestum vero est quod gubernium contra legitima nationis jura ejusdem viribus uti nunquam potest. Sic enim nationis ruinam per nationem ipsam attentaret. Atqui nationes non sunt causa potestatum, sed e contra potestates in populorum favorem a Deo ordinatæ sunt. Nequit gubernium suam in vi armata stabilitatem ponere, nisi suam propriam destructionem ineluctabiliter præparare velit, et pejoris speciei despotismo originem præbere, iste scilicet despotismus cæcæ et brutalis violentiæ qua eriguntur et evertuntur imperia juxta quotidianam cupiditatum mutationem ut veridice ab historia docetur.

Cum exercitus sua destinatione exsistat ad omnium nationis jurium et commodorum defensionem, consequitur ut ex justitia et pro omnium jurium securitate principaliter præstari debeat, per proprietatem et cives qui majora commoda et jura tuenda obtinent. Quolibet alio modo vim armatam coadunandi potest adduci æquitatis naturalis violatio, et fere semper perturbationibus præberi instrumenta tanto magis cæca quanto plus mercenaria sunt. Milites non debent principibus, ut falso dictitum est, cæcam obedientiam sed justam; nam omne obsequium debet esse rationabile. Et ex unanimi theologorum et canonistarum sententia, « non

possunt licite milites sive subditi, sive alieni, scienter et voluntarie militare in bello patenter injusto, cum non liceat cooperari in malo cognito et manifesto. Adeoque nequeunt absolvi, nisi velint, quam primum commode poterunt, curare dimissionem; et interim quandiu ex bello sine gravi incommodo et periculo recedere nequeunt, aut a principe subditi in bello manifeste injusto coguntur bellare, procurent, quantum sine æquali periculo possunt abstinere ab actibus hostilitatis, ut præda, cæde, et similibus. »

Præcipuæ vero causæ justæ, propter quas potest bellum indici et inferri, sunt sequentes : *Prima*, ut recuperetur civitas, vel provincia ab hostibus injuste capta. Textu claro in cap. *Justum est* 1, causa 23, quæst. 2, ibi : ***Justum est bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis aut propulsandorum hostium causa.*** — *Secunda*, ut subditi et vassalli rebelles ad debitam obedientiam redigantur. (C. *Noli* 3; et c. *Quid culpatur* 4, causa 23, quæst. 1.) — *Tertia*, ut obtineantur quæ jure gentium permissa sunt et per injuriam denegantur. (C. *Notandum* 3, causa 13, quæst. 2.) — *Quarta*, ad vindicandam gravem contumeliam principi vel reipublicæ illatam. — *Quinta*, ad ultionem sumendam de rege vel republica, qui hosti injustum bellum gerenti auxilium præbet... Et plurimæ aliæ causæ quas enumerant auctores. (*Vide* FERRAR. verb. *Bellum*.)

§ III. — De subjectorum erga potestatem obligationibus.

I. *Prima* obligatio est obedientia et reverentia subditorum erga principes et reges; nam lex naturalis præcipit esse obediendum superioribus justa imperantibus. Unde Apostolus, ad Romanos XIII, sic expresse habet : ***Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit;*** et infra subdit : ***Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam,*** id est non solum metu pœnæ, quam posset infligere princeps iratus transgressoribus, sed etiam metu culpæ, quam incurrerent subditi ejus legem transgrediendo; quæ Scriptura expressius loquitur de superioribus temporalibus, iisque etiam gentilibus et ethnicis. Unde Apostolus ibidem loquendo de regibus, principibus et aliis superioribus sæcularibus, ait : ***Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*** Damnatio autem non incurritur nisi ob peccatum mortale, adeoque peccant mortaliter qui principibus justa imperantibus non obediunt. Et consequenter leges humanæ justæ, etiam civiles, obligant in conscientia, prout habetur cap. *Quo jure* 1, dist. 8; cap. *Nemo* 11, causa 16, quæst. 3. Unde c. *Quæ contra* 2, dist. 8, dicitur expresse : ***Generale pactum est societatis humanæ, obedire regibus suis.*** Et certum est ex damnatione per Alexand. VII, die 24 Sept. 1665, sequentis propositionis ordine 28 hujus tenoris : « Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam. »

II. *Secunda* subditorum obligatio est principes et gubernatores legitime constitutos adjuvare et defendere, contra subjectos rebelles et hostes exteros etiam periculo propriæ vitæ; nam « non possunt milites a justo bello deficere, et mortaliter peccant si in pugna non consistant, et si, nisi palam desperata victoria, fugiant, aliisque timorem incutiant. Nec possunt sine gravi peccato stationem deserere, sed debent ipsam servare, et arcem sibi commissam defendere, etiam periculo certo vitæ, quandiu spes defendendi superest; et quod hæc desertio sit enorme flagitium, habetur expresse in cit. cap. *Jus militare* 10, dist. 1. Tenentur etiam subditi cum principe contra seditiosos alios subjectos omnibus suis viribus resistere, nam juxta sanctum Thom. 2-2, quæst. 42, art. 2, « Apostolus II ad Cor. XII, prohibet seditiones inter alia quæ sunt peccata mortalia. Ergo seditio est peccatum mortale. » — « Manifestum est ergo quod seditio opponitur et justitiæ (erga principem) et communi bono (erga nationem); et ideo ex suo genere est peccatum mortale, et tanto gravius quanto bonum commune, quod impugnatur per seditionem, est majus quam bonum privatum... » — « Peccatum autem seditionis primo quidem et principaliter pertinet ad eos qui seditionem procurant, qui gravissime peccant; secundo autem ad eos qui eos sequuntur, perturbantes bonum commune. Illi vero qui bonum commune defendunt, eis resistentes non sunt dicendi seditiosi... » Ideoque non peccant, sed e contra debitam virtutem sequuntur. Ideoque subditi nequeunt deponere regem, nec principem, nec alium quemcunque gubernatorem etiam ad tempus constitutum,

dum eorum missio durat et pactum naturale, et etiam statutum inter potestatem et populum observatur a principe. In casu autem violationis sive juris naturalis, sive pacti vel statuti per principem, nequit populus eum judicare et tanto minus condemnare, quia populus est pars litigans et de jure naturæ nemo potest esse judex in propria causa. Unde in tali casu recurrendum est ad arbitros, et in Ecclesia catholica ad tribunal vicarii Christi, qui est judex divine institutus inter populos et eorum principes.

III. Quod subjecti non possint judicare, corrigere nec deponere legitimos principes, est certum ex concilio œcumenico Constantiensi approbato a Martino V, const. *Inter cunctas*, sess. 8; dictum concilium damnavit hanc Joannis Wicleffii propositionem 17 : « Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere. » Unde certum est et de doctrina catholica quod populares non possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere; ergo nec etiam judicare, nec a fortiori deponere. Si vero populares nequeunt talia erga dominos delinquentes, a fortiori non possunt absque gravissima injustitia et crimine tum contra principem tum contra rempublicam judicare, corrigere nec deponere legitimos principes non delinquentes. Tenentur ergo subjecti jura supremi principis defendere, servare, et si hujusmodi jura forte fuerint legitimo principi sublata, tenentur ea ipsi restituere, nam *non remittitur peccatum nisi restituatur ablatum*. Atqui ex contractu de jure naturali princeps jus habet ad supremam potestatem, quæ est ejus proprietas, a qua spoliari nequit sine justa et gravissima causa. Et in tali causa subjecti, ut jam dictum est, nequeunt esse judices.

Exinde sequitur a fortiori regicidium esse horrendum et maximum crimen, quod nunquam a natione aut a quocunque committi potest, absque pœna et gravissima punitione sive a Deo sive ab hominibus infligenda. Argum. ex propositione de occisione tyranni damnata a synodo Constantiensi, sess. 15, quem condemnationem innovavit, et quatenus opus esset, approbavit et confirmavit Paulus V, const. *Cura Dominici gregis*, Bull. Rom. edit. Roman. Maynard. t. V, part. IV, p. 170, hujus tenoris :

« Quilibet tyrannus potest et debet licite et meritorie occidi per quemcunque vassallium suum vel subditum, etiam per clanculares insidias et subtiles blanditias, vel adulationes; non obstante quocunque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo, non exspectata sententia vel mandato judicis cujuscunque. »

Ex cujus propositionis damnatione sequitur a fortiori non licere absque maximo crimine occidi legitimum principem per quemcunque.

IV. Alius error, in lugendis nostris temporibus etiam a scriptoribus catholicis propagatus hic profligandus est tanquam Ecclesiæ et omnis societatis subversivus. Sunt enim homines qui docent reges ob sua peccata et scandala juste deponi et potestatem amittere. Hæc autem doctrina nihil aliud est quam sophismus; reges enim non sunt magis impeccabilitate præditi quam alii homines, ut fides docet. Non possunt igitur cum natione pactum de impeccabilitate sua inire. Atqui tamen non obligantur erga nationem nisi ad tuenda omnium jura per suas leges, et judicia, juxta pactum in jure naturali et conventione sive expressa sive tacita fundatum. De peccatis et scandalis privatis rationem Deo reddent sicut alii homines; de peccatis vero quæ tanquam persona publica commiserunt, Deo et subjectis rationem debent. Sed per utrumque peccatum sive privatæ sive publicæ personæ nunquam suam potestatem et jurisdictionem amittunt, nec proinde deponi possunt nisi a legitimis judicibus et juxta leges promulgatas et sancitas. Merito igitur quem impugnamus error damnatus est a concilio general. Constantiensi approbato const. Martini V, *Inter cunctas*, in propositione Wicleffii 15ª et Joannis Hus 30ª, hujus tenoris :

« Nullus est dominus civilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali. »

Unde concludendum est, ex Ecclesiæ doctrina et erroribus ab ipsa damnatis, subjectos de jure naturali et divino teneri ad sustinendos, defendendos, adjuvandos suos principes legitimos temporales, etiam peccatores et nunquam posse eosdem judicare, corrigere nec a fortiori deponere, dum durat principum missio et mandatum. Proindeque principes legitimi, id est ex contractu justitiæ naturalis ad supremam potestatem assumpti, quando per seditiones depositi et expulsi fuerunt, non tantum possunt sed

etiam debent cogere, et quidem vi armorum, subjectos ad obedientiam et subjectionem suæ auctoritati, quia ad id obligantur subditi, et potestas a Deo ordinata est, ex necessitate, ut ait Apostolus, ut cogat omnes ad suas obligationes adimplendas.

V. Ex his principiis deducitur certo certius falsum esse systema multorum *publicistarum*, quo prætendunt doctrinam Ecclesiæ esse indifferentiam politicam, quod idem est ac dicere Ecclesiam esse indifferentem justitiæ et juri naturali. Multoties tamen hujusmodi systema profligatum est et damnatum a sancta sede. Bulla Gregorii XVI, *Sollicitudo Ecclesiarum*, 5 August. 1831, expressius declarat principia et doctrinam. Hæc constitutio constantem sanctæ sedis doctrinam successive promulgatam per Clementem V in œcumenico concilio Viennensi, per Joannem XXII, Pium II, Sixtum IV, Clementem XI et tandem Gregorium XVI continet. Ibi sancta sedes declarat quod ad omnium hominum salutem obligata, huic ubique et semper providere debet, et ad hunc finem cum omnibus sive juris sive facti potestatibus civilibus tractare necessitatur. Sed simul declarat quod tribuendo principibus et potestatibus facti titulos quos ipsimet sibi dant, et tractando cum eisdem quocunque modo, ipsis concedendo privilegia et quascunque gratias, sancta sedes nullatenus titulos, jura, potestates, quos sibi arrogant consecrare intendit; sed etiam quod reservare omnia supremorum principum legitimorum injuste spoliatorum jura et privilegia, iisque nullum præjudium afferre intendit; proindeque nihil addere, nihil adimere utrorum juribus sive prætensis sive acquisitis. Non potuit sancta sedes expressius declarare quod non se constituat judicem inter contendentes de suprema potestate et gubernio apud quamlibet nationem; proindeque quod non sibi agnoscat jurisdictionem temporalem super nationes earumque gubernatores; qui a sancta sede ex aliquo jure speciali non dependerent. Non autem eo ipso abdicat suam spiritualem auctoritatem super omnes : cum reservet omnia legitime acquisita jura, ipsisque præjudicium afferre nec velle nec posse declaret. Quod quidem non est sese indifferentem omnibus juribus, omnibus potestatis formis, omnibus sive facti sive juris guberniis declarare; sed pronuntiat se esse pro justitia, quam reservat et promulgat simul proclamando sese non constituere judicem de contentionibus mere temporalibus. Secus vero foret, si partes ad ejus tribunal appellarentur; tunc enim sancta sedes jus haberet pronuntiandi et judicandi de earum contentionibus.

Ad omnium utilitatem hic ex integro textum Gallicum bullæ *Sollicitudo Ecclesiarum*, defectu Latini quem ad manum non habemus, transcribimus.

Constitutio *Sollicitudo Ecclesiarum* Gregorii XVI, 5 Augusti 1831.

« La sollicitude des Eglises qui presse continuellement les pontifes romains, à cause du troupeau dont la garde leur a été confiée, les oblige à employer tous leurs efforts pour concilier avec ce qui peut être le plus avantageux au salut des âmes, la sage administration des choses sacrées chez tous les peuples de la terre. Mais telle est quelquefois la nature des temps et des révolutions qui changent l'état des empires et des cités, qu'ils sont souvent empêchés par cela même de subvenir promptement et *librement* aux besoins spirituels des peuples. En effet, leur autorité pourrait devenir odieuse, surtout à ceux qui règlent leurs jugements d'après les idées du monde, comme s'ils *cédaient à l'esprit de parti* et *qu'ils préjugeassent en rien* les pouvoirs des personnes, lorsque dans les pays, où plusieurs princes se disputent le pouvoir, ils décident quelque point concernant les affaires des Eglises, et spécialement la nomination des évêques, en se concertant avec ceux qui sont actuellement à la tête de l'Etat. *Ce soupçon hostile et pernicieux* a été presque dans chaque siècle, repoussé par les pontifes romains, qui ont d'autant plus d'intérêt à en dévoiler la fausseté, que de là dépend le salut éternel de ceux à qui, pour ce motif, on refuse d'accorder les secours dont ils ont besoin.

« C'est aussi pour cela que notre prédécesseur, Clément V, d'heureuse mémoire, déclara, dans le concile général de Vienne, par une prudente et très-salutaire constitution, que si le souverain pontife qualifiait et honorait du titre d'une dignité quelconque, soit de science certaine, soit de vive voix, soit dans une constitution, soit dans des lettres, ou de toute autre manière, il n'entendait par là le confirmer dans cette

dignité, ou lui accorder aucun droit nouveau. »

« C'est encore ce que déclare très-formellement Jean XXII, lorsque, écrivant à Robert Bruce, qui se disait roi d'Ecosse, il lui observait qu'il lui donnait ce titre par amour de la paix. Il savait parfaitement qu'en vertu de la constitution de Clément V, *il ne diminuait rien* par là *des droits du roi d'Angleterre, et ne conférait à Robert aucun droit nouveau.* Et non-seulement il le déclara dans deux lettres différentes à Robert, mais encore dans une lettre pleine d'affection, il avertit expressément Edouard, roi d'Angleterre, que, par ce titre, il ne prétendait *rien ajouter ni rien retrancher* aux droits de l'un et de l'autre.

« Pie II se conduisit de même lorsque l'empereur Frédéric, et Mathias, fils de Jean Huniad, se disputaient le royaume de Hongrie. Il répondit, en effet, qu'il avait coutume d'appeler roi celui qui occupait le trône, sans que par là il songeât à léser les droits de qui que ce fût.

« Cette règle de conduite que le Saint-Siége observait dès les temps anciens, comme nous le voyons, notre prédécesseur Sixte IV, d'heureuse memoire, pareillement dans la constitution qu'il dit être à jamais valable et irréfragable, et par laquelle il déclare expressément que ceux qui auraient été reçus et regardés par le souverain pontife, comme rois ou comme investis d'une dignité quelconque, ou qui auraient été traités de la sorte tant par eux que par leurs nonces, ou qui se seraient donné eux-mêmes ce titre, ou qui auraient été nommés, reçus et traités par d'autres comme les possédant, ceux-là, ajoute-t-il, lors même qu'ils auraient assisté aux consistoires, soit personnellement ou par leurs ambassadeurs, ou qu'ils auraient pris part à quelques actes ou même été admis devant le souverain pontife: cependant ils ne reçoivent par là aucun droit nouveau relativement aux royaumes et aux dignités, comme aussi ceci n'apporte aucun préjudice à ceux qui pourraient y avoir des droits.

« Dans le siècle dernier, Clément XI, pontife d'immortelle mémoire, se conforma à la règle établie par ces constitutions: et il accorda non-seulement le titre de roi catholique au sérénissime archiduc d'Autriche Charles, mais il l'avertit encore *qu'il ne lui refuserait aucunement pour l'avenir l'usage des drois attachés à ce même titre relativement aux domaines qu'il tenait actuellement ou qu'il pourrait tenir par la suite,* déclarant expressément dans un consistoire qu'il approuvait et renouvelait les constitutions énumérées ci-dessus de ses prédécesseurs, de telle sorte que les droits de ceux surtout qui se disputaient la succession du royaume d'Espagne demeurassent *également intacts.*

« Que si telle a toujours été la coutume et la conduite du siége apostolique de pourvoir partout sous les conditions que nous avons rappelées à la sage administration des affaires de l'Eglise, de manière qu'il ne soit censé avoir sanctionné aucune disposition touchant la reconnaissance et la déclaration des droits des souverains; nous devons maintenant, surtout au milieu de la grande *instabilité des affaires politiques* et de leurs fréquents bouleversements, nous y conformer, afin que nous ne paraissions point abandonner en quelque manière la cause de l'Eglise, par des motifs humains.

« C'est pourquoi, après avoir entendu la congrégation choisie parmi nos vénérables frères les cardinaux de la sainte Eglise romaine, de la pleine puissance apostolique, de notre propre mouvement, et après une mûre délibération, nous approuvons pareillement et nous sanctionnons de nouveau la constitution précitée de Clément V, d'heureuse mémoire, notre prédécesseur, que nos autres prédécesseurs Jean XXII, Pie II, Sixte IV, et Clément XI, ont approuvée et renouvelée à l'occasion de semblables contestations sur quelques royaumes; et suivant en cela leurs exemples, nous y attachant fortement, nous déclarons pour le temps à venir, que, si, dans le but de régler les affaires de l'administration spirituelle des Eglises et des fidèles, quelqu'un a été qualifié et honoré par nous ou nos successeurs du titre d'une dignité quelconque et même royale, soit de notre science certaine, de vive voix, dans une constitution ou par des lettres et par des ambassadeurs envoyés de part et d'autre, ou de quelque manière et façon propre à reconnaître en lui cette dignité, si pour les mêmes raisons, il arrive de traiter et de conférer sur quelque matière avec ceux qui sont à la tête du gouvernement, quelle que soit

d'ailleurs sa forme, nous déclarons que par de semblables actes, ordonnances et conventions de ce genre, il *ne leur soit attribué, acquis* et *confirmé aucun droit*, et qu'on ne peut ni l'on ne doit tirer de là aucun argument *contre les droits et les privilèges des autres*, ni *en inférer quelque peine désavantageuse ou défavorable*. Ainsi nous ordonnons, décrétons et mandons que cette condition *relative à la conservation des droits des parties* soit réputée dorénavant comme ajoutée aux actes de ce genre, déclarant de nouveau tant en notre nom qu'en celui de nos successeurs, qu'au milieu de ces différentes circonstances de temps, de lieu et de personnes, nous ne cherchons que les choses du Christ, et que nous nous proposons uniquement comme la fin de toutes nos entreprises, ce qui peut contribuer le plus efficacement à la félicité spirituelle et éternelle des peuples.

« Nous déclarons donc que ces lettres demeureront et seront à jamais fermes, valides et efficaces, qu'elles recevront et obtiendront leurs effets pleins et efficaces, et qu'elles seront inviolablement observées par ceux à qui elles s'adressent, et pour un temps indéfini, nonobstant qui que ce soit qui y déroge, encore qu'il méritât une mention expresse, spéciale et individuelle. Qu'il ne soit donc permis à aucun homme d'enfreindre et de violer par une audace téméraire ces pages approuvées, sanctionnées, déclarées, promulguées, décrétées et voulues par nous. Si quelqu'un ose commettre un tel attentat, qu'il sache qu'il encourra l'indignation du Dieu tout-puissant et des bienheureux apôtres Pierre et Paul.

« Donné à Rome, à Sainte-Marie-Majeure, l'an de l'incarnation de Notre-Seigneur, mil huit cent trente-un, le jour des Nones d'Août, la première année de notre pontificat.

« B. card. PACCA, prodat. — Th. card. BERNETTUS. »

—

Hac constitutione SS. P. Gregorius XVI intendebat reservare omnia regis Franciæ Caroli X et ejus successorum jura. Sancta igitur sedes justitiam et jura acquisita etiam politica defendit et tuetur et non consecrat *facta usurpationis peracta* (*faits accomplis* ut aiunt), quia summus pontifex est Regis æternæ justitiæ vicarius.

Pro complemento hujus veræ doctrinæ transcribere debemus Constitutionem encyclicam SS. Patris PP. Pii IX feliciter regnantis, *Nullis certe verbis*, datam die 13 Januarii 1860 ad tuenda et protegenda jura principatus civilis sanctæ sedis, principum Italorum injuste spoliatorum et omnium regum Christianorum, contra subjectorum seditiones et injustas extraneorum invasiones.

—

Constitutio encyclica *Nullis certe verbis* SS. P. Pii IX, 19 Januari 1860.

« *Venerabilibus fratribus patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, aliisque locorum ordinariis gratiam et communionem cum apostolica sede habentibus.*

« PIUS PP. IX.

« Venerabiles fratres, salutem et apostolicam benedictionem.

« Nullis certe verbis explicare possumus, venerabiles fratres, quanto solatio, quantæque lætitiæ nobis fuerit inter maximas nostras amaritudines singularis ac mira vestra, et fidelium, qui vobis commissi sunt, erga nos et hanc apostolicam sedem fides, pietas et observantia, atque egregius sane in ejusdem sedis juribus tuendis, et *justitiæ causa* defendenda consensus, alacritas, studium et constantia. Etenim ubi primum ex nostris encyclicis litteris die 18 Junii superiori anno ad vos datis, ac deinde ex binis nostris consistorialibus allocutionibus cum summo animi vestri dolore cognovistis gravissima damna, quibus sacræ civilesque res in Italia affligebantur, atque intellexistis nefarios rebellionis motus et ausus *contra legitimos ejusdem Italiæ principes*, ac SACRUM *legitimumque nostrum et hujus sanctæ sedis principatum*; vos nostris votis curisque statim obsecundantes, nulla interjecta mora, publicas in vestris diœcesibus preces omni studio indicere properastis. Hinc non solum obsequentissimis æque ac amantissimis vestris litteris ad nos datis, verum etiam tum pastoralibus epistolis, tum aliis religiosis doctisque scriptis in vulgus editis episcopalem vestram vocem cum insigni vestri ordinis ac nominis laude attollentes, ac sanctissimæ nostræ religionis justitiæque causam strenue propugnantes, vehementer detestati estis sacrilega ausa contra civilem Romanæ Ecclesiæ principatum ad-

missa. Atque ipsum principatum constanter tuentes, profiteri et docere gloriati estis, eamdem singulari divinæ illius omnia regentis ac moderantis Providentiæ consilio datum fuisse Romano pontifici, ut ipse nulli civili potestati unquam subjectus supremum apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat. Atque nobis charissimi catholicæ Ecclesiæ filii vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati eosdem sensus nobis testari summopere certarunt et certant. Namque ex omnibus totius catholici orbis regionibus innumerabiles pene accepimus tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cujusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis litteras etiam a centenis Catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam erga nos, et hanc Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, et rebellionem, ausus que in nonnullis nostris provinciis admissos vehementer detestantes, beati Petri patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni injuria defendendum esse contendunt; ex quibus insuper non pauci id ipsum vulgatis apposite scriptis, docte sapienterque asseruere. Quæ præclaræ vestræ, ac fidelium significationes, omni certe laude ac prædicatione decorandæ, et aureis notis in catholicæ Ecclesiæ fastis inscribendæ ita nos commoverunt, ut non potuerimus non læte exclamare : *Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.* Nihil enim nobis inter gravissimas quibus premimur, angustias gratius, nihil jucundius nihilque optatius esse poterat, quam intueri quo concordissimo atque admirabili studio vos omnes venerabiles fratres, ad hujus sanctæ sedis jura tutanda animati et incensi estis, et qua egregia voluntate fideles, curæ vestræ traditi in idipsum conspirant, ac per vos ipsi vel facile cogitatione assequi potestis quam vehementer paterna nostra in vos atque in ipsos catholicos benevolentia merito atque optimo jure in dies augeatur. »

« Dum vero tam mirificum vestrum, et fidelium erga nos et hanc sanctam sedem studium et amor nostrum lenibat dolorem, nova aliunde tristitiæ accessit causa Itaque has vobis scribimus litteras, ut in tanti momenti re animi nostri sensus vobis imprimis denuo notissimi sint. Nuper, quemadmodum plures ex vobis jam noverint, per Parisienses ephemeridas, quibus titulus *Moniteur*, vulgata fuit Gallorum imperatoris epistola qua nostris respondit litteris, quibus imperialem majestatem suam omni studio rogavimus, ut validissimo suo patrocinio in Parisiensi congressu integram et inviolabilem temporalem nostram et hujus sanctæ sedis ditionem tueri, illamque a nefaria rebellione vindicare vellet. Hac sua epistola summus imperator, commemorans quoddam suum consilium paulo ante nobis propositum de rebellibus pontificiæ nostræ ditionis provinciis nobis suadet ut earumdem provinciarum possessioni renuntiare velimus, cum ei videatur hoc tantum modo præsenti rerum perturbationi posse mederi. Quisque vestrum, venerabiles fratres, optime intelligit, nos gravissimi officii nostri memores haud potuisse silere cum hujusmodi epistolam accepimus. Hinc, nulla interposita mora, eidem imperatori rescribere properavimus, apostolica animi nostri libertate clare aperteque declarantes, nullo plane modo nos posse ejus annuere consilio, propterea quod *insuperabiles præ se ferat difficultates ratione habita nostræ et hujus sanctæ sedis dignitatis, nostrique sacri characteris, atque ejusdem sedis jurium quæ non ad alicujus regalis familiæ successionem, sed ad omnes Catholicos pertinent,* ac simul professi sumus *non posse per nos cedi quod nostrum non est, ac plane a nobis intelligi victoriam, quæ Æmiliæ perduellibus concedi vellet, stimulo futuram indigenis, exterisque aliarum provinciarum perturbatoribus ad eadem patranda cum cernerent prosperam fortunam quæ rebellibus contingeret.* Atque inter alia eidem imperatori manifestamus *non posse nos commemoratas pontificiæ nostræ ditionis in Æmilia provincias abdicare, quin solemnia, quibus obstricti sumus, juramenta violemus, quin querelas motusque in reliquis nostris provinciis excitemus, quin Catholicis omnibus injuriam inferamus, quin denique infirmemus* JURA *non solum Italiæ* PRINCIPUM, *qui* SUIS DOMINIIS INJUSTE SPOLIATI

fuerunt, verum etiam OMNIUM *totius Christiani orbis* PRINCIPUM, *qui indifferenter videri nequirent* PERNICIOSISSIMA *quædam induci* PRINCIPIA (2). Neque prætermisimus animadvertere, *majestatem suam haud ignorare per quos homines, quibus pecuniis ac præsidiis recentes rebellionis ausus Bononiæ, Ravennæ et in aliis civitatibus excitati ac peracti fuerint, dum longe maxima populorum pars motibus illis, quos minime opinabatur, veluti attonita maneret, et ad illos sequendos se nullo modo propensam ostendit.* Et quoniam serenissimus imperator illas provincias a nobis abdicandas esse censebat ob rebellionis motus ibi identidem excitatos, opportune respondimus hujusmodi argumentum utpote nimis probans nihil valere: quandoquidem non dissimiles motus tum in Europæ regionibus, tum alibi persæpe evenerunt; et nemo non videt legitimum exinde capi non posse argumentum ad civiles ditiones imminuendas. Atque haud omisimus eidem imperatori exponere diversam plane fuisse a postremis suis litteris primam suam epistolam ante Italicum bellum ad nos datam, quæ nobis consolationem, non afflictionem attulit. Cum autem ex quibusdam imperialis epistolæ per commemoratas ephemerides editæ verbis timendum nobis esse censuerimus, ne prædictæ nostræ in Æmilia provinciæ jam essent considerandæ veluti a pontificia nostra ditione distractæ, idcirco majestatem suam Ecclesiæ nomine rogavimus ut etiam proprii ipsius majestatis suæ boni utilitatisque intuitu efficeret, ut hujusmodi noster timor plane evanesceret. Ac paterna illa charitate, qua sempiternæ omnium saluti prospicere debemus, in ipsius mentem revocavimus, ab omnibus districtam aliquando rationem ante tribunal Christi esse reddendam, et severissimum judicium subeundum, ac propterea cuique enixe curandum ut misericordiæ potius quam justitiæ effectus experiatur.

« Hæc præsertim inter alia summo Gallorum imperatori respondimus, quæ vobis, venerabiles fratres, significanda esse omnino existimavimus, ut vos in primis, et universus catholicus orbis magis magisque agnoscat, nos, Deo auxiliante, pro gravissimi officii nostri debito omnia impavide conari, nihilque intentatum relinquere, ut religionis ac justitiæ causam fortiter propugnemus, et civilem Romanæ Ecclesiæ principatum, ejusque temporales possessiones ac jura, quæ ad universum catholicum orbem pertinent, integra et inviolata constanter tueamur et servemus, nec non *justæ aliorum principum causæ prospiciamus*, ac divino illius auxilio freti qui dixit : *In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum* (*Joan.* XVI, 33); Et : *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam* (*Matth.* V, 10), parati sumus illustria prædecessorum nostrorum vestigia persequi, exempla æmulari, et aspera quæque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiæ ac justitiæ causam ullo modo deseramus. Sed vel facile conjicere potestis, venerabiles fratres, quam acerbo conficiamur dolore videntes quo teterrimo sane bello sanctissima nostra religio maximo cum animarum detrimento vexetur, quibusque maximis turbinibus Ecclesia et hæc sancta sedes jactentur. Atque etiam facile intelligitis quam vehementer angamur probe noscentes quantum sit animarum discrimen in illis perturbatis nostris provinciis, ubi pestiferis præsertim scriptis in vulgus editis pietas, religio, fides, morumque honestas in dies miserrime labefactatur. Vos igitur, venerabiles fratres, qui in sollicitudinis nostræ partem vocati estis, quique tanta fide, constantia ac virtute ad religionis, Ecclesiæ et hujus apostolicæ sedis causam propugnandam exarsistis, pergite majore animo studioque eamdem causam defendere, ac fideles curæ vestræ concreditos quotidie magis inflammate, ut sub vestro ductu omnem eorum operam, studia, consilia in catholicæ Ecclesiæ et hujus sanctæ sedis defensione, atque in tuendo civili ejusdem sedis principatu, beatique Petri patrimonio, cujus tutela ad omnes Catholicos pertinet, impendere nunquam desinant. Atque illud præsertim a vobis etiam atque etiam exposcimus, venerabiles fratres, ut una nobiscum fervidissimas Deo Optimo Maximo preces sine intermissione cum fidelibus curæ vestræ commissis adhibere velitis, ut imperet

(2) Scilicet imperium *factorum peractorum* (*faits accomplis*) et violentiæ, et supremæ potestatis populorum.

ventis et mari; ac præsentissimo suo auxilio adsit nobis, adsit Ecclesiæ suæ, atque exsurgat et judicet causam suam, utque cœlesti sua gratia omnes Ecclesiæ et hujus apostolicæ sedis hostes propitius illustrare eosque omnipotenti sua virtute ad veritatis, justitiæ, salutisque semitas reducere dignetur. Et quo facilius Deus exoratus inclinet aurem suam ad nostras, vestras omniumque fidelium preces, petamus in primis, venerabiles fratres, suffragia immaculatæ sanctissimæque Dei Genitricis Virginis Mariæ, quæ amantissima nostrum omnium est mater et spes fidissima, ac præsens Ecclesiæ tutela et columen, et cujus patrocinio nihil apud Deum validius. Imploremus quoque suffragia tum beatissimi apostolorum principis, quem Christus Dominus Ecclesiæ suæ petram constituit, adversus quam portæ inferi prævalere nunquam poterunt, tum coapostoli ejus Pauli, omniumque sanctorum cœlitum, qui cum Christo regnant in cœlis. Nihil dubitamus, venerabiles fratres, quin pro eximia vestra religione ac sacerdotali zelo, quo summopere præstatis, nostris hisce votis postulationibusque studiosissime obsequi velitis. Atque interim flagrantissimæ nostræ in vos charitatis pignus apostolicam benedictionem ex intimo corde profectam, et cum omnis veræ felicitatis voto conjunctam vobis ipsis, venerabiles fratres, cunctisque clericis, laicisque fidelibus cujusque vestrum vigilantiæ commissis peramanter impertimur.

« Datum Romæ apud Sanctum Petrum die 10 Januarii, anno 1860. »

« Pontificatus nostri anno decimo quarto. »

—

Ex hac constitutione claro clarius patet jura civilis principatus Ecclesiæ et omnium principum legitimorum esse causam justitiæ; ideoque sancta sedes *jura principum* injuste spoliatorum sicut et jura Ecclesiæ, *integra et inviolata constanter tuetur et servat, necnon justæ aliorum principum causæ prospicit;* et reprobat rebelliones sive subditorum, sive extraneorum, proindeque *perniciosissima* factorum peractorum et summæ potestatis populi per violentiam *principia* damnat. Præterea *paratus est* summus Pontifex, et cum eo omnes Catholici parati esse debent, *aspera quæque et acerba perpeti, ac vel ipsam animam ponere, antequam Dei, Ecclesiæ ac* JUSTITIÆ CAUSAM *ullomodo deserant.* Ergo Ecclesia non est indifferens rebus politicis, quæ ipsamet earum natura reipsa pertinent ad justitiæ morumque regulas et præcepta æterna.

Ad magis magisque stabiliendam inculcandamque auctoritatis etiam civilis necessitatem, et subditorum erga civiles potestates legitimas obedientiam et reverentiam, hic afferre libeat plures SS. Pontificum constitutiones, quibus perpetuo damnantur et prohibentur omnes quæcunque societates clanculæ, contra omnem sive spiritualem sive temporalem potestatem aggregatæ.

1. Clemens XII bulla *In eminenti* 1738 excommunicationem ipso facto incurrendam et sanctæ sedi reservatam contra *liberos muratores* seu *francs-maçons.*

2. Benedictus XIV const. *Providas* xv Kal. Junii 1751 confirmat bullam Clement. XII in eminenti, his verbis : *Sane, felicis recordationis prædecessor noster Clemens papa XII, per suas litteras apostolicas, anno incarnationis Dominicæ* 1738, IV *Kalend. Maii, pontificatus sui anno VIII datas, et universis Christifidelibus inscriptas, quarum initium est :* IN EMINENTI ; *nonnullas societates, cœtus, conventus, collectiones, conventicula, seu aggregationes, vulgo de* LIBERI MURATORI, *seu* DES FRANCS-MAÇONS, *vel aliter nuncupatas in quibusdam regionibus tunc late diffusas, atque in dies invalescentes, perpetuo damnavit atque prohibuit; præcipiens omnibus Christifidelibus, sub pœna excommunicationis* IPSO FACTO *absque ulla declaratione incurrenda, a qua nemo per alium quam per Romanum pontificem pro tempore exsistentem, excepto mortis articulo, absolvi posset, ne quis auderet vel præsumeret hujusmodi societates inire, vel propagare, aut confovere, receptare, occultare, iisque ascribi, aggregari aut interesse, et alias prout in eisdem litteris latius et liberius continetur, quarum tenor talis est, videlicet..* (Et sequitur textus bullæ *In eminenti.*) *Eamdem prædecessoris nostri constitutionem præsentibus..... in omnibus et per omnia.... confirmamus, roboramus et innovamus, ac perpetuam vim et efficaciam habere volumus et decernimus.*

Porro inter gravissimos præfatæ prohibitionis et damnationis causas.... una est quod in hujusmodi societatibus et conventiculis

cujuscunque religionis ac sectæ homines invicem consociantur.... altera est arctum et impervium secreti fœdus, quo occultantur ea, quæ in hujusmodi conventiculis fiunt; quibus proindeea sententia merito aptari potest... « Honesta semper publica gaudent; scelera secreta sunt :» tertia est jusjurandum, quo se hujusmodi secreto inviolabiliter servando se astringunt...; quarta est, quod hujusmodi societates non minus civilibus quam canonicis sanctionibus dignoscuntur...; quinta est, quod jam in pluribus regionibus memoratæ societates et aggregationes sæcularium principum legibus proscriptæ atque eliminatæ fuerunt... Verum etiam nos ipsi, pro apostolicæ sollicitudinis officio, præsentibus nostris litteris, catholicorum principum, omniumque sæcularium potestatum opem auxiliumque ad præmissorum effectum invocamus, et enixo studio requirimus; cum ipsi supremi principes et potestates electi sint a Deo defensores fidei, Ecclesiæque protectores; ideoque eorum munus sit idoneis quibusque rationibus efficere, ut apostolicis constitutionibus debitum obsequium, et omnimoda observantia præstetur; quod iis in memoriam revocaverunt Tridentinæ synodi Patres sess. 25, c. 20, multoque antea egregie declaraverat imperator Carolus Magnus suorum Capitularium tit. 1, c. 2...

3. Pius VII per suam constitutionem, *Ecclesiam a Jesu Christo*, 13 Septemb. 1821, eadem excommunicatione *ipso facto* incurrenda et sanctæ sedi reservata percellit *Carbonaros* seu *carbonari* qui contendebant non esse subjectos pœnis præcedentium constitutionum; et damnat eorum libros, statuta et scripta quæcunque et prohibet omnibus fidelibus eadem scripta legere vel retinere sub eadem excommunicationis pœna. Præterea reprobat eorum doctrinam, et nostram de potestate civili confirmat in his verbis, quæ de Gallica traductione defectu Latini textus transcribimus : *Les carbonari et leurs livres ont principalement pour but de propager l'indifférence en matière de religion, le plus dangereux de tous les systèmes; de donner à chacun la liberté absolue de se faire une religion suivant ses penchants et ses idées; de profaner et de souiller la Passion du Sauveur par quelques-unes de leurs coupables cérémonies; de mépriser les sacrements de l'Eglise (auxquels ils paraissent en substituer quelques-uns inventés par eux) et même les mystères de la religion catholique; enfin de renverser ce siége apostolique contre lequel, animés d'une haine toute particulière, ils trament les complots les plus noirs et les plus détestables.*

Les préceptes de morale que donne la société des Carbonari ne sont pas moins coupables, comme le prouvent ces mêmes documents, quoiqu'elle se vante hautement d'exiger de ses sectateurs qu'ils aiment et pratiquent la charité et les autres vertus, et s'abstiennent de tout vice. Ainsi elle favorise ouvertement le plaisir des sens; ainsi elle enseigne qu'il est permis de tuer ceux qui révéleraient le secret dont nous avons parlé plus haut; et quoique Pierre, le prince des apôtres, recommande aux Chrétiens de se soumettre, pour Dieu, à toute créature humaine qu'il a établie au-dessus d'eux, soit au roi, comme étant le premier dans l'Etat, soit aux magistrats, comme étant les envoyés du roi, etc.; et quoique l'apôtre saint Paul ordonne que tout homme soit soumis aux puissances plus élevées, cependant cette société enseigne qu'il est permis d'exciter des révoltes pour dépouiller de leur puissance les rois et tous ceux qui commandent, auxquels elle donne le nom injurieux de tyrans.

Tels sont les dogmes et les préceptes de cette société..... Nous pensons que, dans une cause si grave, il nous est impossible de nous abstenir de réprimer les efforts sacriléges de cette société...

En conséquence... nous condamnons et prohibons... la susdite société des Carbonari.... ses affiliations et conventicules..... ses livres, statuts, codes... soit imprimés, soit manuscrits....

Sequuntur pœnæ contra damnatos et eorum fautores.

4. S. Pontifex Leo XII, per suam constitutionem *Quo graviora*, die 13 Martii 1826 datam, confirmat, roborat et innovat omnes præcedentes constitutiones, et de novo prohibet et reprobat omnes tam præsentes quam futuras societates clanculas, quocunque nomine nuncupatas, sub iisdem excommunicationis reservatæ pœnis.

5. Tandem SS. Pater Pius IX feliciter regnans, et quem Deus diu sospitem inter amarissimas et innumeras angustias servet, confirmavit et roboravit omnes suorum prædecessorum constitutiones contra præfatas societates editas, et de novo damnavit earum doctrinam sicut et *communismi* et *socialismi* errores, per suam encyclicam 9 Novemb.

1846, in qua sic habetur : *Tel est le but de ces sociétés secrètes vomies du sein des ténèbres pour la ruine et de la religion et des Etats, sectes déjà plusieurs fois frappées d'anathème par les Pontifes romains nos prédécesseurs, dans leurs lettres apostoliques, lesquelles, par la plénitude de notre puissance apostolique, nous confirmons, voulant qu'elles soient observées avec un grand soin.... Tel est le but de l'exécrable doctrine dite du* COMMUNISME, *doctrine totalement contraire au droit naturel lui-même, et qui ne pourrait s'établir sans que les droits, les intérêts, les propriétés de tous, et la société humaine elle-même, fussent renversés de fond en comble....*

Et in sua encyclica 8 Decemb. 1849 archiepiscopis et episcopis Italiæ data, idem summus pontifex Pius IX addit : *Quant à cette doctrine de dépravation et à ces systèmes, tout le monde sait déjà qu'ils ont pour but principal de répandre dans le peuple, en abusant des mots de* LIBERTÉ *et d'*ÉGALITÉ, *les pernicieuses inventions du communisme et du socialisme. Il est constant que les chefs soit du communisme soit du socialisme, bien qu'agissant par des méthodes et des moyens différents, ont pour but commun de tenir en agitation continuelle et d'habituer peu à peu à des actes plus criminels encore les ouvriers et les hommes de condition inférieure, trompés par leur langage artificieux et séduits par la promesse d'un état de vie plus heureux. Ils comptent se servir ensuite de leurs secours pour attaquer le pouvoir de toute autorité supérieure, pour piller, dilapider, envahir les propriétés de l'Eglise d'abord, et ensuite celle de tous les autres particuliers, pour violer enfin tous les droits divins et humains; amener la destruction de Dieu et le bouleversement de tout ordre dans les sociétés civiles. Dans un si grand danger pour l'Italie, il est de votre devoir, vénérables frères, de déployer toutes les forces du zèle pastoral pour faire comprendre au peuple fidèle que, s'il se laisse entraîner à ces opinions et à ces systèmes pervers, ils le conduiront à son malheur temporel et à sa perte éternelle.*

Que les fidèles confiés à vos soins soient donc avertis qu'il est essentiel à la nature même de la société humaine que tous obéissent à l'autorité légitimement constituée dans cette société; et que rien ne peut être changé dans les préceptes du Seigneur, qui sont énoncés dans les Lettres sacrées sur ce sujet. Car il est écrit :« Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum; quia sic est voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam : quasi liberi, et non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut servi Dei. » (*I Petr.* II, 13 seqq.) *Et encore :« Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit : non est enim potestas nisi a Deo; quæ autem sunt a Deo ordinatæ sunt : itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit : qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* (*Rom.* XIII, 1 et seqq.) — *Vide* præcedentes constitutiones Pont. apud D. ANDRÉ, *Cours de droit can.* verb. *Sociétés secrètes, Socialisme, Séminaire...*

Hæc igitur Christi et Spiritus sancti et Ecclesiæ doctrina defendit et tuetur jura principum *legitime constitutorum*, ut ait sanctissimus P. Pius IX, non autem facta peracta (*faits accomplis*) nec falsa *tyrannorum* jura, prout distinguit sanctissimus pontifex Pius VII supra. Etenim tyranni, usurpatores et invasores jurium et principatuum, reprobantur et damnantur ab Ecclesia sicut ab æterna justitia. Proindeque populi et nationes non tenentur, nec ordinarie debent tyrannis et usurpatoribus obedire, sed e contra iisdem resistere debent si possunt id facere, ut in capite sequenti dicetur.

Tertia obligatio subjectorum et principum communis quoad leges civiles, quæ ex parte legislatoris debent esse justæ, et ut tales ex parte subjectorum debent in conscientia observari.

Prænotandum est et memorandum quod civilis potestatis forma liberæ nationum electioni primario relicta fuerit, sub tamen justitiæ et juris naturalis immutabilibus præceptis, prout in præcedentibus dictum est.

§ IV. — De variis ad legem requisitis conditionibus.

« Ad legem variæ requiruntur conditiones, quæ ex divo Isidoro assignantur, in cap. *Erit autem lex* 2, dist. 4, ibi : *Erit autem lex honesta, justa, possibilis, secundum naturam, secundum patriæ consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.* Brevius et cla-

rius omnes necessariæ legis conditiones continentur in hac definitione : Lex est recta agendorum ratio a publica potestate communitati denuntiata cum voluntate eam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vel omittendum. (Sic in re *communis doctorum.*) Aliis verbis, lex non male definitur : Norma liberarum actionum a superiore inferiori sub præmio vel pœna præscripta. »

Ex hac autem definitione facile est judicare de diversis legis speciebus. Si enim de essentia legis est, ut feratur a superiore inferioribus, quot sunt hominibus superiores (intelligo de supremis), tot sunt leges.

« Homines autem in statu naturali considerati sunt inter se æquales, ita ut nemo alteri superior sit; unum tamen habent superiorem, *Deum*. In statu vero civili eum habent superiorem, qui pro forma reipublicæ, in qua sunt, summum obtinet imperium. Quinimo iis qui Christianam religionem amplexi sunt, accedit et alter superior in statu civili, nimirum vicarius Christi, scilicet summus pontifex.

« Patet hinc legem optime dividi in *divinam* et *humanam*. *Divina* vero, prout a Deo promulgatur hominibus, est vel *naturalis*, si lumine rationis promulgetur; vel *revelata*, si promulgetur per revelationem.

« Lex *humana*, si ab eo qui potitur summo imperio in statu civili feratur, dicitur *civilis;* sin autem a summo pontifice, *ecclesiastica*. » (Ferrar., verb. *Lex*, art. 1, n. 11, et Additiones ex aliena manu, n. 46 et seq.)

Ex præfatis hisce deducitur subordinatio necessaria inter leges; etenim : 1° legi divinæ sive naturali sive revelatæ subordinantur omnes humanæ leges quæ, ut dicetur infra, ab æterna lege promanant et derivantur; 2° Legi ecclesiasticæ subordinantur leges civiles, quia ex divina institutione summus pontifex constitutus est superior omni humanæ creaturæ, et omni civili potestati in rebus fidei, justitiæ et morum, ut fides docet.

His prænotatis, conditiones ad legem veram et obligatoriam necessario requisitæ ad sequentes reduci possunt ex parte legislatoris.

Prima conditio est ut legislator habeat auctoritatem legitime collatam; et hujus modi conditio clare deducitur ex supracitata legis definitione. Nam cum omnes homines sint in statu naturali æquales, et non sit imperium paris in parem, necesse est ut superior et legislator aut a Deo immediate instituatur ut summus pontifex; aut a voluntate et constitutione populi seu nationis veluti principes civiles. Et confirmatur a sancto Thoma, 1-2, quæst. 90, *De legibus*, art. 1 : « Lex est aliquid rationis. » Art. 2. « Omnis lex ordinatur semper ad bonum commune. Et Isidorus dicit in v *Etymologiarum*, cap. 21, quod *lex est nullo privato commodo, sed pro communi utilitate conscripta.* » Art. 3. « Isidorus dicit in l. v *Etym.* cap. 10, et habetur in *Decretis*, cap. 1, dist. 3 : *Lex est constitutio populi, secundum quam majores natu cum plebibus aliquid sanxerunt.* Non est ergo cujuslibet facere legem. » — « Respondeo dicendum quod lex proprie primo et principaliter respicit ordinem ad bonum commune; ordinare autem aliquid in bonum commune est vel totius multitudinis, vel alicujus gerentis vicem totius multitudinis. Et ideo condere legem vel pertinet ad totam multitudinem, vel pertinet ad personam publicam, quæ totius multitudinis curam habet; quia et in omnibus aliis ordinare in finem est ejus cujus est proprius ille finis. »

Idem divus Thomas, 1-2, quæst. 96, art. 4, sic inter alia infra citanda, ait : « Injustæ autem sunt leges..... vel etiam ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem..... Et hujusmodi magis sunt violentiæ quam leges... » Et 2-2, quæst. 42, art. 1 ad 3 : « Ad tertium dicendum quod regimen tyrannicum non est justum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum regentis... » Et 2-2, quæst. 104, *De obedientia*, art. 1, objicitur 3° : « Præterea, latronibus, qui per violentiam opprimunt, homines obedire non tenentur. Sed Augustinus dicit in IV *De civit. Dei*, cap. 4, in princ. : *Remota justitia, quid sint regna, nisi magna latrocinia?* Cum ergo dominia principum sæcularium plerumque cum injustitia exerceantur, vel ab aliqua injusta usurpatione principium sumpserint, videtur quod non sit principibus sæcularibus obediendum a Christianis. » — Respond. « Ad tertium dicendum quod principibus sæcularibus in tantum homo obedire te-

netur, in quantum ordo justitiæ requirit. Et ideo si non habeant justum principatum, sed usurpatum, vel si injusta præcipiant, non tenentur eis subditi obedire, nisi forte per accidens, propter vitandum scandalum vel periculum. »

Becanus, *Summa theolog.*, *De jure et justitia*, quæst. 12, *An tyrannus peccet usurpatione* judicii, hanc distinctionem affert : « Alius est tyrannus usurpatione potestatis, qui scilicet absque ullo jure remp. invasit, et oppressam tenet; alius usu regiminis, qui scilicet tyrannice gubernat, cum alioqui sit verus princeps, et legitimam habeat potestatem... D. Sotus lib. III, quæst. 4, art. 6, docet tyrannum, qui rempub. invasit, non posse ferre ullam legem, nec jus dicere, quod obliget in conscientia ; ac proinde sententias ejus esse irritas. »

Et sanctus Thomas, 1-2, quæst. 5, art. IV, sic ex Isidoro ait : « Aliud (regimen) autem est *tyrannicum*, quod est omnino corruptum; unde ex hoc non sumitur aliqua lex. »

Ergo necesse est ut legitimam non autem usurpatam auctoritatem habeat legislator ut possit legem obligatoriam condere.

Unde ex parte subjectorum, non tenentur legibus tyranni, usurpatoris et invasoris obedire, quia defectu auctoritatis non sunt leges, « nisi forte, ut ait D. Thomas, per accidens, propter vitandum scandalum vel periculum. »

Secunda conditio legis, est ut lex sit rationabilis et justa.

1. *Ex parte legislatoris.* — S. Thomas 1-2, quæst. 91, art. 1 : « Nihil est aliud lex quam dictamen practice rationis in principe, qui gubernat aliquam communitatem perfectam. » Art. 3. « Tullius dicit in sua *Rhet.* lib. II, *De invent.*, quod *initium juris a natura profectum; deinde quædam in consuetudinem ex utilitatis ratione venerunt : postea res a natura profectas, et consuetudine probatas legum metus et religio sanxit.* » Et quæst. 93 : « Lex importat rationem quamdam directivam actuum ad finem... Cum ergo lex æterna sit ratio gubernationis in supremo gubernante, necesse est quod omnes rationes gubernationis quæ sunt in inferioribus gubernantibus, a lege æterna deriventur. »

« Hujusmodi autem rationes inferiorum gubernantium sunt quæcunque aliæ leges præter æternam. Unde omnes leges, in quantum participant de ratione recta, in tantum derivantur a lege æterna ; et propter hoc Augustinus dicit in I *De liber. arbit.* cap. 6, ad fin., quod *in temporali lege nihil est justum ac legitimum, quod non ex lege æterna homines sibi derivaverint.* Isa. X, 1 : *Væ qui condunt leges iniquas.* Prov. VIII, 15, divina Sapientia dicit : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Sed ratio divinæ sapientiæ est lex æterna. Ergo omnes leges a lege æterna procedunt. » — Art. 6. « Omnes res humanæ subjiciuntur legi æternæ; Augustinus dicit XIX *De civit. Dei*, cap. 12, circa fin. : « Nullo modo aliquid legibus summi Creatoris, ordinationique subtrahitur, a quo pax universitatis administratur. »

Et 1-2, quæst. 95, art. II : « Omnis lex humanitus posita a lege naturali derivari debet... » — « Sicut Augustinus dicit in I *De liber. arbitr.* cap. 5, parum a princ. : *Non videtur esse lex quæ justa non fuerit.* Unde in quantum habet de justitia, in tantum habet de virtute legis. In rebus autem humanis dicitur esse aliquid justum ex eo quod est rectum secundum regulam rationis. Rationis autem prima regula est lex naturæ... Unde omnis lex humanitus posita in tantum habet de ratione legis, in quantum a lege naturæ derivatur. Si vero in aliquo a lege naturali discordet, jam non erit lex, sed legis corruptio. »

2. *Ex parte subjectorum.* — S. Thomas 1-2, quæst. 96, art. IV : « Utrum lex humana imponat necessitatem in foro conscientiæ. » — « Respondeo dicendum quod leges positæ humanitus vel sunt justæ vel injustæ. Si quidem justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna, a qua derivantur, secundum illud Prov. VIII, 15 : *Per me reges regnant, et legum conditores justa decernunt.* Dicuntur autem leges justæ et ex fine, quando scilicet ordinantur ad bonum commune; et ex auctore, quando scilicet lex lata non excedit potestatem ferentis; et ex forma, quando scilicet secundum æqualitatem proportionis imponuntur subditis onera, in ordine ad bonum commune : cum enim unus homo sit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipsum quod est, et quod habet, est multitudinis, sicut et quælibet pars id quod est, est totius; unde et natura aliquod detrimen-

tum infert parti, ut salvet totum. Et secundum hoc leges hujusmodi onera proportionaliter inferentes, justæ sunt, et obligant in foro conscientiæ, et sunt leges legales.»

«Injustæ autem sunt leges dupliciter: *Uno modo* per contrarietatem ad bonum humanum e contrario prædictis, vel ex fine, sicut cum aliquis præsidens leges imponit onerosas subditis non pertinentes ad utilitatem communem; sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam; vel etiam ex auctore, sicut cum aliquis legem fert ultra sibi commissam potestatem; vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini dispensantur, etiamsi ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi magis sunt violentiæ quam leges, quia sicut Augustinus dicit in lib. I *De liber. arbit.* cap. 5, parum a princ., *lex esse non videtur quæ justa non fuerit.* Unde tales leges non obligant in foro conscientiæ, nisi forte propter vitandum scandalum vel turbationem; propter quod etiam homo juri suo debet cedere secundum illud Matth. v, 41: *Qui angariaverit te mille passus, vade cum eo alia duo; et qui abstulerit tibi tunicam da ei et pallium.* —*Alio modo* leges possunt esse injustæ per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcunque aliud quod sit contra legem divinam; et tales leges nullo modo licet observare, quia, sicut dicitur, Act. v, 29: *Obedire oportet Deo magis quam hominibus.*

«Ad primum (scilicet quod non liceat resistere potestati) ergo dicendum quod, sicut Apostolus dicit, Rom. XIII, 1 et seq.: *Omnis potestas* (humana) *a Deo est;* et ideo *qui potestati resistit* (in his quæ ad potestatis ordinem pertinent) *Dei ordinationi resistit*, et secundum hoc efficitur reus quantum ad conscientiam.» Sed qui resistit in his quæ ad potestatis ordinem non pertinent, non efficitur reus.

«Ad secundum (scilicet quandoque divina mandata evacuantur per leges humanas), dicendum quod ratio illa procedit de legibus humanis quæ ordinantur contra Dei mandatum; et ad hoc ordo potestatis non se extendit; unde in talibus legi humanæ non est parendum.

«Leges humanæ frequenter ingerunt calumniam et injuriam hominibus, secundum illud Isaiæ x, 1: *Væ qui condunt leges iniquas et scribentes injustitias scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes et vim facerent causæ humilium populi mei!*

«Ad tertium dicendum quod ratio illa procedit de lege quæ infert gravamen injustum subditis; ad quod etiam ordo potestatis divinitus concessus non se extendit; unde nec in talibus homo obligatur ut obediat legi, si sine scandalo vel majori detrimento resistere potest.»

Unde etiam dicendum est cum Fagnano in cap. *Cum esset*, tit. *De testamentis*, lib. III *Decretal.* n. 116: «Imperator est vicarius Dei, sed vicarius et procurator non potest venire contra factum Domini... Imo qui legibus imperatoris, quæ contra Dei voluntatem feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande præmium.» Et n. 120 et seq.: «Præceptum morale, seu juris naturalis... per legem humanam alterari non potest, cum sit immutabile. (C. fin. *De consuetudine;* c. *Non est peccatum*, glos. dist. 6; S. THOM. in IV *Sent.* dist. 2, quæst. 1, art. 4.) Quod adeo verum est ut, si princeps etiam papa leges conderet adversus ea quæ dicit Dominus, non diceretur condere, sed potius convinceretur errare. (C. *Sunt quidam*, causa 25, quæst. 1.) Et constitutiones sive ecclesiasticæ, sive laicales, si juri naturali probentur contrariæ, sunt penitus excludendæ, ut dicit textus in cap. fin. dist. 9.» Et *ibidem*, passim: «Leges civiles contra SS. Patrum instituta... contra consuetudinem Ecclesiæ.. non sunt servandæ... Lex debet esse rationabilis et justa.» Et Ferraris, verb. *Lex*, art. 1, n. 44 et seq.: «Nulla potestas legislativa humana, sive ecclesiastica, sive laica, potest condere leges, vel statuta contra jus naturale, vel divinum præceptivum, vel prohibitivum statuere aliquid contra id quod lex naturalis aut divina præcipit, seu prohibet. (Communis, arg. c. *Inferior* dist. 21; c. *Cum inferior* 16, *De majorit. et obed.;* Clement. *Ne Romani*, *De elect.* ibi: *Lex superioris per inferiorem tolli nequit.*»

«Quinimo nulla potestas legislativa humana, summo pontifice excepto, potest leges ferre, et quidpiam statuere contra jus commune canonicum aut alias constitutiones apostolicas. (*Commun.* per textus in citatis juribus et in cap. *Institutionis* 7, causa 25, quæst. 2; cap. *quod super his* 9, *De majorit. et obedient.* cum similibus.»

Itaque articuli Concordati 1801 organica dicta et codex legum Galliarum, cum sint

a summo pontifice Pio VII, bulla *Cum memoranda illa die* 10 Junii 1809 reprobata et damnata tanquam sacris canonibus contraria et etiam cum evangelicis præceptis incompatibilia, non sunt in conscientia servanda et eludi debent in omnibus quæ sunt sanctis canonibus aut divinis præceptis opposita, ubi id potest sine periculo fieri et etiam cum periculo quando agitur de præceptis divinis. In præfata enim Pii VII bulla sic legitur: *Cette amertume, nous ne l'avons pas cachée à l'Eglise, et nous adressant à nos frères les cardinaux de la sainte Eglise Romaine, dans le consistoire du 24 Mai 1802, nous leur avons annoncé qu'on avait ajouté, lors de la promulgation de la convention arrêtée, des articles qui nous étaient inconnus et que nous avons en même temps désapprouvés. En effet, aux termes de ces articles, on anéantit de fait pour l'exercice de la religion catholique, dans les points les plus graves et les plus importants, la liberté, qui, dans le commencement des stipulations du Concordat*, avait été stipulée, convenue, promise comme base et *fondement, mais encore on publie quelques autres articles qui attaquent la doctrine de l'Evangile.* Et infra: *Pour substituer à sa place* (*du régime sacré laissé par Jésus-Christ à son Eglise*) *un code non-seulement contraire aux canons sacrés, mais encore incompatible avec les préceptes évangéliques.* Et infra: *La promulgation du code et des autres lois contraires non-seulement aux saints canons eux-mêmes, mais encore aux préceptes évangéliques et au droit divin.*

3. *Ex parte subjectorum.* — Seclusis hujusmodi casibus, in quibus leges injustæ sunt aut non sunt leges, subditi tenentur in conscientia legibus justis legitimorum superiorum obedire. S. Thomas, 2-2, quæst. 104, *De obedientia*, art. 1 : « Ad Hebr. ult. 17, *Obedite præpositis vestris, et subjacete eis.* Resp. dicendum quod, sicut actiones rerum naturalium procedunt ex potentiis naturalibus, ita etiam operationes humanæ procedunt ex humana voluntate. Oportuit autem in rebus naturalibus ut superiora moverent inferiora ad suas actiones per excellentiam naturalis virtutis collatæ divinitus. Unde etiam oportet in rebus humanis quod superiores moveant inferiores per suam voluntatem ex vi auctoritatis divinitus ordinatæ. Movere autem per rationem et voluntatem est præcipere. Et ideo sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habeant subjici motioni superiorum, ita etiam in rebus humanis ex ordine juris naturalis et divini tenentur inferiores suis superioribus obedire. »

« Ad secundum, dicendum quod divina voluntas est prima regula qua regulantur omnes rationales voluntates; cui una magis appropinquat quam alia, secundum ordinem divinitus institutum. Et ideo voluntas unius hominis præcipientis potest esse quasi secunda regula voluntatis alterius obedientis. » Id. sanctus Thomas *ibid.* quæst. 105, « Utrum Christiani teneantur sæcularibus potestatibus obedire. » — Videtur quod non. — « Sed contra est quod dicitur ad Tit. III, 1 : « *Admone illos, principibus et potestatibus subditos esse*; et I Petr. II, 13: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ*, etc. » — Respondeo : dicendum quod fides Christi est justitiæ principium et causa, secundum illud Rom. III, 22: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi.* Ideo per fidem Jesu Christi non tollitur ordo justitiæ, sed magis firmatur. Ordo autem justitiæ requirit ut inferiores suis superioribus obediant; aliter enim non posset humanarum rerum status conservari. — Et ideo per fidem Christi non excusantur fideles quin principibus sæcularibus obedire teneantur. »

« Ex lege divina homo tenetur homini obedire. »

Unde « leges humanæ justæ, tum ecclesiasticæ, tum civiles, obligant in conscientia, ita ut earum transgressio culpabilis in materia gravi sit peccatum mortale. (Communis.) Et quod nedum leges ecclesiasticæ, sed etiam civiles sic obligent habetur etiam ex c. *Quo jure* 1, dist. 8, ubi sic dicitur: *Ipsa jura humana per imperatores et reges sæculi Deus distribuit humano generi.* Cap. *Nemo* 17, causa 16, quæst. 3, ubi dicuntur, venerandæ Romanæ leges divinitus per ora principum promulgatæ, etc. Unde c. *Quæ contra* 2, dist. 8, dicitur expresse: *Generale factum est societatis humanæ, obedire regibus suis.*

Quarta obligatio subjectorum est legitimis potestatibus justa tributa, etc., solvere. « Ratio autem nostræ conclusionis est quia justitia commutativa obligat semper in conscientia etiam antequam petatur debitum: Justæ autem gabellæ, justa tributa et vectigalia sunt debita principi ex justitia commutativa, tanquam jure naturæ debitum stipendium ad suum statum, et bonum pu-

blicum sustinendum; justitia enim commutativa postulat, principi publica onera compensari ab iis quorum gratia sustinet ea, quia *dignus est operarius mercede sua;* tum quia lex, vel mandatum superioris justum obligat in conscientia juxta certissimam doctorum sententiam...; tum etiam quia obligatio solvendi gabellas justas, justa tributa, vectigalia et hujusmodi est de jure divino, adeoque obligat in conscientia. Ad Romanos enim cap. XIII dicitur expresse: *Ideo enim et tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita : cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Et Matth. XXI Christus ipse, quæstione facta de hac materia, ostenso sibi numismate census dixit: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo.* Imo non tantum verbo, sed et exemplo docuit justas gabellas et justa tributa, vectigalia, et hujusmodi esse solvenda, dum Matth. XVII, pro se et Petro tributum solvit. »

Ideoque injuste « defraudantes gabellas, tributa, vectigalia, et alia hujusmodi, peccant pro materiæ quantitate graviter, vel leviter, et ad restitutionem tenentur; est communior, et reipsa vera sententia doctorum...»

« Non solum subditi, sed etiam exteri tenentur ad solvendas justas gabellas, vectigalia, pedagia, guidagia, quia quoad usum pontium, fontium, viarum, et hujusmodi, gabella etiam exteris ideo imposita justificatur cum ad illorum etiam utilitatem cedat...» (FERRAR. v. *Gabella*, n. 23, 25, 26.)

Sed « quando certo, aut satis probabiliter constat, gabellas, tributa et hujusmodi ex toto vel ex parte injuste esse imposita, tunc potest quis ea, vel ex toto, vel ex parte subterfugere, et defraudare. Imo potest insuper occulta compensatione uti, casu, quo in foro externo, uti ordinarie fit, ad solvendum cogeretur ... Ita pro certo tenent omnes. Et ratio est, quia unicuique jure naturæ concessum est damnum suum injustum impedire, vel resarcire, quatenus licite fieri potest, in eo autem casu exactionem gabellarum injustarum, seu quorumcunque injustorum tributorum subditi patiuntur damnum injustum, quod alia ratione impedire non possunt nisi subterfugiendo solutionem, vel si jam solvere coacti sunt, occulte compensando, dummodo serventur conditiones justæ compensationis... » (ID. *ibid.* n. 28.) Vide quæ sint injusta tributa ex dictis supra de principum obligationibus et juribus. Vide etiam moralistas quoad varios casus.

Diximus notanter *legitimis potestatibus justa tributa solvere;* nam cum ex dictis supra tyranni usurpatores et invasores nullam condendi leges auctoritatem habeant, ideoque jus non habent exigendi tributa quæ ipsis non debentur. Proindeque non tenentur subditi talibus quæcunque tributa solvere et possunt subterfugere solutionem, vel occulte compensare.

CAPUT IX.

De variis potestatis civilis seu gubernationis formis deque earum juribus et obligationibus.

Cum supra diximus formam potestatis civilis liberæ nationum electioni fuisse relictam, principium enuntiavimus : quod ab ipso Deo applicatum fuit, quando, *Exod.* XIX, semetipsum in regem civilem et legislatorem mere temporalem eligendum populo Israelitico proposuit. Raro autem hujusmodi principium in perfecta veritate applicatur. Sæpius enim formæ gubernationis quasi sponte stabiliuntur per circumstantias, tempora, consuetudines et usus, sive necessitates. Suam legitimationem a legitima præscriptione et temporis sanctione accipiunt; manutenentur et crescunt sese identificando nationum institutionibus, quas evolvunt et perficiunt. A successivis generationibus acceptæ, earumdem prosperitati, gloriæ et amplificationi sese devovent, sicut ad earum vera commoda et jura tutanda. Hæc est lex providentialis, mitior et magis naturalis et consequenter melior. Contractus tamen tacitus vel expressus nihilominus exsistit, tantoque est firmior et magis obligatorius, quanto sit longiore usu et mutua nationis et potestatis possessione sancitus. Et hæc est traditionalis lex, quæ est omnis humanæ societatis fundamentum necessarium.

Contingit tamen ut perturbationes et revolutiones, quamvis a jure naturali et ecclesiastico reprobatæ, per violentiam cogant nationes sæpius novam gubernii constitutionem subire, aut, quod rarius evenit, ad sibi dandam aliquam potestatis formam. Examinandæ sunt igitur diversæ gubernationis formæ cum justi et veri lumine.

Prænotandum est mutationes gubernationis formæ regulariter esse nationibus multum nocivas ; ad hoc facit quod docet divus Thomas 1-2, quæst. 97, art. 1. « Utrum lex

humana debeat mutari aliquo modo? » — Resp... Duplex causa potest esse quod lex juste mutetur : una quidem ex parte rationis.... Alia vero ex parte hominum, quorum actus lege regulantur; lex recte mutari potest propter mutationem conditionum hominum, quibus secundum diversas eorum conditiones diversa expediunt, sicut Augustinus ponit exemplum in lib. I, *De lib. arbitr.* cap. 6, a princ., quod si populus sit bene moderatus et gravis, communisque utilitatis diligentissimus custos, recte lex fertur, qua tali populo liceat creare sibi magistratus, per quos respublica administretur. Porro, si paulatim idem populus depravatus habeat venale suffragium, et regimen flagitiosis sceleratisque committat, recte adimitur populo talis potestas dandi honores, et ad paucorum bonorum redit arbitrium. » Quia in hac agendi ratione populi læduntur jus naturale et bonum commune.

Et id. divus Thom. *ibid.* art. 2 : « Utrum lex humana semper sit mutanda, quando occurrit aliquid melius? » — « Sed contra est quod dicitur in *Decretis*, dist. 12, c. 5 : ***Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones, quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur.*** — Respondeo.... habet autem ipsa legis mutatio, quantum in se est, detrimentum quoddam communis salutis, quia ad observantiam legum plurimum valet consuetudo, in tantum quod ea quæ contra consuetudinem fiunt, etiamsi sint leviora de se, graviora videntur. Unde quando mutatur lex, diminuitur vis constrictiva legis, in quantum tollitur consuetudo. Et ideo nunquam debet mutari lex humana, nisi ex alia parte tantum recompensetur communi saluti, quantum ex ista parte derogatur. » Unde concludendum est a fortiori gubernii formam præsertim longævam non esse mutandam; nam ut habetur in canone supra citato: ***Ridiculum est, et satis abominabile dedecus, ut traditiones quas antiquitus a patribus suscepimus, infringi patiamur.*** Præsertim quando ex mutatione justitia et jus naturale læduntur.

§ I. — De variis gubernii formis in genere.

D. Thomas 1-2, quæst. 95, *De lege humana*, sic ex Isidoro tradit diversas gubernationis formas; art. 4 : « Isidorus convenienter ponit divisionem humanarum legum.... » — « Tertio est de ratione legis humanæ ut instituatur a gubernante communitatem civitatis, sicut supra dictum est, quæst. 90, art. 3... Et secundum hoc distinguuntur leges humanæ secundum diversa regimina civitatum. Quorum unum, secundum Philosophum, in III *Politic.* cap. 10, est ***regnum***, quando scilicet civitas gubernatur ab uno; et secundum hoc accipiuntur ***constitutiones principum***. Aliud vero regimen est ***aristocratia***, id est principatus optimorum vel optimatum; et secundum hoc sumuntur ***responsa prudentum***, et etiam ***senatusconsulta***. Aliud regimen est ***oligarchia***, id est, principatus paucorum divitum et potentatuum; et secundum hoc sumitur ***jus prætorium***, quod ***honorarium*** dicitur. Aliud autem regimen est populi, quod nominatur ***democratia;*** et secundum hoc sumuntur ***plebicista***. Aliud autem est ***tyrannicum***, quod est omnino corruptum. Unde ex hoc non sumitur aliqua lex. Est etiam aliquod regimen ex istis commistum, quod est optimum; et secundum hoc sumitur lex ***quam majores natu simul cum plebibus sanxerunt***, ut Isidorus dicit, lib. V ***Etymologiar.*** cap. 10, et habetur in cap. ***Lex*** 1, dist. 2.

§ II. — De variis gubernii formis in specie.

I. ***Democratia***, qua tot juvenum imaginationes seducuntur, quia eam veluti perfectionem habent, non est tamen communi bono utilior nec magis duratura. Nulla etenim natio a democratia incœpit; nunquamque vera democratia exsistit nec exsistere potest. Vera, completa, radicalis democratia exigeret ut omnia nationis alicujus membra, omnes in juribus æquales personæ, ne quidem exceptis feminis et liberis adultis, æqualem haberent participationem in legum confectione et in earumdem applicatione. Atqui in hujusmodi radicalismo jam adest flagrans naturæ et juri humanæ familiæ oppositum, ne loquamur de aliis inconvenientibus, quibus lex naturalis subverteretur. In minus absoluto gradu, democratia exigeret ut, si non omnes adulti homines, saltem omnes familiarum patres æquali jure ad omnes gubernatorios actus gauderent. Ex tunc autem unusquisque partem habet potestatis suam, et nemo suprematiam; proindeque auctoritas est ubique et nullibi; invisibilis est: et quia imperium non habet par in parem, nulla adest constitutio, nullum est possibile gubernium, nisi delegentur potestatis depositarii qui legum exsecutionem prosequantur, et jam eo ipso e pura democratia

egreditur; aut nisi supremi principatus exercitium conferatur ad turnum unicuique civi per aliquot horas vel per unum diem; quod Athenis per aliquot annos practicatum fuit. Quis autem non videt, prout ab historia docetur, nullum esse possibilem in tali institutione progressum; quia tale gubernium est despotismus et tyrannia omnium contra quemque. Exemplum et probationem præbuerunt antiquæ democratiæ. Ratio est, quia hic familia creata ut typus et fundamentum omnis societatis non repræsentatur; nullus adest responsabilis moderator, nec pater, nec pastor populi. Nulla adest stabilis constitutio, cum quidem quotidie variari possit. Talis præterea status permanentem legislatorum, judicum, et gubernatorum, qui sunt omnes cives, congregationem necessitat, et consequenter perpetuam omnium familiarum patrum distractionem et absorptionem longe a familiarum interesse necessariis, quæ immolantur; et ipsa familia per statum absorpta fiet ejus proprietas contra creationis legem. Non est alias possibile tale gubernium, nisi in una tantum civitate; prout Græcia antiqua aliquot satis brevis durationis exempla præbuit, quæ nec personarum, nec familiarum libertati favorabilia fuere. Sæpius enim e contra in hujusmodi civitatibus regnarunt injustissimæ cupiditates, odiosa invidia, ingratitudo, verique boni et pulchri odium. Exinde contigit multitudo minimarum democratiarum sibi invicem invidiosarum, incessanter inter se luctantium, et sese vicissim opprimentium per violentiam injustam, seseque successive destruentium, unde jugum extraneorum subierunt sub quo multis jam a sæculis Græciæ populi suam nationalitatem amiserunt. Memorandum aliunde est, in his antiquis democratiis, plusquam hominum medietatem in servitute redactam fuisse, nullamque partem gubernio habuisse. Nunquam igitur fuerunt puræ democratiæ; soli reipublicæ liberi cives suffragii jus obtinebant.

Democratia, in magnis nationibus impossibilis, præter quod nunquam absoluta esse possit, est igitur in semetipsa gubernium magis personarum et familiarum veris juribus oppositum, consequenterque juri naturali minus conforme, injustitiis et violentiis magis promptum, quia est coadunatio et conflictum omnium cupiditatum; a quo conflictu, ubi omnium faba operit et excusat personalem responsabilitatem, exeunt lex et judicia.

II. *Aristocratia et oligarchia*, quæ sunt fere unum et idem, sunt gubernationis forma intermedia et jam minus imperfecta quam democratia, quia ibi adest majus lumen majorque reflexionis sapientia et minus cæcarum cupiditatum. Reipsa vero a democratia absoluta non differt, nisi in quantum oligarchia efformet corpus quoddam per seipsum independens, et saltem æquali potestati plebis potestate gaudens. Hujusmodi oligarchicum corpus potest esse sive electivum, sive hæreditarium; si fuerit electivum, potest esse perpetuum vel temporarium.

In duabus præditis gubernii formis, potestas exsecutiva semel legitime constituta nequit revocari, dum mandatum ejus durat, nisi ex causis in constitutione prævisis et statutis, aut ex flagranti juris naturalis erga nationem violatione, quæ alio modo reparari nequiret, ut in præcedenti capite demonstratum fuit.

Ex sua parte, potestas exsecutiva gubernii formam mutare nequit, nec etiam sui mandati conditiones absque libero nationis consensu. Secus tollendo nationis jura per ejus constitutionis mutationem patraret æquale crimen crimini nationis ipsammet potestatem deponentis. Talis attentati, talis contractus naturalis violationis nulla est excusatio; jureque suo legitimo utitur natio quæ resistit potestati usurpatori eamdemque suo mandato spoliat; nam potestas stabilitur ad jura omnium tutanda, non tollenda.

In omnibus præfatis gubernii formis, ex earum natura, per quamlibet mandati expirationem, liberum fit nationi modificare, mutare potestatis gubernatoriæ formam. Idque non est minimum ex obstaculis quibus periclitantur tranquillitas, pax, prosperitas et nationis potentia duratura. Multæque nationes in hujusmodi obstaculis offenderunt et perierunt.

III. *Despotismus* seu *tyrannia*. — Multiplices etiam sunt formæ potestatis monarchicæ; inter quas una est, tyrannia, quæ saltem theorice et sæpissime practice adhuc est minus juri naturali conformis quam absoluta democratia. In democratia absoluta suprema potestas nullibi est; est anarchia semetipsam regens. Despotismus est unius hominis arbitraria dominatio super res, per-

sonas et familias. Illius voluntas fit lex, justitia et jus. Talis tyrannia est divinæ supremaliæ usurpatio et hominum servitus. Nec quidem angelus absque crimine aliquid tale exerceret. Manifestum est enim hic jura liberarum personarum, quas ipse Deus reveritus est, jura familiarum æque sacra, et consequenter omnis societatis fundamenta tradita esse ad arbitrium unius voluntatis tanto sæpius perversæ quanto erga nullum sese agnoscat responsabilem. Itaque fere invincibiliter ducit despotismus in anarchiam demagogicam, veluti ista ad despotismum reducit.

Duplicis generis est tyrannia : « Alius est tyrannus usurpatione potestatis, qui scilicet absque ullo jure rempublicam invasit, et oppressam tenet : alius usu regiminis, qui scilicet tyrannice gubernat, cum alioqui sit verus princeps, et legitimam habeat potestatem.

Principi legitimo, qui tyrannice gubernat, tenentur subditi obedire in omnibus juste præceptis et judicatis; non tenentur tamen injustis ejus legibus obedire et quandoque etiam resistere debent, scilicet quando tyranni principis præcepta adversa sunt legi naturali et divinæ. Sed de hujusmodi casu satis dictum fuit in præcedentibus capitibus.

Proprie autem dictus tyrannus est ille qui potestatem reipublicæ usurpat et invadit contra sive nationis, sive legitimi principis jura, quocunque modo hanc invasionem perpetret. Nec minus erit tyrannus, etsi subditos benigne tractet. (Textu expresso in cap. *Neque enim* 9, causa 14, quæst. 5.) Quod caput ex integro transcribimus quia unam et eamdem esse justitiam pro omnibus hominum sive privatorum sive publicorum, conventionibus et juribus optime demonstrat; ibi : *Neque enim si agris inique ac perperam invasis, ita quisque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemosynas faciat, ideo rapinam justificat. Neque si alius ruri paterno, vel juste quæsito, avarus incumbat, ideo culpanda est juris civilis regula, qua possessor legitimus factus est. Nec tyrannicæ factionis perversitas laudabilis erit, si regia clementia tyrannus subditos tractet, nec vituperabilis ordo regiæ potestatis, si rex crudelitate tyrannica sæviat. Aliud est namque, injusta potestate juste velle uti : et aliud est, justa potestate injuste velle uti.*

Omnes boni cives, si possunt, jus habent sese a potestate tyrannica liberandi, ut cum divo Thoma docent omnes. S. Thomas, 2-2, quæst. 42, *De seditione*, art. 1 : « Sic objicitur 3° : Præterea, laudantur qui multitudinem a potestate tyrannica liberant. Sed hoc non de facili potest fieri sine aliqua dissensione multitudinis, dum una pars multitudinis nititur retinere tyrannum, alia vero nititur eum abjicere. Ergo seditio potest fieri sine peccato. » Ad quod objectum sic respondet : « Ad tertium dicendum quod regimen tyrannicum non est justum, quia non ordinatur ad bonum commune, sed ad bonum privatum regentis, ut patet per philosophum in III *Polit.* cap. 5, et in VIII *Ethic.*, cap. 10. Et ideo perturbatio hujus regiminis non habet rationem seditionis; nisi forte quando sic inordinate perturbatur tyranni regimen, quod multitudo subjecta majus detrimentum patitur ex perturbatione consequenti quam ex tyranni regimine. Magis autem tyrannus seditiosus est, qui in populo sibi subjecto discordias et seditiones nutrit, ut tutius dominari possit : hoc enim tyrannicum est, cum sit ordinatum ad bonum privatum præsidentis, cum multitudinis nocumento. »

Hic citandus est Becanus, *Sum. theolog.*, *De jure et justitia*, quæst. 4, « *An homini privato liceat interficere tyrannum?* 1. Negat Alphonsus a Castro, lib. *De hæresibus*, verb. *Tyrannus*. Sed distinctione opus est. Nam potest aliquis dupliciter esse tyrannus. Primo, ratione tituli; secundo, ratione administrationis. » 2. *Prima conclusio.* Qui est tyrannus ratione tituli, id est, qui absque ullo jure armis principatum vel occupat, vel invasit, sicut Turca regna Orientis et vicina, potest a quovis de regno interfici, jure defensionis innocentium. » (Ita D. THOM. II, d. 64, quæst. 2, art. 2; CAJET. hic. art. 3; SOTUS lib. IV, *De just.* quæst. 1, art. 3, et alii passim.) — « 3. Nota primo hujusmodi tyrannum duplici jure passim occidi, primo, jure defensionis innocentium; secundo, jure vindictæ. Priori jure potest occidi a quovis privato homine, ut asseritur in conclusione. Ratio est, quia quivis potest inimicum invasorem e medio tollere, quando non suppetit alius modus se liberandi; sed talis tyrannus est inimicus invasor reipub. et singulorum : ergo quivis potest eum e medio tollere. Sic Aod sustulit Eglon regem *Moabitarum*, qui tyrannide oppresserat Israelitas, et Judith Holophernem, Brutus,

Cassius et alii Julium Cæsarem. Denique apud omnes gentes passim maximis honoribus publice affecti sunt, qui tales tyrannos occiderunt. (*Vide* Alexand. *ab Alexand.* lib. III, c. 26.) At posteriori jure non potest occidi a quolibet privato, sed ab auctoritate publica, et a milite auctorato. Ratio quia vindicta requirit auctoritatem. Unde in pace non infertur, nisi per sententiam judicis; in bello nisi per milites. »

4. « Nota tamen secundo, necessarium esse primo, ut constet illum esse tyrannum et injustum invasorem; si enim aliquod probabile jus habet, non censetur tyrannus; unde non licet interficere. Secundo, ut non timeantur majora mala a filio tyranni et amicis. Tertio, ut non sit contra expressam reipublicæ voluntatem: hujus enim est auctoritatem istam, vel certe consensum dare: censetur autem consentire, quando passim cives optant illum sublatum: imo quando non constat de contraria voluntate. Nam tum præsumitur velle, quod juste velle potest, ut liberetur. Atqui hoc juste potest velle, cum alia non suppetat. »

« 5. *Secunda conclusio.* — Qui est tyrannus ratione administrationis, id est, qui, cum sit verus princeps, tyrannice tamen administrat, quærendo potius privata commoda, quam publica, onerando rempub. injustis exactionibus, vendendo officia judicum, non potest a privatis interfici, quandiu manet princeps. Patet ex *Concilio Constantiensi* sess. 15, (in præcedenti cap. citat.) Ratio est, quia princeps, etsi tyrannice regat, manet tamen superior; ergo non potest a subdito interfici, nisi forte ob necessariam sui defensionem, *de quo infra.* Hinc alias apostoli hortabantur novos Christianos, ut in rebus licitis obedirent principibus ethnicis tanquam superioribus, tametsi essent maximi tyranni, utpote qui Ecclesiam persequerentur, et ad impietatem cogerent, ut patet, Rom. XIII et I Petr. II, et alibi.

« 6. Dices. Quid si tyrannus ita excrescat, ut non videatur amplius tolerabilis, nec ullum aliud medium supersit. — Resp. Tunc primum a repub. vel comitiis regni, vel alio habente auctoritatem est deponendus, et hostis declarandus, ut in ipsum liceat quidquam attentare: tunc enim desinit esse princeps. » (Hucusque Becanus.)

Tyrannus proprie dictus, id est, qui rempub. usurpavit et invasit, non potest ferre ullam legem, nec jus dicere, quod obliget in conscientia, ac proinde sententiæ ejus sunt irritæ, ut dictum est in cap. præcedenti. — Attamen quamvis peccet principatum retinendo, et sine potestate judicando, magis peccaret, si quando res postulat jus non diceret, retento principatu, quia magis noceret civibus, et majorem injuriam irrogaret: sicut qui rem alienam detinet, et ea utitur, peccat utendo: si tamen iste usus est rei utilis, vel necessarius, non addit novam malitiam supra rei detentionem, et non utendo magis peccaret. — « Quamvis ejusmodi tyrannus peccet usurpatione judicii, tamen sententiæ ejus sunt validæ, et cives tenentur iis obtemperare, donec irritentur.

« Ratio est, quia ipsius sententiæ et justa mandata tametsi non habeant vim a tyrannica potestate, habent tamen aliunde. Primo, a jure naturali, quod supposito tali rerum statu dictat, esse obtemperandum propter bonum commune: alioquin omnia essent plena furtis et latrociniis. Secundo, a repub. quæ tacite approbat ejus mandata et acta legibus, et communi utilitati consentanea, et vult sententias justas, quibus lites civium dirimuntur et sontes plectuntur, esse validas, et subditos obligare... Potest autem respublica hanc vim sententiis et actis tyranni dare, quia est singulorum superior, etiamsi tyrannice sit oppressa. Aliqui confirmant hanc conclusionem exemplo Judæorum, qui per tyrannidem oppressi erant a Romanis; et tamen Christus Matth. XXII, 21, insinuat eos debere dare tributum Cæsari. Sed puto neminem in conscientia teneri tyranno tributum solvere, nisi forte causa scandali, vel majoris mali vitandi. Neque enim ratio naturalis id dictat; neque respublica censetur id velle; quia expedit tyrannum non abundare pecunia, ut facilius ejus jugum possit excuti. Sententia Christi est generalis, solum significans, principi reddendum, quod ei debetur: non enim conveniebat, ut alterutram partem distincte definiret »

« Inferiores tamen judices a tyranno constituti, si ejus tyrannidem non sustentent, aut juvent, non peccant jus dicendo, modo alioqui omnia jure agant. Ratio est, quia nullam injuriam faciunt reipublicæ, et ipsa respublica, posito hoc rerum statu tacite in eos consentit, cum illorum administratio utilis sit communi bono. Raro tamen fit, ut judices inferiores non cogantur multa ini-

qua mandata et sententias dare et exsequi. » (Ita BECANUS, *Sum. theolog. De jure et justitia*, quæst. 60.)

IV. ***Monarchia temperata*** est regimen ex aliis commistum quod est optimum et secundum hoc sumitur lex *quam majores natu simul cum plebibus sanxerunt*, ut ex Isidoro, lib. v *Etymol.* c. 10; et cap. *Lex* 1, dist. 2, dicit sanctus Thomas, 1-2, quæst. 95., art. 4. Monarchia temperata est vera legis naturæ monarchia. Nam de sua natura est hæreditaria et secum certam sive hæreditariam sive electivam aristocratiam subordinatam trahit. Hujusmodi potestatis forma est illa quæ magis approximatur naturali familiæ humanæ constitutioni; re enim ipsa historice successit apud omnes populos primitivo seu patriarchali gubernio, quod ipsum nihil aliud fuit quam ipsius et naturalis familiæ incrementum. Monarcha seu rex est nationis pater, legislator et judex supremus, tutor et defensor; at vero non est absolute dominus, non solus gubernat. Aristocratia sive hæreditaria sive per nationem electa efformat congregationes deliberantes ex ipsa constitutione deputatas ad consilia monarchæ danda, ejus gubernii actus examinandos, et ad legum confectionem cum ipso cooperandum. Hujusmodi congregationes aristocraticæ apud monarcham repræsentant familiarum patres ad deliberandum de suis communibus interesse, cum patriarcha vocatos in gubernio patriarchali.

Civitates, oppida et provinciæ sese libere administrant sub auctoritate tutelari regis et juxta communem legem; ideoque eligunt suos administratores, qui civitati, oppido et provinciæ respective suæ administrationis rationem reddunt; eligunt etiam suos judices, a quibus tamen appellari potest ad regis tribunalia. Talis erat constitutio Mosaica etiam sub rege Deo, seu theocratia, *Deuteron.* I, 13; XVI, 18; *Numer.* XI, 10 et seqq. Ita justitiæ administratio devolvitur certæ magistraturæ, quæ ab omni influxu gubernativo est independens. Civitates, oppida eligunt suos responsabiles deputatos ad provinciæ administrationem regulandam aut ad nominandos provinciæ majores administratores. Plebes enim non possunt jure naturali directe eligere hujusmodi majores administratores, nec majores deputatos ad regis consilia seu nationis comitia; quia electio est de se actus humanus cum intelligentia, cognitione et conscientia elicitus. Atqui plebes non sufficienter cognoscunt nisi suos concives; ideoque nequeunt ex cognitione et conscientia extraneos eligere. Extraneorum per plebes electio est actus hominis seu mere animalis, qui a jure naturali et etiam divino ab omni gubernatione, quæ est res maxime moralis, repellitur. Hinc patet suffragium nationis universale ad gubernium eligendum, sive ad majores deputatos pro legum confectione seu nationis administratione nominandos esse aliquid monstruosum omni juri et justitiæ sicut et rationi oppositum, cum sit actus hominis et mere animalis. Plebes igitur vocari nequeunt nisi ad eligendos inter suos concives ab ipsis notos sive civitatis administratores, sive deputatos qui ipsi sint idonei ad majores provinciæ deputatos eligendos, ea semper conditione ut omnis electio ex intelligentia, scientia et conscientia fiat.

In tali monarchiæ temperatæ regimine, aristocratia et democratia suas habent legitimas partes, quæ ab excessivis abusibus per regis auctoritatem removentur et continentur. Per hujusmodi regimen personarum et familiarum libertas et proprietas tuentur et proteguntur; nam omnia jura et omnes obligationes, prout in præcedenti capite expositum fuit, servantur. Nihilominus contingere potest, et nimis sæpius contingit ut jura et obligationes violentur, sed semper est facilior reparatio.

Legi igitur naturæ magis consentaneum regimen est monarchia temperata. Sed est etiam magis consentaneum et assimilatum Ecclesiæ regimini divinitus instituto, prout cuique animadvertenti facile patet. Ergo, ut dicunt Isidorus et divus Thomas, est regimen optimum, et concordant omnes doctores et Ecclesiæ definitiones, apud Fagnanum, in cap. *Significasti.* tit. *De electione*, lib. I *Decretal.* n° 35 et seq. Lutherus et Calvinus aliique hæresiarhæ monarchicum regimen impugnarunt et democratiam seu aristocratiam prætulerunt ea unica ratione ut monarchiam sanctæ Ecclesiæ a Christo institutam impugnarent. Vere autem temperata non est monarchia nisi ex duplici conditione, scilicet ut nationis jura et monarchæ ejusque descendentium et familiæ æqualia jura simul sarta tecta serventur. Si enim inter duas istas species jurium correlativorum,

reciprocorum, et sese invicem tutantium æqualitatis libratio rumpatur, tunc gubernalis potestas versus dua opposita extrema aut tyrannicam democratiam aut despotismum declinat, quorum destructivæ consequentiæ in eamdem ruinam currunt.

Monarchia temperata est necessario hæreditaria, cum secus in alterutram oligarchiæ democraticæ varietatem reincideret. Alias autem potestatis hæreditaria forma est magis naturæ conformis et quæ magis approximatur primitivo seu patriarchali gubernio. Hæc hæreditaria forma est, ex unanimi omnium sapientium consensu, securior pacis, proprietatis et omnium alicujus nationis institutionum pacificæ evolutionis conditio et tutamen. Hæc est tandem verior divinæ auctoritatis et suprematiæ, quæ est una, immutabilis et æterna, repræsentatio. Monarchia tamen temperata esse simul hæreditaria et electiva potest; in hoc autem casu solius regiæ familiæ membris electio limitatur.

Ex his essentialibus monarchiæ characteribus necessario fluit unam certamque familiam regali gubernio devotam esse. Tali officio sese totam sacrificare debet, quia hujusmodi debitum contraxit erga nationem per quam adoptata et electa fuit in supremæ potestatis fontem. Si vero de jure naturali hujusmodi familiæ ejusque capiti, quod est monarcha, obligationes imponuntur, illi etiam per eumdem naturalem contractum dantur jura imprescriptibilia eadem lege ac personarum et familiarum jura naturalia præscribi nequeunt, et etiam majori sanctione cum sint omnium subditorum jurium tutamen et cautio. Ad instar omnium personarum et familiarum jurium jura regiæ familiæ fiunt ejusdem proprietas; nam, ut sæpe dictum est, jura sunt prima proprietas, resque nonnisi vi jurium possidentur. Monarchica igitur familia suis juribus spoliari nequit, nisi simul omnes familiæ sicut et personæ suis omnibus juribus exui possint; alia enim non magis quam altera inviolabilia sunt, semel transgressa et abrogata lege justitiæ qua omnia tuentur et sarta tecta custodiuntur. Et hujusmodi omnium jurium permagna violatio fit semper ex revolutionum facto; quod ideo non est minus crimen contra æternæ justitiæ legem, id est læsæ nationis crimen a latrocinio ipsius semetipsam interficientis perpetratum. In talibus magnis revolutionum latrociniis non tantum jus, sed etiam strictum debitum habet rex defendendi et manutenendi suam potestatem supremam; non est rex propter semetipsum, sed propter nationem; ideoque hæc jus habet ut in suam salutem rex etiam suæ periculo vitæ sese sacrificet et devoveat. Monarchæ non est liberum sua jura derelinquere, quia correlativa sunt suarum obligationum, et concedendo jus suum violentiæ omnia subditorum jura periclitari facit. Rex igitur ad vim nationis armatam et si opus fuerit, ad auxilium vicinorum principum et populorum recurrere tenetur ut ipsam nationem defendat semetipsum defendendo adversus sive foris sive ex intra hostes; eodem omnino jure ac omnis homo auxilium suorum vicinorum ad suam personam et jura tutanda invocare potest.

Contingere tamen potest ut ob rationabiles causas abdicet monarcha, aut ejusdem depositio communi bono necessaria sit, si exempli gratia, gubernandi incapax evaserit. Si vero individuus rex possit abdicare vel deponi, talis abdicatio vel depositio nullomodo juribus regiæ familiæ præjudicium inferre potest. Nam de naturæ jure nequit pater sive familiæ, sive ejusdem membrorum personalia jura abdicare, quia persona est prima hominis proprietas ex jure naturali et divino, quod a nemine abrogari potest. Ex tunc igitur monarchica successio pleno jure transit ad legitimum hæredem. Idem eruitur ex naturali contractu inter nationem et regiam familiam; hujusmodi enim contractus rescindi nequit ab una tantum persona nec etiam a pluribus, quia cum omnes ex utraque parte obliget, ad rescisionem videtur necessarius omnium consensus. Hæreditariæ monarchiæ mandatum perpetuum est; atqui deponi nequit potestatis mandatarius, dum durat ejus mandatum quo se obligavit populus; hæc est omnis humanæ conventionis justitia naturalis, quæ violari nequit nisi eradicando omnia personarum et familiarum jura et ad humanæ societatis subversionem tendendo.

In revolutionum tamen decursu evenit ut jus superent facta; sed idem destruere nequeunt, cum de sua essentia sit æternum. Quando igitur legitima monarchia oppugnatur, pravæque ambitionis cupiditates eam subvertere nituntur, ad ejusdem defensionem et sustentationem omnes subditi stricte tenentur, prout patrem ejusque jura defen-

dere obligantur omnia familiæ membra. In quibus casibus subditi veluti liberi sua propria jura suamque exsistentiam defendunt. Si vero, invitis juris et debiti conatibus, pravarum cupiditatum rebellionis et ambitionis latrocinium victoriam obtineat, de facto spoliantur monarcha ejusque familia; jura autem sua non amittunt. Spoliatores et invasores, in suis actibus et conscientia criminosi, nulla amplius jura acquirunt quam latrones transeuntem spoliantes aut vicini agrum vi et mendacii defraudatione occupantes.

Si novum, quod per talem nefandam spoliationem constituitur, gubernium, ad eam procurandam allaboraverit, fit ipsum et latro, proindeque nunquam legitimam possessionem præscribere potest. Si quamvis spoliationi non participaverit, per spoliatores constituitur potestas, hæc fit usurpati juris et rapinæ receptor, et ideo nequit magis legitimam possessionem præscribere. Hujusmodi potestatis usurpator et invasor est proprie tyrannus, de quo supra dictum fuit, eique applicanda veniunt omnia ibi enuntiata. Omnes variæ gubernii formæ, quæ sibi vicissim in intervallo revolutionario factorum et violentiæ succedunt, sunt aut spoliatores, aut rapinæ et jurium usurpatorum receptores, veluti omnino successive acquirentes bonum quod furatum norunt, furto participant et nunquam legitimam proprietatem et possessionem acquirere possunt. Jus enim et justitia sunt eadem tum in privatorum, tum nationum et potestatum, tum nationum inter se conventionibus. Non sunt duo jura, nec duæ justitiæ. Atqui possessor malæ fidei nullo tempore potest præscribere et sibi acquirere rem possessam seu jura aliena, et fructus inde perceptos. Communis; per textum in c. *Vigilanti* 5, *De præscriptionibus;* et cap. *Quoniam* 20, eod., ibi : *Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio, tam canonica quam civilis.* Hinc cap. *Possessor* 2, *Regul. jur.* in 6, absolute dicitur : *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Et Augustinus in 4 *De civit. Dei*, cap. 4 in princ. dicit : *Remota justitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia?* et regula 4 juris in 6 : *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.* Et *ibid.* Regula 18 : *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit.* Et *ibid.* reg. 64 : *Quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* Unde si monarchiarum legitimarum spoliatio unquam in doctrina morum consecrari vel a doctrinæ morum repræsentantibus per verbum aut factum approbari posset, nulla jam foret morum doctrina, nulla forent jura, nulla restituendi ablata esset obligatio cuicunque.

Jus monarchæ et ejus familiæ permanet imprescriptibile dum ista familia subsistit, et dum ejusdem tituli tanto melius noti quanto in ipsa nationis constitutione, monumentis et historia scripta sint, adimunt et impediunt bonam fidem necessariam ad legitime præscribendum tam jurium quam rerum proprietatem. Proindeque nullum gubernium fieri legitimum potest tandiu, quamdiu impossibilis fuerit præscriptio. Natio igitur, quæ eo ipso non potuit exstinguere obligationes, quibus suæ legitimæ monarchiæ ligatur, ad eamdem in suis, ubi potuerit, juribus restaurare tenetur. Monarcha ipse vel ejus hæres jus, et quod plus est, debitum erga nationem habet reassumendi principatum supremum per omnia legitima media, quæ in promptu habebit. Natio enim obligatur erga principem, qui prorsus eam ad obligationes ejus explendas cogere potest.

Jus usque modo expositum et justitiam enuntiatam de novo proclamant encyclica SS. Pont. Pii IX, 19 Januarii 1860, *Nullis certe verbis* et bulla Gregorii XVI, *Sollicitudo ecclesiarum.*

CAPUT X.

De jure naturali et æterno inter ipsas notiones, seu de jure gentium.

§ I. — Quibus principiis constet jus gentium.

I. Nationes sunt magnæ familiæ, quibus constat in terra exsistens humanitas seu genus hominum. Sorores sunt gentes, et ex sua natura, origine et fine iisdem obligationibus, iisdem inter se officiis, iisdem æternis legibus ac personæ humanæ et familiæ subjiciuntur. Ex obligationibus et reciprocis nationum sibi invicem debitis promanant uniuscujusque gentis jura correlativa. Pro nationibus magnum omnis juris principium formulari potest his terminis:

« Gens, ne alteri genti feceris quod tibi ab ipsa fieri non vis; et illi fac omne quod tibi ab ipsa fieri velles. »

II. Jus enim gentium est ipsummet jus na-

turæ. « Si enim *jus* hoc *gentium* diversum est a *lege naturali*, commentitium est. Sunt enim, ut dictum est, homines in statu naturali inter se æquales. Quomodo igitur ferre potuerunt gentes gentibus dictantes leges, quæ nonnisi a superiori inferioribus ferri possunt? Quod si nomine *juris gentium* intelligas quasdam consuetudines inter nonnullas cultas gentes, abuteris nomine *juris*, nam hæ consuetudines non in vim legis, sed potius in vim pacti obligant. Sed hæc jam nostra tempestate excussa sunt a tot viris doctis. » (FERRAR. verb. *Lex*, art. 1, Addit. ex aliena manu, n. 56 et 57.)

III. Ex principio igitur prædicto oritur omni genti obligatio reverendi aliarum nationum religionem veram, libertatem, independentiam, legislationem justam, gubernium legitimum, territorium, commercium, industriam, uno verbo totam eorum nationalitatem. Exinde etiam nascitur obligatio succurrendi et adjuvandi vicinam nationem in suis necessitatibus, impediendique ne sub hostium foris invasionibus, vel sub hostium internorum rebellionibus cadat: nedum contra ipsam rebelliones et seditiones foveant, ejusdem vicinæ gentes eidem auxiliari debent ad ipsius ruinam præcavendam, veluti fratres debent impedire suum fratrem dementem et furiosum ne sese interficiat.

IV. Placeat hic afferre auctoritatem viri cujusdam, qui nemini suspectus esse potest, scilicet D. Portalis in sua Relatione de articulis Concordati 1801 organicis, data 22 Septembris 1803, scriptaque ad respondendum sanctæ sedis reclamationibus, præsertim epistolæ authenticæ cardinalis legati, Caprara, datæ 18 Augusti ejusd. anni; in in qua Relatione sic ait D. Portalis : *S'il est une maxime incontestable dans le droit des nations c'est celle que toute puissance souveraine est indépendante, qu'elle doit se suffire à elle-même, et qu'elle est pourvue de Dieu de tous les pouvoirs nécessaires à sa conservation. Aucune autre puissance sur la terre n'a droit de s'ingérer dans son administration, si ce n'est par de bons offices, ou suivant des traités et des conventions.*

V. Hæc maxima est ipsa veritas, ipsum jus naturæ, quod de novo promulgavit, interpretatus est et propugnavit contra feroces regni subalpini invasiones SS. Pont. Pius IX per suam 19 Januar. 1860 encyclicam, suasque multiplices et mirabiles in consistoriis allocutiones.

VI. Jura enim gentium et supremorum principatuum inviolabilia et independentia sunt eodem et etiam superiori modo ac jura personarum. Et vi maximæ juris, par imperium non habet in parem, nulla potestas in terra jus habet sese immiscendi in alterius gubernii administratione, nisi per bona officia, aut secundum tractatus et conventiones, ex regul. juris 19 in 6, ibi: *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.* Etiamsi omnes universi orbis potestates adversus unam solam potestatem supremam se coadunarent; ipsarum coadunatio earum jura non augebit, cum unaquæque maneat cum suo jure æquali sed non superiore juri principatus solius derelicti. Hujusmodi congregatæ potestates suas vires addent, nec addere jura poterunt. Eadem est justitia, eadem sunt principia quæ personis humanis applicavimus. Congressus igitur potestatum et nationum statuere contra unam solam potestatem supremam absque ejusdem concursu et consensu nunquam potest. Huic naturæ juri oppositum admittere est manifeste ponere principium vi cujus plures homines ad suum arbitrium possunt alium hominem in servitutem redigere, ipsique omnia ejus jura rapere. Hoc est magnum latrocinium gentium et principatuum qui sese demagogiam effingunt contra jus, justitiam et Deum qui supremam potestatem humanam omnibus ejus conservationi necessariis potentiis provisit. Sic omne jus et principium evertendo, gentes et potestates suæ propriæ destructioni allaborant.

VII. Supremæ potestates veluti nationes, familiæ et personæ habent æqualia inter se jura; sive parvis, sive magnis, sive potentioribus, sive infirmioribus principatibus et nationibus jus idem est, unicum est sicut una justitia. Territorii vastitas, nationis fortitudo, nullum superius jus ipsi confert. Secus dicendum foret quod alicujus hominis divitiæ et robur eumdem magis hominem faciant quam fratrem ejus minus divitem minusque robustum. Quod est absurdum.

§ II. — De jure nationum legitimæ defensionis.

I. Absque dubio si aliqua natio in suis legitimis juribus læderetur ab alia gente,

potest et debet se suosque defendere. Nationis læsæ princeps talem defensionem eidem et ejus membris debet. Si autem satisfactionem obtinuerit absque necessitate armorum, nequit sine injustitia facere vel attentare conquisitiones. Aliam gentem absque legitima causa debellare, est ejus jura violare, ipsique dispendias et labores oppressivos et injustos inferre; ideoque provocatrix natio tenetur ad omnia damna resarcienda. Debent vicinæ nationes succurrere genti injustæ debellatæ; hoc non tantummodo est debitum, sed etiam suorum propriorum jurium tutamen et custodia. Conquisitio per injustum bellum facta nunquam stabilire potest legitimam possessionem nec conquirentis suprematiam super gentem conquisitam, non magis quam furtum armatum vel rapina quæcunque potest latronem legitimum pecuniæ viatoris vel agri ejus vicini proprietarium et possessorem reddere.

II. *De justi belli conditionibus.*— Sanctus Thomas 2-2, quæst. 40, sic ait:« Ad hoc quod aliquod bellum sit justum, tria requiruntur: primum quidem auctoritas principis, cujus mandato bellum est gerendum. Non enim pertinet ad personam privatam bellum movere, quia potest jus suum in judicio superioris prosequi. Similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam personam. Cum autem cura reipublicæ commissa sit principibus, ad eos pertinet rempublicam civitatis, vel regni seu provinciæ sibi subditæ tueri. Et sicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores perturbationes, dum malefactores puniunt, secundum illud Apostoli ad Rom. XIII, 4: *Non sine causa gladium portat; minister enim Dei est, vindex in iram ei qui male agit;* ita etiam gladio bellico ad eos pertinet rempublicam tueri ab exterioribus hostibus. Unde et principibus dicitur in psalm. LXXXI, 4: *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Unde Augustinus dicit contra Faustum, lib. XXII, cap. 75. in princ.: «Ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, ut suscipiendi belli auctoritas atque concilium penes principes sit.» — *Secundo* requiritur causa justa: ut scilicet illi qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde Augustinus dicit in lib. *Quæst.* (scilicet *Super Jos.*, q. 16): « Justa bella solent definiri quæ ulciscuntur injurias si gens, vel civitas plectenda est, quæ vel vindicare neglexerit quod a suis improbe factum est, vel reddere quod per injuriam ablatum est.» — *Tertio* requiritur ut sit intentio bellantium recta; qua scilicet intenditur vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Unde Augustinus, in cap. *Apud*, causa 23, *De re militari et bello* et per totam, q. 1 :« Apud veros Dei cultores etiam bella illa pacata sunt quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio geruntur, ut mali coerceantur et boni subleventur. »

« Potest autem contingere ut si sit legitima auctoritas indicentis bellum, et causa justa, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum. Dicit enim Augustinus in lib. XXII, *Contra Faustum,* cap. 74, relatum in causa 23 : Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua sunt similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur. »

Hucusque de jure nationum et civilium potestatum, familiarum et humanarum personarum diximus, restat nunc ut secundum eadem principia de civili et temporali sanctæ Ecclesiæ Romanæ et sedis apostolicæ principatu de jure divino dicamus.

CAPUT XI.

De civili et temporali sanctæ sedis apostolicæ et Ecclesiæ ex jure divino principatu, deque jure divino Ecclesiæ bona temporalia et eorum dominium independens et exemptum possidendi.

Prænotandum I. Principatus civilis sanctæ sedis iisdem omnino juribus ac omnes laicorum principatus ex lege naturali gaudet; sed nullus alius principatus est immediate a Deo institutus; dum e contra sancta sedes apostolica non solum spiritualem primatum et principatum in universum orbem, sed etiam supremum principatum civilem et temporalem quem exercere debet alicubi, ex immediata institutione divina obtinet; præterea dominium non solum regiminis, sed etiam directum, perfectum et plenum in omnibus Ecclesiæ catholicæ universæ bonis temporalibus, in quolibet terræ loco sita sint, ex eodem jure divino habet et ejusmodi bona ubicunque fuerint sita principatui civili Ecclesiæ positive quodammodo subjiciuntur.

II. Ideoque non tantum civilis et temporalis principatus sanctæ sedis necessitatem

et convenientiam propugnare, prout multi præclare fecerunt, intendimus; sed etiam hujus civilis et temporalis principatus sicut et dominii proprie dicti super bona temporalia ecclesiastica fundamentum in jure divino immediato positum demonstrare habemus.

III. Plurimi auctores affirmant totius orbis principatum temporalem et dominium proprietatis divino jure competere summo pontifici. Quod certo aliquo sensu defendi potest, nec tamen ab Ecclesia definitum est. Alii negant pontificem, quatenus Christi vicarius est, directe habere ullum dominium temporale jure divino; quamvis habeat indirecte. Duæ istæ catholicorum sententiæ in eo concordant quod affirment aliquid dominium temporale sive directum, sive indirectum jure divino pontifici competere. Ad majorem autem concordiam inter catholicos doctores et in veritate distinguendum est dominii et principatus jus ab actu. Etenim pontifex in beato Petro potestatem dominii temporalis et etiam civilis principatus ab ipso Christo immediate accepit, Christus autem præcise non determinavit in quæ territoria, in quos agros, in quæ particularia objecta dominium haberet Ecclesia, nec in quibus subjectis hominibus directum principatum civilem et temporalem exerceret sancta sedes. Hanc objectorum dominii et subjectorum principatus determinationem conditionibus et mediis juris naturalis et humani reliquit Christus, eodem modo ac Dominus Petro et ejus successoribus dedit spiritualem potestatem in universum orbem, quamvis tamen reliquerit hominum conversionem et subjectionem Ecclesiæ faciendam et obtinendam per prædicationem apostolorum; ea tamen cum differentia quod Christus dedit Petro et apostolis missionem divinam cum potestate in universum orbem, quia talis missio erat necessaria ad spiritualem potestatem explicandam ut omnes homines regenerari et salvari possent, dum e contra in nullius territorii temporalem possessionem, nec in ullorum subjectorum principatum civilem Petrum et apostolos misit, quia talis missio non erat necessaria, cum fideles semel conversi ad fidem tenerentur jure divino bona temporalia ad ministrorum Evangelii sustentationem præbere, et in bonis territorialibus Ecclesiæ acquisitis homines habitantes principatui ejusdem civili jure naturali et divino subjicerentur.

Hic non agitur de potestate summi pontificis sive directa sive indirecta in rebus mere politicis et in temporalibus regnorum et nationum. De hac enim quæstione satis in suis locis dictum fuit.

IV. Summum pontificem jure etiam humano habere dominium temporale negant hæretici; præsertim, Calvinus, Brentzius, Petrus martyr, et Magdeburg., qui tria asserunt. *Primo*, pontificem jure divino nullam habere temporalem potestatem. *Secundo*, nec posse ullo modo imperare principibus sæcularibus, neque regnis; et principatu eos privare, etsi illi privari alioqui mereantur. *Tertio*, non licuisse pontifici, aut aliis episcopis accipere temporale dominium, quod nunc habet in quasdam urbes et provincias, sive dono, sive usurpatione. Hos hæreticorum errores impugnabimus.

His prænotatis, veritatem catholicam demonstrare habemus.

PROPOSITIO PRIMA.

Christus Rex regum æternus à semetipso habuit et habet æternam ac supremam potestatem regendi etiam temporaliter et civiliter Ecclesiam suam. (*Hæc conclusio est de fide.*)

Probatur Scriptura sacra. — I. *Veter. Testam.* Omnes prophetæ Messiam tanquam regem nuntiaverunt. Sufficiat adducere prophetam regem David. Sic habetur in Psal. II, 6 et seq. : *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum ejus* (id est Ecclesiam), *prædicans præceptum ejus. Dominus dixit ad me : Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.* Christus non tantum est rex, sed habet gentes *hæreditatem* suam, et *possessionem* suam *terminos terræ*, obtinet igitur dominium plenum et perfectum super omnes gentes et terminos terræ.

II. *Nov. Testam.* — Christus *est caput omnis principatus et potestatis*, Sanctus Paulus, ad Coloss. II, 10, est *Rex regum, et Dominus dominantium.* — I Tim. VI, 15 : Est *Princeps regum terræ... et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* — Apoc. I, 5, 6 : *Dominus dominorum est, et Rex regum.* — Apoc. XVII, 14 : *Et habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum, et Dominus dominantium.*

Ergo Christus habet omnem regiam pote-

statem, cum alii reges humani non habeant potestatem nisi ab ipso. Sed hanc potestatem possidet non tantum ut Deus, sed etiam tanquam homo et caput Ecclesiæ, ut patet ex allatis textibus.

PROPOSITIO SECUNDA.

Christus per prophetiam et figuram sibi præparavit specialem regiam temporalem et civilem potestatem exercendam a semetipso in regno suo terrestri, quod est Ecclesia. (*De fide, ex Scr. Sacr.*)

Probatur I. Deus creavit Adam in statu innocentiæ, et in eo primævam fundavit ecclesiam, cui dedit totius orbis dominium. Cainitarum et Gigantium præpotentum Adamiticæ Ecclesiæ auctoritatis et dominii usurpatorum rebellionem per diluvium delevit. Sola Ecclesia, tunc temporis in Noe et ejus filiis repræsentata, servata fuit in arca; et post diluvium huic Ecclesiæ Deus totius orbis dominium iterum donavit. Unde legitime concludi potest omnes homines per et propter Ecclesiam, ad quam vocati et creati sunt, habere terræ possessionem. Cum postea familiæ humanæ a Deo apostatare incœperint, Deus sibi elegit populum in Abraham, qui esset populus ejus specialis et possideret centrum Ecclesiæ catholicæ usque ad Christi adventum.

II. Quando per Moysen populum Israel in nationem constituit Dominus, proposuit populo pactum et fœdus suum, quo ipse Dominus esset Rex etiam temporalis et legislator civilis, dux armorum, judex omnium; et populus pactum et fœdus acceptavit; hoc pactum inter Deum regem temporalem et populum suum sic habetur in Exodi cap. XIX, 5 et seq.: *Si ergo audieritis vocem meam, et custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, et gens sancta. Hæc sunt verba quæ loqueris ad filios Israel. Venit Moyses: et convocatis majoribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandaverat Dominus. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus faciemus.* Hic Deus constituit regnum sacerdotale, et duas potestates, regiam scilicet et sacerdotalem, temporalem et spiritualem in uno supremo principe, qui est ipse Deus, collocat, easque exercet per suos vicarios summos sacerdotes et judices usque ad Samuelis prophetæ tempus. Tunc enim temporis populus Israel postulavit regem humanum sicut habebant aliæ gentes.

III. Deo permittente rex eligitur Saul et postea rejicitur, et David vocatur ut sit radix et pater omnium regum populi sancti. Davidi ejusque posteritati promittitur potestas regia in æternum, quia ex Davidis stirpe nascetur Christus, cui regnum sanctum, quod est Ecclesia, pertinet ex vaticinio Jacob morientis (Gen. XLIX, 10), et multis aliis prophetarum textibus.

IV. *Ex Evangelio.* — In Evangelio Christus est et vocatur filius David regis. (*Matth.* I, 1, 6.) Et tanquam verus David filius habetur apud plebem. (*Matth.* XV, 22, et alibi.) Jesus Christus semetipsum vocat et declarat filium David, sibi applicans psalmum CIX, apud Matth. XXII, 41 et seq.: *Congregatis autem Pharisæis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo David vocat eum Dominum quomodo filius ejus est?* Quibus verbis Christus declarat Christum esse Dominum Davidis, et ipsum David fuisse electum in regem propter Christum qui ab ipso ut homo nasceretur. Apostolus ad Hebr. V et VII eumdem psalmum CIX interpretatur de Christo his verbis, V, 5: *Christus non semetipsum clarificavit ut pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* (*Ex Psal.* II supra citato.) *Quemadmodum et in alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Et c. VII, 1 et seq.: *Hic enim Melchisedech, rex Salem, sacerdos Dei summi, qui obviavit Abrahæ regresso a cæde regum, et benedixit ei. Cui et decimas omnium divisit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex justitiæ: deinde autem et rex Salem, quod est, rex pacis.* Et in eodem capite probat Apostolus sacerdotium Aaronis translatum esse, et Christum non de stirpe Aaronis sed ex Juda ortum esse. Ex his textibus manifestum est Christum tanquam filium David ex Juda ortum hæreditare sceptrum regium super Israel, qui est vera Ecclesia, et tanquam sacerdotem secundum ordinem Mel-

chisedech esse simul sacerdotem et regem in æternum. Christus igitur factus homo reassumit in se regiam et sacerdotalem potestatem, quæ fuerant unitæ in prima populi Israelitici constitutione apud Sina montem; et postea divisæ sub Samuel propheta. Specialis autem regia potestas, quam reassumit ipse Christus, est potestas civilis et temporalis regendi regnum sanctum seu Ecclesiam; nam talis erat potestas regia Davidis et etiam potestas regia Melchisedech. Unde Ecclesia est Christo *in peculium de cunctis populis.* (Exod. xix, 6.) Ergo Christus, qui omnes gentes liberas reliquit ut sibi reges et principes eligerent, sibi reservavit regiam potestatem omnem in sua Ecclesia.

V. Confirmatur verbis et factis Christi. Matth. xxvii, 11: *Jesus autem stetit ante* (Pontium Pilatum), *et interrogavit eum præses, dicens: Tu es rex Judæorum* (id est Ecclesiæ)? *Dicit illi Jesus: Tu dicis.* Et apud Luc. xxiii, 1 et seqq.: *Et surgens omnis multitudo eorum duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum regem esse. Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu es rex Judæorum? At ille respondens ait, Tu dicis.* Et apud Joan. xviii, 33 et seq.: *Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es rex Judæorum? respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Judæus sum? Gens tua et pontifices tradiderunt te mihi: Quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judæis; nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis; quia rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit verbum meum.*

Nihil clarius his Christi verbis: attamen multi quotidie conclamant ejus verba: *Regnum meum non est de hoc mundo;* contra regiam Ecclesiæ potestatem temporalem et civilem; hujusmodi vero conclamantes verba quæ proferunt non intelligunt. Etenim ex dictis verbis concludunt Ecclesiam, quæ est regnum Dei, nullam debere habere vitam, exsistentiam visibilem et corporalem in hoc mundo; quod est aliis terminis dicere quod Deus qui certe non est de hoc mundo, sed qui eumdem creavit ac regit; non debet in eo ullam auctoritatem, ullum imperium, ullum jus habere; est dicere quod homo, cujus anima saltem est immediate a Deo, non debet ullam vitam, ullam exsistentiam in hoc mundo habere; est dicere quod homo factus Christianus omnia hominis jura amittit, et quod vita supernaturalis destruit naturam. Est dicere quod homines qui in Deum et ejus Ecclesiam credunt, qui Deo serviunt ejusque legi obediunt, nulla inter homines amplius jura habent; et eos quia Creatori omne debitum reddunt; amittere omnia jura, quorum essentiam ipsorum naturæ fecit Creator. Hæc sunt enim hujusmodi absurdæ interpretationis verbi divini logicæ consequentiæ.

Christus autem ipse aliam sui verbi interpretationem dedit; in ipso textu allato: *Regnum meum*, ait, *non est de hoc mundo*, id est, non venit ab hominibus, non est similis regnis hujus mundi; quæ dantur et defenduntur et auferuntur ab hominibus; nam, addit: *Si ex hoc mundo esset regnum meum*, id est, si ab hominibus rex constitutus fuissem, ministri mei, subjecti qui me constituerint regem, utique decertarent ut non traderer Judæis rebellibus contra me; *nunc autem regnum meum non est hinc*, quia Judæi negaverunt veritatem, et prophetias, et eorum exspectationem, renuerunt me; ideoque *nunc regnum meum non est hinc*, sed translatum est ad alias gentes, quæ credent. Et Pilatus non interpretatus est verba Christi eo falso sensu, quem præsumunt moderni conclamantes, sed in obvio sensu. Dixit itaque: *Ergo rex es tu?* Et Jesus corroboravit intellectum a Pilato sensum dicens: *Tu dicis quia rex sum ego;* hæc est veritas. *Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum; ut testimonium perhibeam veritati* regni mei, et hoc firmum constituam in mundo. *Omnis qui est ex veritate audit vocem meam*, et est de regno meo.

Si de regno spirituali tantum locutus fuisset Dominus, Pilatus non intellexisset et præsertim non postea dixisset Judæis: *Vultis ergo dimittam vobis regem Judæorum?* nec iterum *Regem vestrum crucifigam?* Cui regem temporalem unice intelligentes, *Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi*

Cæsarem. Ergo Pilatus et Judæi de rege temporali et civili verba Christi intelligebant, et ipse Christus non tantum non contradicit, quinimo hunc sensum et eorum persuasionem confirmat et corroborat. Proindeque voluit tanquam regem temporalem coronari, damnari ad mortem et crucifigi. Joan. XIX, 2 : *Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus : et veste purpurea circumdederunt eum, Et veniebant ad eum, et dicebant : Ave, rex Judæorum .... 12. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant dicentes : Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum audisset hos sermones.... dicit eis : Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices : Non habemus regem nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur...* Joan. XIX : *Scripsit autem et titulum Pilatus, et posuit super crucem, erat autem scriptum :* JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM. Ex quibus textibus impossibile est aliud intelligere nisi regem temporalem et civilem; Christus ergo spinis coronatus, ad mortem damnatus et crucifixus fuit quia se dicebat regem in eodem sensu ac Cæsar qui tunc erat rex Judæis dominans; ita putaverunt Pilatus et Judæi, ita causa ejus scripta fuit in cruce, et nedum huic eorum sensui contradiceret, Christus affirmavit pluries et causam subiit. Ergo Christus est vere et proprie rex civilis et temporalis Judæorum, id est, regni Dei, quod est Ecclesia; ideoque regimen Ecclesiæ temporale et civile nulli hominum potestati subjicitur, nec subjici potest nisi sint ab ipso Christo immediate deputati, delegati et missi.

PROPOSITIO TERTIA.

Christus vivens in terris suam regiam potestatem civilem et temporalem per supremos et maximos potestatis actus exercuit.

Probatur I. Christus instituit et perfecte constituit gubernium regni sui plenum et completum, constans monarcha tanquam vicario suo et successore suæ potestatis plenitudinis, et sub monarcha regibus et magistratibus seu episcopis, et sub episcopis eorum adjutoribus seu presbyteris et ministris, ut fuit in libro I demonstratum. Sane, hæc hierarchia est primario spiritualis ad veritatem fidei et morum docendam, ad sacramenta ministranda in universo orbe; sed est etiam temporalis et civilis ad leges disciplinæ condendas, quibus subjiciuntur omnes tum laici, tum ecclesiastici Christi fideles, quibusque privative et exclusive ab alia humana civili potestate reguntur bona temporalia ecclesiastica. Ideoque ministri seu diaconi ex ordinatione Christi fuerunt instituti ad bona materialia et res temporales administrandum. Atqui manifestum est regem seu monarcham quemcunque non posse ullum majorem supremæ potestatis actum exercere quam hujusmodi sui gubernii constitutionem. Ergo Christus, etc.

II. Christus declaravit se ejusque regni membra non teneri ad tributa regibus terræ solvenda. Matth. XVII, 24, ibi : *Quid tibi videtur, Simon? Reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit : Ab alienis. Dixit illi Jesus : Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui prius ascenderit tolle, et aperto ore ejus invenies staterem : illum sumens da eis pro me et te.* En verba Domini luculenter ostendentia exemptionem rerum et personarum ecclesiasticarum, et quod Christus et ejus regni membra, in Petro repræsentata non tenentur ad tributa solvenda prout inferunt sanctus Hieronymus, ibi, et sanctus Augustinus lib. I, *Quæst. evangelic.* q. 23, ita etiam Ferraris, v. *Bona*, art. 1, n. 18. Sed e converso pro se et collegio apostolico accepit oblationes et quasi tributa credentium in eum, ut habetur in Luc. cap VIII, 2 et 3 : *Maria quæ vocatur Magdalene... Et Joanna uxor Chusæ procuratoris Herodis, et Susanna, et aliæ multæ quæ ministrabant ei de facultatibus suis.* Ergo Christus in his etiam suam regiam potestatem temporalem demonstravit.

Nec objici potest quod Christus noluerit acceptare electionem suam in regem. Joan. VI, 15 : *Cum cognovisset, quia venturi essent, ut facerent eum regem, fugit iterum in montem solus.*

Quia noluit Christus, qui rex ex æterno jure erat, ab hominibus acceptare quod a semetipso habebat; nec eligi in regem a Judæis qui eum negaturi erant; nec dare prætextum Romanis eum tanquam Cæsari rebellem tractandi. Noluit consentire Judæis eligentibus eum regem solummodo temporalem et pro seipsis solis; quia erat quoque rex spiritualis et sacerdos, et non

solum pro Judæis, sed pro omnibus gentibus et specialiter pro sua Ecclesia universali. Ideoque Joan. XVIII, Christus Pilato dixit : *Regnum meum non est de hoc mundo*, id est, non venit ab hominibus. Et iterum : *Nunc autem regnum meum non est hinc*, id est a Judæis et in Judæis, qui nunc me abnegant, sed regnum meum est pro omnibus qui in me credunt.

PROPOSITIO QUARTA.

Christus vivens in terris habuit cum collegio apostolorum rerum temporalium possessionem et dominium directum et perfectum ut exemplo suo stabiliret Ecclesiæ suæ jus poss et Dom. (*De fide.*)

Probatur I. Christus Dominus, qui declarabat Filium hominis non habere ubi reclinaret caput suum, voluit collegium apostolicum, id est, Ecclesiam ab ipso fundatam, possidere bona temporalia cum ipso et per ipsum. Ipse Dominus et apostoli thesaurum communem habebent in quo asservabantur acceptæ oblationes pro suis et pauperum necessitatibus. Hujusmodi vero thesauri custodiam habebat Judas, ut habetur apud Joan. XII, 6 : *Et loculos habens, ea quæ mittebantur; portabat.* Et Joan. XIII, 29: *Quidam enim putabant* (*quia loculos habebat Judas*) *quod dixisset ei Jesus : Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum : aut egenis ut aliquid daret.* De talibus loculis loquens sanctus Hieronymus eos vocat *rem pauperum;* et sanctus Augustinus, *Enarr. in Psal.* CXLVI, alii XL, n, 17, tom. IV vocat eos *fiscum reipublicæ Domini*, et ait : « Fiscus enim scitis quid sit? Fiscus saccus est publicus. Ipsum habebat Dominus in terra, quando loculos habebat, et ipsi loculi Judæ erant commissi, etc. Isti, qui conferebant, in loculos Domini conferebant. » Et in tr. 1 in Joan. Ev. hanc dat explicationem : « Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos, cui angeli ministrabant, nisi quia Ecclesia ejus loculos suos habitura erat? »

II. Ex sanctis canonibus. Ex cap. *Cum inter* 4, *De verbor. significatione*, tit. XIV, extravag. Joan. XII, quod sic summatur : *Opinio, quæ asserit Christum, et ejus discipulos nihil habuisse, et in his quæ habuerunt, nullum jus eis fuisse, erronea est et hæretica.* Et in cap. sic habetur : *Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro prædicto, ejusque apostolis, quæ ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi, seu donandi jus habuerint, aut in ipsis alia acquirendi, quæ tamen ipsos de præmissis fecisse Scriptura testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse : cum talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includat, in præmissis non justa, quod utique de usu, gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, sacræ Scripturæ contrarium, et doctrinæ catholicæ inimicum : assertionem ipsam pertinacem de fratrum nostrorum concilio deinceps erroneam fore censendam merito ac hæreticam declaramus.* Et confirmatur cap. *Quia quorumdam* 4 sequenti.

Ergo de fide est Christum et apostolos habuisse rerum temporalium plenum et perfectum dominium.

Corollarium. — Ex duabus præcedentibus conclusionibus sequitur Christum non tantum habuisse rerum temporalium dominium singulare, seu ut persona humana, sed etiam dominium altum et independens a quacunque civili potestate, cum declaret se non teneri ad solvenda tributa regibus terræ, eaque solvat solummodo ad vitandum scandalum. Ergo Christus res temporales habuit et possedit ut princeps supremus, et suæ Ecclesiæ independens monarcha.

PROPOSITIO QUINTA.

Summus pontifex Romanus in beato Petro accepit ab ipso Christo plenitudinem suæ regiæ potestatis civilis et temporalis super regnum Dei, quod est Ecclesia, exercendæ.

I. Ecclesiam suam perpetuo duraturam tanquam regnum suum in terris visibile et corporeum fundavit, instituit et constituit Christus, uti demonstratum est.

II. Ecclesia est regnum Dei in terris perfectum et independens ab omni humana societate et civili potestate. Istæ conclusiones ad fidem pertinent. Ergo Christus debuit Ecclesiam suam omni potestate ad eam regendam necessaria munire. Ideoque dedit Petro ejusque successoribus omnes suas potestates sive spirituales sive temporales et civiles. Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra, euntes ergo*, etc. Non distinguit inter potestatem et potestatem, sed dicit *omnis potestas* quam habet non tantum *in cœlo*, sed etiam *in terra* : quibus verbis claro clarius affirmat se habere potestatem regendi, regnandi et gubernandi in terra sicut et in cœlo. Et hanc potestatem dat apostolis et præcipue Petro; nam ait alibi : *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.* (*Joan.* XX, 21.) Atqui missus est a Patre ut regiam potesta-

tem temporalem et civilem exerceret, prout præcedentibus propositionibus probatur. Ergo misit etiam apostolos ad eamdem potestatem exercendam. Hujusce vero potestatis plenitudinem et principatum Christus Petro et ejus successoribus contulit. Unde sanctus Cyrillus Alexandrinus in lib. *Thesaurorum*, sic altissime de hac potestatis plenitudine loquitur : « Filius Dei, quemadmodum ipse a Patre accepit Ecclesiæ, et gentium sceptrum et potestatem super omnem principatum, et super omne quodcunque est, ut ei genua cuncta curventur, ita eamdem amplissimam potestatem Petro et ejus successoribus plenissime commisit. »

Hinc jam communis docet opinio, quod papa utriusque gladii habeat potestatem, spiritalem scilicet et temporalem, quam jurisdictionem et potestatem Christus ipse commisit Petro, et ejus successoribus, Matth. xvi, 19, dicens : *Tibi dabo claves regni cœlorum, et quodcunque ligaveris*, etc. Ubi notant doctores quod non dixit : *clavem*, sed *claves*, per hoc comprehendens temporalem ac spiritualem potestatem. (Annotat. ad decis. 2 partis tertiæ Rotæ recent. § 2, num. 6.) Quæ opinio auctoritate sanctorum Patrum, juris canonici et civilis dispositione, ac apostolicis constitutionibus latissime confirmatur. (*Ibid.*) Adeo ut contrarium affirmantes videantur adhærere fere illi opinioni hæreticorum reprobatæ per Bonifacium VIII in extravag. *Unam sanctam* 1, *De major. et obed*. Et concordant extravag. Joannis XXII, cap. *Si fratrum* unic. *Ne sede vacante*, etc. Et Constit. Gregorii IX *Cum juxta testimonium veritatis*, cum aliis simil. (Fer. v. *Papa*, a. 7.)

Multi doctores, apud Becanum, *De jure et just.* quæst. 7, affirmant pontificem habere dominium temporale. « Loquuntur autem de dominio temporali, tam jurisdictionis, quam proprietatis, asserentes utrumque divino jure competere pontifici. Fundamentum est, quia Christus habuit supremum dominium totius orbis, non tantum spirituale, sed etiam temporale, juxta illud Matth. xxviii, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, et in terra*. At Christus utramque potestatem dedit Petro, quando porrexit illi claves, ut fatetur Nicolaus papa in epist. ad Mich. his verbis : *Christus B. Petro vitæ æternæ clavigero, terreni scilicet et cœlestis imperii jura commisit*. Huic etiam spectat quod Christus concesserat Petro duos gladios. (*Luc.* xxii, 38.) Cum enim discipuli dicerent : *Ecce duo gladii hic*, non dixit Christus, Nimis est, sed *Satis est*. Unde D. Bernard. lib. iv, *De consid.*, et Bonifac. VIII in extravagant. *Unam sanctam*, *De major. et obedient.*, ex hoc loco deducunt pontificem duos gladios habere ex Christi institutione. »

PROPOSITIO SEXTA.

Ecclesia catholica, prout est societas divino-humana, de jure divino potest bona temporalia possidere, et eodem jure divino habet plenum, perfectum imo supremum independens et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis temporalibus ab ipsa possessis. (*De fide.*)

Scholium. — Constans hominibus Ecclesia omnibus hominum et societatum humanarum naturalibus juribus necessario gaudet. Societas autem Dei cum hominibus, ita ut Deus et homines unum morale corpus efficiant, Ecclesia accipit a Deo jura divina. Itaque jus proprietatis, seu bona temporalia possidendi Ecclesiæ proprium est veluti omnibus hominibus eorumque diversis associationibus juri naturali conformibus. Istud vero proprietatis jus Ecclesiæ pertinet majori adhuc titulo supremi dominii Dei, cui sunt omnes res creatæ, et a quo hominum proprietatis jus fluit. Istud jus Ecclesiæ pertinet ex suprema regia potestate Christi, qui tanquam Deus et homo omnem habet potestatem et altum dominium in terra.

Probatur prima pars : *Ecclesia., de jure divino potest bona temporalia possidere.*

I. *Scriptura sacra.* — 1. Christus et apostoli cum ipso, id est Ecclesia, habuerunt bona temporalia et dominium plenum et perfectum in hujusmodi bonis; est de fide prout probatum est supra. — 2. Sanctus Paulus apostolus in I Epist. ad Cor. cap. ix, v. 4 seqq. probat jure naturali et divino Ecclesiam jus habere et necessitatem possidendi bona temporalia, fidelesque teneri Ecclesiæ necessitatibus subvenire. Hæc sunt Apostoli verba : *Nunquid non habemus potestatem manducandi et bibendi?... Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit ? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat ?* Ecce jus naturæ ; et pergit : *Nunquid secundum hominem hæc dico ? An et lex non dicit ? Scriptum est enim in lege Moysi : Non alligabis os bovi trituranti. Nunquid de bobus cura*

es. Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? .... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Ecce jus divinum, quod est manifestum. Ergo ex Scriptura Ecclesia facultatem, quin et jus tum naturale tum divinum habet acquirendi et possidendi bona temporalia. Quod demonstrari posset multis aliis textibus sive Novi, sive Veteris Testamenti.

II. *Prob. sanctis Patribus*, qui omnes unanimes sunt ad jus Ecclesiæ res temporales possidendi propugnandum. Sufficiat adducere sancti Hieron. epist. ad *Nepotian.* « Pudet dicere: Sacerdotes idolorum, mimi, et aurigæ, et scorta hæreditates accipiunt, solis clericis et monachis hoc lege prohibetur: et non prohibetur a persecutoribus, sed a principibus Christianis; nec de lege conqueror, sed doleo cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est, sed quod mihi vulnus ut indigeam cauterio? Sit hæres, sed mater filiorum, id est, Ecclesia gregis sui quæ illos genuit, nutrivit, pavit. » Et sanctus Ambrosius lib. v, epist. 31: « Scribuntur testamenta templorum, hoc est idolorum ministris. Nullus excipitur profanus, nullus ultimæ conditionis, solis ex omnibus clericis commune jus prohibetur. »

III. *Prob. sanctis canonibus et apostolicis constitutionibus.* — Innumeri sunt sacri canones qui afferri possent de bonis ecclesiasticis tum acquirendis tum acquisitis conservandis et ab invasoribus vindicandis, distribuendis, administrandis, demum non alienandis, quæ singula satis necessario inferunt jus ea acquirendi et possidendi. Quare sufficiat hic adducere dogmaticas definitiones de jure proprietatis Ecclesiæ.

1. Joannes XXII in extravag. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV, *De verbor. signif.*, damnavit ut hæreticam propositionem de paupertate Christi et apostolorum hujus tenoris: « Christus et apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti. »

2. Dionysius Soulechat e Fraticellorum secta docebat: 1° a lege amoris tolli omnem proprietatem et omne dominium; 2° abdicationem actualem et ex corde voluntatis et potestatis temporalis, dominii vel auctoritatis denotare et constituere statum perfectissimum; 3° quod Christus non renuntiaverit possessionibus et juribus in rebus temporalibus, hoc non videri in Evangelio, contrarium potius videri. Urbanus papa V anno 1368 damnavit has propositiones ut falsas, erroneas et hæreticas.

3. Inter articulos 45 Joannis Wicleff a synodo Constantiensi damnatos sess. VIII, tum a Martino V; const. *Inter cunctas*, habentur sequentes. — 10. « Contra Scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones. » — 32. « Ditare clerum est contra regulam Christi. » — 33. « Sylvester papa et Constantinus imperator errarunt Ecclesiam dotando. » — 36. « Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares, et cæteri laici. » — 39. « Imperator et domini sæculares sunt seducti a diabolo, ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus. » — 44. « Augustinus, Benedictus, Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quod habuerunt possessiones, et instituerunt, intraverunt religiones, et sic a papa ad ultimum religiosum omnes sunt hæretici. » Hæc singula velut hæretica, et in fide erronea a synodo Constantiensi damnata sunt, quam damnationem approbavit deinde Martinus V, unde est apprime definitiva sententia, et universalis Ecclesiæ judicium. Ergo de fide est Ecclesiam de jure naturali et divino posse bona temporalia possidere.

Probatur secunda pars propositionis, scilicet, *Ecclesia prout est societas divino-humana, bona temporalia possidet.* Societas, quæcunque demum sit, jus habet tum acquirendi, tum possidendi bona temporalia. Cum itaque Christus Ecclesiam ad instar corporis moralis instituit, jus acquirendi et possidendi bona eidem tribuit, uti mediis temporalibus cultus Deo debitus persolveretur, et ministri ad hoc deputati ministerium, unde viverent haberent. Sane Christi exemplo (*Marc.* VI, 37; *Luc* IX, 13; *Joan.* VI, 5), nec-

non apostolorum (*Act.* II, 44; IV, 24; V, 1), et primitivæ Ecclesiæ id confirmari potest. Ipse enim Christus, cum hanc societatem instituit, ei communia bona esse voluit, hoc est pecuniam collectam ex fidelium oblationibus, habuitque loculos, cum quibus apostolis, discipulis, pauperibus opitularetur. Christi exemplum secuti sunt apostoli; deinde vero, cum eorum successores Ecclesiæ regimini præfuerunt, eadem omnino ratio rerum fuit. » (DEVOTI, lib. II, tit. XIII, § 2 et 3.) Idem auctor addit: « Hæc autem bona non aliqua hominum lege, sed Christi voluntate et exemplo Ecclesia acquisivit. Nam Christianorum respublica contra eorum, qui tunc imperio potiebantur, voluntatem, a Christo fuerat constituta, neque civiles leges, quibus tunc orbis terrarum regebatur, cœtum hominum non earum jure societatum aliquid acquirere ac retinere permittebant. Quare hæc societas contra id, quod esset humana lege præscriptum, bona habuit, auctoritate ipsa Christi; consequens est, ut ab Ecclesia divino jure acquirantur ac retineantur bona; atque hoc jus divinum agnoverint apostoli et eorum successores, qui hæc Ecclesiæ bona esse voluerunt, cum eadem esse vetarent leges ethnicorum, quorum tunc dominatu omnia tenebantur. » Consule Mamachium *Del diritto libero della chiesa di acquistare, e possidere*, l. II, cap. 2, a quo hæc omnia copiose diligenterque explicantur, ut ait in nota Pius VIII.

Inter catholicos tamen disputatur cujus sit dominium bonorum ecclesiasticorum; et quatuor sunt sententiæ. — Prima sententia docet dominium proprie dictum, proximum et immediatum bonorum ecclesiasticorum apud nullum esse hominem sive publicum, sive privatum, sed apud Deum ipsum, aut Christum, sola dispensatione et administratione apud homines, Dei ministros consistente. Ita gravissimi certe viri, et imprimis Innocentius III, Navarrus, *De reditibus Eccl.* quæst. 1, monito 40, rursusque quæst. 3, monito 31, quam ibi communem esse doctorum tradit, ac tertio comment. *De spoliis*, eousque hoc loco progressus ut velit id esse ex fide certum. Eamdem alii æstimant probabilem et probabiliorem. Fundatur, ut ipsis videtur, variis textibus juris quibus bona ecclesiastica vocantur *pecuniæ Christi* (c. *Qui Christi*; c. *Qui abstulerit*, causa 12, quæst. 2); *patrimonium Christi* (c. *Cum secundum, De præb.*; c. *Cum ex eo, De elect.* in 6; — *Res Dei*; *Trident.* sess. 25, c. 1, *De reform.*) Cæteraque hujusmodi passim. — Secunda sententia autumat dominium bonorum ecclesiasticorum stare penes pontificem. Hanc tenet Fagnanus in c. *Relatum, Ne clerici vel monachi*, n. 26 et seqq., multos quos ibi citat secutus, addensque hanc esse communem inter canonistas. — Tertia æstimat dominium bonorum ecclesiasticorum esse respective penes ipsas ecclesias particulares, cathedrales, collegiatas, capitulares, regulares, parochiales, sodalitias.... etc., in quarum usum sunt tradita et applicata. (Ita post S. THOM. 2-2 quæst. 100, art. 1, ad 7, plurimi.) — Quarta sententia, quæ est verior et de fide certa, præcedentesque includens, tenet dominium universale in omnium ecclesiarum et monasteriorum bonis esse penes Ecclesiam universalem. (Ita *Schmalzgr.* lib. III, part. III *Decretal.* tit. XXV, n. 5.) Etenim jure naturali ecclesiæ particulares possent tanquam humanæ societates dominium suorum bonorum habere, non autem jure divino. Nam jure divino particulares Ecclesiæ non constant nec exsistunt nisi quatenus subjectæ sunt Ecclesiæ universali ejusque monarchæ summo pontifici, et incorporatæ corpori mystico Christi et ejus visibili capiti tanquam membra. Atqui membra a capite separata nequeunt possidere nec dominium habere, quod toto corpori pertinet. Aliunde Ecclesia catholica una est, et habet omnia jura divina ex ea unica causa et ratione quod sit in Christo fundata et ab ipso et per ipsum vivat. Ecclesia efficit unum corpus cujus caput invisibile est Christus, et caput visibile Christi vicarius; hujus corporis jura divina a Christo capite in omnia fluunt membra. Hujusmodi jura sunt omnibus membris communia. Ecclesia igitur rerum temporalium dominium jure divino habet, quia Christus voluit eam cum semetipso indivisim tale dominium habere. Unde in aliquo sensu, hujusmodi dominium ad Deum pertinet, quod est prima sententia supra exposita; in altero autem sensu hujusmodi dominium est penes pontificem tanquam Dei vicarium; quod est secunda sententia. In tertio vero

sensu, istud dominium est respective penes ecclesias particulares, sed non independenter ab Ecclesia universali nec a summo pontifice ; unde dictæ ecclesiæ non habent nisi peculiare dominium, non quidem absolutum omnino et perfectum, siquidem subjicitur dominio universali totius Ecclesiæ et auctoritate pontificis, qui potest hujusmodi peculiare dominium ab una ad aliam transferre Ecclesiam particularem ; et in eo sensu « communis est (tertia) sententia quod dominium particulare bonorum ecclesiasticorum sit penes ipsas ecclesias, sive collegia, et capitula clericorum ; aut ubi talia non sunt, penes communitatem fidelium ad Ecclesiam spectantium, si ecclesia sit sæcularis ; si vero regularis, penes ipsa monasteria, seu conventus, et communitates religiosorum, si illa dominii sint capacia ; ut ex variis juris textibus affirmat Schmalzgr. ubi supra.

Ex his diversis sententiis patet quartam, quæ alias includit, esse magis veram, omnesque aliarum sententiarum sensum præ se ferentem, scilicet quod Ecclesia una, societas divino-humana, ex Christo capite ejusque vicario et omnibus Christi fidelibus tanquam membris constans, habet jure divino cum Christo et per Christum dominium plenum, perfectum, directum et supremum omnium suorum bonorum temporalium. Et in eo sensu nostra conclusio est de fide, ex capite *Cum inter nonnullos* 4, tit. XIV *De verbor. signif.* inter Joannis XXII *Extravag.*, ibi : *Utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum, ac Dominum Jesum Christum ejusque apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec in communi etiam, hæreticum sit censendum..... Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem........ deinceps erroneam fore censendam et hæreticam, de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto.* Ergo de fide est Christum ejusque apostolos, id est Ecclesiam, habuisse aliqua saltem in communi. Ergo de fide certum est quod Ecclesia, prout est societas divino-humana, bona temporalia de jure divino possideat.

Et confirmatur per encyclicam sanctissimi Patris nostri Pii PP. IX, *Nullis certe verbis*, 19 Januar. 1860, ibi : *Imperator (Galliarum),... nobis suadet, ut earumdem (status ecclesiastici) provinciarum possessioni renuntiare velimus.... Hinc.... imperatori rescribere properavimus apostolica animi nostri libertate clare aperteque declarantes, nullo plane modo nos posse ejus annuere consilio, propterea quod insuperabiles præ se ferat difficultates, ratione habita nostræ et hujus sanctæ sedis dignitatis, nostrique sacri characteris, atque ejusdem sedis* JURIUM QUÆ *non ad alicujus regalis familiæ successionem, sed* AD OMNES CATHOLICOS PERTINENT, *ac professi sumus non posse per nos cedi* QUOD NOSTRUM NON EST........ *Atque inter alia eidem imperatori manifestavimus non posse nos commemoratas pontificiæ nostræ ditionis in Æmilia provincias abdicare....... quin* CATHOLICIS OMNIBUS *injuriam inferamus.* Ergo omnia bona ecclesiastica, etiam bona status ecclesiastici, ad omnes Catholicos in communi pertinent.

Probatur tertia pars propositionis, videlicet, *Ecclesia... jure divino habet plenum, perfectum, imo supremum, independens et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis temporalibus ab ipsa possessis.* 1. Quod Ecclesia hujusmodi dominium habeat plenum et perfectum, definitum est tanquam de fide, cap. jam citato, *Cum inter nonnullos* 4, et cap. *Quia quorumdam* 5, tit. XIV, *De verb. signif.* ; Extravag. Joannis XXII, ibi, declaratur de fide catholica *Christo ejusque apostolis* (id est Ecclesiæ) *jus bonis utendi competiisse, illa vendendi seu donandi jus habuisse, aut ex ipsis alia acquirendi.*

2. Quod Ecclesia hujusmodi dominium supremum, independens et exemptum a sæculari potestate habeat, probatur 1° Scriptura sacra, I Cor. IX, 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. — Dominus ordinavit*, non status, nec potestas civilis sæcularis, nec aliqua natio. — 2° Ex sacris canonibus : c. *Clericis laicos, De immunitate Eccles.* in 6, ibi : *Clericis laicos infestos oppido tradit antiquitas, quod et præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt quam sit eis in clericos, ecclesiasticasve personas et bona interdicta potestas. Ecclesiarum prælatis, ecclesiis, ecclesiasticisque personis, regularibus et sæcularibus, imponunt onera gravia, ipsosque talliant, et eis collectas imponunt, ab*

ipsis suorum proventuum, vel bonorum dimidiam, decimam, seu vicesimam, vel quamvis aliam portionem, aut quotam exigunt et extorquent, eosque moliuntur multifarie subjicere servituti, suæque submittere ditioni... Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes... Fines igitur suos transgreditur politica. societas, et *interdictam potestatem* sibi usurpat, ubi Ecclesiam *molitur subjicere servituti, suæque submittere ditioni.* — Item et expressius', c. *Eos qui*, ibid.: *Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis ne prælatis, aut clericis, seu personis ecclesiasticis quidquam vendant, aut emant aliquid ab eisdem... aliquando interdicunt, cum talia in derogationem libertatis ecclesiasticæ præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ decernimus subjacere.* Libere proinde *subditi* temporalium potestatum possunt *vendere* Ecclesiæ, ac proinde etiam prædia, hæcque libertas pertinet ad ipsam Ecclesiæ libertatem, cujus auctor utique non est status, sed Christus. (Item c. *Quia nonnulli, ibid.*, et cum multis simil.)

Quod vero nostra conclusio sit de fide certa probatur ex damnatione propositionis Marsilii Patavini et Joannis de Janduno, per Joannem XXII, constit. *Licet juxta* an. 1327, hujus tenoris : *Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus.* Et ex damnatione propositionis Joan. Wicleff in synodo Constantiensi, sess. 8, et per constit. Martini V, *Inter cunctas*, quæ est 16 in ordine, sic : « Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus. » — Præterea res ita expressius declaratur, et inter res fidei constituitur in formula per Martinum V, an. 1418 edita, ad cujus normam omnes suspecti de hæresi Wicleffi interrogandi erant : *Utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes.* — Item : *Utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata inducat sacrilegium.* Unde concludendum est bona ecclesiastica esse Deo consecrata, quia sacrilegium non committitur nisi in personas, res et loca quæ Deo consecrantur. Atqui Deo sacrata quæcunque nemo potest violare, arripere, etc., absque Dei ipsius injuria.

Adeo certum est supremum et independens dominium Ecclesiæ in suis bonis temporalibus ut ipsummet gubernium Gallicum agnoverit direptionem bonorum ecclesiasticorum a se perpetratam fuisse injustam, et alienationem invalidam, cum in Concordato an. 1801, cum Pio VII inito, consenserit nondum alienata restituere, et petierit ab eodem pontifice revalidationem et condonationem *alienatorum.*

3. Quod bona ecclesiastica sint immunia ab oneribus civilibus probatur ex Scriptura : Matth. XVII, 24 et seq.; et ex damnatione propositionis Marsilii Patavini, supra cit. Et ex multis canonibus, c. *Quia nonnulli;* c. *Clerici laicos, De inviolabilit. et immunitate*, in 6; Clementina unic. *De immunit.*, et concilio Lateranensi V, in quo Leo X constitutionem Bonifacianam *Clericis laicos* innovavit et integravit.

Hæc vero immunitas est de jure divino, ut habetur in sacris canonibus. C. *Quanquam, De censib.* in 6, ibi : *Ecclesiæ, ecclesiasticæ personæ, ac res ipsarum non solum jure humano (canonico), quinimo et divino a sæcularium personarum exactionibus sunt immunes.* Et Trident. sess. 25, c. 20, *De reform.* ibi : *Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum immunitas Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus dicitur instituta.* Et verbis Christi : « *Ergo liberi erunt filii.* » (*Matth.* XVII, 25.) Ideoque immunitas ecclesiastica contraria lege, vel consuetudine tolli nequit, prout affirmant communissime theologi et canonistæ.

4. Loca ecclesiastica, ut ecclesiæ auctoritate episcopi erectæ, cœmeteria auctoritate episcopali designata, monasteria et conventus, villæ sive grangiæ, quas etiam recreationis gratia habent regulares : omnia loca religiosa, ut seminaria, hospitalia, nosocomia, orphanotrophia, et hujusmodi auctoritate episcopi erecta, palatia cardinalium, episcoporum, domus canonicales, parochiales seu presbyterales, gaudent immunitate asyli, ita ut confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstent ad hoc

quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita nec in membris puniri valeant. (Communis, arg. c. *Inter alia* 6, *De immunit. Eccles.*; c. *Immunitatem* 10, eod.; c. *Eos qui* 6, dist. 87; c. *Sicut antiquitus* 6; c. *Reum* 9; c. *Si quis* 20; c. *Definivit* 35, et c. *Id constituimus* 36, causa 17, quæst. 4.)

Ratio hujusmodi immunitatis patet. Nullus enim supremus princeps, nullus judex potest suam jurisdictionem exercere in alterius judicis seu principis territorio; et confugientes in Ecclesiæ territoria sub ejus potestate sunt.

5. Ex supradictis patet proprietates et bona ecclesiastica nulli civili laicorum potestati et jurisdictioni subjici; sed sola Ecclesiæ potestate et jurisdictione regi, administrarique posse; et consequenter Ecclesia bona sua temporalia possidet, non tantum jure dominii et proprietatis, sed etiam jure supremæ potestatis gubernativæ Christi et Ecclesiæ communis.

6. Ideoque usurpantes, invadentes et violatores immunitatis bonorum ecclesiasticorum et locorum immunium crimen injustitiæ admittunt, et usurpantes seu exactores tenentur ad restitutionem omnium a se exactorum; præterea omnes immunitatem ecclesiasticam quocunque modo violantes gravi sacrilegio se commaculant, pœnas ab Ecclesia sancitas, et imprimis excommunicationem latæ sententiæ incurrunt. (C. *Adversus*, *De immunit. Eccles.*; c. *Non invitis*; c. *Quanquam*, *De censib.* in 6; Clement. *Quoniam*; c. Unic. *De immunit.*; extravagant. *Quod olim*, eod.; et expresse bulla *Cœnæ*, et constit. Urban. VIII, *Romanus pontifex*.)

Scholium. — I. Ex hucusque exposita doctrina consequitur Ecclesiam catholicam possidere bona temporalia et eorum dominium habere, non præcise veluti individuæ personæ, sed tanquam societas divino-humana, et indivisim tanquam societas hominum regeneratorum et Dei. Consequenter Ecclesiæ proprietates, sicut ipsa, sicut Deus verus et primus proprietarius, sunt independentes ab omni humana potestate, ab omni sæcularium legislatione civili. Ideoque bona ecclesiastica exempta sunt ab omnibus oneribus civilibus, eorumdemque administratio nequit spectare, nisi auctoritati divinitus institutæ ad regendam Ecclesiam Dei. Omnes istæ conclusiones firmantur decretis conciliorum, sanctæ sedis et multis sacris canonibus.

II. Item consequitur, eo ipso quod aliquod ædificium, aliqua territorialis proprietas quæcunque Deo consecrentur, sive donatione Ecclesiæ facta, sive legitima alicujus ecclesiæ acquisitione, hujusmodi bona eo ipso extracta et separata esse ab omni regno et territorio civili laicarum potestatum, ditioneque sæculari, ut efficiant partem territorii ad solum Dei in terris regnum pertinentis. In quacunque mundi parte sita fuerint bona ecclesiastica, ea sunt tot territoria inclusa sed exempta, et proprietates Dei in terra quam manus ejus plasmaverunt, ut ibi reponantur Ecclesiæ suæ visibilis et corporeæ pedes. Et quia Ecclesia sit jure divino universa seu catholica, eodem jure divino jus habet ubique terrarum possidendi; sed ubique etiam Ecclesiæ proprietates ad ipsam divino-humanam societatem pertinent, non autem ad singula divisim ejus membra. Itaque hujusmodi bona nequeunt supra certam quemdam valorem, nec per fabricas, nec per curatos, nec etiam per episcopos alienari absque speciali licentia papæ, qui vi suæ auctoritatis universæ vicarii Christi, est solus supremus et absolutus administrator omnium Ecclesiæ catholicæ bonorum in genere, et singularum ecclesiarum in universo orbe. Et istæ Ecclesiæ leges sancitæ sunt per gravissimas pœnas canonicas et ipsammet excommunicationem. (C. *Apostolicas*; c. *Non liceat*, causa 12, quæst., 2; c. *Si quis presbyterorum*, et extravag. *Ambitiosæ*.) — Atqui si, ut in præcedentibus propositionibus præfertur, talis sit dogmatica doctrina, sique tales sint generales Ecclesiæ leges cum earumdem pœnali sanctione, consequitur hoc esse jus divinum; nam Ecclesia infallibilis est tum in dogmatibus tum in generali disciplina. In his vero quorumdam schismaticorum aut hæreticorum juristarum argutiæ nihil mutare vel modificare possunt.

III. Apostolus Paulus I Cor. ix, juris Ecclesiæ fundamentalem rationem posuit. Ecclesia enim suis fidelibus bona divina dat, vice sua fideles Ecclesiæ debent ex Christi præcepto bona temporalia ad ejusdem sustentationem necessaria. Dat Ecclesia nationibus veritatem, justitiam et omnia media ad earum supernaturalem obtinendum fi-

nem, ad quem genus hominum creatum fuit, quemque omnibus suis membris imprimis procurare debet omnis natio. Vice sua nationes sartam tectam temporalem exsistentiam Ecclesiæ præbere tenentur. Sæculares potestates institutæ sunt ad omnia populorum jura tutanda, ad omnium eorum commodorum et necessitatum veram satisfactionem procurandam. Accipiunt alias ab Ecclesia suæ auctoritatis tutamen et consecrationem; proindeque eidem debent protectionem, defensionem et, si opus fuerit, media materialis exsistentiæ independentis. Hinc nationibus earumque gubernatoribus incumbit obligatio tuendi et defendendi omnia bona Ecclesiæ temporalia. Hinc etiam fluit exemptio omnium Ecclesiæ temporalium. Debitor enim, ad suum debitum creditori assecurandum, nequit jus eidem onera imponendi habere; humana ratio huic pejoris speciei et inauditæ usuræ repugnat. Atqui nationes earumque potestates debitores sunt Dei et Ecclesiæ; ipsis igitur incumbit obligatio sua debita solvendi absque eo quod Ecclesiam opprimant, eamque subjiciant oneribus et exactionibus, ad quæ solvenda nequit astringi divina suprematia suis humanis delegatis, qui ab ipsa omnia tenent.

IV. Ex omnibus vero positis præmissis deducitur alia rigorosa et valde notanda conclusio, scilicet quod jus proprietatis Ecclesiæ sit jus supremum, cum sit ab omni humana potestate, ab omnibus sæcularium civilibus legibus independens. Etsi igitur minima fuerit Ecclesiæ proprietas, etiamsi unum tantum agellum in universo orbe possideret, hunc vi juris sui supremi, naturalis et divini proprium haberet. Itaque quæcunque proprietatis Ecclesiæ violatio attentatur juri suprematiæ, juri æterno, juri proprio Dei ipsius; triplex violatio, quæ non tantum furtum et injuriam cum restitutionis obligatione, sed etiam sacrilegii crimen constituit.

V. Præfata principia sanctæ sedis temporales status eodem modo ac minimas Ecclesiæ proprietates in quacunque mundi parte sitas regunt. Exinde quod Ecclesiæ proprietas sit jus naturale supremum et divinum, consequitur solam Ecclesiam posse exercere jura supremæ potestatis et gubernalia in omnes incolentes in diversis territoriis ad ipsam pertinentibus. Ideoque per leges canonicas omne territorium ad Ecclesiam pertinens eximitur a jurisdictione laicali, quia nullus princeps suam jurisdictionem in alterius principis territorio exercere potest, et eo quod omne territorium, omnisque locus ad Ecclesiam pertinens, pars sit regni Dei in terris, quod est visibile et corporale necessarioque debet sibi ipsi habere locum physicum et materialem.

Res cum ita sint, idque nemo negare possit nisi ipsam Ecclesiæ essentiam destruendo, concludendum est nullam suprematiam temporalem et civilem melius esse in juribus fundatam quam sanctæ sedis in status ecclesiasticos et alias Ecclesiæ possessiones suprematiam civilem,

PROPOSITIO SEPTIMA.

Ecclesia catholica semper et ab initio bona temporalia possedit; item supremam civilem potestatem in propriis subjectis semper exercuit.

Contra hanc nostram conclusionem ex evidentia historica certissimam multi præsertim hæretici et sanctæ Ecclesiæ hostes conclamant Ecclesiam per saltem tres primos sæculos, et etiam usque ad quintum aut sextum sæculum, nullum territorium, nullumque principatum civilem possedisse, consequenterque ejusdem proprietatis et temporalis principatus jus non esse inhærens suo juri divino. Hanc quotidie jactitatam, et cum prætensi triumphi clamoribus publicatam objectionem refellendo nostræ thesis veritatem luce clariorem demonstrabimus.

Probatur I° *ratione theologica*. A primo, etiamsi per tres primos sæculos Ecclesia nullum territorium habuisset, nullumque temporalem principatum exercuisset: hoc nihil contra jus ejusdem probaret, nec illud destrueret. Solummodo autem resultaret Ecclesiam omnia sua jura non exercuisse, nec istis in particulari usam fuisse. Deus ipse non semper omnia sua jura exercet, etsi ipsi ab æterno pertineant; sed eorum exercitium juxta suæ sapientiæ regulas commensurat. Christus, etsi ab æterno Rex regum fuerit, suam regiam potestatem in terris non exercuit nisi quando missus fuit a Patre. Ita est de Ecclesia, quæ suorum jurium exercitium regulat secundum prudentiam quam suis consiliis dat Spiritus sancti assistentia. Hodie quidem, ex condescendentia et salutis animarum amore, Ecclesia sese sæpissime et in multis regionibus abs-

tinet uti auctoritate certa et certis juribus quæ nemo ipsi negat nec negare potest.

Probatur II[a] *ex factis et gestis*. Sed directa habemus argumenta; allegata enim in objectione facta, omnino sunt falsa et nequeunt invocari, nisi per ignorantiam vel per nimis superficiales historiæ lectores. Etenim a sua fundatione Ecclesia semper possedit bona temporalia, et suum temporalem principatum exercuit, tum sub veteri tum sub novo testamento.

Sub veteri testamento. 1. Nihil dicendum habemus de legis naturæ temporibus, cum ab Adamo usque ad Abraham omnes populi viverent sub revelatione Adamo et Noe facta.

2. Deus autem Abraham elegit ut esset credentium pater et typus, ut esset pater populi, quem Deus Ecclesiæ centrum faceret usque ad Christi adventum. Itaque ut ille populus, qui erat regale sacerdotium et peculium Dei ex cunctis gentibus terræ, liber et independens ad Dei cultum vacaret, ipsi Deus terram propriam promisit et dedit. Genes. XII, 7 : *Apparuit autem Dominus Abram, et dixit ei : Semini tuo dabo terram hanc* (Chanaan). Et XIII, 17 : *Surge, et perambula terram* (Chanaan) *in longitudine, et in latitudine sua : quia tibi daturus sum eam.* Ideoque Abraham agrum ab Ephron, de filiis Heth, emit et appendit pecuniam quam Ephron postulaverat, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ, Gen. XXIII. Attamen semen Abrahæ debuit in Ægypto servire per quadringentos annos priusquam terra sua potiretur. Hæc autem servitudo fuit Ecclesiæ Christianæ figura et prophetia; hæc enim persecutiones pati et quasi in servitute redigi usque ad quartum sæculum debuit. Necesse autem erat ut semen Abrahæ fieret magnus populus et magna natio ad terram suam conquirendam, occupandam et dominandam; quemadmodum necesse fuit ut Ecclesia Christiana fieret quasi dominans pars imperii Romani ad imperium suum temporale visibiliter et libere acquirendum et exercendum. Hæc vero Deus Abrahæ prænuntiavit, Gen. XV, 13 et seq. : *Dictumque est ad eum : Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis. Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo : et post hæc egredientur cum magna substantia.*

Per hanc tamen quadringentorum annorum servitutem, populus Israel, qui centrum erat Ecclesiæ, regitur et gubernatur secundum propriam legem. Patriarcha Joseph, Christi figura, Ægyptum etiam sub Pharaonibus et suam gentem gubernabit, quemadmodum in futuro summi pontifices gubernium etiam temporale exercent sub paganis Romanorum imperatoribus et magis ostensibile sub primis imperatoribus Christianis. — Populus Israel fiet gens innumera et prospera in terra Ægypti; Pharaones eorumque populi Israelitis invidiam afferent et eos destruere conabuntur, veluti postea pagani et eorum imperatores Ecclesiam Christianam persequentur eamque annihilare tentabunt. Tunc autem Deus Moysen suscitavit ut populum suum liberaret a servitute Ægypti, illique constitutionem nationalem propriam daret, eumque in territorii independentis possessionem mitteret; adeo ut exinde populus iste aliarum gentium quasi missionarius ipsis participaret veritatem divinam sibi a Deo confisam; ut posset eamdem intactam servare, Deoque cultum debitum libere reddere. Quando Ecclesia Christiana sufficienter multiplicata fuerit sub paganorum imperio, invitisque persecutionibus, Deus eidem Ecclesiæ eamdem independentem temporalem constitutionem adimplebit. Hæc omnia verificata sunt per verba Dei ad Moysen, Exod. III, 7 et seqq. : *Cui ait Dominus : Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, et clamorem ejus audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus : et sciens dolorem ejus, descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum, et educam de terra illa in terram quæ fluit lacte et melle, ad loca Chananæi, et Hethæi*, etc. Deinde apud montem Sinaï Deus cum populo Israel pactum pepigit, ut esset eis rex temporalis, legislator, dux belli, et judex, et ipsi essent Deo peculium de cunctis populis. (*Exod.* XIX.) Et hæc fuit constitutio regni Dei sacerdotalis et gentis sanctæ. Post Moysis mortem Deus Josue suscitavit ut introduceret populum Dei in terram quam Deus ipsi dedit, et sic adimpletæ sunt promissiones quas Abrahæ fecerat Deus; et libera fuit ac independens Ecclesia Israelitica.

Deus tamen circum terram et regnum populi sui reliquit parvarum gentium multi-

tudinem, ut essent pro populo sancto ex una parte quasi probationes, et ex altera parte quasi custodiæ antepositæ quas transire oporteret ad deveniendum usque ad populum electum. Eadem fere omnia Ecclesiæ Christianæ adimplebit.

Ergo Ecclesia divinitus constituta ante Christi adventum, terram propriam a Deo accepit et possedit; præterea que regnum temporale et gubernium civile proprium habuit ex ordinatione divina, et hæc ita fuerunt usque ad tempus in quo populus Judæus Christum abnegavit et crucifixit, unde Ecclesia Judaica cessavit esse verum Ecclesiæ catholicæ centrum. Propterea que de terra sua expulsus est, non habuit amplius terram propriam, nec regnum, nec gubernium proprium, quia jam non erat vera Dei Ecclesia. Hæreditas Abrahæ translata est Ecclesiæ Christi. Quod confirmatur ab Apostolo ad Hebræos VII, 12, his verbis : *Translato enim sacerdotio, necesse est ut et legis translatio fiat.* Necesse est ut et jurium et potestatum Ecclesiæ translatio fiat. Igitur Ecclesia Christi hæreditavit jura proprietatis et dominii, jura sese libere gubernandi et etiam civiliter administrandi, non autem in singulari et particulari terra, sed in universo orbe; centrum tamen Ecclesiæ, sedes Petri, habebit terram propriam quam dabit ipsi Deus, prout per Danielem prophetam promiserat, quemadmodum infra dicemus.

Probatur III°, *sub novo Christi testamento*: 1. Christus et apostoli cum eo, id est Ecclesia, habuerunt fiscum publicum et commune, ex oblationibus credentium ; in quo dominium perfectum habuerunt, ut est de fide, juxta quod supra dictum est.

2. Apostoli, et Petrus eorum monarcha et Christi vicarius, pergerunt exercere eadem jura divina proprietatis et supremaliæ temporalis post Christi ascensionem. A fidelibus bona temporalia acceperunt; certumque est primorum fidelium bona temporalia et territorialia, subjecta fuisse Ecclesiæ jurisdictioni, etsi sub nomine fidelium proprietariorum manerent. Ex hujusmodi bonis Ecclesia percipiebat et administrabat redituum portionem libere datam aut etiam per apostolicas leges determinatam. Et hæc est origo decimarum, oblationum sive retributionum Ecclesiæ ab omnibus fidelibus debitarum.

Legimus enim in *Actibus apostolorum* IV, 32 et seq. : *Multitudinis autem credentium erat cor unum et anima una; nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia communia.... Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat*, etc. Ergo Ecclesia primitiva bona temporalia in communi possidebat.

Fideles tamen non cogebantur sua bona vendere, nec pretia apostolis afferre; nam Act. V, 3, Petrus dixit Ananiæ : *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate...* Ergo liberum erat fidelibus suos agros vendere et afferre pretium apostolis, vel non. Nam ut ait sanctus Basilius : « Ananiæ initio licebat possessionem suam Deo non polliceri, ac vovere, sed postquam ad humanam gloriam respiciens, possessionem suam Deo per pollicitationem consecravit, ut hominibus ob munificentiam esset admirationi, parte pretii seposita, ejusmodi adversum se indignationem Domini commovit, cujus Petrus minister fuit. »

Hujusmodi communitas bonorum et auxiliorum mutuorum non fuit limitata Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sed omnes fideles undequaque sibi invicem auxiliabantur, prout fecerunt Antiochiæ fratres; nam in Act. apost. XI, 28 et seq. propheta *Agabus significabat per Spiritum famem magnam futuram in universo orbe terrarum; quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Judæa fratribus: quod et fecerunt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ et Sauli.*

Apostoli ordinabant collectas faciendas in sanctos quæ mittebantur in Jerusalem ad apostolos, seniores et fratres, Paulo apostolo testante I ad Corinthios, XVI, 1 et seq. *De collectis autem quæ fiunt in sanctos, sicut ordinavi ecclesiis Galatiæ, ita et vos facite. Per unam Sabbati unusquisque vestrum apud se seponat, recondens quod ei bene placuerit: ut non, cum venero, tunc collectæ fiant. Cum autem præsens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam ve-*

stram in Jerusalem. Idem probatur epist. ad Philippenses, IV, 15 et seq. Idem Apostolus, *ibid.* IX, probat jure naturali et divino teneri fideles Ecclesiæ de necessariis ad sustentationem providere.

Non solum autem oblationes a fidelibus accipiebat Ecclesia tanquam debitas, sed possidebat etiam domos communes, in quibus fideles congregabantur ad cultum divinum peragendum, seu in quibus discipuli et apostoli commorabantur.

Hujusmodi fuit *cœnaculum* ad quod post Domini ascensionem apostoli *ascenderunt ubi manebant Petrus et Joannes* et cæteri apostoli, Act. apost. I, 13 et seq. Item *cœnaculum* fidelium in Joppe, Act. IX, 37 et seq. Item *domus Mariæ matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati et orantes*, quando venit Petrus de carcere egressus, Act. XII, 12 et seq. Item in Cæsarea *domus Philippi evangelistæ*, qui erat unus de septem diaconis. Hæc sufficiant ad probandum quod tempore apostolorum fideles et apostoli in particulari bona immobilia possidebant, quodque Ecclesia bona sive mobilia sive immobilia in communi possidebat. Apostoli tamen nunquam cogitarunt de communitate omnium bonorum inter omnes orbis fideles instituenda. Quod factum est in Jerusalem fuit liberum; sed quod liberum non erat in eo fuit, quia jure divino obligati fuerunt fideles oblationes et necessaria ecclesiasticis, cultui divino et pauperibus præbere.

3. Exempla et præcepta Christi et apostolorum secuti sunt fideles, presbyteri et episcopi in primis Ecclesiæ sæculis, et qui possidebant in particulari, considerabantur tamen tanquam in communi cum Ecclesia possidentes, quia ex lege divina tenebantur onera Ecclesiæ recipere, oblationes et auxilia, prout quisque habebat, afferre communitati. Hæcque probantur per sequentes textus inter multos. Sanctus Justinus, medio II sæculo vivens, quique primitivæ Ecclesiæ consuetudines perfecte cognoscebat, his verbis scribit in sua *Apologia*, n. 14: « Qui pecuniarum et possessionum vias omnibus antiquiores habebamus, nunc, et quæ habemus in commune ferimus, et omni indigenti communicamus. » Ibidem, n. 178, videmus etiam quod Christiani tunc proprietates particulares habebant, quodque bonorum communitas consistebat in voluntaria distributione earum rerum quæ quisque dare volebat aut poterat : « Ex illo tempore, ait de SS. Eucharistiæ institutione loquendo, hæc semper nobis invicem in memoriam revocamus, et qui habentes sumus indigentibus omnibus subvenimus, et semper una sumus.... Qui abundant, et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur. » Postea Tertullianus in *Apologet.* cap. 39, eadem confirmat : « Ex substantia familiari, ait, fratres sumus, quæ penes vos fere dirimit fraternitatem. Itaque qui animo animaque miscemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta sunt apud nos, præter uxores. » Et in IV sæculo, tunc quando Constantinus gubernabat imperium Romanum, quis dubitaret Christi fideles bona temporalia possedisse? Attamen Eusebius Cæsareæ episcopus sic mores sui temporis fidelium describit I lib. *Præparat. Evangel.* cap. 4 : « Nullum non genus hominum divinæ doctrinæ præceptionibus imbuitur, quod nolit ea quæ possidet cum inopibus et egentibus communicare et quemlibet hominem communis humanitatis nomine complecti, quemque vulgo tanquam peregrinum habent, eum quasi naturæ lege conjunctissimum, ac veluti fratrem agnoscere. » Ergo a tempore Christi usque ad IV sæculum Christi fideles, etsi in particulari possidentes, considerabant sua bona tanquam ad Ecclesiæ communitatem oblationes et dona debentia. Igitur Ecclesia hujusmodi oblationes, dona et reditus tanquam societas divino humana supremam regendi potestatem civilem et temporalem habens possidebat.

4. Sed habuit etiam in tribus primævis sæculis bona immobilia. Ex testimoniis enim Tertulliani, Arnobii, Origenis, Lactantii et Eusebii Cæsariensis antistitis de Christianorum templis imperatorum jussu incensis, ex lege a Constantino et Licinio an. 313 lata, litterisque ad Analinum Africæ proconsulem ab iisdem eodem anno datis, aliisque monumentis perspicue evincitur Christianos etiam, antequam imperio Constantinus potiretur, et loca ad quæ convenire consueverant, et alia, ut domos, possessiones, agros, hortos possedisse, quæ ad jus corporis eorum, id est ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinerent. Nam si edicto Constantini ac Licinii, apud Euse-

bium, l. II, cap. 39, ethnici jussi sunt Christianis restituere, quæ sæviente persecutione rapuerant, fit consequens Ecclesiam ea etiam tempestate bona immobilia habuisse. (Vide MAMACH. *Del diritto libero della Chiesa di acquistare e possedere*, lib. II, c. 2.)

Per tria primæva sæcula Ecclesia usa est jure suo possidendi bona immobilia et etiam ecclesias seu templa publica, invitis prohibitionis imperii Romani legibus, prout præclare demonstratum est solidissimis argumentis in publicatione periodica, cui titulus : *Analecta juris pontificii*, n. Novembris et Decembris 1859. Ibi ex Eusebii lib. IV, *Histor. eccles.*, c. 28, sub Gallieno imperatore ipsamet Ecclesia Romana tantas opes possidebat ut, postquam suorum ministrorum et pauperum necessitatibus providerat, ad longinquas alias ecclesias uberes eleemosynas mittere posset. Item (Euseb. lib. VII, c. 5) sub Valeriano imperatore, eadem Ecclesia Romana suppeditavit necessaria omnibus ecclesiis Syriarum provinciarum cum Arabia.

Atqui tamen non ex jure imperii civili possidebat Ecclesia, cum e contra leges Romani imperii prohibebant collegiis Ecclesiæ similibus non probatis a senatu et imperatoribus jus in communi possidendi. Ergo bona temporalia immobilia sua possedit vi juris naturalis et divini.

5. Ecclesia, societas divino-humana, non tantum bona temporalia sive mobilia sive immobilia ab origine sua habuit; non tantum sua potestate civili suprema jure divino usa est ad postulandas et percipiendas fidelium oblationes : verum etiam ab apostolicis temporibus usque ad Constantinum imperatorem Ecclesia suam civilem et temporalem jurisdictionem supremam in omnes Christi fideles exercuit. Quod et probatur primo per diaconorum institutionem a Christo ordinatam et ab apostolis exsecutam. (*Act.* VI.) Etenim septem primi diaconi electi et consecrati sunt ut res temporales et ministerium quotidianum administrarent, dum orationi et ministerio verbi instantes forent apostoli. Hac institutione, exemplo et præcepto Christi obedientes, apostoli gubernium Ecclesiæ temporale perfecerunt, quando opus fuit creare administratores rerum temporalium.

Secundo per judiciorum temporalium et sæcularium inter fideles constitutionem; ita ut prohibitum fuit Christianis in judicio contendere apud infidelium tribunalia. Sic enim in I Pauli Epist. ad Corinthios VI ipsi corripiuntur: *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum judicari apud iniquos, et non apud sanctos? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis? Nescitis quoniam angelos judicabimus? quanto magis sæcularia? Sæcularia igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum? Sed frater cum fratre judicio contendit: et hoc apud infideles?* Hujusmodi autem potestas omnia etiam temporalia et sæcularia judicandi data fuit a Christo. Etenim Petro sic ait Christus apud Matth. XVI, 19 : *Tibi dabo claves regni cælorum, quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis.* Quæ verba evidendenter judicandi potestatem comprehendunt; nemo enim magis proprie ligatur quam ille qui a judice ad actum aut pœnam devincitur. Item, et expressius, Matth. XVIII, 15 et seq. : *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum... Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos... Si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Jam vero his in verbis temporalem judiciariam Ecclesiæ potestatem etiam in fideles facile est deprehendere. Nempe *si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum;* seu eum ad congruam satisfactionem, et amicabilem jurgii compositionem prius adducere pertenta. Si autem hoc pacificum tentamen tibi non successerit.., dic Ecclesiæ. Ergo Ecclesia habet divino jure potestatem de omnibus inter suos fideles judicandi. Qua potestate usi sunt ipsimet apostoli, uti Paulus, I Cor. V; et II Cor. XIII.

6. Per tria primæva sæcula, historia ecclesiastica nobis ostendit vitæ et actionis gubernativæ et judiciariæ plenitudinem in Ecclesia. Unusquisque episcopus presbyterorum suorum et diaconorum senatu circumdatus regiam potestatem plenam et completam in omnes suæ diœcesis fideles,

habet, omnes eorum causas judicat, conventiones et contractus regulat. Hic rerum ordo societatis novæ, sed completæ et independentis, quæ omnia complectitur suaque membra ab ethnicorum societate omnino sejungit, ita ut societas christiana degeret in medio paganæ societatis absque ullo hujus opere, in causa fuit maxima, cujus prætextu cur impulsa fuerit ethnica societas ad persequendam Ecclesiam, ut rivalem societatem destrueret. Etenim, ut vidimus, Judæi primo Dominum Jesum Pilato tradiderunt quia se faceret regem; eamdem postea accusationem pluries renovarunt Judæi et ethnici contra Ecclesiam; Act. apost. XVII, 1 et seq., Paulus et Silas *venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Judæorum ... Zelantes autem Judæi, assumentesque de vulgo viros quosdam malos, et turba facta, concitaverunt civitatem: et assistentes domui Jasonis, quærebant eos producere in populum, et cum non invenissent eos, trahebant Jasonem et quosdam fratres ad principes civitatis, clamantes: Quoniam hi qui urbem concitant, et huc venerunt, quos suscepit Jason, et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt,* REGEM ALIUM DICENTES ESSE JESUM. Et sub imperatore Domitiano, omnes Judæi familiæ Davidicæ inquisiti sunt tanquam suspecti de parentela cum Jesu et de intentione resurgendi regnum temporale. Præterea sub aliis persecutoribus episcopi præsertim persecuti sunt, ut omnis potestas in Ecclesia destrueretur. Quid autem possunt homines contra Deum? De his omnibus triumphum retulit Ecclesia, quia Deo finalis victoria semper remanet.

7. Quando igitur Constantinus Magnus ad fidem vocatus est, Ecclesiam fortiter constitutam et plenitudinem suæ maternæ jurisdictionis etiam civilis exercentem invenit; vir rebus politicis prudentissimus et maxime perspicax Ecclesiam tutamen et fundamentum suum posuit. Ipsa enim erat viva fortitudo, futurorum temporum potentia, justitiæ et juris soliditas; itaque temporalem Ecclesiæ jurisdictionem in legem civilem imperii transire, ejusdemque temporalem auctoritatem agnoscere fecit, voluitque eamdem jurisdictionem exerceri simul cum imperii humani jurisdictione, reservando tamen imperio temporalem præponderantiam. Vice sua Ecclesia humanæ majestati concessit privilegia, quibus confortari debebat harmonia et bona concordia, unirique duæ potestates sub auctoritate ipsius Dei suprema et æterna. Reipsa vero Constantinus nullum jus, nullam jurisdictionem Ecclesiæ dedit; quod erat ex Deo et institutione Christi agnovit, e præpotenti Ecclesiæ vita suæ potestatis consecrationem accepit. Talis est omni impartiali sinceroque animo, veritas historiæ, id est contrarium omnino suppositis in famosa, quam refellimus, objectione.

8. Post Constantinum, qui Ecclesiæ ab edictis persecutionum raptas possessiones et proprietates restituit, eamque ita dotavit ut ejusdem materialem exsistentiam independentem de facto redderet, præponderans fuit Ecclesiæ auctoritas. Unctionem sanctam ab ipsa recipientes imperatores christiani regiam Christi potestatem participaverunt; temporalem potestatem nomine ac institutione Ecclesiæ simulque cum ea exercuerunt. Etsi fuerint in temporalibus independentes, nihilominus Ecclesiæ delegati erant.

9. Cum in decursu temporum barbaræ gentes imperium Romanum invaserunt ad fidemque Christianam conversæ sunt, Ecclesia earumdem reges consecravit ut acciperent de sua divina auctoritate regimen populorum in justitia et veritate. Quandoque Romanum Constantini imperium in Occidente omnino dilapsum fuit, Ecclesia de sua auctoritatis plenitudine sanctum imperium Romanum creavit ad suum gladium temporale portandum contra malos, ad bonorum, justitiæ et veritatis defensionem. In his magnis historiæ eventibus, suam habuerunt partem humanæ passiones; quis id negare auderet? Sed hujusmodi passionum participatio ad rerum naturam pertinet, Deoque prævisa est, ideoque, dum voluntatum multitudo veritati docilis permaneat, bonum semper triumphat, victumque non est.

10. Ex præfatis ergo concludendum est Ecclesiam bona temporalia sive mobilia sive immobilia semper et ab origine possedisse cum plena et suprema potestate de jure divino; præterea eamdem Ecclesiam semper et ab origine civilem et temporalem potestatem et jurisdictionem in sibi subjectis exercuisse.

PROPOSITIO OCTAVA.

Origo proprietatis provinciarum Status Ecclesiæ.

stici sanctæ sedis, et ejusdem in eas principatus civilis est justa ac legitima ac pro pluribus provinciis in vero et perfecto dominio et pro omnibus in voluntate et providentia Dei fundata.

I. In Providentiæ divinæ consiliis erat ut regnum Christi, id est Ecclesia visibilis in terris, sibi constitueret territorium proprium ac independens, ex quo suam supremaliam temporalem libere exerceret et ex ibi Ecclesiæ monarcha absque ullis coactionis impedimentis posset regere et protegere omnia temporalia Ecclesiæ universalis dominia, in orbe disseminata, ac in regnorum diversarum gentium territoriis inclusa. Per eam autem Providentiam Ecclesia catholica materialem exsistentiam omnino independentem habens, suæ divinæ libertatis plenitudine ad veritatem, justitiam, et salutem regibus terræ eorumque populis ministrandam, gaudebat. Christi vicarius, princeps temporalis independens, nulli genti, nulli sæculari potestati in suspicionem adduci poterat. Ex tunc erga omnes gentes suam divinam ac universalem missionem docendi, regendi ac gubernandi omnes particulares ecclesias adimplere et explicare quibat.

II. Hanc Ecclesiæ suæ constitutionem temporalem prænuntiaverat Deus per prophetas ut omnibus evidens foret hoc esse opus divinum. Etenim, ut supra vidimus, terram propriam et regnum temporale independens ac supremum Ecclesiæ suæ, dum suberat legi Mosaicæ, dederat. Præterea Deus per Danielem prophetam nuntiaverat quod Christi regnum universale fieret, quodque stabiliretur super Romani imperii ruinas, sicut Abrahamo promiserat semini ejus terram Chanaan dare, post quadringentos servitutis annos in Ægypto. Daniel, cap. II, dat narrationem et interpretationem *statuæ* quam in somnio vidit Nabuchodonosor rex; et statua aurea, argentea, ærea, ferrea et lutea fictilis significabat successionem quatuor regnorum Assyriorum, Persarum, Græcorum et Romanorum; sed lapis qui est Christus seu ejus regnum, id est Ecclesia, comminuit statuam, et factus est mons magnus, et implevit universam terram. V. 34: *Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus; et percussit statuam in pedibus ejus ferreis et fictilibus, et comminuit eos* (id est imperium Romanorum). 35. *Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam æstivæ areæ, quæ rapta sunt vento; nullusque locus inventus est eis; lapis autem, qui percusserat statuam*, factus est (eorum loco) *mons magnus, et implevit universam terram*. Et v. 44: *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cæli regnum* (id est Ecclesia Christi), *quod in æternum non dissipabitur, et regnum ejus alteri populo non tradetur*, sicut regna humana, et etiam regnum Judæorum; *comminuet autem et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum*. Sane ista, veluti aliæ prophetiæ, principaliter spectat ad regnum Christi spirituale; at vero cum istud nequeat absque temporali independentia et libertate totalem suam missionem adimplere, sequitur quod Danielis vaticinium etiam includat principatum Ecclesiæ temporalem et civilem. Reipsa vero textus Danielis de regno cœli et æterno loquitur eodem modo et sensu, ac de quatuor regnis quæ comminuentur a lapide abscisso de monte; ergo ex contextu istud regnum Christi, ut ait propheta, *comminuet et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum*. Ergo stabit super aliorum ruinas et eorum loco. Huic autem Danielis prophetiæ alludit ipse Christus semetipsum dicens *lapidem* angularem, et Simonem Barjona faciens et creans *Petrum*, et super hanc *petram* ædificans Ecclesiam suam, id est regnum cœlorum. Facta alias et eventus prophetiam verificant et ejus sensum ad litteram probant, cum regnum Ecclesiæ temporale suscitatum est a Deo super Romani imperii ruinas.

III. Providentiales enim eventus voluntates et ordinationem Dei confirmarunt. Non in vanum, ille, cujus potens brachium attingit a fine usque ad finem, omniaque fortiter et suaviter disponit, voluerat ut habitaretur Italia multitudine parvarum nationum tam diversarum et quasi oppositarum stirpe, ingenio et tendentiis. Romanorum imperium missionem habuit domandi has omnes respublicas independentes atque sibi invicem invidiosas, easque suo jugo ferreo per aliquot sæcula subjiciendi, ut eo ipso præpararetur imperium universale nuntiatum in adventu Christi, tanquam præparationem ad Evangelium prædicandum, Ecclesiamque stabiliendam. Divina Providentia miranda est in omnium dispositione, ut præcaveretur sartaque tecta servaretur ne-

cessaria pontificis Ecclesiæ monarchiæ independentia. Thronum Cæsaris humanum Constantinopoli transfertur, ut per vim eventuum adducerentur Italiæ populi ad eorum defensionem et salutem sanctæ sedi apostolicæ debendam, populique Petri patrimonii ad civilem pontificis Romani monarchiam veluti privilegium et cœli beneficium agnoscendum. Eadem Providentia ducti, pontifices, Christi regis vicarii, imperium Catholicum Romanum crearunt, illudque tandiu servarunt quandiu permansit fidelis essentiali dignitatis imperialis obligationi, scilicet tuendi ac defendendi Ecclesiam statusque quos a nulla potestate humana accepit. Eadem Providentiæ actio Italicis populis inspiravit innatum amorem et proclivitatem in municipalem independentiam, contra quam sese confringere ineluctabiliter venient tentamina unitatis nationalis inter populos, quos origo, physica moralisque constitutio tam diversos tamque in suis desideriis et interesse oppositos fecerunt. Hujusmodi naturale ingenium Italiam operuerat multitudine parvarum republicarum ante Romanorum antiquorum conquisitionem; idem ingenium indestructibile, post Cæsarum imperii dirutionem, reduxit parvorum statuum Christianorum multitudinem in peninsula, ex omni parte sitorum, ut essent quasi antepositæ patrimonii sancti Petri independentiæ et integritatis defensiones et propugnacula. Eorumdem mutua debilitas, atque interesse suæ invidiosæ independentiæ tam opposita, ex manifestis Providentiæ consiliis, naturaliter fecerunt sanctam sedem eorum suzeranum judicem inter ipsos discordiarum, ac eorumdem prosperitatis centrum. Bellum, rebelliones, invasiones in temporale Ecclesiæ regnum semper venerunt ex ultra marium et montium; excitatæque fuerunt renascentibus attentatis hujusmodi principis cupidi regnum Christi in terris destruendi, et regrediendi in imperium ex quo per crucis victoriam ejectus est. Sed invitis ad tempus principis mali victoriis fugitivis, Deus suis promissis semper fidelis erga suam Ecclesiam inventus est.

IV. Quæ supra dicta sunt nunc factis et eventibus demonstranda habemus. Et imprimis primaria origo humana monarchiæ temporalis Romanorum pontificum exponitur per constitutionem Nicolai papæ III, *Fundamenta militantis Ecclesiæ*, relatam in cap. 17, tit. VI *De elect.* lib. I Sexti *Decretal.*, ibi : *Ne autem ipsa mater Ecclesia in congregatione et pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adjuta, spiritualibus proficeret incrementis; non absque miraculo factum esse concipitur, ut occasionaliter Constantini monarchæ a Deo provisa, sed curata baptismalibus fomentis infirmitas, quamdam quasi adjiceret ipsi Ecclesiæ firmitatem, qui quarto die sui baptismatis, una cum omnibus satrapis, et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo, in persona beati Sylvestri, sibi Romanam concedendo urbem relinquens, ab eo et successoribus ejus, per pragmaticum constitutum disponendam esse* (decernens in ipsa urbe utriusque potestatis monarchiam Romanis pontificibus) *declararet; non justum arbitrans, ut ubi sacerdotii principatum, et Christianæ religionis caput imperator cœlestis instituit, illic imperator terrenus habeat potestatem : quin magis ipsa Petri sedes in Romano jam proprio solio collocata, libertate plena in suis agendis per omnia potiretur : nec ulli subesse homini, quæ ore divino cunctis dignoscitur esse prælata.* Ergo Constantinus exsecutus est quod ex ore divino dignoscitur esse prolatum, scilicet ut Petri sedes nulli subesset homini, quæ cunctis divinitus est prælata. Ergo pontifex Romanus etiam temporalis potestatis monarchiam a Deo tenet per instrumentalem causam Constantini, *una cum omnibus satrapis, et universo senatu, optimatibus etiam, et cuncto populo*, id est ex conventione et contractu juris naturalis; sed etiam juris divini, cum Constantinus *non justum* arbitraretur *ut ubi sacerdotii principatum, et Christianæ religionis caput imperator cœlestis instituit, illic imperator terrenus habeat potestatem.* Et pergit idem pont. Nicolaus III, in eod. cap. : *Decet namque ipsi Romano pontifici, per fratres suos sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales* (qui sibi in exsecutione officii sacerdotalis coadjutores exsistunt) *libera provenire consilia : decet ipsius nullomodo vacillare judicia : ut fratres ipsos nullus sæcularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis favor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos a veri consilii soliditate removeat : quin, cum per ipsum Romanum pontificem in quibuscunque*

negotiis contingeret eorum peti consilia in consulendo, per omnia liberi eidem Romano pontifici in omnibus quæ pro tempore imminent, libere consulant et assistant, ipsaque Romani pontificis vicarii Dei, quæ suis temporibus occurrerit electio, et eorumdem cardinalium (cum expedierit) *facienda promotio, in omni libertate procedant.* Hanc constitutionem attente legenti patebit eam continere omnes tum naturalis, tum humani, tum divini juris rationes principatus civilis independentis sanctæ sedis apostolicæ.

V. Proprietates territoriales fere innumeræ sanctæ Ecclesiæ Romanæ datæ sunt a Constantino et a multis fidelibus, ut in vita sancti Sylvestri papæ scripsit Anastasius Bibliothecarius citatus in magni momenti articulo, cui titulus *Domaines temporels de l'Eglise*, apud publicationem periodicam: *Analecta juris pontificii*, num. Novembr. et Decembr. 1859, unde sequentia excerpsimus.

Ita jam a sæculo quarto, Sancti Joannis basilica Lateranensis a Constantino ædificata, ab ipso dotata fuit sex proprietatibus territorialibus seu *massis* in agro Romano, et altera in Sicilia. *Massa* erat territorialis proprietas *cum casalibus et appendicibus suis, et cum colonis, et pensionantibus suis, et cum terris, vineis, campis, pascuis, silvis, olivetis, cannetis, molendinis, aquimolis et cum omnibus ad dictam massam integriter pertinentibus.* Consequenter massa erat, quod hodie vocatur *dominium* seu magnum territorium cum omnibus ad ipsum pertinentibus, videlicet ædificia varia, grangiæ, instrumenta aratoria, pecora et armenta, coloni, etc. Atqui hujusmodi erant septem supradictæ massæ.

Item Constantinus suum baptisterium dotavit undecim aliis massis in agro Romano, Sabinia et Albanorum territorio sitis, una in Sicilia, sex aliis in Africa, et duobus in Græcia. Harum massarum redditus totalis erat circiter 270,000 fr. seu 10,234 solid. aurei. (Anastas. ubi supra, sect. 36.)

Item Constantinus basilicam principis apostolorum ædificavit, eamque dotavit septem *massis* in Asia et Africa, quarum redditus erant 5,909 solid. aurei seu circiter 155,800 fr. (Anast. sect. 38.)

Item ædificavit basilicas Sancti Pauli, Sanctæ Crucis Hierosolymæ, Sanctæ Agnetis, Sancti Laurentii martyris, SS. martyrum Marcellini et Petri, Sancti Marci, SS. Apostolorum Petri et Pauli Romæ; præterea basilicam Sancti Joannis in Albano, SS. Apostolorum Petri et Pauli et Sancti Joannis Baptistæ Ostiæ. Omnes istas basilicas dotavit multis *massis*, campis, prædiis, hortis et domibus sive Romæ, sive in agro Romano, sive in Italia.

Summa totalis redditunm proprietatum a Constantino datarum, valere potuit circiter 35,000 solid. aureos seu circiter 800,000 fr. sepositis obvenientiis in natura.

Aliqui Constantini successores et innumeri divites fideles privati imitati sunt ejus magnificentiam erga Ecclesiam, sicque a quarto ad octavum sæculum sancti Petri patrimonium, de die in diem majus factum est.

VI. Valde notandum est omnia supradicta bona, sicut et multa alia postea Ecclesiæ data, fuisse bona Constantini et aliorum donantium mere *patrimonialia.* Ex quo facto hujusmodi bona servarunt nomen Sancti Petri *patrimonii :* unde etiam per donationem horum bonorum, plenum perfectum et directum dominium Ecclesiæ et sanctæ sedis translatum est; et consequenter hujusmodi bona patrimonialia jure naturali possedit Ecclesia; sed etiam quia dotata fuit tanquam Christi Ecclesia, eadem bona jure divino acquisivit, possedit et in pleno dominio habuit, prout de fide definitum est quoad dominium in cap. *Cum inter nonnullos* 4, tit. 14, *De verbor. signific.*; extravag. Joan. XXII.

VII. Sancti Gregorii Magni tempore, patrimonia sanctæ sedis numero erant viginti tria, sive in Italia, et Sicilia, sive in Sardinia et insula Corsica, sive in Cottiis Alpibus, vel in Germania et Galliis.

Siciliæ patrimonium creverat ex permutatione Asiaticorum patrimoniorum a sancta sede concessorum Orientis imperatoribus qui in eorum loco dederunt magnam Siciliæ partem.

Alpium Cottiarum patrimonium juxta diaconum Paulum) lib. II, *De gestis Longobard.* cap. 16) quintam Italiæ partem continebat; quam his verbis describit : « Quinta vero provincia Alpes Cottiæ dicuntur, quæ sic a Cottio rege, qui Neronis tempore fuit, appellatæ sunt. Hæc a Liguria in Eurum versus usque ad mare Tyrrhenum

extenditur, ab occiduo vero Gallorum finibus copulabatur. In hac Acquis, ubi aquæ calidæ sunt, Dertona, et monasterium Bobium, Genna quoque et Savona civitates habentur. » De eodem patrimonio sic habet Thomassinus (part. III, lib. I, cap. 27, n. 17) : « Eo patrimonio continebatur Genna et tota ejus ora maritima, usque ad fines Galliæ. »

Si huic patrimonio adduntur alia Italiæ patrimonia certe immensa, patet sanctam sedem possedisse maximam territorii Italici partem. Super hujusmodi autem patrimonia non solum dominium plenum et directum, sed etiam exemptum, independens et supremum habuit; colonique ipsæ soli sanctæ sedi subjiciebantur; Romanusque pontifex terras et colonos suprema potestate regebat per rectores et alios a se delegatos et missos, prout per omnia testantur multæ sancti Gregorii Magni epistolæ. Plurimæ etiam civitates, veluti in patrimonio Alpium Cottiarum, ad jus et ditionem pertinebant apostolicæ sedis, testante Paulo diacono, supra citato.

Idem tenendum est de pluribus aliis civitatibus, prout affirmant Benedictini in sancti Gregorii Magni Vit. lib. III, cap. 9, n. 6, his verbis : « Nepesinam civitatem in Etruria, juri Romani pontificis subditam fuisse conjecimus in epist. 11 libri secundi, qua Leontio viro clarissimo curam, sollicitudinem civitatis injunctam a se fuisse significat. Eadem epistola clerum, ordinem senatorium, et plebem urbis hujus admonet, ut a se constituto præfecto in omnibus obedientiam exhibeant. *Quia quisquis*, inquit, *incongrue ordinationi ejus restiterit, nostræ resistere dispositioni cognoscetur. Quicunque vero eum in iis, quæ supra retulimus, audierit, nos audiet. Si quis autem, quod non credimus, eum post hanc admonitionem nostram contemnendum putaverit, ad suum procul dubio sciat pertinere periculum.* Qua auctoritate et potestate Gregorius, tum Leontio viro clarissimo custodiam Nepesinæ urbis demandasset, tum civibus ut ipsi obsequerentur, additis etiam minis præcepisset; nisi juris fuisset Ecclesiæ? Ad eamdem pertinuisse Hydruntum, et Callipolitanum castrum aliunde colligitur. Id quoque dicendum de Neapoli, cum legamus papam ad hujus civitatis custodiam tribunum deputasse, ac militibus qui in hujus urbis præsidio erant imperasse : non alia procul dubio ratione quam quia ejus dominio foret subdita, non excusso tamen penitus imperatorum jugo. (Nota, *vide* lib. IX, epist. 69, ubi arguit Maurentium magistrum militum, quod episcopum Neapolitarum ea quæ patroni erant hujus urbis usurpantem non cohiberet, non alia, ut opinamur, ratione, quam quia dominium temporale Neapolis ad Rom. sedem pertinebat. In epist. 104 ejusdem libri vocatur *Major* urbis, qui dicitur hic patronus, Gallice *maire.*) Jam dici antea summos pontifices ad amplissimam dignitatem erectos fuisse, testis est Ammianus Marcellinus; quam etiam suæ præferendam non dubitaret Prætextatus urbis præfectus : etsi sæcularis tantum potestatis rationem haberet. »

Ergo jam in quarto sæculo summus pontifex supremam potestatem civilem in Roma et majore Romani agri parte exercebat. Præterea sexto sæculo eamdem potestatem exercebat in omnibus Alpium Cottiarum civitatibus et agris, et in pluribus aliis Italiæ civitatibus. Aliunde eodem sexto sæculo sancta sedes apostolica dominium plenum, directum et etiam supremum et altum in fere dimidiam Italiæ partem habuit. Hæc per omnia probantur ex Epistolis sancti Gregorii Magni et multis aliis documentis, apud *Analecta juris pontificii* supra citat. — Attamen patrimonia S. sedis continebant multas civitates, in quas Romani pontifices certo jura habebant, quamvis sub ditione quoque Orientalium imperatorum manerent. Gregorius vero Magnus omnes imperii subjectos et præsertim Italiæ populos habebat tanquam suis curis commissos æque ac ministris imperialibus, prout ipse testatur in secunda epistola lib. I, ad Joannem consulem et patricium.

VIII. Quidquid sit, certum est quod, postquam colonorum et servorum in patrimoniis Ecclesiæ residentium et ad dominium pertinentium bono morali materialique pro posse, proviserunt, summi pontifices eosdem in decursu temporum omnino emancipaverunt liberosque fecerunt, ipsis locando ad longum tempus, vel titulo emphyteutico omnia aut partes territoriorum et massarum, quibus antea attinebant, sub sola obligatione annuatim solvendi census, redditus aut canones proportionatos uniuscujusque proprietatis valori.

Talis est certa origo conditionis populationum ruralium plerumque regionum Statuum sanctæ sedis. Quia hujusmodi plebes ad omnia sua jura civilia assumpsit et reddiderit sancta sedes, num ista sua legitima proprietatis et dominii jura perdiderit? Num plebes minus tenerentur ad obedientiam, census et redditus solvendos suo benefactori legitimoque principi? Hujusmodi assertio et prætentio foret abolitio omnium jurium. Sed valde notabile est principatum civilem sanctæ sedis, de quo huc usque locuti sumus, institutum et constitutum fuisse per omnes strictæ justitiæ conditiones; nulla ibi adfuit violentia, nulla usurpatio, nulla invasio; nec ex jure conquisitionis et belli, sed ex jure pacificæ et justæ donationis et translationis dominii, quemadmodum Regi pacis et justitiæ Christo ejusque vicario decebat. Talis fuit prima humana origo principatus civilis sanctæ sedis; sed habuit quoque alias determinantes causas non minus legitimas.

IX. A sæculo etenim quinto et antea, perpetuæ et successivæ Barbarorum invasiones potestatem imperatorum Constantinopolitanorum in Italia labefactarunt; quæ potestas mox ad nominis exsistentiam redacta fuit. Ad dilabantem imperialem potestatem tutandam imperatores pontificum Romanorum auxilium ac auctoritatem invocarunt. Barbari vice sua non consentiebant ad pacem faciendam, fœderaque ferienda nisi ea conditione ut pontifices intervenirent et fœdera per suam auctoritatem et sæpe signaturam firmarent. Populi tandem, a ministris imperatorum, et a Barbaris vicissim oppressi, sese confugiebant ad Christi vicarios, veros suos protectores.

Barbarorum sese invicem propellentium invasiones potestatem imperialem taliter diruerunt, ut ista nequidem unum pedem in Italia servaret. Hæresibus infecti plerique imperatores reliquum suæ potentiæ consumpserunt in dogmatizando, Ecclesiam persequendo, schisma suscitando et perpetrando. In vanum eos Deus per Barbaros castigabat, non intellexerunt. Imperiales exercitus ex omni parte in Italia victi sunt, Barbarique vi juris violentiæ bellique injusti absoluti domini inventi sunt. Italiæ populi nullos habuerunt alios quam pontifices, qui eos protegerent ac defenderent, eorumque civitates ac proprietates a direptione et devastatione salvarent. Pontifices non timuerunt obviam ire armatorum Barbarorum, sæpiusque Leo Magnus, Gregorius, et alii multi horum fluctus devastatores continuerunt. Eodem vero tempore pontifices providere habebant quieti et gubernio plebium et civitatum. Ex una manu rapidos Barbarorum fluctus repellebant, ex altera leges ferebant, gubernia ordinabant, justitiam reddere faciebant, jurаque omnium tuebantur. Hujusmodi providentiali necessitate obligati sunt pontifices per benefacta, sacrificia cujusque generis, labores et sæpe mortem exercere supremam civilem et temporalem potestatem. Hæc est historiæ veritas, quam nemo bona fide negare potest. Scribi possunt theoriæ, crearique systemata ut compellantur intrare gesta factaque falsificata denaturataque; facta vero vera destrui nequeunt.

X. Potestas igitur temporalis sanctæ sedis nata est ex tempore, circumstantiis, populorum necessitatibus, votis, precibus et lacrymis. Creverat per devovimentum et sacrificia, jamque trecentos exsistentiæ annos a quinti sæculi fine, et quingentos annos tanquam terræ dominium habens a quarto sæculo numerabat, quando anno octingentesimo explicavit suæ potentiæ plenitudinem per potentiorem suprematiæ actum; sanctus Leo III Carolum Magnum imperatorem Ecclesiæ catholicæ ac defensorem creavit et coronavit. Sanctum Romanum imperium est paparum opus; potestas et auctoritas imperialis a suprema pontificatus auctoritate promanat. Hujusmodi vero supremæ auctoritatis exercitium scopum habebat populorum protectionem et salutem, Ecclesiæque necessariam independentiam. Quia vero hic eventus sit ex majoribus historiæ, semperque invocetur sive per mendacium, sive per historicam sinceritatem, nobis liceat eum fusius narrare ex documentis in opere D. Rohrbacher, cui titulus : *Histoire universelle de l'Eglise catholique*, etc., lib. LIII.

« Le Pape Etienne II, en l'an 754, implora le secours du roi Pépin contre les Lombards... Citons le jugement d'un auteur français justement célèbre par la sagesse de ses vues : « *Il est évident*, dit le docte P. Thomassin, 1° *que le Pape gouvernait tout l'Etat de Rome et de l'exarchat, c'est-à-dire de ce qui restait encore sous l'empire de Constantinople. C'était lui qui faisait la paix, qui parait aux*

désordres de la guerre, qui protégeait les villes, qui écartait les ennemis, qui avait la principale correspondance avec l'empereur et avec les rois voisins de qui l'on pouvait attendre du secours. Ainsi la domination lui était tombée entre les mains par la seule domination du ciel. 2° Le Pape conservait toutes ces provinces dans l'obéissance de l'empereur; dans les dernières extrémités où il se vit reduit, il n'implora le secours que de l'empereur, et ce ne fut que lorsque l'Italie eut été entièrement abandonnée par son souverain légitime, qu'elle chercha la protection de la France.

« *Ce Pape (Etienne II), avant que de venir en France, étant accompagné des ambassadeurs de l'empereur et du roi Pépin, alla trouver le roi des Lombards à Pavie, et lui redemanda Ravenne, tout l'exarchat et les autres places qui avaient été usurpées sur la république, ou par lui ou par ses prédécesseurs. Le Pape redemande toutes ces villes et toutes ces provinces, comme appartenant au Pontife Romain, qui en était le père spirituel et temporel, qui les protégeait et les gouvernait depuis longtemps, qui avait si souvent exposé sa vie et répandu ses trésors pour leur conservation, qui les avait si souvent retirées des mains des Lombards, enfin qui s'en trouvait le seul gouverneur, depuis que les empereurs d'Orient en avaient absolument abandonné la défense au milieu de tant d'ennemis. Ainsi ce n'était qu'une restitution que ce Pape demandait aux Lombards, et à laquelle il les força quand il fut soutenu de la faveur du roi Pépin et des armes françaises. Pépin lui jura, à Pontyon, de lui faire rendre l'exarchat et tout ce qui avait appartenu à la république romaine.*

« *Ces termes,* LES DROITS ET LES LIEUX DE LA RÉPUBLIQUE, *ne sont pas affectés sans raison, parce que les plus saints évêques ont toujours conspiré avec les princes temporels pour la défense et la conservation même temporelle des villes; et quand les princes temporels ont négligé ou n'ont pas eu la puissance de s'acquitter de leur devoir en ce point, les évêques ont suppléé à leur défaut et ont pris en main le gouvernail au milieu de la tempête. C'est en cette manière que les Pontifes Romains concouraient avec les empereurs Romains, pour la conservation des restes de la république romaine dans l'Italie, et ils s'en sont trouvés seuls chargés lorsque les empereurs, ayant absolument retiré leur concours, ont abandonné toutes ces provinces à la fureur des Lombards. Car qui peut douter qu'ils n'eussent plus de droit sur toutes ces provinces de la république romaine que les Lombards qui en étaient les destructeurs, et que les empereurs qui les abandonnaient et qui pouvaient passer pour les auteurs de leur désolation, parce qu'ils ne l'avaient pas empêchée?*

« *Le roi Pépin envoya ses ambassadeurs à Astolfe pour le porter à cette restitution. Le Pape demandait que cette restitution se fît sans effusion de sang. Mais c'est à l'Eglise et à la république romaine que cette restitution devait se faire, parce que, ni les exarques ni aucun autre général des troupes impériales ne paraissant plus dans l'Italie pour sa défense, les Romains ayant le Pape à leur tête, et composant ce qu'on pouvait appeler l'Eglise et la république, commencèrent à recueillir les débris de ce naufrage, et à poursuivre la restitution de tout ce qui avait été usurpé par les Lombards. Pépin passa les Alpes, et fit promettre à Astolfe de rendre Ravenne et les autres villes.* (THOMASS. *De la discipline*, part. I, lib. III, c. 29.)

« Voilà comment, fondé sur les monuments historiques, ce sage écrivain fait voir que c'était une restitution à l'Eglise et à la république romaine; il fait voir avec la même netteté que c'était en même temps une donation de Pépin, attendu que ces provinces lui appartenaient de fait par droit de conquête.

« Astolfe, loin de rendre les places qu'il avait promises, recommença à maltraiter les Romains, et assiégea même la ville de Rome. Le Pape en avertit le roi Pépin et l'appela à son secours par plusieurs lettres, dans lesquelles il appelle le roi Pépin, et ses fils Charles et Carloman, rois et patrices des Romains. Voici l'inscription de la première: *Aux excellentissimes seigneurs, nos fils, le roi Pépin notre compère spirituel, Charles et Carloman, pareillement rois et patrices des Romains, Etienne Pape.*

« Pépin marcha avec toutes ses armées contre les Lombards; les ambassadeurs de l'empereur Copronyme vinrent le supplier avec de grandes promesses, de céder au domaine impérial la ville de Ravenne et les autres places de l'exarchat. Mais rien ne put l'y déterminer; Pépin répondit qu'il ne

souffrirait en aucune manière que ces places fussent aliénées de la puissance de saint Pierre et du droit de l'Eglise Romaine. Le roi des Lombards, vaincu, promit de rendre toutes les places, y ajoutant Comachio. Le roi des Francs en fit donation à saint Pierre, à l'Eglise Romaine et à tous les Papes à perpétuité, et elle fut gardée dans les archives de cette église. Il retourna en France, laissant la commission de retirer les places à l'abbé Fulrad, son conseiller et son archichapelain. Fulrad se rendit à Ravenne avec les députés du roi Astolfe, et ensuite dans toutes les villes de la Pentapole et de l'Emilie; il en emporta les clefs avec des otages, et, accompagné des principaux de chaque ville, il posa les clefs avec la donation du roi Pépin sur la confession de Saint-Pierre. Il mit ainsi le Pape en possession de toutes ces villes au nombre de vingt-deux, savoir Ravenne, Rimini, Pesaro, Fano, Césène, Sinigaglia, Jesi, Forlimpopoli, Forli, Castrocaro, Montefeltro, Acerragio, qu'on ne connaît plus, Montelucari, que l'on croit être Nocera, Serravalle, saint-Marigni, Bobio, Urbin, Caglio, Lucoli, Eugubio, Comachio, et Narni. C'est le dénombrement qu'en fait Anastase. (*In Stephan.*)

« Et voilà, ajoute Fleury et beaucoup d'autres avec lui, le premier fondement de la seigneurie temporelle de l'Eglise Romaine. Fleury et ses copistes ou adhérents se trompent; ce n'est que le deuxième fondement; car dans la donation de Pépin, il n'est fait aucune mention de Rome ni des villes de sa dépendance, attendu que depuis longtemps elles appartenaient à l'Eglise romaine, et ne lui avaient point été enlevées. Puis quant aux villes de la donation de Pépin, elles faisaient partie de contrées qui appartenaient depuis longtemps au Saint-Siége; la donation de Pépin n'était qu'une restitution qui venait affermir les propriétés du Saint-Siége en lui en assurant la pleine souveraineté. Tout cela appartenait à l'Eglise romaine par des donations antérieures, par les circonstances et les besoins des peuples, en un mot par la donation du temps, premier ministre de la Providence pour les affaires de ce monde.

« Cependant en 772, le Pape Adrien I monta sur la chaire de saint Pierre; Didier était roi des Lombards. Il avait, de nouveau, usurpé les patrimoines de saint Pierre, restitués par les armes de Pépin. Adrien envoya des légats à Charlemagne, roi des Francs et patrice des Romains, et lui écrivit pour le supplier de venir au secours de l'Eglise romaine, comme son père de sainte mémoire, et de faire rendre au roi Didier tout ce qu'il avait enlevé à saint Pierre. Le Pape, sachant que Didier marchait contre Rome, rassembla de la Toscane, de la Campanie, du duché de Pérouse et de la Pentapole, les troupes qu'il put pour la défense de la ville. Ensuite il envoya au roi Lombard un écrit où il le conjurait par tous les divins mystères et sous peine d'anathème, de ne point entrer sans sa permission sur les terres des Romains. Le roi reçut cette protestation à Viterbe, et y eut tant d'égard, qu'il s'en retourna chez lui.

... « Malgré les ruses de Didier qui cherchait à tromper Charlemagne, celui-ci marcha contre lui. Une terreur soudaine durant la nuit dissipa l'armée de Didier, qui se renferma dans Pavie,... et son fils Adelgaise à Vérone...

« Dès avant que Didier eût marché vers les Alpes, les principaux Lombards de Riéti et de Spolète étaient venus à Rome se donner au Pape Adrien. Les autres désiraient également se donner à saint Pierre et à l'Eglise romaine; mais ils craignaient le roi. Lors donc qu'ils eurent appris sa défaite, ils vinrent tous à Rome, des différentes villes, supplier le Pape à genoux de les recevoir au service de saint Pierre et de la sainte Eglise romaine, de leur faire couper les cheveux comme aux Romains. Le Pape se rendit à l'église de Saint-Pierre, où tous unanimement, depuis le plus grand jusqu'au plus petit, prêtèrent serment de fidélité au prince des apôtres, au Pape son vicaire, et à tous ses successeurs. Après quoi ils se firent couper la barbe et les cheveux à la manière des Romains. Le Pape leur donna pour duc l'un d'entre eux, qu'ils choisirent et qui se nommait Hildebrand. Les habitants du duché de Fermo et d'Ossimo, d'Ancône et de Foligni, se rendirent également tous à Rome, et firent de même. » (Anastas. *in Adrian.*)

Nihil mirandum in agendi ratione horum Longobardorum et aliorum; regiones incolebant ad Ecclesiam Romanam pertinentes; ut ibi quieti manerent Lungobardorumque regum usurpatorum dominationem effuge-

rent, suam subditionem faciunt vero principi regionis in qua habitabant.

« Cependant Charlemagne, aux fêtes de Pâques de l'an 774, quitta le camp de Pavie pour se rendre à Rome. Il y fut recu avec les plus grandes marques de joie par le peuple romain, le Pape et tout le clergé. Mais il ne logea point à Rome; il pria instamment le Pape de lui permettre d'entrer à Rome pour faire ses prières et accomplir ses vœux dans les diverses églises de cette ville. Le Pape la lui accorda volontiers, et descendit avec lui au tombeau de saint Pierre. Cette circonstance prouve donc que le vrai seigneur était, non pas Charlemagne, quoique patrice des Romains, mais le Pape.»

Hacque circumstantia sicut gestis hucusque narratis tum ab imperatoribus Constantinopolitanis ex Constantini tempore, tum a rege Pepino et Carolo Magno, verificatur doctrina constitutionis *Unam sanctam*, I, tit. VIII, *De majorit. et obedient.* lib. I *Extravag. com.*, his verbis expressa : *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius, et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotibus, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis.*

« Ce fut le mercredi de Pâques, 6 Avril 774, que Charlemagne confirma l'acte de donation du roi Pépin, son père. Mais il fit dresser par son notaire et chapelain Etherius, l'acte d'une donation beaucoup plus ample que la première : il y donnait à l'Eglise romaine l'île de Corse, Parme et Mantoue, tout l'exarchat de Ravenne, les provinces de Venise et d'Istrie, avec les duchés de Spolète et de Bénévent.

« Le roi lui-même signa la donation de sa propre main, la fit souscrire par les évêques, les abbés, les ducs et les comtes qui l'accompagnaient, et fit serment, avec ses seigneurs, qu'il conserverait au Saint-Siége tout ce qui était contenu dans cet acte, qu'il remit ainsi entre les mains du Pape.

« .... Charlemagne retourna ensuite au siége de Pavie, fit Didier prisonnier, mit fin au règne des Lombards et prit désormais le titre de roi des Lombards....

« Le Pape Adrien mourut l'an 795;... il eut pour successeur saint Léon III.... Charlemagne se rendit à Rome vers la fin de l'an 800 pour y venger le Pape des traîtres séditieux qui l'avaient maltraité et calomnié.... Mais saint Léon avait quelque chose de plus à cœur encore que sa propre justification, c'était de rétablir, dans la personne de Charlemagne l'empire Romain en Occident, pour être le défenseur armé de l'Eglise romaine et de la chrétienté entière. Cette rénovation sacerdotale de l'empire, qui achevait de constituer chrétiennement le monde chrétien, se fit le jour de Noël 800, dans l'église du prince des apôtres. Charlemagne y était venu assister à la messe solennelle; il achevait sa prière devant le tombeau de saint Pierre, lorsque le Pape lui mit de sa main la couronne impériale sur la tête, tandis que tout le peuple de Rome s'écria : *A Charles, Auguste, couronné de la main de Dieu, grand et pacifique empereur des Romains, vie et victoire!* Le Pape lui donna en même temps l'onction sainte, ainsi qu'au roi Pépin, son fils. Charlemagne ne s'attendait point à cet événement; car, au rapport d'Eginhard, il protesta que s'il avait pu prévoir ce que le Pape et le peuple romain voulaient faire, il se serait abstenu, malgré la solennité, d'aller ce jour-là à l'église.

« L'auteur unique de ce rétablissement de l'empire d'Occident fut le Pape saint Léon III. Toutes les histoires et annales contemporaines le lui attribuent. Si le peuple romain y joignit ses acclamations, le Pape ne les avait ni demandées, ni attendues pour appeler et couronner Charles empereur. Ces acclamations étaient un honneur d'usage, rendu aux empereurs, ou à leurs images, ou à l'exaltation d'un Pape, et à Charlemagne lui-même, n'étant encore que roi lorsqu'il assistait à la messe.

« Pasteur du monde, chef de l'Eglise universelle, Pontife de Rome, le Pape saint Léon III crée et consacre, dans le père de l'Europe, dans Charlemagne, le saint empire romain, l'empire de la force au service de la vérité et de la justice. »

Ex illo tempore nullus erit nec esse poterit imperator Occidentis, imperator Ecclesiæ catholicæ, nisi electus et consecratus per papam fuerit. (C. *Si fratrum*, unic. tit. v, *Ne sede vacante;* Extravag. JOANNIS XXII.) Suprematia igitur etiam temporalis summi pontificis legitime omnino recognita et inconcusse stabilita jam ante annum 800 erat. « Unde nil mirum, si Romano pontifici, tanquam vicario ejus, cujus est terra, et plenitudo ejus, orbis terrarum, et universi qui

habitant in eo, etc., non solum spirituali, sed etiam gladio materiali evaginato, attributa sit, justa suadente causa, plenissima auctoritas, atque potestas transferendi imperium sanctum Romanum, imperatoresque deponendi, prout confirmant omnes sanioris doctrinæ doctores, apud Ferraris, verb. *Papa.* art. 2. n. 29. Hinc quoque imperio vacante papa vices imperatoris ipsemet gerit, per se, vel per alium aut alios a se delegatos. C. *Si fratrum*, unic. tit. v, *Ne sede vacante*, extravag. Joannis XXII.)

Caroli Magni successores in imperio Romano omnes ejus donationes sanctæ sedi confirmarunt. Ita Ludovicus Pius, filius Caroli Magni, Otho imperator anno 962, sanctus imperator Henricus, anno 1014 fecerunt.

Anno autem 1077 Mathildis comitissa Ecclesiæ Romanæ donavit omnes suos status qui Etruriam et magnam Lombardiæ partem continebant, sibi tamen usum fructum, vita durante, reservando. Sub fine autem anni 1102 hanc donationem renovavit.

XI. Per hanc brevem, sufficientem tamen expositionem factorum et gestorum probatur legitimitas principatus et suprematiæ civilis et temporalis sanctæ sedis apostolicæ. Nullus humanus principatus in æquali gradu coadunat omnes juris naturalis et æternæ justitiæ conditiones. Hunc principatum crearunt et auxerunt necessitates et vota populorum, et eorumdem salus per devovimentum et benefacta pontificum; ejusdem proprietatem et dominium fundaverunt fidelium diversorumque principum donationes. Eumdem firmarunt propugnaruntque Francorum reges; sanctumque Romanum imperium ab Ecclesia creatum fuit ut defenderet et protegeret eam tum in temporalibus, cum in spiritualium libertate.

PROPOSITIO NONA.

Principatus temporalis sanctæ sedis, ejusdemque status ac dominia inviolabilitate gaudent jure divino. Ideoque tenentur omnes principes catholici gentesque catholicæ principatum civilem et dominia sanctæ sedis protegere, defendere ac propugnare contra quoscunque invasores, usurpantes et occupantes.

I. Omnia bona et jura Ecclesiæ et sanctæ sedis apostolicæ ad Christum et Ecclesiam indivisim pertinent, ut demonstratum est. Proindeque *ad omnes Catholicos pertinent*, nec occupari vel usurpari possunt *quin catholicis omnibus injuria inferatur*, declarante SS. Patre Pio IX, in sua encyclica *Nullis certe verbis*, 19 Januar. 1860.

II. Consequenter principatus civilis et dominia sanctæ sedis sicut omnia ecclesiastica bona et jura gaudent immunitate et inviolabilitate jure divino constituta. Quod probatur per sacram Scripturam, Gen. cap. XLVII, v. 23 et seq., et relatum in cap. *Non minus* 4, tit. *De immunit. Eccles.* — Esdræ l. I, c. VII, 24 et seq. — Matth. XVII, 24 et seq.; cum sancti Hieronymi, ibi, et sancti Augustini lib. I *Quæst. evangelic.* quæst. 23, Commentario.

Colligitur etiam ex innumeris canonibus, exemptionem ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum et jurium Ecclesiæ seu immunitatem et inviolabilitatem esse juris divini, astruentibus. Et in primis ex canon. 39, alias 37 apostolorum, et cap. *Quisquis episcopus* 19, causa 12, quæst. 2; et concil. Trident. sess. 25, cap. 5, *De reform.* cum similibus, ubi res ecclesiasticæ, utpote Deo dicatæ, dicuntur esse Dei, illis verbis : *Quæ Dei sunt*, adeoque hoc ipso sunt exempta a jurisdictione mere laicali, et quidem jure divino tanquam res Dei. Accedit textus expressus in cap. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6, ibi : *Cum igitur Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum, non solum jure humano (canonico), quin et divino, sæcularium personarum exactionibus sint immunes*. Et cap. *Non minus* 4, *De immunit. eccles.*— Unde et concilium Trident. sess. 25, c. 20 *De reform.*, expresse contestatur : *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutum.* Accedit etiam jus civile omnium gentium catholicarum.

III. Propterea violatores hujusmodi immunitatis, invasores jurium Ecclesiæ, occupantes, usurpantes bona, dominia temporalia et jura Ecclesiæ et sanctæ sedis apostolicæ majorem excommunicationem sanctæ sedi reservatam ipso facto incurrunt et anathemate feriuntur; ex plurimis textibus juris canonici, et præsertim conc. Trident. sess. 22, cap. 11; et bulla *Pastoralis* in COENA.

Ergo principatus civilis sanctæ sedis est jure divino inviolabilis; huncque principatum, ejusque jura omnia ac dominia et bona jure divino possidet Ecclesia catholica. Hasque conclusiones firmat Pius PP. IX in

sua constitutione *Cum catholica Ecclesia,* die 26 Martii 1860, ibi : *Facile autem intelligitur quemadmodum ejusmodi Romanæ Ecclesiæ principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen indolem vi sacræ quam habet, destinationis et arctissimi illius vinculi quo cum maximis rei Christianæ rationibus conjungitur.* Et infra : *Jam vero novit universus orbis quomodo luctuosis hisce temporibus infestissimi catholicæ Ecclesiæ et hujus apostolicæ sedis osores abominabiles facti in studiis suis, ac loquentes in hypocrisi mendacium, hanc ipsam sedem, proculcatis divinis humanisque juribus, civili, quo potitur, principatu nequiter adnitantur...* Si Ecclesiæ Romanæ *principatus spiritualem induat indolem, vi sacræ quam habet destinationis*, procul dubio jure divino exsistit; si osores sanctam sedem *civili, quo potitur principatu spoliare nequeunt,* nisi *proculcatis divinis humanisque juribus*, manifestum est hujusmodi principatum esse jure divino inviolabilem. Ideoque per eamdem constitutionem Pius IX excommunicat et anathematizat usurpantes et spoliatores, eorumque *fautores, adjutores, consiliarios, adhærentes vel alios quoscunque prædictarum rerum exsecutionem quolibet prætextu et quovis modo procurantes, vel per se ipsos exsequentes...*

IV. Cum provinciæ et omnia dominia, bona, juraque principatus civilis sanctæ sedis apostolicæ *ad omnes catholicos pertineant,* cumque ea omnia usurpari et occupari nequeant, *quin omnibus catholicis injuria inferatur* declarante Pio papa IX, encycl. *Nullis certe verbis*, 19 Januar. 1860; cum aliunde ex communi hominum et unanimi doctorum sententia summæ potestatis essentia, unice in civium et subjectorum tuendis juribus consistat, hæcque obligatio summorum principum sit de jure naturæ; consequitur omnes principes supremos, si catholicos subjectos habeant, stricte teneri et obligari ex suæ potestatis essentia et jure naturali ad tuendum, defendendum et contra invasores et occupantes quoscunque dominia, jura, bona et principatum civilem sanctæ sedis propugnandum.

Et probatur *sacris canonibus*. C. *Quoniam* 8, dist. 11, ibi Nicolaus papa I ad Michaelem imperatorem : *Quoniam idem mediator Dei et hominum, homo Christus Jesus, sic actibus propriis et dignitatibus distinctis officia potestatis utriusque discrevit propria, volens... ut et Christiani imperatores pro æterna vita pontificibus indigerent, et pontifices pro cursu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus uterentur...* Et cap. *Quis dubitet* 9, dist. 96 : *Quis dubitet sacerdotes Christi, regum et principum omniumque fidelium patres, et magistros censeri ? Nonne miserabilis insaniæ esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum suæ potestati subjicere, a quo credit non solum in terra, sed etiam in cœlo se ligari posse et solvi ?* Ita sanctus Gregorius VII, ad quæ addit Marcellus papa, in cap. *Boni principis* 16, dist. 96 : *Boni principis est, ac religiosi, ecclesias contritas atque conscissas restaurare, novas ædificare, et Dei sacerdotes honorare atque tueri. Unde sanctos apostolos eorumque successores sub divina contestatione constituisse legimus non debere fieri persecutiones, nec inferri fluctuationes, nec invidere laborantibus in agro dominico, neque expellere æterni Regis dispensatores.* Et Pius papa II in cap. *Prædia* 5, causa 12, quæst. 2 : *Prædia divinis usibus tradita, quidam humanis applicant usibus, et Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut sibi inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quisquam præsumpserit, ut sacrilegus habeatur.* Si ab omnibus prædiorum Ecclesiæ usurpationis contumelia depellenda est, ergo a principibus et gentibus Christianis. Idem arguitur ex cap. *Solitæ* 6, tit. XXXIII, *De majorit. et obed.* lib. I *Decretal.*, ibi : *Utrum autem imperatoriam excellentiam ad bonum et utile per litteras nostras duxerimus invitandam, utrum tibi justa suggerimus et honesta, tua sollicitudo discernat : cum nonnisi ad utilitatem Ecclesiæ et terræ Hierosolymitanæ subsidium nos te meminerimus invitasse.* Item cap. *Unam sanctam* 1, tit. VIII *De majorit. et obed.* lib. I Extravag. comm., ibi : *Uterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus. Ille sacerdotibus, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem aucto-

ritatem spirituali subjici potestati.... item cap. *Principes* 20, causa 23, quæst. 5, ibi : *Cognoscant principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* Et tandem concilium Tridentinum, sess. 25, cap. 20 : *Cupiens sancta synodus ecclesiasticam disciplinam in Christiano populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sartam tectam a quibuscunque impedimentis conservari, præter ea quæ de ecclesiasticis personis constituit, sæculares quoque principes officii sui admonendos esse censuit; confidens eos, ut catholicos, quos Deus sanctæ fidei Ecclesiæque protectores esse voluit, jus suum Ecclesiæ restitui, non tantum esse concessuros, sed etiam subditos omnes ad debitam erga clerum, parochos, et superiores ordines reverentiam revocaturos; nec permissuros, ut officiales, aut inferiores magistratus Ecclesiæ, et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsideratione aliqua violent; sed una cum ipsis principibus debitam sacris summorum pontificum et conciliorum constitutionibus observantiam præstent. Decernit itaque et præcipit sacros canones et concilia generalia omnia, necnon alias apostolicas sanctiones, in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticæ, et contra ejus violatores editas, quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus observari debere. Propterea que admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, et omnes et singulos, cujuscunque status et dignitatis exstiterint, ut quo largius bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt ornati, eo sanctius, quæ ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcepta, ejusque patrocinio tecta venerentur; nec ab ullis baronibus, domicellis, rectoribus, aliisve dominis temporalibus, maximeque ministris ipsorum principum lædi patiantur, sed severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque jurisdictionem impediant, animadvertant, quibus etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, ecclesiarumque protectionem exsistant, imitantes anteriores optimos religiosissimosque principes, qui res Ecclesiæ sua imprimis auctoritate ac munificentia auxerunt, nedum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea in re quisque officium suum sedulo præstet; quo cultus divinus devote exerceri, et prælati, cæterique clerici in residentiis et officiis suis quieti, et sine impedimentis, cum fructu et ædificatione populi permanere valeant.* Sancta synodus *decernit et præcipit sacros canones et concilia generalia omnia necnon alias apostolicas sanctiones, in favorem ecclesiasticarum personarum, libertatis ecclesiasticæ, et contra ejus violatores editas quæ omnia præsenti etiam decreto innovat, exacte ab omnibus*, consequenter a principibus, *observari debere.* Ergo ex præcepto Spiritus sancti per concilium œcumenicum tenentur et obligantur principes tueri jura omnia, bona et dominia Ecclesiæ et principatum civilem sanctæ sedis, qui simul cum omnibus juribus et bonis ecclesiasticis ad immunitatem et libertatem Ecclesiæ pertinet. *Propterea sancta synodus admonet imperatorem, reges, respublicas, principes, et omnes et singulos, cujuscunque status et dignitatis exstiterint, ut.... eo sanctius, quæ ecclesiastici juris sunt, tanquam Dei præcepta venerentur.* Ergo tanquam Dei præcepta tenentur omnes venerari, observari sanctiones canonicas super bona, dominia, jura et principatum civilem sanctæ sedis; præterea imperator, reges et principes tenentur *severe in eos, qui illius libertatem, immunitatem atque jurisdictionem impediunt, animadvertere*, et a fortiori in invasores et usurpantes.

V. Tandem omnes gentes catholicæ, omnesque et singuli Christifideles ex eodem decreto et aliis, tenentur, pro posse, eamdem Ecclesiæ defensionem, eadem et alia auxilia præstare. Præterea cum omnia bona et jura sanctæ sedis temporalia *ad omnes catholicos pertineant*, eaque usurpari et occupari nequeant, *quin omnibus catholicis injuria inferatur*, consequitur ut omnes et singuli catholici jus et officium in solidum habeant quod suum est defendere *injuriasque* propellere, et ejusdem illatæ reparationem et restitutionem per omnia in suo posse media legitima prosequi etiam vi armorum cogendo spoliatores.

Cum autem omnes Christifideles jure divino teneantur necessaria Ecclesiæ suppeditare, consequitur omnes obligari ad ne-

cessitates sanctæ sedis suis opibus et viribus sublevandas.

PROPOSITIO DECIMA.

Sancta sedes apostolica summusque pontifex, Christi vicarius, posset esse, quamvis revera non sit, monarcha etiam temporalis omnium in universo orbe Christi fidelium; dum e contra principes sæculares nullam potestatem spiritualem in Ecclesia habere possunt, nec etiam temporalem nisi ex commissione Ecclesiæ ipsius. Ideoque principes sæculares subjici debent vicario Christi. Hinc res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi concordia inter patrem et filios, inter pontificem et principes sæculares, inter sedem apostolicam et omnes nationes catholicas vigeat. Proindeque summus pontifex, omnium Christianorum pater, non debet bellum gerere contra nationes Christianas, nisi ad suum principatum civilem et Status ecclesiasticos defendendos, in quo casu, ut supra demonstratum est, omnes nationes Christianæ, omnes principes, omnes et singuli catholici tenentur sanctam sedem adjuvare, defendere et propugnare, quia defensio, et protectio sanctæ sedis jure divino commissa est omnibus Christifidelibus ex præcepto Spiritus sancti et sacris canonibus quos tanquam Dei præcepta venerari tenentur.

I. Sancta sedes summusque pontifex posset esse monarcha etiam temporalis omnium in universo orbe Christifidelium. Hæc conclusio fluit ex omnibus in præsenti capite probatis. Etenim Petro Christus contulit duos gladios, spiritualem scilicet et temporalem. Extravag. *Unam sanctam*, et etiam *claves* regni cœlorum, quod regnum omnium Christianorum seu Ecclesia universalis, et sacri canones cum doctoribus declarant per *claves* intelligi *clavem* potestatis spiritualis et *clavem* potestatis temporalis. Præterea de fide est omnes Christianos teneri obedire vicario Christi in rebus fidei, morum et disciplinæ ecclesiasticæ; unde si sacros canones legesque justitiæ observabant omnes, sententias et judicia Ecclesiæ in suis temporalibus requirebant, nulla alia jurisdictio, nulla alia tribunalia necessaria forent.

Confirmatur a sancto Isidoro, cap. *Principes* 20, causa 123, quæst. 5, ibi :

« Principes sæculi nonnunquam intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenent; ut per eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam muniant. *Cæterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent, nisi, ut quod non prævalet sacerdos efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impleat per disciplinæ terrorem*. Sæpe per regnum terrenum, cœleste regnum proficit, ut qui intra Ecclesiam positi contra fidem et disciplinam Ecclesiæ agunt, rigore principum conterantur, ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus superborum potestas principalis imponat, et ut venerationem mereatur, virtutem potestatis impertiat. Cognoscant principes sæculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam a Christo tuendam suscipiunt. Nam sive augeatur pax et disciplina Ecclesiæ per fideles principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit. »

II. Concordia inter principes potestatesque civiles et Ecclesiam necessaria est : c. *Res* 21, causa 23, quæst. 5, ibi Leo papa : *Res autem humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, et regia et sacerdotalis defendat auctoritas*. Et confirmatur ex innumeris canonibus.

III. Non decet papæ ut bellum gerat adversus nationes Christianas; pater enim est omnium Christifidelium, et propterea quod est Regis pacis vicarius, non ei licet exercere gladium materialem nec effundere sanguinem. Et revera nullam conquisitionem territorii unquam fecit sancta sedes; omnia autem sua dominia ex legitimis donationibus obtinuit. Potest tamen et debet papa sua jura et dominia defendere imprimis gladio spirituali, deinde materiali etiam invocando brachium sæculare omnium principum et Christifidelium.

IV. Nam ad eos omnes commissa fuit, ut supra demonstratum est, defensio et protectio sanctæ sedis et omnium ejus jurium et dominiorum, quæ ad omnes catholicos et Christum indivisim pertinent. Præterea, omnes Christiani prius et majori titulo sunt cives societatis divino-humanæ, seu Ecclesiæ, quam aliarum temporalium societatum, ex quo fit ut imprimis obligentur erga Ecclesiam. Hinc quando principes et aliquæ nationes per bellum et arma, sive aliter sacrilegium committunt invadendi, usurpandi et occupandi sanctæ sedis vel alia Ecclesiæ dominia seu jura, omnes talium principum subjecti Christiani sese opponere, si possunt, et si forte sint milites in hujusmodi bello, tenentur curare dimissionem sub lethali peccato et majoris excommunicationis pœna. « Nam 1° non possunt licite milites sive subditi, sive alieni, scien-

ter et voluntarie militare in bello patenter injusto, cum non liceat cooperari in malo cognito et manifesto. Adeoque nequeunt absolvi, nisi velint, quam primum commode poterunt, curare dimissionem, et interim quandiu ex bello sine gravi incommodo et periculo recedere nequeunt, aut a principe subditi in bello manifeste injusto coguntur bellare, procurent, quantum sine periculo æquali possunt, abstinere ab actibus hostilitatis, ut præda, cæde, et similibus. » (Communis; apud FERRAR., verb. *Bellum*, art. 3, n. 38 et 39.) — Atqui bellum adversus sanctam sedem nunquam potest esse justum, quinimo semper sacrilegum est. Ergo a tali bello sese abstinere tenentur omnes. — 2° Itaque omnes hujusmodi bello cooperantes majorem excommunicationem sanctæ sedi reservatam ipso facto et jure incurrunt, ex multis textibus juris, et præsertim ex cap. 11, sess. 22 Trident. et bulla *Pastoralis* in COENA.

V. Et hæc sicut omnia in præsenti capite dicta, confirmantur ex bulla Pii VII, *Cum memoranda illa die*, 10 Junii 1809, in qua excommunicantur et anathematizantur omnes tunc temporis invasores et usurpatores pontificiæ ditionis Status. Item ex bulla SS. P. Pii IX, *Cum catholica Ecclesia*, 26 Martii 1860, qua majoris excommunicationis pœna infligitur invasoribus et usurpantibus aliquot provinciarum pontificiæ ditionis ; ibi : *Cum catholica Ecclesia a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectæ societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subjaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat præsidiis quæ temporum conditioni ac necessitati congruerent; idcirco singulari prorsus divinæ Providentiæ consilio factum est, ut cum Romanum corruit imperium, et in plura fuit regna divisum, Romanus pontifex, quem Christus totius Ecclesiæ suæ caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum.* Et his terminis verificatur Danielis vaticinium de regno Christi super Romani imperii ruinas exsurgendo. Pergit pontifex : *Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium principum multitudine ac varietate summus pontifex illa frueretur politica libertate, quæ tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda sedem illam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.*

Unde factum est ut, quamvis summus pontifex sit monarcha civilis et temporalis omnium Ecclesiarum orbis earumque bonorum et dominiorum ecclesiasticorum, sit tamen specialis et singularis sanctæ sedis et Ecclesiæ Romanæ ditionis et Statuum civilis et temporalis princeps, quemadmodum ipse Deus suum electum populum sub veteri lege voluit potestatem spiritualem simul et temporalem civilemque directe exercere. Nam, ut expresse habetur in cap. *Fundamenta* 17, *De electione*, tit. 6, lib. I *Decret.* in 6. *Isti* (Petrus et Paulus) *sunt, per quos Evangelium Romæ resplenduit. Isti sunt ejus Patres verique pastores. Isti sunt, qui una die pro merito, uno loco pro gloria sub uno persecutore pro parili virtute compassi, urbem ipsam glorioso cruore martyrii Christo Domino consecrarunt. Isti sunt qui illam in hanc gloriam provexerunt, ut sit « gens sancta, populus electus, civitas sacerdotalis et regia* (*II Petr.* II, 9) : *per sacram beati Petri sedem caput totius orbis effecta. Ne autem ipsa mater Ecclesia in congregatione et pastura fidelium temporalibus careret auxiliis, quin potius ipsis adjuta, spiritualibus semper proficeret incrementis : non absque miraculo factum est*, ut Constantinus monarcha... utriusque potestatis monarchiam Romanis pontificibus in ipsa urbe decerni declararet.

Totius hujus capitis propositionum vel conclusionum abbreviatio.

Christus Rex regum æternus a semetipso habuit et habet æternam ac supremam potestatem regendi temporaliter et civiliter Ecclesiam suam. (*Hæc conclusio ad fidem pertinet.*)

Ultra probationes allatas, hæc conclusio eruitur a sequentibus :

I. Christus fideles suos in veram et proprie dictam societatem coegit, seu Ecclesiam instituit et fundavit. (De fide.)

II. Ecclesia Christi est societas spiritualis et sancta. (De fide.)

III. Sed etiam est societas visibilis et externa. (De fide.)

IV. Universalis seu catholica. (De fide.)

V. Item de fide est esse in Ecclesia catholica hierarchiam divina ordinatione institutam.

VI. Forma imperii ecclesiastici est jure divino monarchica. (De fide.)

VII. Omnes omnino Christifideles tenentur monarchæ Ecclesiæ in rebus fidei, morum et disciplinæ ecclesiasticæ obedire. (De fide.)

VIII. Ecclesia rite ac legitime res temporales potest acquirere et possidere. (De fide, ex contradictoriis propositionibus Wicleffii a Constantiensi et Martino V damnatis.)

IX. Proprietas Ecclesiæ in temporalia bona ecclesiastica est sacra, adeoque eam violantes atroci sacrilegio se commaculant. (De fide, ex formula fidei per Martin. V an. 1418 imposita suspectis de hæresi Wicleffii.)

X. Atqui ad solam Ecclesiam pertinet rerum sacrarum regimen. (De fide.)

XI. Itaque concilium Trident. sess. 22, cap. 11, anathemati subjicit omnes usurpantes et occupantes *jurisdictiones, bona, census ac jura* Ecclesiæ.

XII. Ecclesiæ ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum jure divino, seu *Dei ordinatione*, immunes sunt ab omni potestate, jurisdictione et exactione sæcularium personarum. (C. *Quanquam*, *De censib.* in 6; *Conc. gen. Lateran.* III et V; *Trident.* sess. 25, c. 20, *De reform.*)

XIII. Ecclesiæ competit proprie dicta judiciaria potestas. (De fide, ex multis sacræ Scripturæ textibus, et toto juris canonici corpore; et ex bulla dogmatica *Auctorem fidei*, in qua hæc expresse habentur : « *Quarta propositio affirmans* abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illam ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde, *tum etiam* multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis»)... *Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione, quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio, ac salubribus pœnis coercendi atque cogendi* (Bened. XIV, brevi *Ad assiduas*, an. 1755, primati, archiepiscopis, et episcopis regni Polon.), *inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.* Ergo, etc.

XIV. Atqui ex doctrina et omnibus legibus Ecclesiæ præter causas mere spirituales, omnes causæ tum civiles, tum criminales ecclesiasticarum personarum, omnes causæ temporales rerum, bonorum et jurium ad Ecclesiam pertinentium, ad potestatem judiciariam Ecclesiæ specialiter et privative revocandæ sunt, nec in hujusmodi causis sese ingerere possunt laici judices, nec principes sub pœna excommunicationis.

COROLLARIA.

His positis, sic ratiocinari debemus :

I. Si de fide est Christum instituisse et fundasse suam Ecclesiam in veram et proprie dictam societatem, spiritualem, sanctam et universalem regendam ab hierarchia divina ordinatione instituta et præsertim a monarcha divinitus instituto, tanquam vero Christi vicario, cui omnes Christifideles jure divino in rebus fidei, morum et disciplinæ obedire tenentur ;

II. Si de fide est Ecclesiam Christi rite ac legitime res temporales posse acquirere et possidere, ejusdemque rerum temporalium proprietatem esse sacram, proindeque ad eamdem solam earumdem regimen pertinere ;

III. Si Ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum sunt jure divino seu Dei ordinatione immunes ab omni laicorum potestate, jurisdictione et exactione, et si de fide est Ecclesiæ competere proprie dictam judiciariam potestatem in omnes causas personarum et rerum ecclesiasticarum tum spirituales tum civiles et temporales :

IV. Consequitur esse de fide quod Christus fundavit Ecclesiam suam cum plena et omnino independenti ab hominibus potestate sese regendi, gubernandi, administrandi et omnes suarum personarum et rerum ecclesiasticarum causas etiam civiles et temporales judicandi; quod est æquivalenter dicere de fide esse quod Ecclesia *perfectæ societatis formam vi divinæ suæ institutionis obtinuerit, eaque proinde libertate pollere debeat ut in sacro suo ministerio*

obeundo nulli civili potestati subjaceat. (*Litteræ apost. SS. P. Pii IX Cum catholica,* 26 Martii 1860.) Nec etiam in suis causis civilibus et temporalibus.

V. **De fide est quod Christus Rex regum æternus a semetipso habuit et habet æternam ac supremam potestatem regendi etiam temporaliter et civiliter Ecclesiam suam.**

VI. Christus per prophetiam et figuram sibi præparavit specialem regiam temporalem civilemque potestatem exercendam a semetipso in regno suo terrestri, quod est Ecclesia. (Ad fidem pertinet ex Scripturis sacris.)

VII. Christus vivens in terris suam regiam potestatem civilem et temporalem per supremos et maximos potestatis actus exercuit (certa ex Scripturis). Et 1. constituendo Ecclesiam suam cum plena potestate semetipsam tum spiritualiter tum civiliter et temporaliter regendi et gubernandi. — 2. Declarando se et Ecclesiam suam immunes ab omni regum terræ jurisdictione et exactione, *quod est de fide* ex damnatione propositionis Marsilii Patavini et Joannis de Janduno per Joannem XXII, hujus tenoris : « Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. » — 3. Hanc supremam potestatem temporalem exercuit collectando pro se et collegio apostolico oblationes a credentibus in se, Luc. VIII, 2 et 3

VIII. Christus vivens in terris habuit cum collegio apostolorum rerum temporalium possessionem et dominium directum et perfectum. (De fide est ex capite *Cum inter* 4, *De verbor. signif.* tit. XIV, extravag. Joannis XXII.) Ut exemplo suo stabiliret Ecclesiæ suæ jus possessionis et dominii. — Ideoque pertinaciter contradicentes sunt hæretici et nequeunt absolvi nisi a summo pontifice, ex bulla *Pastoralis* in CŒNA; etiamsi sint occulti hæretici; et sacerdotes hujusmodi absolventes, excepto mortis articulo, nulliter agunt et majorem sanctæ sedi reservatam excommunicationem ipso facto incurrunt. Ex eadem bulla *Pastoralis.*

Cum ex præcedentibus conclusionibus Christus non tantum habuerit rerum temporalium dominium singulare, sed etiam altum et independens a quacunque civili potestate, cum declaret se non teneri ad solvenda tributa regibus terræ, consequitur quod Christus res temporales habuit et possedit tanquam princeps supremus et suæ Ecclesiæ independens monarcha.

Præterea Ecclesiam suam perpetuo duraturam tanquam regnum suum in terris visibile et corporeum fundavit, et constituit eam in societatem perfectam et ab omni civili potestate independentem. Istæ conclusiones ad fidem pertinent. Ergo Christus Ecclesiam suam omni potestate spirituali et civili ad eam regendam necessaria munire debuit. Ideoque :

IX. Sanctissimus pontifex Romanus in beato Petro accepit ab ipso Christo plenitudinem suæ regiæ potestatis etiam civilis et temporalis super regnum Dei, quod est Ecclesia, exercendæ (certa) ex *Scriptura*, et ex Nicolai papæ epist. ad Michaelem imperatorem, ibi : *Christus beato Petro vitæ æternæ clavigero terreni scilicet et cœlestis imperii jura commisit.* Et cap. *Si fratrum* unic. tit. V extravag. Joannis XXII, in qua sic habetur expresse : *Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est* (*fama divulgante*) *notitiam, quod licet de jure sit liquidum, et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod vacante imperio..... cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul et cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, imperii prædicti jurisdictio, regimen, et dispositio devolvuntur, et ea ipse* (*durante ipsius vacatione imperii*) *per se, vel alium, seu alios exercuisse noscitur in imperio memorato : nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes... absque nostra vel apostolicæ sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi* (quod antea gerebant ex imperatoris commissione), etc.... *temerariis ausibus præsumpserunt.... Nos.... salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus, sub excommunicationis pœna, omnes et singulos..... quatenus..... prorsus abstineant et omnino desistant.*

X. Ecclesia catholica prout est societas divino-humana, de jure divino potest bona temporalia possidere, et eadem jure divino habet plenum, perfectum, imo supremum, independens et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis temporalibus ab

ipsa possessis. (Hæc conclusio est de fide quoad omnes partes.)

1. Ex damnatione per Joan. XXII in extrav. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV propositionis ut hæreticæ de paupertate Christi et apostolorum, hujus tenoris : « Christus et apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti. » Et etiam ex damnatione per Urbanum V propositionum Dionysii Solechat e Fraticellorum secta; item ex damnatione per synodum Constantiensem et Martinum V Joannis Wicleffii propositionum 10, 32, 33, 36, 39. Ideoque qui negant jus divinum Ecclesiæ habendi et possidendi bona et jura temporalia, sunt hæretici, et a nullo nisi a summo pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi possunt; sacerdotesque præsumentes eos absolvere, majorem excommunicationem incurrunt ex bulla *Pastoralis* in COENA.

2. Ex cap. supra cit. *Cum inter nonnullos*, extravag. Joan. XXII, de fide est « Christum ejusque apostolos, id est Ecclesiam, habuisse cum pleno jure aliqua, saltem in communi. » Ergo de fide certum est quod Ecclesia, prout est societas divino-humana, bona sua temporalia de jure divino possideat. — Ideoque assertionem contrariam pertinacem tenentes et affirmantes sunt hæretici, et nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice absolvi, nisi in periculo mortis; consequenter sacerdotes aut etiam episcopi præsumentes eosdem absque pontificia facultate absolvere, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Pastoralis* in COENA.

3. De fide est Ecclesiam jure divino habere plenum et perfectum, imo supremum et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis et juribus temporalibus ab ipsa possessis. — 1° Ex extravagant. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV Joan. XXII; 2° Ex damnatione propositionis Marsilii Patavini supra citata; 3° ex damnatione propos. Joan. Wicleffii 16 per concilium Constantiense et Martinum V, hujus tenoris : « Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus. » — Item ex formula fidei per Martinum V, an. 1418 imposita omnibus suspectis de hæresi Wicleffii, his terminis : *Utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes.* Item : *Utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata inducat sacrilegium.* Ideoque qui affirmant quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica non sint tanquam sacrilegi puniendi, aut qui vituperant summum pontificem eo quod talia agentes excommunicet, neque eis cedat, suspecti sunt de hæresi Wicleffii, et si in iisdem assertionibus pertinaciter perseverent, nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi; sacerdotesque vel etiam episcopi tales absolvere præsumentes, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Cœnæ*.

4. Ex omnibus positis præmissis deducitur alia rigorosa et valde notanda conclusio, scilicet quod jus proprietatis Ecclesiæ sit jus supremum, cum sit ab omni humana potestate, ab omnibus sæcularium civilibus legibus independens. Etsi igitur minima fuerit Ecclesiæ proprietas, etiamsi unum tantum agellum in universo orbe possideret, hunc vi juris sui supremi, naturalis et divini proprium haberet.

Itaque quæcunque proprietatis Ecclesiæ violatio attentatur juri supremaliæ, juri æterno, juri proprio Dei ipsius, qui indivisim cum Ecclesia possidet; triplex violatio quæ non tantum furtum et injuriam cum restitutionis obligatione, sed etiam sacrilegii crimen constituit, et excommunicationis reservatæ pœnam ipso facto et jure incurrit.

Præfata principia sanctæ sedis temporales status eodem modo ac minimas Ecclesiæ proprietates in quacunque mundi parte sitas regunt. Exinde quod Ecclesiæ proprietas sit jus naturale supremum et divinum, consequitur solam Ecclesiam posse exercere jura supremæ potestatis et gubernalia in omnes incolentes in diversis territoriis ad ipsam pertinentibus.

Res cum ita sint, idque nemo negare possit, nisi ipsam Ecclesiæ essentiam destruendo, concludendum est nullam suprematiam temporalem et civilem melius esse

in juribus fundatam quam sanctæ sedis in status ecclesiasticos et alias Ecclesiæ possessiones suprematiæ civilis; sed etiam melius fundata est in factis, etenim:

XI. Ecclesia catholica semper et ab initio bona temporalia possedit; item supremam civilem potestatem in propriis subjectis semper exercuit, uti demonstratum est.

XII. Origo autem proprietatis provinciarum status ecclesiastici sanctæ sedis, et ejusdem in eas principatus civilis est justa ac legitima, ac pro pluribus provinciis in vero et perfecto dominio et pro omnibus in voluntate et providentia Dei fundata; quod fuit probatum.

Ex omnibus supra demonstratis eruitur sequens conclusio:

XIII. Principatus temporalis sanctæ sedis, ejusdemque status ac dominia inviolabilitate gaudent jure divino; ideoque tenentur omnes principes catholici, gentesque catholicæ et singuli Christifideles principatum civilem et dominia sanctæ sedis protegere, defendere ac propugnare, pro posse, contra quoscunque invasores, usurpantes et occupantes. Ad jam allatas probationes addimus omnes Christifideles teneri ad jura Christi tutanda; atqui Christi vicarius nequit suis juribus etiam civilibus et temporalibus spoliari, quin ipse Deus Christus Dominus noster eo ipso spolietur.

XIV. Tandem concludimus: Cum de fide sit Eccesiam catholicam posse de jure divino bona et jura temporalia possidere, item eam habere supremam potestatem civilem et temporalem jurium et bonorum ab ipsa possessarum, necesse est ut habeat civilem principatum.

Sed non est de fide ut Ecclesia de jure divino debeat possidere talia vel talia bona temporalia magis quam alia; nec etiam quod principatum ejus civilem debeat in tali vel tali regione magis quam in alia, vel super tales subditos magis quam super alios exercere; hæc enim omnia pendent ab hominum gestis et factis simulque a divinæ Providentiæ consiliis et dispositionibus.

Attamen semel aliqua bona Ecclesiæ tributa et eo ipso Deo consecrata, semelque aliquis principatus civilis Romano pontifici devolutus tanquam vicario Christi, hujusmodi bona sicut et principatus fiunt de jure divino proprietas et dominium indivisibile Christi et Ecclesiæ. Ideoque violari nequeunt quin jus divinum, jus Christi violetur.

Hunc librum de die in diem magis magisque meditari necesse videtur. Huic finem imponendo, illum specialissime sanctæ sedi apostolicæ auctoritati et judicio humillime submittimus, et si quem in eum scribendo ex humana infirmitate et ignorantia errorem forte admiserimus, eum retractatum et damnatum ex antea a nobis ipsis volumus et sincere declaramus.

LIBER X. — DE MAGISTRIS, SCHOLIS ET STUDIORUM UNIVERSITATIBUS DEQUE HOSPITALIBUS.

—

Sectio I. De Magistris, Scholis et Universitatibus.

—

CAPUT PRIMUM.

De divino jure et obligatione Ecclesiæ, deque ejus divina libertate docendi et educandi.

§ I. — Quoad jus et obligationem.

I. Ecclesia catholica propagandæ educationis Christianæ non solum omnimodam a Christo consecuta est libertatem, sed et præterea gravissimum præceptum in his verbis Matthæi (xxviii, 18-20): *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes...* Et alibi: *Quod in aure auditis prædicate super tecta...* Item: *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* Et in psal. cxviii: *Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis.* Hi quippe textus comprehendunt et omnes omnino homines, sed maxime Christianos, et omnes artes et modos qui ad Christianam institutionem conducere possunt. Quocirca talem inesse vim verbis præfatis, expresse docet postremum concilium Lugdunense, *Decret.* xxv, n. 1, quod optime et omnino opportune hic vindicat Ecclesiæ facultatem docendi et instituendi

juventutem. *Religiosæ juventutis educatio, ait, ad Ecclesiam, utpote Christianorum matrem et magistram, ex ipsa Dei constitutione spectat, et omnis sexus, omnis ætas in his Christi verbis : « Docete omnes gentes... »* (*Matth.* XXVIII, 19) *ita includitur, ut, nonnisi conculcatis et pastorum et familiarum sacratissimis juribus, asseri queat docendi ea omnia quæ ad disciplinam Christianam conferunt et ideo omnium doctrinarum magisteriis invigilandi, potestatem Ecclesiæ competere ex mera constitutione humana.*

II. Unde nulla humana potestas Ecclesiæ jus et libertatem docendi et educandi limitare et coarctare potest, nisi Dei auctoritatem et divinam institutionem conculcando. Aliunde in libro præcedenti diximus sæcularem potestatem non posse per semetipsam docere, nisi violando libertatem et jura personarum et familiarum, ex quo consequitur gubernium quodque non posse impedire Ecclesiam quin suis fidelibus et Christianis familiis idoneas et pias scholas præbeat.

§ II. — Quoad modum et libertatem docendi.

I. Ecce quoad libertatem muneris docendi quod Ecclesiæ competit ; nunc ad officium et obligationem quæ eidem hac in parte incumbunt. Quod diserte exprimit c. *Quoniam, De magistris,* ibi : *Quoniam Ecclesia Dei, sicut pia mater, providere tenetur ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur, per unamquamque cathedralem ecclesiam magistro, qui clericos ejusdem et scholares pauperes gratis doceat, competens aliquod beneficium præbetur.* Hunc canonem innovavit et ampliavit alius canon *Quia nonnullis* (*ibid.*), qui non tantum penes Ecclesiam cathedralem injungit institui talem præceptorem, *sed etiam in aliis quarum sufficere poterunt facultates.* Item c. *Ne prohibeas,* ibid.: *Sane si quis distulerit magistros in locis congruis instituere, tibi liceat, appellatione postposita, ibi aliorum instructioni præficere viros providos, honestos et discretos.* Ecclesia Dei proinde sicut *pia mater*, providere tenetur... Nec ergo *pia* esset si non provideret, nec injuncto præcepto satisfaceret si non doceret, aut doceri non provideret. Quare ibidem injungit c. *Ne prohibeas,* cit. ut nemini, qui alias sit dignus, licentia docendi denegetur, aut nonnisi soluto pretio concedatur ibi : *Pro licentia vero docendi nullus pretium exigat, vel sub obtentu alicujus consuetudinis ab eis qui docent aliquid quærat, nec docere quemquam qui sit idoneus, petita licentia illis interdicat. Qui autem contra hoc venire præsumpserit, ab ecclesiastico fiat beneficio alienus.* Et canon proxime sequens : *Prohibeas ne in parochia tua pro licentia docendi exigatur aliquid, aut etiam promittatur. Si quid vero postea solutum fuerit, vel promissum, remitti promissum facias, et restitui, appellatione cessante, solutum, sciens quod scriptum est : « Gratis accepistis, gratis date. »* Sic Ecclesia curavit de libertate docendi.

Sed etiam præcepit ut unusquisque parochus habeat clericum qui possit scholas tenere, ut expresse habetur in cap. *Ut quisque* 3, tit. I *De vit. et honest. cleric.* ; lib. III *Decretal.*, ibi : *Ut quisque presbyter, qui plebem regit, clericum habeat, qui secum cantet, et epistolam et lectionem legat, et qui possit scholas tenere, et admonere suos parochianos, ut filios suos ad fidem discendam mittant ad ecclesiam : quos ipse cum omni castitate erudiat.* Et idem habetur in c. *Quoniam* 9, *ibid.* (*Vide* lib. V *De parochis*, cap. X, § 6, n. 4.) Ad hanc obligationem docendi semper ab initio invigilavit Ecclesia, et præcipue in Galliis conciliorum provincialium innumera sunt de hac necessaria materia decreta. Igitur scholarum piarum moderatio erat olim privative reservata parochis, qui ex jure canonico et etiam civili Gallico, potestatem habebant tenendi et instituendi has pias scholas in suis parochiis, et eligendi magistros : talis quippe erat dispositio *Arresti* 23 Januar. 1680. — Præter hos casus, ad episcopum pertinebat aliarum scholarum quarumcunque magistros instituendi, tum jure canonico tum jure civili Gallico. Hujusmodi vera sanaque et sola evangelica disciplina usque ad annum 1789 in Galliis viguit ; sola Ecclesiæ cura docebantur educabanturque omnes civium societatis classes.

Perturbatio autem anni 1789, omnem auctoritatem omnemque influentiam Ecclesiæ tollere volens, falsum tyrannicumque principium ut jus docendi educandique ad gubernium pertinere deberet adoptavit et proclamavit, Extunc enim, magno religionis et societatis detrimento, status habere voluit plus minusve extensum instructionis publicæ monopolium ; ideoque magnas parvasque scholas usurpavit. Exinde provenerunt

innumera societatis et religionis mala, de quibus lamentatur sanctissimus pontifex Pius VII, in suis litteris encyclicis, *Mirari*, 15 Augusti 1832, his verbis :

C'est avec le cœur percé d'une profonde tristesse que nous venons à vous, dont nous connaissons le zèle pour la religion, et que nous savons fort inquiets des dangers du temps où nous vivons. Nous pouvons dire avec vérité que c'est maintenant l'heure de la puissance des ténèbres pour cribler, comme le blé, les fils d'élection. Oui, la terre est dans le deuil et périt; elle est infectée par la corruption de ses habitants, parce qu'ils ont violé les lois, changé les ordonnances du Seigneur, rompu son alliance éternelle. (Isa. XXIV, 6.)

Nous vous parlons, vénérables frères, de ce que vous voyez de vos yeux, et de ce dont nous pleurons et nous gémissons ensemble. C'est le triomphe d'une méchanceté sans retenue, d'une science sans pudeur, d'une licence sans bornes.

Les choses saintes sont méprisées, et la majesté du culte divin, qui est aussi puissante que nécessaire, est blâmée, profanée, tournée en dérision par des hommes pervers. De là, la saine doctrine se corrompt, et les erreurs de tout genre se propagent audacieusement. Ni les lois saintes, ni la justice, ni les maximes, ni les règles les plus respectables, ne sont à l'abri des atteintes des langues d'iniquité. Cètte chaire du bienheureux Pierre, où nous sommes assis, et où Jésus-Christ a posé le fondement de son Eglise, est violemment agitée, et les liens de l'unité s'affaiblissent et se rompent de jour en jour. La divine autorité de l'Eglise est attaquée, ses droits sont anéantis; elle est livrée, par une profonde injustice, à la haine des peuples. L'obéissance due aux évêques est enfreinte, et leurs droits sont foulés aux pieds. Les académies et les gymnases (colléges) retentissent horriblement d'opinions nouvelles et monstrueuses, qui ne sapent plus la foi catholique en secret et par des détours, mais qui lui font ouvertement une guerre publique et criminelle : car quand la jeunesse est corrompue par les maximes et les exemples de ses maîtres, le désastre de la religion est bien plus grand, et la perversité des mœurs devient plus profonde.

Ainsi, lorsqu'on a secoué le frein de la religion par laquelle seule les royaumes subsistent et l'autorité se fortifie, nous voyons les progrès de l'ordre public, de la chute des princes, du renversement de toute puissance légitime. Cet amas de calamités vient surtout de la conspiration de ces sociétés dans lesquelles tout ce qu'il y a eu, dans les hérésies et dans les sectes les plus criminelles, de sacrilége, de honteux et de blasphématoire, s'est écoulé, comme dans un cloaque, avec le mélange de toutes les souillures.

Ex quibus vicarii Christi lamentationibus patet necessitas redeundi ad saniorem divinæ institutionis tramitem, ita ut sua divina libertate docendi gaudeat Ecclesia, suamque divinam missionem libere adimpleat. Nam, uti demonstratum est, ad Ecclesiam jure divino pertinet omnis speciei scholas habere et instituere, et super alias a se non institutas invigilare.

II. Hinc etiam de absoluta instructionis libertate dicendum videtur sicut de absoluta religionis libertate. « De hac re statuendum est : 1. Libertatem religionis (et consequenter instructionis) omnino esse illicitam, et divino præcepto repugnantem. — 2. Reipublicæ esse perniciosam. — 3. Non debere præcipi, approbari, aut introduci ab ullo principe aut magistratu, sed potius omnibus modis, si commode fieri potest, impediri et profligari. 4. Si autem commode impediri non possit, nisi cum majori damno aut malo reipub., aliquo tempore tolerari posse. — 5. Et si hoc modo toleretur, et in pactum deducatur, fidem servandam esse. Hæc catholicorum sententia est, quæ paucis conclusionibus erit explicanda. » (Ita Becanus *Sum. theol.*, *De virtutibus theologicis*, cap. 16 quæst. 4, n. 2.)

Libertas tamen utriusque, scilicet religionis et instructionis, multum præferenda est utriusque tyrannicæ servituti quæ jura divina Ecclesiæ conculcaret et ejusdem sacram missionem coarctaret. Propterea in hujusmodi tyrannicæ servitutis legalis temporibus catholici et episcopi libertatem absolutam instructionis reclamavere; quia in tali libertate minus esset periculum quam in corruptione juventutis per monopolium status athei jura divina Ecclesiæ usurpantis; et de duobus malis minus est semper eligendum.

« Constat ergo sufficienter tum de officio quod Ecclesiæ incumbit recte providendi institutioni Christianæ juventutis, tum de

plena libertate quam in hoc exsequendo munere, jure etiam divino, est consecuta. »

De scholis autem sive primariis, sive secundariis, ut aiunt, nihil fere hic dicendum habemus, quia, cum jus commune nonnisi capita generalia hujus institutionis attigerit, ejusdem vero minora episcoporum ordinationibus permiserit, patet hic nullam formam communem ac universaliter obtinentem harum scholarum tradi posse.

De seminariis jam fusius tractavimus in lib. V; sed ipsis applicanda veniunt plura ex infra dicendis, de magistris.

CAPUT II.

De magistris scholarum in genere.

§ I. — De electione magistrorum.

I. Scholaster, qui ex sancto concilio Trident. sess. 23. cap. 18, et ex antiquis canonibus, est dignitas et debet esse doctor, præficitur magistris diœcesis, habetque communiter ex consuetudine et antiquis canonibus jus institutionis et jurisdictionis in scholarum magistros, exceptis iis qui sub parochis scholas pias tenebant.

Etsi ad Ecclesiam pertineat omnes docere; jus tamen habere possunt civitates suos scholarum magistros eligendi, sub episcopi approbatione. Nam semper competit episcopo examinare magistros, visitare scholas et, si opus fuerit, reformare.

II. De jure communi, ut in capite præcedenti dictum est, ad parochos pertinet eligere et instituere magistros scholarum parochiæ piarum.

III. Scholarum vero majorum magistros eligere regulariter ad episcopum spectat, nisi concessione vel consuetudine hoc jus acquisiverit civitas vel oppidum, aut patroni fundatores, vel alio modo ex fundatione, vel privilegio seu regularium juribus hujusmodi magistrorum electioni provisum fuerit.

§ II. — De qualitatibus magistrorum.

I. « In magistrum assumi non debet, qui formam discipuli non assumpsit, nec est præficiendus, qui subesse non novit. Textu expresso in cap. *Cum in magistrum* 49, *De electione;* et cap. *Ordinatus* 4, dist. 59, ibi : *Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit... Qui minime litteris operam dederit, præceptor esse non potest litterarum.* Et in c. *Miserum* 4, dist. 61 : *Miserum est eum fieri magistrum, qui nunquam fuit discipulus.* Nec magistro prodest, quod multoties fuerit approbatus, si aperte indignus sit.

II. In magistros præficiendi debent esse providi, honesti et discreti, ut juventutem cum omni castitate erudiant. (C. *Ne prohibeas, De magistris;* et c. *Ut quisque, De vit. et honest.* citatis.)

III. Ideoque magistri scholarum admitti non possunt, nisi prius de fide et moribus examinati reperiantur idonei, et hoc faciendum est, etiamsi tales magistri sint conducti a magistratu civitatis. (*Conc. Colonien.* III, tit. *Quoad institutionem*, cap. 1.) Ipsi tamen magistri examinari possunt ab episcopo in iis duntaxat, quæ spectant ad fidem, doctrinam Christianam, et bonos mores, ut declaravit sacr. congr. Concil., apud Aldan. in compend. canon. *Resolut.* lib. III, tit. IV, n. 10.

§ III. — De magistrorum obligationibus.

I. Magistri, doctores, regentes universitatum vel gymnasiorum, docentes quascunque scientias, etiam grammaticam, et alii cujuscunque artis, et facultatis professores, sive clerici, aut laici illi sint, tenentur emittere fidei professionem. (PIUS IV, constit. incip. *Sacrosancta.*)

II. Magistri, non solum in grammatica, et rhetorica, aliisque scientiis adolescentes instruere debent, sed etiam in iis quæ ad religionem pertinent : et sic adolescentes ad missas, divina officia, et prædicationes audiendas non solum hortari, sed etiam compellere possunt; ea vero, quæ sunt contra bonos mores, aut quæ ad impietatem inducere possunt, legere, vel docere omnino prohibentur. (LEO X, constit. 6, *Meretur.*) Libros ethnicorum nonnisi expurgatos legere possunt in suis scholis, ut pluries a sancta sede et conciliis probibitum fuit et cautum, et novissime a SS. Patre Pio PP. IX per suam encyclicam *Inter multiplices*, 21 Mart. 1853, ibi : *Que les élèves des séminaires (et les autres en ce qui les concerne) puissent, sans être exposés à aucun péril d'erreur, non-seulement apprendre l'art de parler avec éloquence, et d'écrire élégamment, en étudiant aussi bien les ouvrages si excellents des saints Pères, que les écrits des écrivains païens les plus célèbres après qu'ils auront été soigneusement expurgés, mais encore et surtout acquérir la science parfaite et solide des doctrines théologiques, de l'histoire*

ecclésiastique, et des sacrés canons, puisés dans les auteurs approuvés par le Saint-Siége.

III. Magistri peccant, si profectum discipulorum in litteris non sedulo promoveant, sed potius negligant; si non satis studeant ipsi, ut suo officio ex integro cum discipulorum profectu satisfaciant; si a discipulis exigant stipendium majus justo, quam qualitas gymnasii ferat, aut consuetudo permittat; si doctoratus, seu magisterii lauream, seu insignia negent dignis, et indignis conferant; si sanam et catholicam doctrinam bonis moribus conformem non tradant discipulis, eorumque spiritualem profectum non promoveant, sed potius eorum peccata dissimulent, et non corrigant, nec impediant, cum possunt. (Sic expresse cit. const. Leonis X, *Meretur*.)

IV. Magistri correctionis causa possunt moderate castigare discipulos clericos sine incursu excommunicationis. (C. 1; c. *Ex tenore* 10; c. *Cum voluntate* 54, *De sent. excom.*) Cum hac tamen advertentia, quod si ipsi magistri sint laici, possunt solum corrigere et punire clericos in minoribus constitutos, non autem in sacris et majoribus ordinibus. (Textu claro in cit. c. *Cum voluntate* 54, *De sent. excom.*)

V. Magistri, qui vi, fraude, mendaciis, criminationibus cum aliorum præjudicio curant ad se trahere illos discipulos, qui aliorum scholas frequentabant, peccant graviter, et tenentur ad restitutionem, juxta proportionem boni ipsis impediti, et damni causati, quia tales nedum peccant contra charitatem, sed etiam contra justitiam. (Communis.)

CAPUT III.

De studiorum universitatibus.

§ I. — Quid sit universitas?

Est universitas, ut nomen ipsum prodit, schola quædam major, imo in suo ordine suprema, auctoritate publica instituta, competentibusque privilegiis eadem auctoritate ornata, universas complectens in eodem ordine disciplinas, easque publice ac universim, seu universis ad eam accedentibus dispensans. (Ita auctor *Instit. jur. can.* R. de M. t. II, p. 235.) Et pauca de hac definitione explicanda sunt, cum ejusdem sensus pateat.

I. « Universas complectens in suo ordine disciplinas easque... Quippe hæc est essentia universitatum, ab ipso etiam nomine declarata, ut universim singulas exhibeant scientias, sintque veluti quoddam doctrinæ emporium universale, et omnibus obvium, ad quod studiosi quique facile pro sua necessitate et utilitate valeant accedere, et in variis disciplinis se excolere, ad culmen etiam doctrinæ pervenire, indeque susceptæ doctrinæ testimonium publicum et authenticum, seu doctoratus et magisterii lauream reportare.

« Verumtamen ad essentiam universitatis absolute necessarium non est ut omnes omnino disciplinæ, etiam intra aliquem ordinem sive profanum, sive ecclesiasticum contentæ, edoceantur. » Hoc quidem necessarium est ut universitas sit plena, et absolute completa in omni scientiarum genere; non autem ut sit universitas quædam sub certo respectu. Sunt enim universitates in quibus litteræ profanæ, scientiæ philosophicæ, physicæ, naturales et mathematicæ, medicinales et juris tantum civilis traduntur; et hujusmodi universitates a suprema sæculari potestate institui possunt. Universitates autem in quibus scientiæ sacræ theologicæ et canonicæ traduntur, nequeunt institui nisi a summo pontifice.

II. Unde quando in definitione dicitur *auctoritate publica instituta*, hæc verba intelligenda sunt : 1° De auctoritate suprema, quæ superiorem non habet; — 2° Intelligi possunt de auctoritate suprema sæculari pro universitatibus, in quibus scientiæ tantum profanæ traduntur; — 3° Sed universitates completæ, et etiam illæ in quibus scientiæ sacræ traduntur, nequeunt erigi nisi auctoritate pontificia; quia de jure divino ad solam Christi Ecclesiam pertinet edocere sacras scientias et doctrinam quam accepit a Domino. Unde etiam ut universitates omnibus privilegiis canonicis gaudeant, necesse est ut sint erectæ et institutæ a summo pontifice. Itaque universitates primævæ suam originem et exsistentiam a sancta sede habuerunt. Posteaque privilegia a principibus sæcularibus receperunt; et in temporum decursu principes ipsi sæculares universitates erexerunt, quæ postea privilegiis pontificiis canonizatæ sunt. A tempore autem hæreticæ protestantium reformationis, plures exstiterunt universitates a solis principibus sæcularibus institutæ ad errores reformationis propagandos. Protestantium ad instar Gallicum imperium,

quod fuit perturbationis an. 1790 prolongatio, voluit in Galliis unam tantum universitatem exsistere, quæ pluribus academiis conflaretur : quod autem valde notabile est, voluit gubernium imperiale ut hujusmodi universitas, etsi omnes omnino scientias traderet, a potestate civili omnimode dependeret. Ex quo gubernium libertatem naturalem educationis usurpabat, familias et Ecclesiam in servitutem animæ redigebat, divinam Ecclesiæ jurisdictionem invadebat, cum scientias theologicas et canonicas docendi missionem dare prætendebat. Hinc factum est ut facultates theologicæ in desuetudinem abierunt, quia nunquam veluti canonicæ haberi potuerunt; aliarum scientiarum facultates omnibus sive materialismi sive rationalismi erroribus imbutæ sunt, et generationes ab ipsis educatæ hisce nefandis erroribus infectæ fuerunt. Unde promanarunt omnia mala, de quibus in cap. 1 præcedenti lamentationes SS. pont. Pii VII retulimus. Ex eventu igitur satis probatur quanta sit necessaria Ecclesiæ auctoritas ad universitates instituendas, ne ad seminanda potius vitia quam ad propagandas virtutes, et ad evertendam Ecclesiam magis quam ad conservandam veram religionem instituantur.

§ II. — De fine et utilitate universitatis.

I. « Ex tradita definitione facile est finem universitatis colligere, qui alius non est quam late dispensare doctrinam; doctos facere, et publico testimonio renuntiare, seu doctores, ex quibus deinde Ecclesiæ ad sui emolumentum et decorem utatur, creare. »

II. Præterea « utilitates quæ ex academiis derivantur, ait Mendo (*De jure academic.*, lib. I, quæst. 1, n. 7), integer hic tomus recensere non posset, nec ullus adeo hebes, aut barbarus est qui eos non cognoscat. Et imprimis fides catholica, et Ecclesia suas habent in academiis arces et munimenta quibus se ab hæresibus debacchantibus, ab erroribus, a doctrinis a veritate deviis protegunt ac tuentur. Inde sapientissimi prodeunt viri qui per totum terrarum orbem sanam ac veram disciplinam quam didicerunt et docuerunt promulgent, hæreticos redarguant et convincant, idololatriam exstirpent, Catholicos ad virtutes ac salutem promoveant. Inde emittuntur qui suis libris et scriptis illustrent universum, qui in conciliis provincialibus et œcumenicis graviora fidei et morum momenta pertractent, qui ad infulas, ad purpuram, ad sedem supremam evehuntur, Ecclesiamque recto ac sapienti moderamine gubernent. »

« Rursus cum regna et principes, nisi legum et justitiæ mœnibus vallati, nequeant subsistere, ex Academiarum disciplinis jura populis, gubernatio regnis, consilia senatibus hauriuntur. Tota moles reipublicæ his fundamentis incumbit. In se ipsa omnia ruerent, nisi justitiæ leges ea in suo officio continerent, » etc.

Idcirco quando hostes Ecclesiæ et hæretici eamdem opprimere ac e medio tollere deliberaverunt, nihil efficacius arbitrati sunt se ad id posse excogitare quam si scholas et universitates catholicas everterent, rati cito de ea factum iri, si fontes quibus irrigatur et nutritur interclusissent. Quapropter, ex opposito hæreticorum, quotiescunque in Ecclesia de munienda fide catholica ubi impugnabatur, aut de ea instauranda ubi languerat, deliberatum est, cito et constanter ad academiarum exsuscitationem animi tum principum, tum prælatorum, tum pontificum intenderunt, ut facile esset exemplis comprobare.

§ III. — De institutione universitatis Ecclesiasticæ.

I. Universitates completæ et illæ in quibus scientiæ sacræ traduntur, nequeunt, ut jam dictum est, erigi ac institui nisi per summi pontificis auctoritatem, et confirmatur per litteras Gregorii XVI ad episcopos Belgarum curam impendentes in restaurandam universitatem Lovaniensem; sic ad eorumdem recursum et postulata dictus pontifex respondit :... *Hanc vos rationem seculi, id egistis quod ab antiquis temporibus consuetudo induxit, quodque debita huic sedi reverentia et observantia exigit. Cum enim ad Rom. pontifices pro credito ipsis officii munere, maxime pertineat fidem catholicam tueri sanctæque ejus doctrinæ integrum depositum, intemeratumque custodire, eorum quoque esse debet sacrarum disciplinarum quæ publice in Universitatibus traduntur institutionem moderari. Atque hæc causa fuit cur catholici etiam principes cum de ejusmodi academiarum studiis statuendis cogitarent, apostolicam sedem consulendam, ejusque auctoritatem exquirendam duxerint. Hinc celebriores, illustrioresque universitates, nonnisi ex sententiæ et assensu RR. PP. constitutas gravissimæ illa-*

rum historiæ, amplissime testantur. (Et confirmatur ex toto tit. *De Magistris, Decretal.*, etc., et præsertim ex cap. *Cum de diversis* 2, *De privilegiis* in 6.)

II. Si universitas sit fundanda ex bonis ecclesiasticis, aut ex liberalitatibus privatis, nulla alia auctoritas quam summi pontificis requiritur.

III. Si autem universitas, etiam ecclesiastica, sit fundanda ex bonis civitatis, aut ornanda privilegiis civilibus, uti plurimum fit, tunc requiritur auctoritas principis sæcularis, et de facto olim singulæ fere universitates consensu, aut auctoritate etiam principis fuerant institutæ. Et confirmatur ex Trident. sess. 5, *De reform.* c. 1.

§ IV. — De universitatum regimine et constitutione.

I. Singulæ universitates sua pecularia statuta habent : quædam tamen sunt omnibus communia, de quibus tantum dicendum est.

II. In quavis universitate completa, sunt plures facultates quæ etiam dicuntur collegia : facultas *theologica*, facultas *juris canonici et civilis* seu collegium legale, facultas *philosophiæ*, facultas *litterarum*, facultas *medico-chirurgiæ*, et facultas *scientiarum matheseos et physicæ*. Singula collegia seu facultates habent tot cathedras quot variis partibus ejusdem scientiæ sufficere possint. V. gr. facultas theologica complectitur studium philologiæ sacræ, divinarum Scripturarum, theologiæ dogmaticæ et moralis, liturgiæ, traditionis SS. Patrum, historiæ ecclesiasticæ...

III. In singulis universitatibus invenire est aliquod regimen et consequenter aliquem rectorem qui hujus regiminis principatum teneat, quique regulariter suam canonicam institutionem a sancta sede obtinet. Præter rectorem sunt in universitatibus alii judices, vel officiales, quibus singulis aliqua auctoritas, vel officium gerendum incumbit. Porro difficile est aliquid de his commune, et universaliter obtinens dicere, quia horum officia, quin et nomina pro diversis universitatibus variant.

« Causa exempli citemus universitates constitutas in ditione temporali S. Sedis, quales ordinavit Leo XII per litteras apostolicas *Quod divina sapientia*, an. 1824. Porro, distinctione facta inter primarias et secundarias universitates, statuitur præsidem Romanæ universitatis esse archicancellarium, qui titulus collatus est cardinali camerario; et cancellarium universitatum minorum esse archiepiscopum vel episcopum civitatis. Archicancellarii, et cancellarii optimo universitatum regimini advigilant, et dant operam ut constitutiones et regulæ serventur. Habent jurisdictionem vi cujus possunt animadvertere in eos qui intra fines universitatum delicta commiserint. Præsunt electioni professorum, publicæ graduum academicorum collationi, ac præmiorum distributioni. Præter archicancellarium seu cancellarium, exsistit in singulis universitatibus rector, cujus munus est videre ne disciplina a professoribus, auditoribus, et famulis tenenda, violetur; calendarium anni scholastici conficit, ac prælectionum horas convenienter distribuere debet ut quilibet auditorum valeat illis prælectionibus interesse quæ ipsi præscribuntur ad gradus capessendos. Primum locum obtinet rector post cancellarium, et si cancellarius absit aut impediatur, vices illius gerit cum eadem auctoritate. »

IV. « Unicuique facultati præest decanus, qui cum suæ facultatis collegio, atque servatis regulis constitutis ea providet quæ ad regimen, decus, atque prosperitatem facultatis conducant. Scopus et officium collegii est præterea examina habere, et suffragia ferre in deligendis professoribus, et collatione laurearum, aliorumque graduum academicorum. Nemo in collegio facultatum adsciscitur nisi morum integritate commendetur, et in aliqua publica universitate doctoris laurea ejusdem facultatis assecutus non sit. »

V. « Professores communiter deliguntur per concursum, prius exhibita fide scientiæ et morum, inter eos qui laurea doctorali donati sunt in ea disciplina quam tradere debent. Professores tenentur ad præscriptum constitutionis Pii IV, datæ an. 1564, emittere publicam professionem fidei; quo enim certius Ecclesiæ constet fidei puritatem integram custodiri in scientiis, doctrinisque quibuslibet tum tradendis, tum addiscendis, decrevit in hac solemni constitutione Pius IV, quod deinceps nullus doctor, magister, regens, vel alius cujuscunque artis et facultatis professor, sive clericus, sive laicus, vel cujusvis ordinis regularis sit, in quibusvis studiorum generalium universi-

tatibus, aut gymnasiis publicis.... lectoris cathedram assequi, vel jam obtentam retinere valeat nisi dictam professionem emiserit. »

VI. « Leo XII professoribus universitatum suæ ditionis temporalis indixit ut cursu typis impresso utantur et horæ dimidium in explicando insumant; tempus autem quod superest in interrogandis et exercendis auditoribus. Si de professoribus sacrorum et legalium studiorum agatur, item de professoribus logicæ, metaphysicæ et ethicæ, lingua Latina uti debent in explicationibus. Professores eloquentiæ, linguarum, et aliorum hujusmodi studiorum, lingua Latina, vel vernacula loquuntur, prout res de quibus agunt exspostulant. »

VII. « Professores semel canonice electi nequeunt pro arbitrio a cathedra depelli. Si graviter suo officio deliquerint, cancellarius aut rector, eos a munere exerendo ad tempus removere potest; sed privatio tituli neutiquam infligitur, nisi instituto judicio, lataque sententia, juxta statuta uniuscujusque universitatis. » (*Prælectiones jur. canon.* S. Sulpitii 1859, t. II, pag. 104 et seq.)

VIII. Magistri quandiu publice in universitatibus sacram theologiam seu jus canonicum docuerint, et scholares, qui in ipsis universitatibus eidem studio operam navaverint per quinquennium, fructibus præbendarum et beneficiorum in absentia plene gaudent et fruuntur... distributionibus quotidianis duntaxat amissis. (Ita doctores ex c. *Super specula* 11, *De magistris*, et Trident. sess. 5, *De reform.* c. 1.) Si universi præbendæ fructus distributionibus constent, tunc lectores et studentes lucrantur duas tertias illarum partes, omissa alia tertia, quæ inservientibus accrescit, ut ex sententia sacr. congr. Concil.

§ V. — De gradibus.

Gradus in universitate conferuntur quibus authentica sit significatio meriti, scientiæque adeptæ. Tres gradus numerantur, scilicet baccalaureatus, licentia et doctoratus.

« Juxta præscriptum Leonis XII pro universitatibus ditionis sanctæ sedis, baccalaureatus et licentia nemini conceduntur præter eos qui, examine instituto, digni habiti fuerint a tribus membris collegii per rectorem designandis. Examen pro baccalaureatu habetur de omnibus quæ primo anno cursus scholastici; pro licentia, de iis quæ secundo et tertio anno traduntur. Qui vero lauream petunt in facultate theologica, experimentum subeunt in iis omnibus quæ universam disciplinam respiciunt : requiritur ut duobus saltem annis, tum sacræ Scripturæ, tum historiæ ecclesiasticæ prælectiones audierint, et etiam ut integrum cursum theologicum absolverint, quem duo professores quatuor annis conficiunt. Qui studiis absolutis in alia aliqua publica universitate, vel in seminariis episcopalibus, exoptant laurea insigniri, possunt admitti a rectore ad experimentum, cum prius exhibuerint testificationes de studiis recte peractis. Duplex experimentum subeunt, primum verbaliter, interrogationibus, vel argumentationibus; alterum scriptis, exarando dissertationem Latino sermone, de argumento proposito, absque librorum aut scripturarum præsidio. — Baccalaureatus et licentia possunt etiam conferri privatim et sine ulla apparatus forma; laureæ publice conferuntur in aula universitatis, solito apparatu. Extranei, qui baccalaureatu, aut licentia præditi non sunt, possunt hos duos gradus una cum laurea adipisci. » (*Prælect. jur. can.* S. Sulpitii. *Ibid.*)

II. Penes quos resideat potestas creandi magistros, seu doctores? Resp. 1. Ea potestas indubitato competit summo pontifici, et principibus superiorem non recognoscentibus : his quidem ex jure civili, medicina et philosophia, non autem ex theologia et jure canonico. Eamdem facultatem, a pontifice et supremis principibus sibi concessam, habent præ cæteris studiorum generalium universitates, quam varie exercent. — 2. Communicare hanc potestatem solet pontifex, et alii principes, aliis tum personis, tum collegiis, prout doctores sanctæ theologiæ creandi potestatem cum privilegio pontificio habet rector collegii Romani et Germanici societatis Jesu, licet ipse nullum plerumque in litteris gradum habeat. Item protonotariorum apostolicorum collegium quatuor quotannis doctores promovere potest. (Schmalzgr. *De gradibus*, n. 19.)

III. Quinam creari doctores possint? Resp. omnes, qui non prohibentur. Considerandus autem est 1° *sexus;* nam feminæ ut docere, ita et doctorari prohibentur. (Can. *Mulierem* 17, causa 33, quæst. 5.) 2° *Natales*, nam spu-

obeundo nulli civili potestati subjaceat. (*Litteræ apost. SS. P. Pii IX Cum catholica,* 26 Martii 1860.) Nec etiam in suis causis civilibus et temporalibus.

V. De fide est quod Christus Rex regum æternus a semetipso habuit et habet æternam ac supremam potestatem regendi etiam temporaliter et civiliter Ecclesiam suam.

VI. Christus per prophetiam et figuram sibi præparavit specialem regiam temporalem civilemque potestatem exercendam a semetipso in regno suo terrestri, quod est Ecclesia. (Ad fidem pertinet ex Scripturis sacris.)

VII. Christus vivens in terris suam regiam potestatem civilem et temporalem per supremos et maximos potestatis actus exercuit (certa ex Scripturis). Et 1. constituendo Ecclesiam suam cum plena potestate semetipsam tum spiritualiter tum civiliter et temporaliter regendi et gubernandi. — 2. Declarando se et Ecclesiam suam immunes ab omni regum terræ jurisdictione et exactione, *quod est de fide* ex damnatione propositionis Marsilii Patavini et Joannis de Janduno per Joannem XXII, hujus tenoris : « Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. » — 3. Hanc supremam potestatem temporalem exercuit collectando pro se et collegio apostolico oblationes a credentibus in se, Luc. VIII, 2 et 3

VIII. Christus vivens in terris habuit cum collegio apostolorum rerum temporalium possessionem et dominium directum et perfectum. (De fide est ex capite *Cum inter* 4, *De verbor. signif.* tit. XIV, extravag. Joannis XXII.) Ut exemplo suo stabiliret Ecclesiæ suæ jus possessionis et dominii. — Ideoque pertinaciter contradicentes sunt hæretici et nequeunt absolvi nisi a summo pontifice, ex bulla *Pastoralis* in CŒNA; etiamsi sint occulti hæretici; et sacerdotes hujusmodi absolventes, excepto mortis articulo, nulliter agunt et majorem sanctæ sedi reservatam excommunicationem ipso facto incurrunt. Ex eadem bulla *Pastoralis.*

Cum ex præcedentibus conclusionibus Christus non tantum habuerit rerum temporalium dominium singulare, sed etiam altum et independens a quacunque civili potestate, cum declaret se non teneri ad solvenda tributa regibus terræ, consequitur quod Christus res temporales habuit et possedit tanquam princeps supremus et suæ Ecclesiæ independens monarcha.

Præterea Ecclesiam suam perpetuo duraturam tanquam regnum suum in terris visibile et corporeum fundavit, et constituit eam in societatem perfectam et ab omni civili potestate independentem. Istæ conclusiones ad fidem pertinent. Ergo Christus Ecclesiam suam omni potestate spirituali et civili ad eam regendam necessaria munire debuit. Ideoque :

IX. Sanctissimus pontifex Romanus in beato Petro accepit ab ipso Christo plenitudinem suæ regiæ potestatis etiam civilis et temporalis super regnum Dei, quod est Ecclesia, exercendæ (certa) ex *Scriptura*, et ex Nicolai papæ epist. ad Michaelem imperatorem, ibi : *Christus beato Petro vitæ æternæ clavigero terreni scilicet et cœlestis imperii jura commisit.* Et cap. *Si fratrum* unic. tit. V extravag. Joannis XXII, in qua sic habetur expresse : *Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est (fama divulgante) notitiam, quod licet de jure sit liquidum, et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod vacante imperio..... cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul et cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, imperii prædicti jurisdictio, regimen, et dispositio devolvuntur, et ea ipse (durante ipsius vacatione imperii) per se, vel alium, seu alios exercuisse noscitur in imperio memorato : nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes... absque nostra vel apostolicæ sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi* (quod antea gerebant ex imperatoris commissione), etc.... *temerariis ausibus præsumpserunt.... Nos.... salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus, sub excommunicationis pœna, omnes et singulos..... quatenus..... prorsus abstineant et omnino desistant.*

X. Ecclesia catholica prout est societas divino-humana, de jure divino potest bona temporalia possidere, et eadem jure divino habet plenum, perfectum, imo supremum, independens et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis temporalibus ab

ipsa possessis. (Hæc conclusio est de fide quoad omnes partes.)

1. Ex damnatione per Joan. XXII in extrav. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV propositionis ut hæreticæ de paupertate Christi et apostolorum, hujus tenoris : « Christus et apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti. » Et etiam ex damnatione per Urbanum V propositionum Dionysii Solechat e Fraticellorum secta; item ex damnatione per synodum Constantiensem et Martinum V Joannis Wicleffii propositionum 10, 32, 33, 36, 39. Ideoque qui negant jus divinum Ecclesiæ habendi et possidendi bona et jura temporalia, sunt hæretici, et a nullo nisi a summo pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi possunt; sacerdotesque præsumentes eos absolvere, majorem excommunicationem incurrunt ex bulla *Pastoralis* in Cœna.

2. Ex cap. supra cit. *Cum inter nonnullos*, extravag. Joan. XXII, de fide est « Christum ejusque apostolos, id est Ecclesiam, habuisse cum pleno jure aliqua, saltem in communi. » Ergo de fide certum est quod Ecclesia, prout est societas divino-humana, bona sua temporalia de jure divino possideat. — Ideoque assertionem contrariam pertinacem tenentes et affirmantes sunt hæretici, et nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice absolvi, nisi in periculo mortis; consequenter sacerdotes aut etiam episcopi præsumentes eosdem absque pontificia facultate absolvere, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Pastoralis* in Cœna.

3. De fide est Ecclesiam jure divino habere plenum et perfectum, imo supremum et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis et juribus temporalibus ab ipsa possessis. — 1° Ex extravagant. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV Joan. XXII; 2° Ex damnatione propositionis Marsilii Patavini supra citata; 3° ex damnatione propos. Joan. Wicleffii 16 per concilium Constantiense et Martinum V, hujus tenoris : « Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus. » — Item ex formula fidei per Martinum V, an. 1418 imposita omnibus suspectis de hæresi Wicleffii, his terminis : *Utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes.* Item : *Utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata inducat sacrilegium.* Ideoque qui affirmant quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica non sint tanquam sacrilegi puniendi, aut qui vituperant summum pontificem eo quod talia agentes excommunicet, neque eis cedat, suspecti sunt de hæresi Wicleffii, et si in iisdem assertionibus pertinaciter perseverent, nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi; sacerdotesque vel etiam episcopi tales absolvere præsumentes, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Cœnæ*.

4. Ex omnibus positis præmissis deducitur alia rigorosa et valde notanda conclusio, scilicet quod jus proprietatis Ecclesiæ sit jus supremum, cum sit ab omni humana potestate, ab omnibus sæcularium civilibus legibus independens. Etsi igitur minima fuerit Ecclesiæ proprietas, etiamsi unum tantum agellum in universo orbe possideret, hunc vi juris sui supremi, naturalis et divini proprium haberet.

Itaque quæcunque proprietatis Ecclesiæ violatio attentatur juri supremátiæ, juri æterno, juri proprio Dei ipsius, qui indivisim cum Ecclesia possidet; triplex violatio quæ non tantum furtum et injuriam cum restitutionis obligatione, sed etiam sacrilegii crimen constituit, et excommunicationis reservatæ pœnam ipso facto et jure incurrit.

Præfata principia sanctæ sedis temporales status eodem modo ac minimas Ecclesiæ proprietates in quacunque mundi parte sitas regunt. Exinde quod Ecclesiæ proprietas sit jus naturale supremum et divinum, consequitur solam Ecclesiam posse exercere jura supremæ potestatis et gubernalia in omnes incolentes in diversis territoriis ad ipsam pertinentibus.

Res cum ita sint, idque nemo negare possit, nisi ipsam Ecclesiæ essentiam destruendo, concludendum est nullam suprematiam temporalem et civilem melius esse

obeundo nulli civili potestati subjaceat. (*Litteræ apost. SS. P. Pii IX Cum catholica,* 26 Martii 1860.) Nec etiam in suis causis civilibus et temporalibus.

V. De fide est quod Christus Rex regum æternus a semetipso habuit et habet æternam ac supremam potestatem regendi etiam temporaliter et civiliter Ecclesiam suam.

VI. Christus per prophetiam et figuram sibi præparavit specialem regiam temporalem civilemque potestatem exercendam a semetipso in regno suo terrestri, quod est Ecclesia. (Ad fidem pertinet ex Scripturis sacris.)

VII. Christus vivens in terris suam regiam potestatem civilem et temporalem per supremos et maximos potestatis actus exercuit (certa ex Scripturis). Et 1. constituendo Ecclesiam suam cum plena potestate semetipsam tum spiritualiter tum civiliter et temporaliter regendi et gubernandi. — 2. Declarando se et Ecclesiam suam immunes ab omni regum terræ jurisdictione et exactione, *quod est de fide* ex damnatione propositionis Marsilii Patavini et Joannis de Janduno per Joannem XXII, hujus tenoris : « Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. » — 3. Hanc supremam potestatem temporalem exercuit collectando pro se et collegio apostolico oblationes a credentibus in se, Luc. VIII, 2 et 3

VIII. Christus vivens in terris habuit cum collegio apostolorum rerum temporalium possessionem et dominium directum et perfectum. (De fide est ex capite *Cum inter* 4, *De verbor. signif.* tit. XIV, extravag. Joannis XXII.) Ut exemplo suo stabiliret Ecclesiæ suæ jus possessionis et dominii. — Ideoque pertinaciter contradicentes sunt hæretici et nequeunt absolvi nisi a summo pontifice, ex bulla *Pastoralis* in CŒNA; etiamsi sint occulti hæretici; et sacerdotes hujusmodi absolventes, excepto mortis articulo, nulliter agunt et majorem sanctæ sedi reservatam excommunicationem ipso facto incurrunt. Ex eadem bulla *Pastoralis*.

Cum ex præcedentibus conclusionibus Christus non tantum habuerit rerum temporalium dominium singulare, sed etiam altum et independens a quacunque civili potestate, cum declaret se non teneri ad solvenda tributa regibus terræ, consequitur quod Christus res temporales habuit et possedit tanquam princeps supremus et suæ Ecclesiæ independens monarcha.

Præterea Ecclesiam suam perpetuo duraturam tanquam regnum suum in terris visibile et corporeum fundavit, et constituit eam in societatem perfectam et ab omni civili potestate independentem. Istæ conclusiones ad fidem pertinent. Ergo Christus Ecclesiam suam omni potestate spirituali et civili ad eam regendam necessaria munire debuit. Ideoque :

IX. Sanctissimus pontifex Romanus in beato Petro accepit ab ipso Christo plenitudinem suæ regiæ potestatis etiam civilis et temporalis super regnum Dei, quod est Ecclesia, exercendæ (certa) ex *Scriptura*, et ex Nicolai papæ epist. ad Michaelem imperatorem, ibi : *Christus beato Petro vitæ æternæ clavigero terreni scilicet et cœlestis imperii jura commisit.* Et cap. *Si fratrum* unic. tit. V extravag. Joannis XXII, in qua sic habetur expresse : *Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est (fama divulgante) notitiam, quod licet de jure sit liquidum, et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod vacante imperio..... cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul et cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, imperii prædicti jurisdictio, regimen, et dispositio devolvuntur, et ea ipse (durante ipsius vacatione imperii) per se, vel alium, seu alios exercuisse noscitur in imperio memorato : nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes... absque nostra vel apostolicæ sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi* (quod antea gerebant ex imperatoris commissione), etc.... *temerariis ausibus præsumpserunt.... Nos.... salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus, sub excommunicationis pœna, omnes et singulos..... quatenus..... prorsus abstineant et omnino desistant.*

X. Ecclesia catholica prout est societas divino-humana, de jure divino potest bona temporalia possidere, et eadem jure divino habet plenum, perfectum, imo supremum, independens et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis temporalibus ab

ipsa possessis. (Hæc conclusio est de fide quoad omnes partes.)

1. Ex damnatione per Joan. XXII in extrav. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV propositionis ut hæreticæ de paupertate Christi et apostolorum, hujus tenoris : « Christus et apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti. » Et etiam ex damnatione per Urbanum V propositionum Dionysii Solechat e Fraticellorum secta; item ex damnatione per synodum Constantiensem et Martinum V Joannis Wicleffii propositionum 10, 32, 33, 36, 39. Ideoque qui negant jus divinum Ecclesiæ habendi et possidendi bona et jura temporalia, sunt hæretici, et a nullo nisi a summo pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi possunt; sacerdotesque præsumentes eos absolvere, majorem excommunicationem incurrunt ex bulla *Pastoralis* in COENA.

2. Ex cap. supra cit. *Cum inter nonnullos*, extravag. Joan. XXII, de fide est « Christum ejusque apostolos, id est Ecclesiam, habuisse cum pleno jure aliqua, saltem in communi. » Ergo de fide certum est quod Ecclesia, prout est societas divino-humana, bona sua temporalia de jure divino possideat. — Ideoque assertionem contrariam pertinacem tenentes et affirmantes sunt hæretici, et nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice absolvi, nisi in periculo mortis; consequenter sacerdotes aut etiam episcopi præsumentes eosdem absque pontificia facultate absolvere, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Pastoralis* in COENA.

3. De fide est Ecclesiam jure divino habere plenum et perfectum, imo supremum et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis et juribus temporalibus ab ipsa possessis. — 1° Ex extravagant. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV Joan. XXII; 2° Ex damnatione propositionis Marsilii Patavini supra citata; 3° ex damnatione propos. Joan. Wicleffii 16 per concilium Constantiense et Martinum V, hujus tenoris : « Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus. » — Item ex formula fidei per Martinum V, an. 1418 imposita omnibus suspectis de hæresi Wicleffii, his terminis : *Utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes.* Item : *Utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata inducat sacrilegium.* Ideoque qui affirmant quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica non sint tanquam sacrilegi puniendi, aut qui vituperant summum pontificem eo quod talia agentes excommunicet, neque eis cedat, suspecti sunt de hæresi Wicleffii, et si in iisdem assertionibus pertinaciter perseverent, nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi; sacerdotesque vel etiam episcopi tales absolvere præsumentes, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Cœnæ*.

4. Ex omnibus positis præmissis deducitur alia rigorosa et valde notanda conclusio, scilicet quod jus proprietatis Ecclesiæ sit jus supremum, cum sit ab omni humana potestate, ab omnibus sæcularium civilibus legibus independens. Etsi igitur minima fuerit Ecclesiæ proprietas, etiamsi unum tantum agellum in universo orbe possideret, hunc vi juris sui supremi, naturalis et divini proprium haberet.

Itaque quæcunque proprietatis Ecclesiæ violatio attentatur juri suprematiæ, juri æterno, juri proprio Dei ipsius, qui indivisim cum Ecclesia possidet; triplex violatio quæ non tantum furtum et injuriam cum restitutionis obligatione, sed etiam sacrilegii crimen constituit, et excommunicationis reservatæ pœnam ipso facto et jure incurrit.

Præfata principia sanctæ sedis temporales status eodem modo ac minimas Ecclesiæ proprietates in quacunque mundi parte sitas regunt. Exinde quod Ecclesiæ proprietas sit jus naturale supremum et divinum, consequitur solam Ecclesiam posse exercere jura supremæ potestatis et gubernalia in omnes incolentes in diversis territoriis ad ipsam pertinentibus.

Res cum ita sint, idque nemo negare possit, nisi ipsam Ecclesiæ essentiam destruendo, concludendum est nullam suprematiam temporalem et civilem melius esse

obeundo nulli civili potestati subjaceat. (*Litteræ apost. SS. P. Pii IX Cum catholica,* 26 Martii 1860.) Nec etiam in suis causis civilibus et temporalibus.

V. De fide est quod Christus Rex regum æternus a semetipso habuit et habet æternam ac supremam potestatem regendi etiam temporaliter et civiliter Ecclesiam suam.

VI. Christus per prophetiam et figuram sibi præparavit specialem regiam temporalem civilemque potestatem exercendam a semetipso in regno suo terrestri, quod est Ecclesia. (Ad fidem pertinet ex Scripturis sacris.)

VII. Christus vivens in terris suam regiam potestatem civilem et temporalem per supremos et maximos potestatis actus exercuit (certa ex Scripturis). Et 1. constituendo Ecclesiam suam cum plena potestate semetipsam tum spiritualiter tum civiliter et temporaliter regendi et gubernandi. — 2. Declarando se et Ecclesiam suam immunes ab omni regum terræ jurisdictione et exactione, *quod est de fide* ex damnatione propositionis Marsilii Patavini et Joannis de Janduno per Joannem XXII, hujus tenoris : « Illud, quod de Christo legitur in Evangelio beati Matthæi, quod ipse solvit tributum Cæsari, quando staterem sumptum ex ore piscis, illis, qui petebant didrachma, jussit dari, hoc fecit non condescensive, et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactus. » — 3. Hanc supremam potestatem temporalem exercuit collectando pro se et collegio apostolico oblationes a credentibus in se, Luc. VIII, 2 et 3

VIII. Christus vivens in terris habuit cum collegio apostolorum rerum temporalium possessionem et dominium directum et perfectum. (De fide est ex capite *Cum inter* 4, *De verbor. signif.* tit. XIV, extravag. Joannis XXII.) Ut exemplo suo stabiliret Ecclesiæ suæ jus possessionis et dominii. — Ideoque pertinaciter contradicentes sunt hæretici et nequeunt absolvi nisi a summo pontifice, ex bulla *Pastoralis* in CŒNA; etiamsi sint occulti hæretici; et sacerdotes hujusmodi absolventes, excepto mortis articulo, nulliter agunt et majorem sanctæ sedi reservatam excommunicationem ipso facto incurrunt. Ex eadem bulla *Pastoralis.*

Cum ex præcedentibus conclusionibus Christus non tantum habuerit rerum temporalium dominium singulare, sed etiam altum et independens a quacunque civili potestate, cum declaret se non teneri ad solvenda tributa regibus terræ, consequitur quod Christus res temporales habuit et possedit tanquam princeps supremus et suæ Ecclesiæ independens monarcha.

Præterea Ecclesiam suam perpetuo duraturam tanquam regnum suum in terris visibile et corporeum fundavit, et constituit eam in societatem perfectam et ab omni civili potestate independentem. Istæ conclusiones ad fidem pertinent. Ergo Christus Ecclesiam suam omni potestate spirituali et civili ad eam regendam necessaria munire debuit. Ideoque :

IX. Sanctissimus pontifex Romanus in beato Petro accepit ab ipso Christo plenitudinem suæ regiæ potestatis etiam civilis et temporalis super regnum Dei, quod est Ecclesia, exercendæ (certa) ex *Scriptura*, et ex Nicolai papæ epist. ad Michaelem imperatorem, ibi : *Christus beato Petro vitæ æternæ clavigero terreni scilicet et cœlestis imperii jura commisit.* Et cap. *Si fratrum* unic. tit. V extravag. Joannis XXII, in qua sic habetur expresse : *Sane in nostram et fratrum nostrorum deductum est (fama divulgante) notitiam, quod licet de jure sit liquidum, et ab olim fuerit inconcusse servatum, quod vacante imperio..... cum in illo ad sæcularem judicem nequeat haberi recursus, ad summum pontificem, cui in persona beati Petri terreni simul et cœlestis imperii jura Deus ipse commisit, imperii prædicti jurisdictio, regimen, et dispositio devolvuntur, et ea ipse (durante ipsius vacatione imperii) per se, vel alium, seu alios exercuisse noscitur in imperio memorato : nonnulli tamen in Italiæ partibus potestatis et dignitatis fastigium illicite ambientes... absque nostra vel apostolicæ sedis petita vel obtenta licentia retinere sibi* (quod antea gerebant ex imperatoris commissione), etc.... *temerariis ausibus præsumpserunt.... Nos.... salubriter occurrere cupientes, præsentium auctoritate monemus, sub excommunicationis pœna, omnes et singulos..... quatenus..... prorsus abstineant et omnino desistant.*

X. Ecclesia catholica prout est societas divino-humana, de jure divino potest bona temporalia possidere, et eadem jure divino habet plenum, perfectum, imo supremum, independens et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis temporalibus ab

ipsa possessis. (Hæc conclusio est de fide quoad omnes partes.)

1. Ex damnatione per Joan. XXII in extrav. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV propositionis ut hæreticæ de paupertate Christi et apostolorum, hujus tenoris : « Christus et apostoli, in iis quæ habuisse leguntur, tantum habuerunt absque jure aliquo simplicem usum facti. » Et etiam ex damnatione per Urbanum V propositionum Dionysii Solechat e Fraticellorum secta; item ex damnatione per synodum Constantiensem et Martinum V Joannis Wicleffii propositionum 10, 32, 33, 36, 39. Ideoque qui negant jus divinum Ecclesiæ habendi et possidendi bona et jura temporalia, sunt hæretici, et a nullo nisi a summo pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi possunt; sacerdotesque præsumentes eos absolvere, majorem excommunicationem incurrunt ex bulla *Pastoralis* in Coena.

2. Ex cap. supra cit. *Cum inter nonnullos*, extravag. Joan. XXII, de fide est « Christum ejusque apostolos, id est Ecclesiam, habuisse cum pleno jure aliqua, saltem in communi. » Ergo de fide certum est quod Ecclesia, prout est societas divino-humana, bona sua temporalia de jure divino possideat. — Ideoque assertionem contrariam pertinacem tenentes et affirmantes sunt hæretici, et nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice absolvi, nisi in periculo mortis; consequenter sacerdotes aut etiam episcopi præsumentes eosdem absque pontificia facultate absolvere, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Pastoralis* in Coena.

3. De fide est Ecclesiam jure divino habere plenum et perfectum, imo supremum et exemptum a sæculari potestate dominium in bonis et juribus temporalibus ab ipsa possessis. — 1° Ex extravagant. *Cum inter nonnullos* 4, et *Quia quorumdam* 5, tit. XIV Joan. XXII; 2° Ex damnatione propositionis Marsilii Patavini supra citata; 3° ex damnatione propos. Joan. Wicleffii 16 per concilium Constantiense et Martinum V, hujus tenoris : « Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est ex habitu, non solum actu delinquentibus. » — Item ex formula fidei per Martinum V, an. 1418 imposita omnibus suspectis de hæresi Wicleffii, bis terminis : *Utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes.* Item : *Utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata inducat sacrilegium.* Ideoque qui affirmant quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica non sint tanquam sacrilegi puniendi, aut qui vituperant summum pontificem eo quod talia agentes excommunicet, neque eis cedat, suspecti sunt de hæresi Wicleffii, et si in iisdem assertionibus pertinaciter perseverent, nequeunt a nullo alio quam a Romano pontifice, præterquam in articulo mortis, absolvi; sacerdotesque vel etiam episcopi tales absolvere præsumentes, majorem et reservatam excommunicationem incurrunt, ex bulla *Cœnæ*.

4. Ex omnibus positis præmissis deducitur alia rigorosa et valde notanda conclusio, scilicet quod jus proprietatis Ecclesiæ sit jus supremum, cum sit ab omni humana potestate, ab omnibus sæcularium civilibus legibus independens. Etsi igitur minima fuerit Ecclesiæ proprietas, etiamsi unum tantum agellum in universo orbe possideret, hunc vi juris sui supremi, naturalis et divini proprium haberet.

Itaque quæcunque proprietatis Ecclesiæ violatio attentatur juri supremat iæ, juri æterno, juri proprio Dei ipsius, qui indivisim cum Ecclesia possidet; triplex violatio quæ non tantum furtum et injuriam cum restitutionis obligatione, sed etiam sacrilegii crimen constituit, et excommunicationis reservatæ pœnam ipso facto et jure incurrit.

Præfata principia sanctæ sedis temporales status eodem modo ac minimas Ecclesiæ proprietates in quacunque mundi parte sitas regunt. Exinde quod Ecclesiæ proprietas sit jus naturale supremum et divinum, consequitur solam Ecclesiam posse exercere jura supremæ potestatis et gubernalia in omnes incolentes in diversis territoriis ad ipsam pertinentibus.

Res cum ita sint, idque nemo negare possit, nisi ipsam Ecclesiæ essentiam destruendo, concludendum est nullam suprematiam temporalem et civilem melius esse

ris humani universitatem spectant, et sub nullius dominio coarctantur, uti aer, mare, etc. Et tunc communes exsistunt. Ex his tribus solæ res Ecclesiæ publicæ ad nos nunc spectant.

RES ECCLESIASTICÆ, in genere sunt omnia illa quæ Ecclesiæ subsidio et saluti deserviunt, seu quæ ad consequendam æternam beatitudinem conducunt, et ad ipsius Ecclesiæ, ejusque ministrorum usum sunt applicatæ. Aliæ sunt *spirituales*, aliæ *temporales*, aliæ *mistæ* seu simul temporales et spirituales.

Res mere spirituales, uti gratia, fides, spes, charitas, cæteræque virtutes ad theologiam pertinent, et de his hic non erit sermo

Res temporales, illæ sunt quæ corporis causa maxime sunt institutæ, ideoque ad *tempus*, et vitam solam præsentem corporis prosunt, et sunt bona temporalia ecclesiastica, uti fundi ecclesiarum, redditus, oblationes...

Tandem *res mistæ* aliquid de ratione præcedentium participant, et aliæ sunt sensibiles et spirituales, uti sacramenta, ritus et cæremoniæ, prædicatio, preces, jejunia, festa...; aliæ materiales et spirituales, uti Ecclesiæ, loca religiosa. De rebus mistis tanquam ad jus liturgicum Ecclesiæ pertinentibus, et postea de temporalibus in hac IV parte tractaturi sumus.

LIBER XI. — DE JURE LITURGICO SEU RITUALI.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit liturgia?

§ I. — Liturgiæ definitio.

Liturgia est « forma cultus sacri et externi apud aliquam societatem constituta : » seu, « liturgia est complexio rerum, verborum et actionum, in aliqua societate pro cultu externo institutorum. » Hæc duplex definitio a D. Bouix tradita, *De jure liturgico*, p. 7 et 8, generalis est, ita ut conveniat etiam hæreticorum liturgiis et paganorum deliramentis. Sed vera, sancta solaque legitima catholica liturgia, sic ab eodem definitur : *Forma cultus externi in Ecclesia catholica instituti.* Constat rebus, actionibus et verbis.

§ II. — Liturgiæ partes.

I. Liturgia catholica partim divinæ, partim ecclesiasticæ institutionis est. Nam ad cultum externum pertinent sacramentorum materia et forma. Porro extra omnem controversiam est sacramenta esse institutionis divinæ quoad essentialia materiæ et formæ; in ea autem liturgiæ parte divinorum divinissimum merito dici solet sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium et sacramentum, quod primis Ecclesiæ sæculis antonomastice vocabatur *Liturgia*.

II. Reliquas rei liturgicæ partes Christus reliquit Ecclesiæ ordinandas atque constituendas. E quibus quædam ab apostolis constat fuisse constituta; alia autem variis temporibus a Romanis pontificibus conciliisve in tota Ecclesia; nonnulla etiam ab episcopis vel religionum prælatis in subjectis sibi diœcesibus et familiis pie et sancte instituta. Unde concludendum liturgiam esse partim ad divinam, partim ad ecclesiasticam institutionem referendam. (D. Bouix, *De jur. liturg.* p. 10.)

III. Ex præfatis patet liturgiam catholicam esse ex natura sua sanctificantem et præpotens sanctificationis et evangelizationis instrumentum, prout Sixtus V bulla *Immensa*, bullar. Rom. Cocquelin. t. IV, part. IV, p. 335, his verbis declarat: *Cum sacri ritus et cæremoniæ, quibus Ecclesia a Spiritu sancto edita ex apostolica traditione et disciplina utitur, in sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei et sanctorum veneratione, magnam Christiani populi eruditionem, veræque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendent, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis eos igne inflamment...*

Idem exprimitur in Trident. sess. 22, cap. 4 et 5, *De sacrificio missæ*, his terminis: *Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam instituit, cæremonias item adhibuit ut my-*

sticas benedictiones, luminaria, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. Præterea, de fide est *missæ sacrificium esse propitiatorium, et pro vivis et defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere tanquam verum et proprium sacrificium.* (Trident. sess. 22, can. 1 et 3.) Item de fide est *cæremonias, vestes, et externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia catholica utitur, esse officia pietatis.* Item, de fide est: *sacramenta novæ legis continere gratiam quam significant, et gratiam ipsam non ponentibus obicem conferre.* (*Ibid., sess. 7, can. 6.*) Item, de fide est *receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, nec contemni, nec sine peccato a ministris pro libitu omitti, nec in novos alios, per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse.* (*Ibid.* canon. 13.) — Ergo liturgia catholica est ex natura sua sanctificans, etc.

§ III. — Quod omni societati religiosæ liturgia sit dogmatum expressio.

« Liturgia est essentialiter seu ex natura sua dogmatis expressio; nam actus quilibet cultus externi essentialiter et ex natura exprimit et manifestat aliquid credi, estque proinde alicujus doctrinæ creditæ seu alicujus dogmatis expressio; et confirmatur ex supra citatis Sixt. V, et conc. Trid.; sed dicendum est etiam liturgiam ex natura sua aptam esse ad exprimenda falsa sicut vera dogmata; et de facto « quælibet societas religiosa eam tenet fidem et doctrinam quam clare exprimit liturgia apud ipsam adhiberi solita. » Unde « dogma quodcunque rigorose demonstratur verum ex eo quod clare exprimatur in liturgia Ecclesiæ Romanæ et majoris partis cæterarum Ecclesiarum sedi apostolicæ unitarum. » Hæ conclusiones a D. Bouix demonstrantur, in suo tract. *De jur. liturgico, p.* 13 et seqq., et confirmantur per celeberrima verba sancti Cœlestini papæ in sua ad Galliarum episcopos epistola, cap 11, ubi expresse liturgiam tradit tanquam regulam fidei: *Legem credendi*, inquit, *statuat lex supplicandi.* Et consentiunt omnes omnino sancti Patres et doctores Ecclesiæ.

CAPUT II.

De fonte juris liturgici, seu ad quem pertineat juris de liturgia dicundi potestas.

§ I. — Systemata erronea.

I. Systema *episcopale* protestantium Germaniæ jurisdictionem ecclesiasticam principibus temporalibus tribuit.

II. Systema *territoriale* principi temporali tribuit jura omnia potestatis ecclesiasticæ in toto suo territorio.

III. Systema *collegiale* vult Ecclesiam nihil aliud esse quam quandam membrorum æqualium collectionem seu collegium; quod idem est ac politicum systema de populi suprema potestate (*la souveraineté du peuple*). Unde alii principi temporali per se plenam juris de liturgia dicundi potestatem, alii eidem principi istud jus ex concessione communitatis seu collegii tribuunt. Proindeque patet quod protestantes qui jus et auctoritatem papæ agnoscere noluerunt, coacti sunt illud jus principi temporali tribuere, id est, falsum papam sibi pro vero constituere; et sic divinam Ecclesiæ institutionem et constitutionem everterunt.

IV. *Systema Gallicanismi parlamentarii, seu regalismi, contendit* 1° principis auctoritatem esse prorsus completam et independentem quoad omnia quæ *aliquo modo* spectant ad societatis civilis gubernationem. Inde concludunt principi competere jus cognoscendi de omnibus omnino (etiam religiosis) negotiis quæ societatem civilem aliquo modo tangunt, et de hujusmodi negotiis ultimatim decernendi, etc.

2° Systema Gallicanismi moderati contendit duas potestates esse non tantum distinctas, sed et perfecte ac rigorose mutuo independentes, neutramque teneri alteri sese submittere.

3° Unde a Gallicanismo sive parlamentario, sive moderato admissum est posse quemlibet episcopum in sua diœcesi absque Romani pontificis facultate, liturgiam ordinare. Quod probatur tum factis, tum editis in Gallia hac de re scriptorum sententiis. Vide apud Bouix, *De jure liturgico* p. 98 et seqq.

§ II. — Horum systematum confutatio.

His prænotatis, sint contra hujusmodi falsa systemata propositiones sequentes.

Supremum jus liturgicum ad Romanum pontificem pertinet.

I. Certum est et de fide Romanum pontificem esse supremum Ecclesiæ universalis pastorem et doctorem; eidemque pontifici competere primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, plenamque potestatem universalem Ecclesiam *pascendi, regendi et gubernandi.* (*Conc. Trident., Florent., Lugdun.*, etc.)

II. Ad Romanum pontificem, sive solum sive cum concilio œcumenico pertinet fidem tenendam docere, definire ac præscribere. (Conc. gen. Lugdun. II.) Ergo repugnat cum definitionibus his posse aliquem in aliqua Ecclesia liturgiam independenter a Romano pontifice regulare. Ergo ad pontificem, sive solum sive cum œcumenico concilio pertinet determinare et præscribere modum quo Ecclesiæ fidem publice exprimant et profiteantur; sed liturgia est præcipuus modus doctrinam fidei publice exprimendi et profitendi. Ergo ad nullum independenter a papa pertinere potest liturgiæ regulatio. Unde revera ex certissimis doctrinæ catholicæ principiis invicte sequitur supremum jus liturgicum ad Romanum pontificem pertinere.

« Et confirmatur ex perpetua Ecclesiæ praxi .... » Quod fuse probat D. Bouix, *de jur. liturg.* p. 109 et seqq.

III. Præterea sacrum concil. Trident. sess. 7, can. 13., sic definivit: *Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus .... in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.* Atqui episcopi sunt quicunque Ecclesiarum pastores. Ergo de fide est episcopos non posse « receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus..... in novos alios » mutare. Ergo ad solum papam, qui non est quicunque ecclesiarum singularum, sed totius universalis Ecclesiæ pastor, pertinet ritus et liturgiam regulare, moderari, et si opus fuerit, mutare aliquid in iis quæ non sunt ab ipso Christo immediate instituta.

IV. Ex præfatis satis confutati remanent errores sive protestantium sive Gallicanorum quorumcunque de potestate sive principis temporalis, sive multitudinis juris ecclesiastici cujuscunque et consequenter liturgici dicundi. Etenim ex dictis et alibi demonstratis Christus plenitudinem suæ potestatis in Ecclesiam in B. Petro Romano pontifici dedit; ideoque omnes omnino Christifideles, tum episcopi, tum principes, tum ipsis subjecti de necessitate salutis tenentur vicario Christi obedire in rebus fidei, morum et disciplinæ ecclesiasticæ; atqui liturgia ad fidem et disciplinam præcipue pertinet. Ergo omnes omnino in rebus liturgiæ Romano pontifici obedire tenentur. Ergo jus liturgiam determinandi et præscribendi habere non possunt.

V. Unde etiam concludendum est, 1°. quod potestas legislativa in liturgiam non pertinet ad episcopos et prælatos, independenter a Romano pontifice. Etenim ad fidei et generalis disciplinæ unitatem liturgia spectat. Atqui nullus singularis episcopus, nullus prælatus potestatem habet fidem et generalem disciplinam universæ Ecclesiæ præscribendi: hujusmodi potestas ad solum papam et cum eo ad œcumenica concilia pertinet

2° A fortiori autem concludendum est liturgiæ regulationem ad clerum non pertinere independenter ab episcopis et sede apostolica.

3° Attamen ex tacito vel expresso Romani pontificis consensu singuli episcopi liturgiam regulare potuerunt in suis diœcesibus. Et de facto per plura sæcula liturgiæ ordinationem, in multis quæ nunc sedi apostolicæ reservantur, Romanus pontifex permisit singularum Ecclesiarum præsulibus.

§ III. — De sacræ Rituum congregationis potestate quatenus uberrimo juris liturgici fonte.

I. Sacra Rituum cong. certam aliquam a sede apostolica accepit, eamque ordinariam, juris in toto orbe de liturgia dicundi potestatem. Cujus universalis in hac re jurisdictio ita a Sixto V, bull. *Immensa*, determinata est: *Quinque itidem cardinales delegimus, quibus hæc præcipue cura incumbere debeat ut veteres ritus sacri, ubivis locorum, in omnibus urbis orbisque Ecclesiis, etiam in capella nostra pontificia, in missis, divinis officiis, sacramentorum administratione, cæterisque ad divinum cultum pertinentibus a quibusvis personis diligenter observentur; cæremoniæ, si exoleverint, restituantur; si depravatæ fuerint, reformentur: libros de sacris ritibus et cæremoniis, imprimis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit reforment et emendent,*

officia divina de sanctis patronis examinent, et nobis prius consultis concedant: diligentem quoque curam adhibeant circa sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem.... controversias de præcedentia in processionibus aut alibi, cæterasque in hujusmodi sacris ritibus et cæremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant.

II. Unde concluditur quod « sacr. congr. Rituum decreta generalia, vim legis universalis et conscientiam obligantis habent, prout respondendum censuit sacr. congr. Rit. die 11 Septembr. 1847; et ex eodem decreto, « derogant cuicunque contrariæ invectæ consuetudini etiam immemorabili.»

III. Controvertitur autem utrum « etiam decreta particularia sacræ ejusdem congregationis pro regula legitima ab omnibus habenda sint? Sed probabilior sententia est quod hujusmodi decreta particularia pro regula legitima haberi ab omnibus debeant, modo eorum authenticitatem certo cognoscant, et modo nulla sit ratio aut circumstantia quæ suadeat ea restringi tantum ad personas aut ecclesias particulares pro quibus eduntur. Ita cum Cavaliero D. Bouix, *de jur. liturg.*, p. 152.

§ IV. — Quod a primis temporibus jus liturgicum sedi apostolicæ semper fuerit reservatum.

De historia exercitii potestatis legislativæ in liturgiam, ab Ecclesiæ exordiis usque nunc, consule D. Bouix, tract. *De jur. liturgico*, part. III, unde tantum desumimus sequentes conclusiones.

I. « In toto generaliter Occidente a sancti Gregorii VII tempore viguit Ecclesiæ romanæ liturgia.

II. « Nullibi et nullo post apostolos tempore videtur fuisse licitum locorum prælatis aut conciliis particularibus, liturgiam in aliqua Ecclesia vigentem propria auctoritate tollere, ad aliam noviter confectam introducendam.

III « A tempore sancti Pii V, liturgia Romana correcta in toto Occidente (salvis quisbusdam exceptionibus) ita præscripta est ut jus liturgicum sedi apostolicæ fuerit et remaneat omnino reservatum.

IV. « Bullæ Pianæ de Breviario et Missali obligatoriæ fuerunt quoad Galliam; primo quia debuerunt recipi; secundo quia de facto receptæ fuerunt : » quod *ibid.* probat auctor.

CAPUT III.

De hodierno jure communi liturgico.

§ I. — De Ecclesiarum orientalium liturgia.

Ecclesiæ orientales liturgiam quidem propriam habent; sed jam a multo tempore harum Ecclesiarum ordinarii jus liturgicum non exercent, quia sanctæ sedi apostolicæ omnino reservatum fuit; ideoque liturgia orientalis regulatur, et ejus libri omnes liturgici revisuntur et corriguntur a sancta sede apostolica. Hæcque probantur per plures Benedicti XIV constitutiones, et præsertim per bullas: 1° *Demandatam;* 2° *Etsi pastoralis;* 3° *Ex pastorali;* 4° *Ex quo primum.*

§ II. — De obligatione utendi Breviario sancti Pii V.

Omnes universi orbis Ecclesiæ præter orientales et quasdam alias in sancti Pii V bullis exceptas, obligantur uti Breviario, Missali, Pontificali, Martyrologio, Rituali et Cæremoniali a sancto Pio V et ejus successoribus editis.

Probatur 1°, *quoad Breviarium.* — S. Pius V, bulla, quæ incipit *Quod a nobis*, data Romæ 7 Idus Julii anno 1568, significat causam edendi hujus Breviarii, nempe ad tollendum orandi varietatem. — Enarrat ea, quæ in hac re præstitere Paulus et Pius nomine quarti, et quam ipse adhiberi operam curavit, ex decreto concilii Tridentini. — Tollit et abolet omnino Breviarium, a cardinale S. Crucis compositum, quod erat brevissimum; item alia Breviaria Romana, et alia, quæ ex institutione, vel consuetudine legitima non superant ducentos annos. — Permittit tamen ut antiquiora ducentis annis possint mutari in hoc Breviarium, iis omissis, si episcopus et universum capitulum consentiant. — Revocat omnes permissiones, consuetudines, statuta, privilegia, licentias et indulta precandi, et psallendi more, et ritu prædictorum Breviariorum suppressorum. — Præcipit observari hoc Breviarium in toto orbe, cum exceptione 200 annorum, de quo supra. — Statuit in eo nihil mutandum, addendum et detrahendum. — Obligat quosque, qui tenentur Horas canonicas recitare, ut hoc utantur Breviario, alias non satisfaciant muneri suo. (Unde mortaliter peccant.) — Jubet omnibus prælatis, ut hoc introducant tam in choro, quam extra chorum. — Tollit peccati obligationem, quæ

erat, recitandi in choro officium parvum B. M. V. et defunctorum, Psalmos pœnitentiales, et Graduales, juxta rubricas Breviarii. — Hortatur ut recitentur eadem, propositis indulgentiis dierum centum recitantibus Officium parvum B. M. V. et defunctorum; quinquaginta recitantibus Psalmos pœnitentiales et Graduales, quando rubricæ ea præscribebant. — Non tamen tollit laudabilem consuetudinem, ubi est, recitandi parvum B. M. V. in choro, imo eamdem confirmat, et tandem tempus decernit obligationis ad usum Breviarii post ejusdem publicationem.

Clemens VIII, bulla quæ incipit, *Cum in Ecclesia*, data Romæ die 10 Maii anno 1602, declarat se per viros pios et eruditos Breviarium Romanum a Pio V editum, et progressu temporis in multis depravatum, examinasse, et in statum pristinum restituisse: illudque sic restitutum in typographia Vaticana imprimi et divulgari jussisse. Prohibet ne alibi imprimatur nisi juxta exemplar Vaticanum, et habita ordinariorum licentia, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ. Interdicit usum Breviariorum impressorum absque tali ordinariorum licentia in scriptis, quæ fidem faciat de collatione facta prædictorum Breviariorum eum originali Romano; cujus etiam licentiæ copia initio, vel in calce cujusque Breviarii semper imprimatur. Prædictis ordinariis prohibet ne aliquid addi vel detrahi permittant. Et hæc sub pœna excommunicationis, suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ. Urbanus VIII, bulla quæ incipit : *Divinam psalmodiam*, data Romæ die 25 Januarii anno 1631, declarat se, piorum doctorumque virorum adhibita cura, Breviarium a Pio V editum, et a Clemente VIII recognitum, a pluribus mendis expurgasse; hymnos ad metri et latinitatis regulas revocasse; in Psalmis et canticis interpunctationem editionis vulgatæ restituisse : sermones, homilias, et sanctorum historias, collatis veteribus manuscriptis, recognovisse. Quamobrem jubet ut juxta hanc correctionem Romæ imprimatur, alibi juxta Romanum exemplar excudatur, servatis conditionibus in suprascripta Clementis bulla enumeratis, quas fere iisdem verbis repetit, adjungens, easdem conditiones servandas in impressione eorum, quæ a Breviario Romano ortum habent, cujusmodi sunt Missalia, Diurnalia, Officia parva B. M. V., Officia majoris Hebdomadæ, et alia id genus.

Probatur II°, *quoad Missale.* — Sanctus Pius V per bullam *Quo primum tempore*, eadem ac de Breviario plane sancivit, ordinavit, jussit, mandavit et excepit de Missali Romano a se edito. Eadem etiam ac de Breviario sanciverat, de Missali Romano a se recognito sancivit Clemens VIII, et tandem Urbanus VIII in sua bulla *Si quid est*, confirmat res a suis prædecessoribus sancitas et addit : *Nam rubricæ, quæ sensim ab usu rituque vetere degeneraverant, in pristinum restitutæ; quæ vero non ita captui legentium accommodatæ videbantur, clarius explicatæ ... Mandavimus, ut Missale ita expurgatum in lucem emittat* (typographus Romanus); *sed quæ in posterum extra Urbem imprimi contigerit, ea non aliter, quam ad exemplar in dicta typographia nunc editum imprimi posse permittimus, requisita tamen prius, et in scriptis obtenta... ordinariorum locorum facultate, alioquin si absque ea dictum Missale ipsi posthac imprimere, aut bibliopolæ vendere præsumpserint, typographi et bibliopolæ extra statum nostrum ecclesiasticum exsistentes, excommunicationis latæ sententiæ, a qua nisi a Romano pontifice, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi nequeant; ipsi autem inquisitores seu ordinarii locorum, antequam hujusmodi licentiam concedant, Missalia ab ipsis typographis imprimenda, et postquam impressa fuerint cum hoc Missali, auctoritate nostra recognito, diligentissime conferant, nec in illis aliquid addi vel minui permittant. In ipsa vero licentia originali obtinenda, de collatione facta, et quod omnino concordent, manu propria attestentur : cujus licentiæ copia initio, vel in fine cujusque Missalis semper imprimatur. Quod si secus fecerint, inquisitores privationis suorum officiorum, ac inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda; ordinarii autem locorum suspensionis a divinis, ac interdicti ab ingressu Ecclesiæ, eorum vero vicarii privationis similiter officiorum, et beneficiorum suorum, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ac insuper excommunicationis, absque alia declaratione, pœnas incurrant eo ipso.*

Utrum vero liberum sit ordinariis licentiam de qua hic est mentio typographis denegare prohibitu, quemadmodum alicubi evenisse scimus? Non videtur posse sustineri, præsertim cum per hujusmodi denegationem inducunt suæ diœcesis clerum et parochias

in majores expensas pro libris liturgicis comparandis; præterea adest typographorum juris aliqua violatio. Unde exsurgit dubium satis grave ut sacra Rituum congregatio consulatur super tali irrationabili denegatione.

Probatur III°, *quoad Pontificale.* — Clemens VIII, bulla *Ex quo*, die 10 Februarii 1596, sic statuit : *Et hoc nostrum Pontificale sic restitutum et reformatum in omnibus universi terrarum orbis ecclesiis, monasteriis, ordinibus, et locis etiam exemptis, si quæ sunt, recipi et observari præcipimus. Statuentes : Pontificale prædictum nullo unquam tempore in toto, vel in parte mutandum, vel ei aliquid addendum, aut omnino detrahendum esse, ac quascunque personas, quæ pontificalia munera exercere, vel alias, quæ in dicto pontificali continentur, facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda, ex hujus Pontificalis præscripto et ratione, teneri, neminemque ex iis, quibus ea exercendi, et faciendi munus impositum est, nisi formulis, quæ hoc ipso Pontificali continentur, servatis satisfacere posse.* Et cætera omnia Pontificalia abolevit ac suppressit.

Urbanus VIII, bulla *Quamvis alias*, 17 Junii 1644, Pontificale recognitum et emendatum imprimi jussit. Præcepitque quod illud exemplar, « qui posthac pontificale Romanum impresserint sequi omnes teneantur, cum iisdem præscriptis servandis subque iisdem pœnis et censuris ac pro Missali et Breviario incurrendis tam a typographis quam ab ordinariis contrafacientibus.

Tandem Benedictus XIV, per bullam *Quam ardenti*, 25 Martii 1752 supradictas constitutiones confirmavit, et Pontificale emendatum ac castigatum de novo edidit.

Probatur IV°, *quoad Martyrologium.* — Gregorius XIII per suam bullam *Emendato* Martyrologium Romanum ab ipso editum obligatorium fecit pro universa Ecclesia catholica, absque ulla exceptione, his verbis : *Mandamus igitur omnibus patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, cæterisque ecclesiis, monasteriis, conventibus, ordinibus sive sæcularibus sive regularibus quibuscunque præfectis, ut in peragendo divino in choro officio, omni alio Martyrologio amoto, hoc tantum nostro utantur, nulla re addita, mutata, adempta. Si quos alios habuerint sanctos in suis ecclesiis aut locis celebrari solitos, eos in hunc librum non inserant, sed separatim descriptos habeant, eumque illis locum atque ordinem tribuant, qui regulis hic descriptis traditur.... Datum Romæ...* die 14 Januarii 1584. Præterea sacra Rituum congregatio die 30 Julii 1616 « declaravit juxta mentem et ordinationem sanctissimi domini nostri Papæ, *in Martyrologio Romano de novo imprimendo addendos esse sanctos illos tantum, qui fuerunt canonizati, non autem qui declarati fuerint Beati post ultimam impressionem dicti Martyrologii.* Nunc vero iterum eadem sacra Rituum congregatio jussit, *ut servetur in posterum prædictum decretum, de non apponendis in Martyrologio Romano, nisi sanctis canonizatis.* Et ita decrevit et servari mandavit, die 31 Augusti 1680. Hoc generale decretum reperitur apud Gardellini, n° 2778.

Tandem Martyrologium Romanum a Benedicto XIV fuit correctum, et cum forma ab ipso determinata præscriptum ; ita ut jam non liceat antiquioribus Romanis Martyrologiis in choro uti ; sed debeant adhiberi exemplaria correctæ Benedicti XIV editioni conformia.

Probatur V°, *quoad Rituale Romanum.* — Breve Pauli V Rituale Romanum publicantis sic habet : *Restabat ut uno etiam volumine comprehensi sacri et sinceri Ecclesiæ catholicæ ritus, qui in sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt, apostolicæ sedis auctoritate prodirent; ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi ministeria, tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent ; unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambularent cum consensu.... Quapropter hortamur in Domino venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos et dilectos filios eorum vicarios, necnon abbates, parochos universos, ubique locorum exsistentes, et alios ad quos spectat, ut in posterum, tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ omnium matris et magistræ auctoritate constituto Rituali in sacris functionibus utantur, et in re tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.*

Initio autem ipsius Romani Ritualis sic habetur : *Ut ea quæ, ex antiquis catholicæ Ecclesiæ institutis, et sacrorum canonum, summorumque pontificum decretis de sacramentorum ritibus ac cæremoniis hoc libro*

præscribuntur, qua par est diligentia ac religione custodiantur, et ubique fideliter serventur, illud ante omnia scire et observare convenit quod sacrosancta Tridentina synodus, sess. 7, can. 13, de iis ritibus decrevit in hæc verba : « Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse, anathema sit.

Ex his textibus sic argumentari licet : 1° Rituale Romanum comprehendit sacros et sinceros, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus. Ergo Rituale Romanum *sine peccato a ministris* quibuscunque *pro libito omitti* nequit. Ergo *in novum aliud Rituale per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari non potest.* — 2° Alia ritualia Romano non conformia non comprehendunt sacros et sinceros, receptos et approbatos Ecclesiæ catholicæ ritus, sed receptos ecclesiæ particularis ritus, ergo retineri sine peccato non possunt, et a quocunque Ecclesiarum pastore approbari nequeunt. Quin in utro casu periculum sit incurrendi sacr. concil. Trident. anathema.

Nec objici potest quod Paulus V non dicat *mandamus* aut *præcipimus*, sed tantum *hortamur in Domino;* quia pontifex dicit *hortamur in Domino*, per quod interponitur auctoritas Dei, et exprimitur enixa voluntas ut fiat quod ipse hortatur, scilicet ritus *qui*, ut ait, *servari debent,... et in re tanti momenti, quæ catholica Ecclesia, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit,* INVIOLATE OBSERVENT; quæ omnia verba strictam et inviolabilem obligationem exprimunt.

Nec etiam objiciendum est concilium Tridentinum sess. 24, *De reform.* cap. 1 in fine, approbasse laudabiles consuetudines et cæremonias in celebrando matrimonii sacramento, his verbis : *Si quæ provinciæ aliis ultra prædictas laudabilibus consuetudinibus et cæremoniis in celebrando matrimonii sacramento utantur, eas sancta Tridentina synodus optat retineri.* Etenim hæc verba Tridentina restringuntur ad matrimonium, quod etiam admittitur conformiter in Rituali Romano, tit. *De sacramento matrimonii.* Præterea sancta synodus Trident. *anteriores* laudabiles consuetudines et *cæremonias* optat retineri, non autem novas postea inducendas approbat.

Præterea Benedictus XIV, per bullam *Quod apostolus*, 25 Martii 1652, declarat *Rituale Romanum.... publici etiam juris factum esse.* Item sacra Rituum congregatio sæpius declaravit *Rituale Romanum, cujus leges universalem afficiunt Ecclesiam, integre servari* debere, 7 Septembr. 1850; et quod adhiberi nequeant Ritualia Romano non conformia, nec aliæ benedictiones quam quæ in Rituali Romano jacent. — Præterea in catalogo librorum prohibitorum licet nominatim non expressorum § 4, reperiuntur sequentes : *Benedictiones omnes ecclesiasticæ, nisi approbatæ fuerint a sacra Rituum congregatione. — Rituali Romano additiones omnes factæ, aut faciendæ post reformationem Pauli V, sine approbatione sacræ congregationis Rituum.* — Inter varia quæ Clemens VIII regulis generalibus Indicis jussit adjici, reperitur circa correctionem librorum sequens dispositio : *Quæ autem correctione atque expurgatione indigent, fere hæc sunt quæ sequuntur.... Quæ contra sacramentorum ritus et cæremonias, contraque receptum usum et consuetudinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ novitatem aliquam inducunt.* — Ergo libri rituales qui vel Rituali Romano aliquid addunt, vel benedictiones diversas et a sacra congregatione Rituum non approbatas continent, auctoritate apostolica prohibiti censendi sunt.

Ergo, etsi aliquando controverti potuisset, jam tamen certum est obligatorium esse Rituale Romanum in universa Ecclesia.

Probatur VI°, *quoad Cæremoniale episcoporum.* — Clemens VIII qui primus Cæremoniale episcoporum pro universa Ecclesia edidit, in bulla *Cum novissime*, 14 Julii 1600, sic statuit : *Idcirco Cæremoniale episcoporum hujusmodi, jussu nostro emendatum et reformatum motu proprio et ex certa scientia, ac de apostolicæ potestatis plenitudine perpetuo approbantes, illudque in universali Ecclesia ab omnibus et singulis personis ad quas spectat et in futurum spectabit perpetuo observandum esse præcipimus et mandamus; ac Cæremoniale hujusmodi sic emendatum et reformatum nullo unquam tempore in toto vel in parte mutari, vel ei aliquid addi, aut omnino detrahi posse; ac quascunque personas prædictas quæ sacerdotalia munera exercere aut alia quæcunque in ipso cæremoniali*

contenta facere aut exsequi debent, ad ea peragenda et præstanda juxta hujus cæremonialis formam et præscriptum teneri; neminemque ex iis quibus ea exercendi et faciendi munus impositum exsistit, nisi formulis quæ hoc cæremoniali continentur servatis satisfacere posse, perpetuo statuimus et ordinamus.... Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, ac etiam in provincialibus et synodalibus conciliis editis.

Pariter Innocentius X, in bulla *Etsi alias*, Benedictus XIII in bulla *Licet alias* eadem sanxerunt, et obligatorium in universa Ecclesia Cæremoniale Romanum fecerunt, *Non obstantibus præmissis ac apostolicis, et in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis, editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel alia quavis firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ecclesiis et personis in contrarium præmissarum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis.*

Stricta cæremonialis episcoporum obligatio probatur quoque ex doctorum communi sententia, atque ex innumeris fere decretis et declarationibus sacr. Rituum congregationis.

Attamen per episcoporum Cæremonialem non tolluntur laudabiles contrariæ consuetudines, modo sint immemorabiles. Id multoties expresse declaravit sacra Rituum congr. et pluries etiam agnoscit ipsemet liber Cæremonialis.

Probatur VII°, *quoad parvum Ritualem* Benedicti XIII, anno 1725 editum pro minoribus ecclesiis parochialibus, in quibus præscripto a Cæremoniali episcoporum modo solemni officium defectu ministrorum servari nequit. Etenim hujusmodi parvum Cæremoniale præscribitur pro minoribus ecclesiis tum a Benedicto XIII, tum pluries a sacr. Rituum congr. et novissime 28 Julii 1821, et 23 Maii 1846.

Addendum est Rituale Romanum, Cæremoniale episcoporum ac Pontificale Romanum publici juris facta esse prout a Benedicto XIV præscripta, castigata et ordinata fuerunt; ideoque non licet anterioribus etiam Romanis hujusmodi Ritualibus, Cæremonialibus ac Pontificalibus uti. Sic enim habetur in bulla Benedicti XIV, quæ initio Cæremonialis imprimitur: *Facultatem tribuimus et impertimur, ut Rituale Romanum, Cæremoniale episcoporum ac Pontificale Romanum sub iisdem modo et forma, quibus de præsenti impressa reperiuntur et usui sunt, una simul cum omnibus et singulis, quæ, ut superius relatum est, a nobis præscripta, ordinata et publici etiam juris facta sunt, necnon cum sæpe dicta methodo scholæ sacrorum rituum in operibus nostris jam editis inserta jussu nostro, non obstantibus quibuscunque in contrarium facientibus typis reimprimantur, et in lucem emittantur... Datum Romæ...* die 25 Martii 1752.

§ III. — Practicæ quæstiones de obligatione Breviarii, Missalis, Martyrologii, Pontificalis, Ritualis et Cæremonialis Romanorum.

I. Ab obligatione recipiendi Breviarium et Missale S. Pii V exemptæ sunt Ecclesiæ quarum Breviarii et Missalis formulæ ducentis annis antiquiores erant; attamen de consensu universi capituli et episcopi, dictis Ecclesiis liberum fuit Breviarium et Missale sancti Pii V, amplecti ex bullis Pianis *quod a nobis*, et *Quo primum tempore*. Nunquam autem potuerunt suum Breviarium et Missale ducentis annis antiquiora in alia substantialiter diversa, præter Romanum Post-Pianum, immutare, sub pœnis ac censuris in decreto Piano expressis. Possunt tamen aliqua non substantialia in Breviario et Missali corrigere et immutare absque sedis apostolicæ facultate, quia jus illud a Pio V eis sublatum non fuit. Sed prohibentur Calendariis nova officia addere et obligantur celebrare officia universaliter et sub præcepto ab apostolica sede de novo concessa, ex decreto sacr. congr. Rit. die 29 Novembr. 1721 circa festum S. Nominis Jesu Dominica II, post epiphaniam celebrandum. In dictis Ecclesiis quæ proprium Breviarium et Missale legitime habent, potest ordinarius prohibere Romani Breviarii et Missalis usum. (Communis.)

II. Stricte et sub peccato mortali obligatoria fuerunt et sunt Breviarium et Missale sancti Pii V quoad omnes mundi Ecclesias præter eas quas ipsæmet excipiant bullæ Pianæ, ex supradictis n° 2, supra. — Unde non potuit post sanctum Pium V, nec hodie potest, etiam auctoritate ordinariorum et consentiente capitulo, in Breviario et Missali Romano correcto, quidquam addi, detrahi, aut immutari, sub pœnis et censu-

ris contra violatores constitutis in bullis *Cum in ecclesia* Clementis VIII, et *Divinam psalmodiam* Urbani VIII. (Ex pluribus sacr. Rit. congr. decretis.) Non potuerunt neque adhuc possunt ordinarii prælati ulla sanctorum officia propria auctoritate Calendario addere. Neque mutare ritum, qui habetur in Calendario Romano seu rubricis Breviarii, in altiorem ritum, neque extendere concessa officia de loco ad locum; ex decreto sacr. Rit. congr. ab Urbano VIII approbato et initio Breviarii Rom. impresso.

III. Qui recitaret officia, sola auctoritate ordinarii contra præfatum decretum addita obligationi horarum canonicarum non satisfaceret. Constat ex ejusdem decreti tenore et bullis Pianis, multisque sacr. congr. Rit. declarationibus.

IV. Quodlibet Breviarium et Missale sedis apostolicæ auctoritate non approbatum, damnatum fuit et est sub pœna non satisfaciendi debito Horarum canonicarum, et sub pœna librorum prohibitorum, ex decreto sacr. Rit. congr. sub die 8 Aprilis et 28 Octobris 1628 ab Urbano VIII approbato et præcepto. Præterea ex regula Indicis, *De libris prohibitis*, nec in indice *nominatim expressis*, inter libros prohibitos recensentur sequentes : *Missalis Romani omnia exemplaria alterata post edictum Pii V. — Officia B. Mariæ Virginis, vel sanctorum, aut sanctarum, aliaque hujusmodi, absque approbatione sacræ Rituum congregationis edita vel edenda.* Ergo Breviaria et Missalia quæ prædictis officiis et missis constant, eidem prohibitioni et damnationi subjiciuntur.

V. Omnes præfatæ constitutiones et leges in suo robore permanserunt et permanent; nec ulla consuetudine potuit contra eos præscribere; ita multoties declaravit sacr. congr. Rituum. Quæ confirmantur nuperrima sacr. congr. Rituum declaratione, diei 10 Januarii 1852. Exponebat reverendus canonicus Lottin, in Ecclesia Cenomanensi, quæ propria liturgia legitime utebatur, anno 1748 conflatum atque inductum fuisse novum Breviarium novumque Missale, a priori Cenomanensi substantialiter diversum; postulabatque ab eminentissimis Patribus declarari : *Utrum saltem hujusmodi liturgia vi præscriptionis, seu consuetudinis sæcularis, facta sit legitima, ita ut hodie quilibet sacerdos Cenomanensis possit eam tuta conscientia servare?* sacra congregatio respondit *negative*. Unde qui talibus breviariis et Missalibus utuntur, peccant, obligationi horarum canonicarum non satisfaciunt, nec suos faciunt beneficiorum fructus. Quod patet præterea ex alio dubio ab eodem canonico Lottin proposito : postulavit nempe declarari insuper : *An quilibet sacerdos Cenomanensis, etiam canonicus et parochus, statim teneatur in conscientia, tum et horas canonicas persolvere missamque celebrare juxta ritum romanum, quando scilicet privatim, recitat et celebrat tum insuper omnibus quibus potest modis reverendissimo episcopo supplicare, quatenus et idipsum pro divino officio publico opportunis mediis et temporibus promovere dignetur?* Cui postulato ita sacra Rituum congr. respondit : *Consulat conjunctim utramque constitutionem sancti Pii V, videlicet illam quæ incipit* Quod a nobis vii *Idus Julii* 1568, *et aliam quæ incipit* Ex proximo, xii Kalendas *Octobris* 1751. Porro in bulla *Quod a nobis* reperitur ita suppressa fuisse Breviaria quælibet, ducentis annis bullam ipsam non antecedentia, ut per ipsa obligationi recitandi officii satisfieri nequeat. Et in bulla *Ex proximo*, statuitur eos qui horas canonicas recitare omittunt, fructus beneficiorum suorum amittere pro rata omissionum in divini officii recitatione. Unde per talem responsionem aperte declaratur sacerdotes Cenomanensis Ecclesiæ teneri statim, recitare Breviarium Romanum sub pœna non satisfaciendi horarum canonicarum debito, et non faciendi fructus suos. Nec excusari possunt ex jussione seu approbatione episcopi. Quod idem pro omnibus Ecclesiis in simili casu versantibus concludendum venit.

VI. Ex præmissis propositionibus generaliter concludere licet Ecclesias quæ (cum tenerentur Breviarium et Missale Pianum amplecti), non paruerunt, adhuc hodie remanere sub obligatione ad Breviarium et Missale Romanum correctum migrandi; nisi forte aliquibus sedes apostolica *expresse* indulserit, ut in assumpta alia liturgia remaneant, expresse, inquam; quia ex *taciti* tantum consensus suppositione, id eis non licere probatum est. (D. Bouix, *De jur. liturg.* p. 283.)

VII. Eadem obligatio exsistit quoad Pontificale, Cæremoniale, Martyrologium et Rituale Romanum, scilicet omnes Ecclesiæ catholicæ sacerdotes tenentur hujusmodi libris uti, eosque sequi in omnibus sacris.

functionibus. Confirmatur ex recenti sacr. congr. Rituum declaratione. Inter alia dubia proposuerat isdem reverendus Lottin Cenomanensis cathedralis canonicus: *Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario et Missali iterum atque iterum, ut libuerit providere queat* (quod tamen non admitti potest, ut dictum est supra), *an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Cæremoniale episcoporum, Martyrologium et Rituale Romanum; ita videlicet ut præceptivas prædictorum librorum regulas, tolerante nempe aut permittente aut etiam aliter quidpiam statuente reverendissimo episcopo, canonici aliive sacerdotes possint illæsa conscientia infringere aut omittere, sicque reverendissimi episcopi voluntas his in casibus sit pro ipsis sufficiens dispensatio?* Sacra autem congr. die 10 Januarii 1852, respondendum censuit *negative* et *amplius*.

Ista vero formula *et amplius* significat in stylo congr. Romanorum, *et amplius eadem causa non proponatur*, quia satis superque decisa est et jus Ecclesiæ publicum super ea nullum potest admittere dubium. — Ratio autem tam firmarum sacr. congr. declarationum ea est quod summus pontifex est ordinarius non tantum ordinariorum, sed etiam omnium clericorum et Christifidelium; unde episcopi nequeunt abrogare leges generales ab auctoritate summi pontificis promulgatas, nec in iisdem dispensare, nec contra easdem statuere. Item omnes clerici et respective Christifideles tenentur hujusmodi leges pontificias observare, ex tunc quod easdem certo cognoscunt, nec opus est ut episcopus hujusmodi leges præsertim quæ juris publici factæ sunt, de novo promulget et obligatorias reddat in sua diœcesi. Item nec voluntas, nec statuta, nec dispensatio, nec tolerantia episcopi possunt excusare quemcunque ab obligatione leges publicas Ecclesiæ universalis observandi. Nam ad quemlibet spectat hujusmodi leges discere, easque notas sponte observare.

§ IV. — Monumenta juris liturgici publici Ecclesiæ catholicæ obligatorii pro omnibus.

I. Ex dictis in præsenti capite, jus publicum Ecclesiæ catholicæ obligatorium pro omnibus continetur in Breviario, Missali, Pontificali, Martyrologio, Rituali, Cæremoniali Romanis.

II. Nihil immutari potest in horum librorum ritibus. Unde precum, consecrationum et benedictionum formulæ in ipsis contentæ recitari debent prout ibi jacent.

III. Rubricæ sive generales, sive speciales Breviarii et Missalis, Pontificalis et Ritualis, et Cæremoniale episcoporum sicut parvum Cæremoniale Benedicti XIII dant regulas et formas Cæremoniarum, actionum diversarum, quæ adhiberi debent in cultu divino. Hæc omnia addiscenda sunt ab omnibus qui ea observare tenentur. Nec opus est quod episcopus ea omnia præcipiat, in sua diœcesi ut omnes teneantur eadem servare et adimplere. Imo nullus potest illæsa conscientia eadem infringere aut omittere, sub prætextu quod consuetudo, sive tolerantia vel etiam voluntas et statuta episcopi contraria adduxerint. Hæc omnia patent ex juribus et declarationibus sacr. congr. allatis, nec potest etiam afferri ignorantiæ prætextus; quia omnibus facile est legere rubricas Breviarii, Missalis, Ritualis et Pontificalis, veluti etiam Cæremoniale episcoporum et valde notandum est quod *ignorantia juris non excusat*. (Regul. jur. 13, in 6), eos qui jus scire tenentur.)

IV. Supradictis monumentis addendæ sunt apostolicæ constitutiones, conciliorum sanctiones, et sacrarum congregationum decisiones et declarationes.

CAPUT IV.

De jure liturgico quoad festorum institutionem et suppressionem, et de festis obligationis.

§ I. — De potestate festa instituendi et supprimendi.

I. Suprema potestas festorum de præcepto instituendorum vel supprimendorum ad sedem apostolicam jure divino pertinet. Extra controversiam est hæc conclusio. Unde omni tempore hanc potestatem sibi reservare potuit sedes apostolica.

II. De facto tamen, usque ad Urbanum VIII, sedes apostolica festorum de præcepto dierum institutionem et suppressionem non sibi reservavit. (Vide probatum apud D. Bouix, *De jure liturg.* p. 311 et seqq.)

III. Ante bullam Urbani VIII poterant episcopi, de consensu capituli, in suis diœcesibus festa de præcepto instituere et abrogare. (C. *Pronuntiandum, De consecratione*, dist. 3, c. *Conquestus, De feriis.*) Sancta synodus Tridentina supponit hanc potestatem episcopis competere sess. 25, cap. 12, ibi: *Dies festi quos in diœcesi sua servandos episcopus præceperit ab exemptis omnibus, etiam regularibus, serventur.* Sed ex canonibus

allatis festa nova de præcepto instituere non poterant episcopi, invito populo; quod etiam declaratum fuit a sacra rituum Congr. pluries usque ad annum 1602 et 1604.

IV. Quid autem evaserit prædictum jus episcoporum circa festa de præcepto, post editam Urbani VIII bullam *Universa*, Idibus Septembris 1642, controvertitur? Ex hujusmodi bulla plures deducunt sublatam omnino esse episcopis potestatem quam antea habebant nova festa instituendi. Alii autem contendunt id solum sequi episcopos magna uti debere prudentia in hoc negotiorum genere. Quid igitur sentiendum sit?

1. Certum est festa de præcepto in universa Ecclesia præscripta sive a sancta sede sive a conciliis œcumenicis, sive a consuetudine universali et traditione Ecclesiæ universæ servanda esse ab omnibus, nec posse abrogari ab episcopis in suis diœcesibus, quia non potest a subditis lex superioris, ab episcopis lex sedis apostolicæ abrogari; contrarium est falsum, absurdum et heterodoxum. Ergo post Urbanum VIII, non potuerunt nec possunt episcopi in suis diœcesibus festa de præcepto jam inducta aut ab eodem pontifice statuta tollere.

2. Ex iisdem rationibus certum est etiam et extra controversiam episcopos non posse de novo inducere tanquam de præcepto festa ab Urbano VIII abrogata; sic enim in constitutione Urban. VIII *Universa*, habetur: *Decernimus et declaramus infra scriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse.....* (sequuntur dies festivi)..... *Ad reliquorum vero dierum observantiam quos hactenus, sive in universa Ecclesia, sive in quavis natione, aut regno, provincia, diœcesi, aut loco, quomodocunque, sive ex præcepto, sive ex consuetudine, sive ex devotione, Christifideles tanquam festivos celebrarant, nequaquam ex præcepto ipsos teneri, dicta auctoritate tenore præsentium perpetuo etiam decernimus et declaramus.* Ergo episcopi nequeunt sic abolita festa de præcepto de novo inducere.

3. Idem dicendum est de festis deinceps a sancta sede sive præscriptis, sive abrogatis; scilicet præscripta abrogare, et abrogata de novo præscribere nequeunt episcopi.

4. Solummodo igitur controverti potest utrum episcopi alia festa quam illa jam a sancta sede abrogata præscribere de præcepto possint. Affirmativa niti videretur in his verbis Urbani bullæ: *Ad reliquorum vero dierum observantiam quos hactenus*, non autem dicitur *deinceps*, unde pro tempore futuro jus episcoporum non videretur ablatum. Præterea eadem bulla hæc habet: *Eosdem ordinarios in Domino monemus ut... ab indictione sub præcepto novorum festorum studeant abstinere;* in quibus verbis auctores *præceptum* non vident. Pro negativa autem dici videtur quod pontifex in dicta Bulla *decrevit* et *declaravit*, *infra scriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse...* Unde non liceret alia inducere festa, præsertim cum infra idem pontifex suppresserit omnes alios dies festos de præcepto, quos sive in universa Ecclesia, *sive in quavis natione, aut regno, provincia, diœcesi, aut loco quomodocunque,...* Christifideles celebrarent... Sed præterea per verba *in Domino monere* videtur significare episcoporum conscientias onerare; et *ab indictione festorum abstinere*, præcipere. Unde ergo prohibet summus pontifex dictis verbis, ne episcopi dicta festa deinceps instituant.

5. Porro præsens controversia videtur clare a sacr. Rituum congr. fuisse decisa. Ad dubia nempe: 1° « utrum, non obstante bulla sanctæ memoriæ Urbani papæ VIII de observatione festorum, edita 22 Decembris 1642, vigeant et observari debeant festa illa quæ confirmata erant voto alicujus communitatis? » — 2° « An episcopus in sua diœcesi, festa prædicta possit confirmare, adeo ut sint obligatoria; et an alia festa instituere de præcepto præter illa quæ in dicta bulla expressa sunt? » — « Sacr. eadem Rituum congr. censuit respondendum: ad 1: *Festa ex voto personas tantum voventes teneri observare.* Ad 2: *Negative.* Et ita declaravit die 23 Junii 1703. » (Apud Gardellini, n. 3502.) Ibi clare ponitur quæstio generalis, *An episcopus in sua diœcesi possit alia festa instituere de præcepto, præter illa quæ in dicta bulla expressa sunt;* et respondetur *negative.* Ergo jam nulla penes episcopos manet festa de præcepto quæcunque instituendi aut supprimendi potestas.

V. Non est necesse probare principes sæculares festa de præcepto neque instituere neque abrogare posse; cum nullam in Ecclesia auctoritatem habeant.

§ II. — Quæ sint festa jure communi præcepta.

I. Ut dictum est, quæ sint hodie festa per orbem de præcepto celebranda determinavit

atque decrevit Urbanus VIII per dictam constitutionem *Universa*, ut sequitur : *Motu proprio et ex certa scientia maturaque deliberatione nostris, necnon de prædictæ apostolicæ plenitudine potestatis..., decernimus et declaramus infra scriptos duntaxat dies pro festis ex præcepto colendos esse, quos nempe vel ab initio veneranda sacravit antiquitas, vel universalis Ecclesiæ probavit consuetudo, vel omnium gentium unanimis pietas veneratur; Dominicos scilicet dies totius anni, Nativitatis D. N. Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Resurrectionis cum duabus sequentibus feriis, Ascensionis, Pentecostes cum duabus pariter sequentibus feriis, sanctissimæ Trinitatis, solemnitatis corporis Christi, et Inventionis sanctæ crucis, necnon festivitatum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis et Nativitatis Deiparæ Virginis, Dedicationis S. Michaelis archangeli, Nativitatis S. Joannis Baptistæ, SS. Petri et Pauli, S. Andreæ, S. Jacobi, S. Bartholomæi, S. Matthæi, SS. Simonis et Judæ, et S. Matthæi, Christi Domini apostolorum.* Item : *S. Stephani protomartyris, SS. Innocentium, S. Laurentii martyris, S. Sylvestri papæ et confessoris, S. Joseph etiam confessoris, et S. Annæ Deiparæ respective sponsi ac genitricis, solemnitatis Omnium sanctorum atque unius ex principalioribus patronis in quocunque regno sive provincia et alterius pariter principalioris in quacunque civitate, oppido, vel pago ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.* — Aliud postea festum de præcepto a Clemente XI additum fuit, nempe Immaculatæ conceptionis, quæ longe ante constitutionem Urbani celebrabatur.

II. Adnotat Benedictus XIV, *De beatif. et canon.* lib. IV, part. II, cap. 15, « præter festa de præcepto, juxta bullam Urbani VIII, in Ecclesia universali colenda, et præter aliud nempe Conceptionis immaculatæ additum a sanctæ memoriæ Clemente XI, alia reperiri festa de præcepto pariter recolenda nonnullis in locis ex summorum pontificum constitutionibus. » Nam hodie, uti probatum fuit, ad solos Romanos pontifices spectat concedere festa de præcepto etiam particularia quibusdam locis.

III. Ad Gallias quod attinet, post concordatum an. 1801 sancta sedes ad instantiam potestatis sæcularis dies festos, præter Dominicos, ad quatuor reduxit, scilicet Ascensionis, Assumptionis, Omnium sanctorum et Nativitatis Domini, vi decreti apostolicæ sedis, 9 Aprilis, ann. 1802. In hoc decreto cardinalis legatus *a latere* Caprara ait sibi a summo pontifice injunctum fuisse ut declararet festorum dierum, qui Dominici non sunt, numerum ad quatuor supradictos tantum contractos esse, in universo Galliarum territorio, « ita ut, inquit, posthæc in reliquis festis diebus omnes ejusdem incolæ non solum a præcepto audiendi missam, vacandique ab operibus servilibus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus qui festa hujusmodi proxime præcedunt, prorsus absoluti censeantur et sint. Eam tamen legem adjectam esse voluit, ut in diebus festis vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus Ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum, sacrarumque cæremoniarum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur qua hactenus consueverunt, exceptis tamen festis Epiphaniæ Domini, sanctissimi Corporis Christi, SS. apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cujuslibet diœcesis et parœciæ, quæ in Dominica proxime occurrente in omnibus Ecclesiis celebrabuntur... Eadem pariter Sanctitas Sua mandat ut anniversarium Dedicationis templorum quæ in ejusdem Gallicanæ reipublicæ territorio erecta sunt, in Dominica quæ octavam festivitatis Omnium sanctorum proxime sequetur, in cunctis Ecclesiis Gallicanis celebretur. »

Parochus tamen denuntiare debet plebi hos dies festos, quorum præceptum ablatum est, atque hortari eos, ut iis diebus sacrosancto Missæ sacrificio haud negligant interesse. Hoc Pius VII enixe admonuit pastores animarum. Debet itaque sacrum facere, et providere ut tot missæ in ecclesia parochiali celebrentur quot necessariæ sunt ut votis summi pontificis fideles commode satisfacere queant. Imo debet, pro posse, festa celebrare eodem divinorum officiorum ordine et ritu quo consueverant antea, quando urgebat præceptum.

§ III. — De Calendario et ordine festorum.

De Calendario et ordine festorum vide apud Rubricistas. — De præscriptis ad celebrationem dierum festorum, etc., vide apud moralistas theologos.

CAPUT V.

De cultu et festis sanctorum servorum Dei, et de beatificatione et canonizatione eorum.

§ I. — Quod ad sedem Romanam pertineat judicare de sanctitate servorum Dei, et de cultu eis reddendo.

I. « Nulla festa institui possunt in honorem servorum Dei, nullusque cultus publicus eisdem reddi debet, antequam judicio Ecclesiæ constiterit de illorum sanctitate. Sufficiebat olim auctoritas episcopi qui hunc honorem, in sua quisque Ecclesia, deferebat iis qui mortem pro causa fidei pertulerant, aut saltem eximio virtutum exemplo emicuerant, et in signum cultus publici erigebatur plerumque altare super illorum corpus. Cum vero multum referat ad integritatem cultus divini, ut circumspecte hac in re agatur, sancta sedes pluribus ab hinc sæculis sibi reservavit judicium solemne de sanctitate servorum Dei, deque cultu iis reddendo. Exstat in corpore juris constitutio Alexandri III, data an. 1170, quæ supponit disciplinam tunc temporis vigentem; his enim concludit pontifex occasione cultus indebite soluti alicui defuncto : *Illum ergo non præsumatis de cætero colere : cum etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.* (C. *Audivimus* 1, *De reliquis sanctorum.* lib. III *Decretal.*)

II. « Ut disciplina constituta servetur, Urbanus VIII, const. *Cœlestis Jerusalem*, an. 1634, prohibuit ne etiam a privatis fiant actus qui ad publicum cultum referantur, vel inducere possunt fideles in errorem. Tria præsertim indixit : 1° Ne imagines servorum Dei pingantur cum laureolis, aut splendoribus, aut sic pictæ retineantur ; neve in altaribus publicis, aut privatis, etiam sine hujusmodi insignibus, apponantur. Laureolæ beatitudinem significant ; retentio autem imaginis supra altare est signum venerationis. — 2° Ne ad sepulcra servorum Dei accendantur lumina , aut votivæ tabellæ suspendantur. (Tabellæ oblatæ custodiendæ sunt in loco ab Ecclesia separato, v. gr. in sacrario). — 3° Ne edantur, sine approbatione ordinarii, libri quibus continentur virtutes, revelationes, et miracula servorum Dei. Approbatio autem libro concessa, etiam auctoritate apostolica, non vim majorem tribuit narrationibus relative ad processum beatificationis et canonizationis ; nec consequenter ullatenus eximit a necessitate probationum ulteriorum. »

« Hinc sequitur omittenda non esse, in cujuscunque servi Dei obitu consueta Ecclesiæ officia pro defunctis. Hæc persoluta fuisse constat in funeribus sancti Dominici, et sancti Francisci , et aliorum , qui tamen eximia sanctitatis signa dederant. »

§ II. — De beatificatione servorum Dei.

I. Sancta sedes non aggreditur causam beatificationis servorum Dei, nisi præcesserit fama de illorum sanctitate, et de illa constiterit per processum juridicum : *Per famam autem sanctitatis*, ait Benedictus XIV, *intelligitur communis existimatio de integritate vitæ et de virtutibus, non utcunque, sed per continuatos actus, data occasione, supra communem modum aliorum proborum, exercitos a servo Dei ; necnon de miraculis ejus intercessione a Deo obtentis ; ita ut concepta saltem in uno loco erga eum devotione, a pluribus invocetur, et plurium gravium virorum judicio dignus existimetur , ut per sanctam apostolicam sedem in album beatorum vel sanctorum referatur.* (*De beatificatione*, lib. II, cap. 39.)

« Quando sufficienter probata est, certis testimoniis in processu juridico consignatis per episcopum fama sanctitatis et miraculorum, sancta sedes jubet ut sedulo inquiratur de *non cultu ;* scilicet an observatum fuerit decretum Urbani VIII de quo supra. Si cultus publicus redditur servo Dei contra præscripta hujus constitutionis, res in suspenso manent donec cuncta ad normam juris reducta sint. *Nunc regula viget*, ait Benedictus XIV, *ut cultus præteritus sententiæ confirmationem non impediat , si ante illam sublatus sit , uti contigit in causa sancti Francisci Salesii.* (*De beat.* lib. II, cap. 16.)

« Instituitur insuper examen doctrinæ, si scripta reliquerit servus Dei. Hæc in autographo, quantum fieri potest, committuntur sacr. congregationi, et severo examini subduntur , ut appareat num aliquas contineant propositiones contra fidem, vel mores; aut a communi sensu et consuetudine Ecclesiæ alienas. Scopus hujus revisionis est expendere utrum servus Dei aliquid scripserit quod defectum prudentiæ Christianæ, aut oppositionem doctrinæ Ecclesiæ, denotet; quapropter quando revisores, peracto examine, concludunt nihil repertum esse cen-

suræ obnoxium, hæcque sententia approbatur a sancta sede, nihil aliud intellectum volunt, nisi quod scripta servi Dei non obstent quominus procedatur ad beatificationem. »

« His omnibus rite peractis, fit *introductio causæ* per commissionis signaturam ; id est, summus pontifex, admissa supplicatione sibi exhibita per postulatores causæ, atque ea subscripta, impertitur congr. Rituum facultatem procedendi in causa beatificationis. Vi hujus *signaturæ commissionis*, servus Dei nuncupatur VENERABILIS.

II. Signata commissione, episcopi jam non se intromittunt deinceps per se ipsos in causam venerabilium servorum Dei ; sed novi instituuntur processus auctoritate congr. Rituum, qui plerumque delegantur tribus episcopis. Ante omnia juridice inquiritur de fama sanctitatis et de non cultu ; deinde proceditur : 1° ad examen virtutum ; an venerabiles servi Dei virtutes theologales et morales in gradu heroico exercuerint, hoc quippe primum fundamentum est sanctitatis : 2° ad examen martyrii, si de martyribus agatur ; an mortem violentam a persecutore, pro causa religionis, pertulerint : 3° ad examen miraculorum ; utrum talis sint naturæ, atque in hisce circumstantiis patrata, ut nulli alteri causæ adscribi possint, quam veræ sanctitati, a Deo his signis confirmatæ. Quatuor miracula requiruntur ad beatificationem ; quod concludere licet ex decreto Benedicti XIV, in causa sanctæ FREMIOT DE CHANTAL ; etenim *ad ejus beatificationem non esse deveniendum censuit, antequam miracula omnino quatuor probentur ex testibus de visu, atque approbentur.* (*De beatif.* lib IV, cap. 6.)

« Quando hæc cuncta feliciter fuerint expleta nullaque amplius obstat difficultas, sacra congregatio coram pontifice deliberat num ad beatificationem procedi tuto valeat. Pontifex preces fieri mandat, ac tandem re apud se mature perpensa, judicium suum profert, et statuit diem qua celebrabitur solemnitas beatificationis, quæ ex decreto Alexandri VII fit primo in ecclesia Vaticana. Extunc permittitur ut in locis determinatis cultus publicus reddatur beato, cum certis quibusdam restrictionibus. »

« Igitur beatificatio est decretum quo permittitur, ut servus Dei cultu publico honoretur in aliqua provincia. Hujus autem solemnitas consistit in celebratione missæ a quodam episcopo coram cœtu plurium cardinalium, in expositione imaginis beati, et in accessu summi pontificis qui venit illum venerari. »

« Cæterum, facultas cultum publicum agendi quæ datur decreto beatificationis, sicut limitatur ad locum, ita etiam ad modum ; non enim eodem modo beatificati et canonizati coluntur. Nisi expressum indultum obtentum fuerit a sancta sede, nomen beati non inseritur in Martyrologio communi, nec in litaniis sanctorum ; insuper beatus non potest assumi in patronum titularem, nec festum illius celebratur cum octava. Beatorum reliquiæ non deferuntur in processionibus, nec super altare ponuntur : illorum imagines depingi possunt cum radiis, at non cum diademate, seu circulo... Hæc variis locis exponit Benedictus XIV, et accurate servari præcepit congr. Rituum, juxta decretum approbatum ab Alexandro VII, anno 1660. »

§ III. — De canonizatione servorum Dei.

« A beatificatione fit transitus ad canonizationem, per seriem processuum quam inutile foret hic exponere. Notare sufficiat postulatores causæ expetere signaturam reassumptionis, quando exploratum habent nova miracula esse patrata a beato. Nova quippe miracula intercedere necesse est, quibus manifestetur Dei voluntas. Licet nullum prodierit decretum de illa miraculorum necessitate, brevia sanctæ sedis, a multo jam tempore edita, hanc necessitatem supponunt ; nec aliter procedit sacr. congr., ut multis exemplis monstratur in lib. I, cap. 33 *De beatif. et canonizat...* BENEDICT. XIV.

« Duobus saltem miraculis rite probatis, deliberatio fit in congregatione, an tuto procedi valeat ad canonizationem. Tunc summus pontifex plura consistoria habet ; unum secretum cui soli cardinales assistunt ; aliud semi-publicum ad quod præter cardinales admittuntur patriarchæ et episcopi ; alterum magis solemne, in quo dies ad canonizationem determinatur. »

« Dies præfixa, summus Pontifex accedit cum magno apparatu ad sacram basilicam : ibi post novas iteratasque expostulationes, multis persolutis orationibus, invocato Spiritu sancto, demum auctoritate Dei omni-

potentis, apostolorum Petri et Pauli, et sua, decernit ac definit N. sanctum esse, sanctorum catalogo adscribendum, et ab universali Ecclesia colendum. Expeditur postea constitutio, seu Bulla pontificia, directa ad omnem Ecclesiam.

« Canonizatio igitur est sententia definitiva, qua decernitur aliquem in album sanctorum esse deferendum, et eo titulo colendum publice in universa Ecclesia. Dum servus Dei proponitur venerationi fidelium, simul declaratur sub quo titulo debeat honorari, et præscribitur officium. » (*Prælect. jur. can.* S. Sulpitii, part III, art. 1, n. 471 et seqq.)

CAPUT VI.

De templis seu ecclesiis et capellis publicis et privatis seu oratoriis, et eorum privilegiis et juribus.

§ I. — De origine et forma primæva Ecclesiarum.

I. « Res sacræ sunt res Deo et religioni consecratæ, ut quæ pertinent ad divinum cultum peragantur. Hujusmodi sunt in primis ecclesiæ, sacræ nimirum ædes ad quas Christiani conveniunt, ut opera religionis impendant. Ecclesiæ vocabulum proprie significat societatem et conventum fidelium; sed omnium consensu traductum est ad designandum locum, in quo Christiani suos agunt conventus; et nos hoc sensu ecclesiæ vocabulum usurpamus. Nimirum cum Christi Ecclesia visibilis sit, præter cultum internum, habere etiam debet externum, qui omnis consistit in communibus precibus, in sacris ritibus, in sacrificiis, in sacramentorum administratione; ideoque instituta sunt loca, ad quæ Christiani concurrerent, ut divinis sacrisque rebus operam darent. »

II. « Jam inde ab apostolorum ætate Christiani certa habuerunt loca, ad quæ frequentes conveniebant, ut res divinas ac sacras agerent, quæ loca post modum ecclesiæ appellata sunt, ecclesiæ, inquam, potius quam templa, ne illi convenire viderentur cum ethnicis, penes quos celeberrima fuerunt templorum et fanorum nomina. Vocatur autem ecclesia ab ecclesiasticis scriptoribus etiam *oratorium*, hoc est locus in quo preces funduntur, et *dominicum*, hoc est domus Dei; et *basilica*, quo nomine appellantur regiæ ædes ad audiendas causas, aut alium publicum usum constitutæ, quæ ædes a piis imperatoribus Christianis datæ sunt, ut ibi conventus agerent suos; et *templa*, quo nomine Christiani serius uti cœperunt, antea non utebantur, cum proprium esset ethnicorum; et *tituli*, loca scilicet Deo consecrata, quæ sacerdotes et ministros sibi addictos habebant. Si quam in memoriam prophetæ, aut apostoli, aut martyris ecclesiam ædificabant, eam *propheteum*, *apostoleum*, *martyrium* Christiani appellabant.

III. « Primæ Christianorum ecclesiæ simplices et modicæ fuisse videntur, quales videlicet fidelium paupertas et paucitas, ac formidolosorum temporum ratio patiebatur. Sed aucta fidelibus atque oblationibus Ecclesia, et exstincta Christiani nominis invidia, multæ eæque splendidissimæ ædes ædificatæ sunt. Accesserunt edicta imperatorum de templis ethnicorum in ecclesias convertendis et eorum, ac præsertim Constantini munificentia, qua, sumptu vere regio, magnificentissima templa excitata sunt. »

IV. « Vetus ecclesiæ forma et situs non semper idem: interdum oblonga erat ac navi similis, interdum rotunda, aut plurium laterum, aut ad formam crucis; qua de re non unus semper, nec ubique mos fuit. Ecclesiæ frons ut plurimum, ad occidentem spectabat, sanctuarium ad orientem, quoniam versus orientem Christiani preces fundebant. Sed sæpe neque orientem, neque occidentem sanctuarium respiciebat; et vero ab antiquis monumentis quavis forma et situ ecclesiæ exhibentur. »

V. « Jam vero ecclesiæ, præsertim ampliores, pluribus constant partibus, quarum aliæ interiores, hoc est, intra parietes sunt, aliæ exteriores, quæ parietibus non includuntur. Partes interiores, ex antiqua disciplina erant *narthex* sive *ferula*, *templum* sive *navis*, et *bema* sive sanctuarium. Narthex erat pars oblonga et angusta ad instar *ferulæ*, e transverso frontis ecclesiæ, ibique, dum sacræ conciones habebantur, infideles, hæretici, catechumeni et pœnitentes *audientes* dicti consistebant. »

VI. « Narthecem excipiebat pars illa ecclesiæ, quæ proprie *templum* ac *navis* dicebatur. Hæc, ut plurimum, quadrata erat, eamque a narthece separabant lignea quædam repagula pervia portis, quas portas *regias* et *speciosas* appellabant. In inferiori hujus partis loco, qui statim ingredienti occurrebat, stabant pœnitentes *substrati*, in superiori, qui erat sanctuario propinquior, *consistentes* et fideles communicantes; et hi suum quique habebant locum, mares discretum a feminis,

virgines a nuptis, monachi a sæcularibus. In media *navi* erat *ambo*, hoc est locus editus, ad quem per gradus patebat ascensus, in eoque stabant cantores et lectores, qui epistolas atque evangelia legebant, et in eo etiam diptycha recitabantur. »

VII. « Tertia et intima antiquarum ecclesiarum pars erat *sanctuarium*, quod Græci *bema* appellabant. Locus hic septis sive cancellis muniebatur, ut nunc munitur, ne laicis ad eum pateret aditus, cum sacra officia peragebantur. Cancelli erant portulis pervii; portulas autem et spatia cancellorum vela quædam obtegebant. Suprema pars *sanctuarii apsis* dicebatur, ædificium scilicet semicirculi formam exhibens, ubi thronus episcopi, sedesque erant, seu throni presbyterorum. »

VIII. « In medio sanctuario a pariete sejunctum erat altare, quod etiam *ara*, *mensa sacra*, sanctum sanctorum dicitur. Initio lignea, ut plurimum, erant altaria, deinde lapidea facta sunt; erantque etiam in locis compluribus auro argentoque cooperta. Unum in Græcis ecclesiis erat altare, uti nunc etiam est; sed Latini jam inde ab antiquissimis temporibus plura in una ecclesia altaria habere consueverunt. Altare obtegebat linteum, atque ornabat ciborium, et crux in eo stabat, et prope crucem ex utroque latere candelabra, quæ ardebant, dum sacra peragebantur. »

IX. « Vix ullus in antiquissimis ecclesiis sacrarum imaginum usus fuisse videtur. Non enim eos adhiberi patiebatur et prisca Christianorum paupertas, et veterum formidolosorum temporum ratio, et petulantia ethnicorum, qui illos facile deridere et contemnere poterant. Accedit et alia ratio, quod illæ imagines aliquam forte offensionem afferre poterant ethnicis, qui Christi religionem amplectebantur. Sed eversa idololatria, lateque diffusa et constituta Christiana religione, sacræ imagines, aut pictura aut statuis expressæ, adhiberi cœperunt. »

Attamen imagines pictura expressæ reperiuntur in Romanis *catacumbis* seu antiquis cœmeteriis, in quibus exstant multa oratoria, ubi per tria priora sæcula conventus suos agebant christiani.

X. « Exteriores ecclesiæ partes erant ædificia, quæ ad eam pertinebant, sed ecclesiæ angustiori sensu acceptæ parietibus non includebantur. Talis erat *exterior narthex*, qui *vestibulum* et *atrium* sive *aream* comprehendebat. *Vestibulum* erat primus aditus, inter quem et ecclesiam angustius acceptam, media erat area sive atrium, locus scilicet, cujus medium sub dio erat, latera vero quatuor porticibus cingebantur. Erant in medio aquæ salientes, seu putei, et canthari aut conchæ, ubi Christiani templum ingressuri manus et os lavabant; unde usus aquæ benedictæ repetendus est. »

XI. « Cætera ædificia circum ecclesiam generali *exedrarum* nomine vocabantur, eaque erant *baptisterium*, *secretarium* sive *diaconicon*, *pastophorium*, *schola*, *bibliotheca*. — *Baptisterium* erat satis amplum ædificium ac duabus constabat partibus, vestibulo, in quo catechumeni abrenuntiationes emittebant, ac domo interiori, in qua fiebat ablutio ritusque cæteri in baptismo adhibiti peragebantur. *Secretarium* sive *diaconicon* locus erat, in quo sacra indumenta, vasa, ac reliqua ecclesiæ supellex servabantur. *Pastophorium* generale nomen est, quo multa significantur; sed ut plurimum designat ædificia, quæ stabant ab utroque ecclesiæ latere ad extremitatem orientalem, et custodum ac ministrorum templi domicilium. *Schola* et *bibliotheca* locus erat, in quo animi litteris atque doctrinis excolebantur. » (Devoti, *Institut. canonic.* lib. II, tit. VII, procemium.)

§ II. — De variis ecclesiis et oratoriis hodiernis.

I. Inter ecclesias aliæ *matrices* dicuntur, quia multarum aliarum quibus fidem traduxerunt veluti matres et genitrices exstiterunt, eo nomine primum solæ ecclesiæ apostolicæ, seu ab apostolis immediate fundatæ condecoratæ sunt, sed postea illud nomen ad cathedrales extensum est, quin et ad ipsas parochiales, seu majores baptismales quæ sub earum auctoritate alias aliquo modo habebant. (Clement. 1, *De sentent. excom.*; *Trident.* sess. 21, c. 7, *De reform.* Ex adverso, Ecclesiæ quæ a matricibus ortum accipiunt, et ab eis aliquam dependentiam servant *filiales* recte dicuntur. » (Arg. c. *Ad audientiam*, *De ecclesiis ædificandis*.)

II. « Cathedrales vocantur ecclesiæ illæ quæ penes se habent cathedram, quæ est doctorum insigne, significatur. Hæc, ex modo dictis, est matrix et princeps ecclesiarum totius diœcesis et centrum communionis in toto ipsius ambitu, et si sub se habeat alias

cathedrales vocatur metropolitana, et si plures metropolitanas, primatialis aut patriarchalis. Lateranensi Romana omnium urbis et orbis ecclesiarum caput et mater exsistit, et patriarchium totius mundi sibi merito vindicat quia sedes est Romani pontificis cujus primatus ad omnes Ecclesiæ catholicæ partes porrigitur. » (*Inst. jur. can.* auctore R. de M. t. II, 151 et seq.)

III. Ecclesiæ distinguuntur ab invicem dignitate hierarchiæ et in eodem gradu præcedentia inter illas componitur ad juris communis normam, ratione habita antiquitatis et possessionis; generatim autem gradus præcedentiæ de minoribus ad majores ecclesias procedendo sunt ut sequitur.

Primo loco veniunt ecclesiæ fraternitatum et archiconfraternitatum. Secundo, ecclesiæ regularium, ordine quem explicavimus ubi de præcedentiis inter regulares lib. VIII, cap. XXVII. Tertio, ecclesiæ parochiales, inter quas etiam attenditur ad dignitatem et ad antiquitatem tituli, non vero ad dignitatem personalem parochorum. Quarto, ecclesiæ collegiatæ non insignes et collegiatæ insignes. Quinto, ecclesiæ cathedrales. Sexto, ecclesiæ metropolitanæ, primatiales et patriarchales. Septimo, ultimo loco, eoque digniori veniunt basilicæ minores et majores. — Sunt plures, tum Romæ, tum in variis per orbem regionibus, basilicæ minores, quas scilicet summus pontifex hoc titulo honestari voluit. Hujusmodi basilicæ minores gaudent privilegiis : 1° Conopei (pavillon) usus et tintinnabuli quod conopæum præcedit in sua cujusque ecclesia, et in processionibus toti clero communibus; 2° usus cappæ magnæ pellibus armelliuis ornatæ in parte anteriore per hiemem, et cottæ super rochettum, cum cappa deponitur per æstivum tempus; de quibus privilegiis non gaudet basilica minor, nisi fuerit consecrata.

Quatuor sunt Romæ basilicæ majores in memoriam quatuor primarum ecclesiarum patriarchalium; Liberiana, seu Sanctæ Mariæ Majoris, quæ Antiochenam designat; sancti Pauli in via Ostiensi, quæ Alexandrinam; Vaticana, seu Sancti Petri, quæ Sedem Constantinopolitanam repræsentat; tandem Lateranensis, seu SS. Salvatoris et S. Joannis, quæ sedem Romanam in qua Pontifex instituitur præsignat; ideoque est cathedralis totius orbis, et caput et mater omnium urbis et orbis ecclesiarum.

IV. Quoad hodiernam formam Ecclesiæ communissime apud nos duabus solum partibus constant, nave scilicet et sanctuario, in quo altare majus collocatur. Presbyterium et chorus confunduntur. Ecclesiæ navis ex utroque latere altaribus minoribus abundat; etiam pulpitum in ecclesiæ navi consistit, sed tantum ex eo prædicatores verba faciunt; in parte ecclesiæ inferiori baptisterium collocatum est, ab exedris in ecclesiam translatum. Paucæ sunt ecclesiæ quæ habent atrium, et plerumque omnino tectum, nec in eo fontes sunt. Habent vero ecclesiæ diaconicon, sive secretarium, seu sacristia in qua vasa et indumenta sacra asservantur, estque ut plurimum ipsi ecclesiæ adjacens ædificium. Pars etiam nostrarum ecclesiarum est turris campanaria, ut vocatur, in qua, campanæ quæ signum præbent sacra mox celebrari, collocatæ sunt.

V. Tandem loca Deo sacra distinguuntur in publica et privata. 1° Ecclesiæ et oratoria publica dicuntur ædes sacræ ad Dei cultum dicatæ, ad quas omnibus patet aditus, utpote quæ constructæ sint in loco publico; aut saltem, si intra alicujus privati dominia, sint cuique aditu faciles. 2° Sacella, seu oratoria privata ea sunt quæ domino ædium, hujusque familiæ, usui tantummodo inserviunt. Hæc distinctio notanda est, quia alia jura ecclesiarum et oratoriorum publicorum, alia vero jura privatorum.

§ III. — De ecclesiarum et oratoriorum erectione.

I. Quod nulla ecclesia nova, nullumque oratorium erigi, ædificari et ad cultum deputari possit absque competenti ecclesiastica auctoritate, est regula generalis et indubia. Ex *Concil. Chalced.* c. 4, cap. *Nemo, De consecrat.* dist. 1; c. *Lator*, causa 16, quæst. 2; c. *Cum olim, De privilegiis.* — C. *Auctoritate*, eod. in 6, ibi : *Auctoritate sedis apostolicæ, de fratrum nostrorum consilio, statuimus quod oratoria, vel capellas in locis non exemptis sine diœcesanorum locorum ipsorum licentia exempti construere non præsumant. Neque in sic constructis... celebrent, vel faciant celebrari divina. Quod si talia præsumpserint, ab his per locorum ipsorum ordinarios compescuntur. Et si quos propter hoc exemptorum ipsorum conservatores in eos sententias protulerint, illos penitus revocamus. Inhibemus insuper ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant, nisi*

super his licentiam, vel privilegium habeant sedis apostolicæ speciale. Et *De non exemptis*, c. *Nemo* citato: *Nemo ecclesiam ædificet antequam episcopus civitatis veniat* (ac proinde consentiat) *et ibidem crucem figat, publice atrium designet.*

II. *De basilicarum et cathedralium erectione.* — Ad solum papam, jure tum divino tum ecclesiastico, pertinet eligere et constituere ecclesiam in basilicam, sive majorem sive minorem, et etiam in patriarchalem, primatialem et episcopalem seu cathedralem. (Ex unanimi doctorum sententia; argument. ex multis textibus juris, et præsertim c. *Præcipimus*, causa 16, quæst. 1; c. *Novit ille*, *Ne sede vacante*; c. *Quod translationem*, *De offic. legati.* Manifestaque ratio suadet, quia ad solum papam, ut in suo loco probatum est, episcopatuum erectio pertinet et etiam episcopatuum et episcoporum inter se subordinatio; ergo et respective eorumdem ecclesiarum. Causæ vero erigendæ ecclesiæ cathedralis dantur in cap. *Episcopi*, et cap. *Illud sane*, dist. 80. Unde in stylo ecclesiastico quando papa erigit cathedralem in aliquo loco, hunc etiam locum erigit in civitatem; et ex communi interpretatione receptum est ut illa sola appelletur civitas quæ habet episcopum; huic interpretationi valde suffragatur quod papa unico contextu erigit civitates et dat episcopum per hæc, vel similia verba: *Oppidum* N. *in civitatem, ecclesiam vero in cathedralem pro uno episcopo*, etc., *erigimus et instituimus*, ut patet in oppidis Lauretan. Montis Alti, Sancti Severini, et Tolentini, a Sixto V in civitates erectis. (*Bullar.* tom. II, pag. 518, 558, 559 et 564.) Facit extravag. *Salvator*, § *Volentes*, *De præb.* inter communes, ibi: *Quatuor villæ, quarum quamlibet... in civitatem erigimus, et civitatis vocabulo insignimus... sint de cætero et habeantur perpetuo ecclesiæ cathedrales.* Loca quæ nunquam episcopum habuerunt, in eodem stylo dicuntur oppida, villæ, castra, castella, paga, plebana. Roma vero per excellentiam Urbs vocatur, veluti civitates episcopales per excellentiam vocantur civitates. (*Vide* apud FAGNAN. in II part. lib. V *Decretal. De privilegiis*, c. *Episcopalia*, n. 13 et seq.)

III. *De ecclesiæ collegiatæ erectione.* — « Nonnulli, ait Barbosa, *Jur. eccles. univ.* lib. II, c. 6, non contemnendæ auctoritatis, existimaverunt episcopum posse erigere parochialem ecclesiam in collegiatam, ut per text. in cap. *Quoniam*, *De vit. et honest. cleric.* tenent plures... Ego tamen, subdit, verius credo episcopum sua ordinaria auctoritate, vel alium quemvis inferiorem papa non posse erigere collegiatam, ut merito concludunt plurimi... Huic utique sententiæ adhærendum est, ut expressius ac firmius Ferrar. verb. *Collegiata* declarat, his verbis: « Collegiata non potest erigi nisi per papam, quia collegia nonnisi potestate principis supremi erigenda sunt. (Lib. III, § *In Summa*, *De colleg. illic.*) Et sic probat inconcussa observantia, quod scilicet collegiatarum erectiones fiant semper a papa, ut testatur card. de Luca, *De benef.* discurs. 14, et alii; et sæpius ita decidit Rota... atque ita pluries respondit sacr. congr. Episc. Et sacr. congr. Concil.... Insuper de quodam motu proprio Clem. VIII prohibentis de cætero episcopis erigere parochiales in collegiatas testatur Rebuff. in praxi. tit. *De erect. in colleg.* Est ergo hodie res certa, etsi de ea nullum sit jus positive expressum, et aliquando fuerit ambigua apud canonistas sententia, facultatem erigendi ecclesiam in collegiatam privative competere Rom. pontifici, adeo ut hæc erectio ab alio quocunque, etiam episcopo, atque sub reservatione beneplaciti apostolici facta, nulla sit. S. congr. Episc., 16 Mart. 1612; 27 Novembr. 1651; 10 April. 1655; apud Ferrar. loc. cit. Unde de hac re amplius esse non potest controversia apud doctores.

« Licet autem collegiatæ erectio nequeat fieri de novo ab episcopo, ex hucusque adductis, posita tamen erectione collegiatæ rite facta auctoritate summi pontificis, si contingat collegium deficere, ob mortem v. gr. canonicorum, vel aliam consimilem causam, ex qua licet desinat esse collegiata actu, remanet tamen adhuc talis habitu... In tali casu reductio collegialitatis ad actum poterit fieri ab episcopo, cum hæc non sit proprie erectio. » (FERRAR. verb. *Collegiata*, n. 22 et seq.)

De requisitis ad collegiatæ erectionem. — « Collegium tamen ecclesiasticum canonicorum, sive collegiata, sola episcopi auctoritate non erigitur, prout dixi, tom. I, tit. 6, annot. ad form. 10, num. 7; sed recurritur ad papam, qui erectionem concedit dummodo votum congregationis Concilii (ad quam remittuntur preces) sit favorabile, quæ regu-

lariter pro concessione solet inclinare, quoties concurrunt sequentia. Primo, qualitas loci nota digni. Secundo, docilitas, civilitas, et numerositas populi et cleri. Tertio, structura decora, et capacitas ecclesiæ in collegiatam erigendæ. Quarto, abundantia, decentia, et pretiositas sacrarum supellectilium. Quinto, dos congrua pro præbenda canonicorum, et distributionibus, quæ regulatur a qualitate loci et consuetudine aliarum collegiatarum illius provinciæ.... Sexto, si conditiones fundationis et erectionis non sint exorbitantes a jure. Septimo, si augeatur divinus cultus, et concessio nemini inferat præjudicium. Octavo, si episcopus approbet, et laudet erectionem. » (MONACELLI, tom. II, tit. XIII, adnot. ad form. 6, n. 8.)

Ecclesia in collegiatam noviter erecta remanet uti antea subjecta episcopo, nisi ab ejus potestate specialiter eximatur. Cum autem dignitatem habeat, præcedit alias ecclesias simplices diœcesis, etiam parochiales. (S. Rit. congr. sæpius.) Quin et si insignis sit, cæteras collegiatas quæ tales non sunt præcedit, etiamsi fuerint prius erectæ. (S. Rit. congr. 24 Maii 1612.)

IV. *De ecclesiæ regularis erectione.* — Ecclesia regularis, seu monasterium cui indivisibiliter connexa est, nequit erigi absque auctoritate et consensu episcopi, seu ordinarii loci, saltem a tempore Tridentino. (*Trident.* sess. 25, cap. 3, sub fin., et constit. Clement. VIII *Quoniam ad institutam*, GREGOR. XV. *Cum alias.*) Requiritur deinde, etiam post Tridentinum, venia summi pontificis. (Ex cap. unic. *De excessibus prælator.*, in 6; et ex c. unic. *De religiosis domib.*; et ex constit. Innocent. X *Instaurandæ.* Item ex pluribus decisionibus Rotæ apud FERRARIS, verb. *Conventus*, n. 13; necnon sacr. congr. Episc. et Regul. *ibid.*) Quocirca Benedictus XIV, *De syn. diœc.* lib. IX, cap. 1, n. 3, testatur hanc sententiam hodie esse communem et in tribunalibus receptam. Vide quod diximus lib. VIII, *De regularibus*, cap. III et IV.)

V. *De ecclesiæ parochialis erectione.* — Parochialis ecclesia est illa quæ habet populum et territorium certis limitibus distinctum, cum certo rectore sub episcopi auctoritate stabiliter deputato. Porro ad papam primario pertinet diœcesim quamdam in parochias dividere et distribuere. Eadem potestas sub pontificis auctoritate ad episcopum spectat. Præterea diœcesi semel erecta et in parochias divisa, aliqua nova ecclesia parochialis erigenda est vel infra fines parochiæ jam exsistentis, vel extra. Utriusque erectio episcopi auctoritatem et consensum expostulat. (C. *Nullus omnino*, causa 16, quæst. 7; et *Trident.* sess. 24, c. 13.) Porro episcopus per se debet novam erigere parochiam; nec hanc erectionem facere potest per vicarium generalem, nisi det ei mandatum super hoc speciale, quippe generale non sufficeret, ex declaratione sacr. congr. apud Fagnan. in c. *Ad audientiam*, *De erectione et ædificat. eccles.* n. 41. — Requisita vero ad novæ parochiæ erectionem exposuimus lib. VI, cap. V, quæ sunt fere sequentia: 1° ut novæ ecclesiæ prævio assignetur dos competens; 2° ut audiatur rector ecclesiæ matricis ex qua nova deducitur, fiatque inquisitio quam vocant *de commodo et incommodo.* Præterea in citato c. *Ad audientiam* expressa mentio fit obtinendi consensus patroni ad dismembrationem ecclesiæ a se dotatæ. Si autem rector et patronus essent irrationabiliter inviti, nihilominus ad dismembrationem procedi posset et deberet. Sed semper rectori et patrono remanet jus appellationis ad superiorem. — 3° Ut servetur ecclesiæ matrici honor debitus. (C. *Ad audientiam* citat.)

Jus patronatus acquiritur per fundationem, ædificationem et dotationem ecclesiæ. *Vide* de hac re quæ dicta sunt lib. VI, cap. V.

In omnibus vero casibus debet ecclesia ad cultum Dei perpetuo consecrari, ut dicemus infra.

VI. *De oratorii publici seu capellæ erectione.* — Oratorium publicum est ædes sacra ad Dei cultum, et quidem perpetuo, auctoritate ecclesiastica competenti deputata, habens liberum ingressum et egressum per viam publicam. Iis assimilantur, ac pro talibus reputantur oratoria quædam quorum accessus aut recessus non omnibus quidem patent, sed ad utilitatem communem collegii seu communitatis cujusdam competenter approbatæ inserviunt, ut oratoria carcerum, hospitalium, etc. Porro auctoritas competens ad hujusmodi erectionem, sicut et novæ ecclesiæ parochialis, est auctoritas episcopi. (C. *Nemo ecclesiam*, *De consecrat. dist.* 1; et c. *Cum olim*, *De privileg.*; et

cap. 1 *De nov. oper. nuntiat.*) Erectio enim novæ ecclesiæ seu oratorii publici est loci drivati in publicum mutatio, et profani ad cultum divinum deputatio, et dominii ac possessionis loci ab hominibus ad Deum et Ecclesiam ejus translatio. Arg. cap. *Quæ semel* 4, causa. 19; quæst. 3, cap. *Ligna* 38. *De consecrat.* dist. 1, et cap. *Semel* 51, *De re jud.* in 6, ibi : « Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. » Porro ad primarium cujusque loci magistratum spectat mutatio loci privati in publicum, et ad episcopum divini cultus in sua diœcesi suprema administratio et acceptatio alicujus dominii et possessionis nomine Dei et Ecclesiæ.

Est ergo res certa et extra controversiam oratorium publicum rite et valide erigi non posse nisi interveniente episcopi consensu. Controvertitur autem utrum dictus episcopi consensus debeat esse positivus et expressus, an vero sufficiat esse tacitus. Sed communior sententia est quod ubicunque hic consensus verus et certus intervenerit, sive explicitus, sive implicitus, sive concomitans, sive subsequens, ibidem vere ac certo legitima ac valida est erectio, sed tantum a die consensus præstiti.

Conditiones requisitæ ad erectionem legitimam oratorii publici sunt : 1° ut fiat ad augmentum cultus Dei, non autem quæstus causa, nempe oblationum quæ ex hac erectione fundatoribus obvenire possent, ut expresse habetur in cap. *Si quis, De consecr.* dist. 1 : *Si quis basilicam non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione colligitur medium cum clericis dividat, eo quod basilicam in terra sua quæstus causa condiderit, quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri : hoc de cætero observari debet ut nullus episcoporum tam abominabili voto consentiat, nec basilicam quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita audeat consecrare.*

2° Ut prius de dote congrua pro sustentandis ministris, si qui sint in ea deservituri, pro sacra supellectili, ac cæteris hujusmodi novæ ecclesiæ seu capellæ provideatur. Cap. *Nemo ecclesiam, De consecr.* dist. 1, ibi : *Nemo ecclesiam ædificet antequam episcopus civitatis veniat... et ante præfiniat qui ædificare vult quæ ad luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia custodum sufficiant et ostensa dote, sic demum ecclesiam ædificet.* Hæc dotis sufficientia ab episcopo dijudicanda est, qui si nulla, aut evidenter insufficienti se contentum præbeat, ac ecclesiam ædificare permittat, tenetur ipse hanc insufficientiam supplere. Cap. *Cum sicut, De consecrat. eccles. vel altar.*, ibi : *Cum, sicut ex relatione capituli Oradiensis nobis innotuit, eorum feceris ecclesiam consecrari, cum non sit ecclesia nisi de dote ei provisum fuerit consecranda, eo liberalius ad dotandam prædictam ecclesiam aperire manus munificentiæ tuæ debes, quod ad hoc fortius tanquam ex debito jam teneris.* Confirmatur cap. *Placuit*, 1, causa 1, quæst. 2.

Capella autem potest erigi sine dote, nam sufficit ecclesiam esse dotatam : dummodo tamen non adsit in ea speciale beneficium erectum, aut aliquod onus impositum ; alias esset assignanda dos juxta onus.

3° Pro ædificanda ecclesia seu oratorio publico requiritur ulterius ut novæ ecclesiæ erectio non vergat in præjudicium alterius ecclesiæ præsertim parochialis. (C. *Quicunque* 44, causa 16, quæst. 1; et c. *Intelleximus* 1, *De novi operis nuntiatione.*) Hinc si ab episcopo permittatur ædificatio ecclesiæ in præjudicium parochialis, potest parochus se opponere, et a licentia concessa appellare. (Communis.) Si tamen in licentia concessa pro ædificatione novæ ecclesiæ, quæ non sit parochialis, nec regularis, sint ab episcopo reservata jura parochialia, et sic non inferatur præjudicium ecclesiæ parochiali, tunc nec requiritur parochi consensus nec ipse parochus potest contradicere, et ædificationem impedire, ut late probat et defendit card. Petra, tom. I Comment. ad const. 2 Paschal. II, n. 17 et seq., ubi, solvendo fundamenta adversariorum, ostendit consensum parochi pro constructione ecclesiæ non parochialis a nullo jure requiri. Idem probat Monacelli t. I, tit. VI, form. 10, n. 8, et pluries a sacra congr. tum Episc. et Regul. tum Concilii fuit decisum; quæ decisiones litteraliter dantur apud Ferraris, verb. *Ecclesia*, art. 3, n. 45 et seqq. Hæ tamen decisiones semper jura parochialia reservant.

VII. *De oratorii privati erectione.* — Oratorium privatum est utique locus ad cultum Dei deputatus : non tamen auctoritate ecclesiastica, sed privato arbitrio erectus, nec

perpetuo, saltem ex essentia, sed pro tempore et perseverantia voluntatis ædificantis, nec inserviens in usum multitudinis, habensque propterea publicum accessum, sed e contra privatæ pietati destinatus, ideoque multitudini occlusus.

Ex ecclesiæ generali licentia cuilibet plena copia datur oratorium privatum erigendi absque ulla auctoritate ecclesiastica, non autem licet in hujusmodi oratorio privato officia publica et præsertim missam, quæ est opus publicum, celebrare, nisi ex licentia prius obtenta ab auctoritate ecclesiastica competenti; textu expresso in cap. *Unicuique* 33, *De consecrat.* dist. 1, ex concilio Aurelianensi, ibi: *Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere et ibi orare; missas autem ibi celebrare non licet.* Et cap. seq. *Clericos* 34, ex sexta synodo generali, ibi: *Clericos qui ministrant, vel baptizant in oratoriis quæ intra domos sunt, cum consensu episcopi loci hoc facere præcipimus. Si quis vero hoc non observaverit, deponatur.*

Ad quem vero pertineat licentiam celebrandi missas in oratoriis privatis concedere? Jus hac de re non semper idem fuit, nec doctores concordarunt. Etenim, 1° jure antiquo ante Tridentinum, et constitutiones pontificias quæ illud subsecutæ sunt obtinente, episcopos habuisse potestatem dandi licentiam celebrandi in oratoriis privatis constat ex c. *Missarum* 12, *De consecr.*, dist. 1, et c. *Clericos* 34, *ibid.* citato. — 2° Ante idem Tridentinum et præfatas constitutiones pontificias, ex speciali privilegio, etiam in corpore juris incluso, regulares poterant in quovis loco ac proinde in oratorio privato missam super altari portatili celebrare, (C *In his, De privilegiis.*) — 3° Antiquum vero hujusmodi jus concilium Tridentinum abrogavit, sess. 24, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, ibi: *Neve patiantur episcopi, privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus aut regularibus quibuscunque peragi... de his omnibus quæ summatim enumerata sunt... non obstantibus quibuscunque.* — Et confirmatur quoad abrogationem privilegii regularium ex interpretatione authentica, clara et expressissima textus Tridentini: 1° per decretum Clementis XI, *Quoniam sancta* 1704; et 2° per Benedicti XIV *encyclic.* ad primat. archiepisc. et episc. regni Poloniæ. Et probatur quoad sæcularium oratoria privata, ex eodem decreto Clementis XI et eadem Benedicti XIV encyclica, in qua allegat et laudat similem Pauli V encyclicam an. 1615 super eadem materia; ibi sic Benedictus XIV habet: *Postremum autem quod dicimus, illud est. Cum post varios sermones in sacro concilio Tridentino hac de re habitos... in sess. 22, in decreto De celebrandis,* etc., *sequenti modo statutum et ordinatum fuerit: « Neve patiantur (de episcopis sermo est) privatis in domibus.. » (et cætera supra relata), cum adjecta derogatione cuilibet privilegio, exemptioni et consuetudini, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscunque, ex eo factum esse ut non amplius episcopis facultas sit concedendi usum oratoriorum privatorum in domibus laicorum, causa in iisdem missam celebrandi, cum licentia quæ ab ipsis daretur celebrandi missam in oratoriis privatis neutiquam stare posset cum præcepto a concilio eisdem ipsis imposito, ne id permittere debeant, ac proinde prædictum jus ad sanctam sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiæ temporum, et oratoriorum privatorum in laicorum domibus dilatatio minime permittebant ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper conciliaris textus intelligentia, quam tradidit congregatio Concilii privativa ejusdem interpres, quæque etiam a felicis recordationis prædecessore nostro Paulo papa V, in epist. encyclica, an. 1615, ad omnes episcopos expedita, approbata fuit, quæ quidem epistola tum apud varios auctores, tum etiam in citato tractatu nostro de sacrificio missæ impressa reperitur, et in ea quidem alia quæcunque verborum concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga missæ sacrificium dicuntur, cui nimia episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione aut cautela non parum fomenti præbebat.* Denique in eadem ita concluditur: *Facultatem hujusmodi licentias dandi ipsius concilii decreto unicuique ademptam esse, solique beatissimo Romano pontifici esse reservatam.*

Ergo, sublatis a Tridentino ex una parte privilegio quo gaudebant ante illud regulares celebrandi in domibus seu oratoriis

privatis, et ex alia parte facultate quæ hucusque episcopis inerat dandi licentiam in iisdem oratoriis celebrandi, jam certum remanet tum ex ipso Tridentino, tum ex pontificiis contitutionibus nulli sive regulari sive sæculari id licere etiam auctoritate episcopali, adeoque auctoritatem pontificis omnino requiri ad hanc licentiam. » (*Inst. jur. canon.* auctor. R. de M. t. II, p. 181.) — Imo tenentur episcopi id impedire, ubi non est licentia pontificia, nam præcipit sancta synodus *ne patiantur privatis in domibus....* missam celebrare. Confirmatur multis declarationibus sacr. congr. Concil. interpretis, et postremo 29 Januarii 1847 ad episcopum Monasteriensem, in qua expresse habetur « non licere ulli episcopo hujusmodi licentias, quocunque sub obtentu concedere, ne pro actu quidem mere transeunte. Hanc facultatem esse soli Romano pontifici reservatam, eidem episcopo (Monasteriensi) litteras sacr. congr. a Paulo V approbatas expediri; et quoad facultates hucusque alias quam a Rom. pontifice concessas, consulendum Sanctissimo pro earum sanctione. Sanctissimus resolutionem sacr. congr. in omnibus benigne approbavit et confirmavit. — Imo episcopi neque possunt concedere licentiam domi celebrandi, ut infirmus pro viatico communicetur. Sic expresse Fagnan. cap. *In his* 30, *De privileg.* n. 13, ubi refert sic declarasse sacram congregationem Concilii.

« Facultatem celebrandi in privatarum domorum oratoriis, ab apostolica sede emanatam, episcopus impedire non potest, verum oratoria ipsa visitare debet, ut videat si decenti loco ornatuque sint. Item corrigere quidquid corrigendum invenerit. » (Adnot. ad decretum Trident. *De observ. celeb. missæ.*) — « Ordinarius adinveniens oratorium prædictum omnibus requisitis in indulto, tenetur approbationem et licentiam concedere, quia non habet potestatem limitandi concessiones summi pontificis, et si injuste deneget, vel semel concessam sine justa causa revocet, potest cogi ab archiepiscopo et aliis superioribus, ut eam concedat. (Communis.) Ex justa tamen causa, ut si deficiant requisita, potest eam non concedere, et concessam revocare, donec oratorium sit decenter instructum omnibus in indulto requisitis. (Communis.) — Privata oratoria post primam visitationem in concessione et approbatione, non possunt amplius de jure visitari ab episcopo, nec ab eis potest exigi procuratio, quia cum non sint loca sacra aut religiosa, imo nec pia, ut censuit Abbas... et cum eo multi... jam non videtur ex quo capite episcoporum visitationi subjaceant. Ita multi apud Ferraris, verb. *Oratorium*, n. 25, arg. cap. final. *De censibus*, juncto cap. 26, § *Deinde*, eod. tit. in 6. Et idem auctor, n. 26, addit : « Tamen licet episcopus non possit tanquam visitator ad dicta oratoria privata accedere, permissum est ei nihilominus videre (saltem quando præcedit accusatio, vel denuntiatio, aut fama publica, quod oratorium indecenter teneatur, et in ipso non adsint seu non serventur requisita in indulto), an revera indecenter teneatur, et non serventur dicta requisita. Tunc enim potest episcopus procedere super crimine in judicio actu visitationis, vel denuntiationis, aut inquisitionis, secundum ea quæ leguntur in cap. *Qualiter et quando* 24, *De accusationibus.*»

Privilegium oratorii privati durat, durante vita illius cui facta est concessio, eoque mortuo, finitur nec transit ad hæredes, quia est privilegium personale, quod finitur morte personæ privilegiatæ. (C. *Privilegium*, *De regulis jur.* in 6.) — Non potest in dicto oratorio celebrari nisi unica missa pro quolibet die, ex decreto Clement. XI cit., ubi prohibet omnibus sacerdotibus, et etiam episcopis, ne ibi celebrent, postquam fuerit jam celebrata illa unica missa, quæ in indulto conceditur, et obligat celebraturum diligenter inquirere et se opportune informare, an jam ibi celebrata fuerit dicta unica missa; unde tam celebrans, vel celebrare faciens in dicto oratorio alteram missam, et plures, peccat mortaliter; quia delinquit in re gravi contra expressam summi pontificis inhibitionem. (Communis; apud Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 33.) — Sola persona privilegiata ejusque familiæ membra, et hospites nobiles, non autem famuli et famulæ possunt satisfacere præcepto audiendi missam in dicto oratorio. (Ferrar. *ibid.* n. 51 et seqq.) — Ex encyclica Benedict. XIV 2 Jan. 1751 ad primat., etc., Poloniæ non possunt in oratoriis privatis administrari sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ sine episcopi vel ejus vicarii generalis licentia. — Nequit in dictis oratoriis celebrari missa in diebus Paschatis, Resurrectionis, Pente-

costes, et Nativitatis Domini necnon aliis solemnioribus festis diebus (ex declarationibus sacr. cong. Rit., et encyclicis pontificiis supra citatis,) per omnia supra dicta limita, nisi aliter fuerit in indulto pontificio concessum. At nequit episcopus concedere licentiam asservandi SS. Eucharistiæ sacramentum in oratoriis privatis, ut alibi probatum est.

Supra oratorium etiam privatum seu capellam, aut ecclesiam nequeunt esse cameræ vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum, aut ad alium usum profanum. (Communis, et pluribus sacrar. congr. decretis apud Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 18 et 92, et verb. *Ecclesia*, art. 5, n. 5.) Subtus tamen ipsa possunt adesse horrea, cellæ vinariæ, aut apothecæ. (S. congr. Episcop. et Concil., apud Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 32.) Potest tamen privilegiatus, si nolit amplius uti privilegio, pro suo libito convertere oratorium in usus profanos; quia oratorium privatum non est locus sacer, nec immutabiliter dicatus divino cultui, adeoque nec gaudet immunitate ecclesiastica, ut decrevit sacr. congr. Immunit. 9 Decemb. 1631. Si autem privilegiatus velit iterum tale oratorium profanatum remittere ad usum celebrandi sacrum, indigebit nova approbatione ordinarii... (Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 19 et 20.)

VII. *De quasi publicis oratoriis.* — Inter oratoria proprie publica et oratoria omnino privata intersunt alia oratoria quæ simul privata et publica esse possunt; et hujusmodi approbari possunt ab episcopo, ut cum communi doctorum testatur Ferrar. verb. *Oratorium*, n. 23 : « Potest tamen episcopus concedere licentiam erigendi oratorium in domo privata, et inibi per modum habitus semper celebrandi; dummodo tale oratorium habeat publicum ingressum et egressum, quia tunc, posito ingressu publico et egressu patente in publicam viam, illud oratorium censetur publicum; adeoque propria auctoritate potest designari ab episcopo ad divinum cultum et ad celebrationem sacrificii. » Et in addition. ex aliena manu, n. 101 et seq., dicitur : « Potissima differentia oratorium publicum inter et oratorium privatum in eo posita est, quod illud habere debet januam apertam in via omnium usui patenti et a privatorum hominum dominio exempta, tantæque amplitudinis, quanta communiter ab interpretibus juris ad viæ publicæ denominationem desideratur. In hoc vero alius non patet aditus, nisi per locum privatum. » — « Cæterum si pateat aditus ad oratorium per domus atrium, per prædium, aream, campumque de alicujus dominio, sed ab immemorabili tempore transitus ille liber fuerit, perinde ac si fuisset per viam publicam, ita ut nulla domino sit facultas transitum illum impediendi, non desinit oratorium illud esse publicum. Idem dic, si in nova constructione oratorii, dominus se obligaverit, viam quæ ducit ad ipsum, cuique liberam in perpetuum servare. (Fagnan. in cap. *In his*, n. 18, *De privilegiis* ; Gattic. *De orator. domest.* c. 3, n. 3.)

« In oratorio publico necessariam esse campanam vulgo traditur. At oratorium non desinere esse publicum, tametsi campana ipsum careat, firmat Gattico, *ibid.* n. 13..... Recte vero asseri potest publicum esse oratorium si campanam habeat, quia campana non appenditur, nisi oratorium sit publicum.

« De eo non levis est controversia, num oratorium publicum, præter ostium principale in via publica apertum, habere possit aliam minorem januam quæ privatam domum vel privatæ domus atrium respiciens, ingressum non omnibus liberum præbeat, sed solis domesticis, in quorum unice gratiam aperitur. Tum etiam quæritur num in oratorio publico fenestræ in parietibus effingi queant, ut e privatis cubiculis domestici in oratoria respicere, atque ita a reliquis omnibus separati, missæ ac orationi assistere et vacare possint. Negativam in utraque quæstione tenent Barbosa, etc. At pro affirmativa sententia, in una, itemque altera quæstione est, concurrente vel lege fundationis, vel privilegio apostolico, vel usu immemorabili, Gattico, *De orator. domest.* c. 3, n. 8 et 9, ubi inter alia in confirmationem hujus suæ sententiæ affirmativæ affert synodum Beneventanam anni 1567, tit. v, cap. 2, in quo habetur : « Ædificationem et usum oratoriorum ita episcopi, cum id illis justa de causa concedendum visum fuerit, concedant, ut præter fores per quas a privatis domibus ad ea itur, alias item habeant, quibus a via publica, omnibus etiam aditus pateat. »

Oratoria quasi publica gaudent præroga-

tivis quibus publica gaudent et ecclesiæ, præservatis tamen juribus parochialibus. SS. Eucharistia in oratoriis tum publicis, tum privatis, aut quasi publicis et generatim in ecclesiis non parochialibus nequit asservari, ex decreto sacr. congr. Rit. 12 Septemb. 1626. Excipiuntur tamen regularium ecclesiæ. Cum vero ex citato decreto sacr. congr. id *ubique prohibitum* est, necesse est recurrere ad sanctam sedem pro licentia asservandi SS. Eucharistiam in oratoriis quibuscunque. In oratoriis vero quibus hujusmodi licentia concessa fuerit tenetur presbyter residere et quotidie missam celebrare per se vel per alium sacerdotem. (S. congr. Rit. 16 Mart. 1833, *in Firmana.*)

Oratoria privata et etiam quasi publica, quæ in dominio privatorum sunt, reparare et restaurare, ubi opus fuerit, tenentur possessores et proprietarii.

Facultatem oratorii publici et quasi publici legitime concessam, episcopus, vel ejus successor, revocare non potest, præsertim si exstructum jam fuerit; quia datur in perpetuum, salvo tamen jure locum interdicendi, si causa canonica intercesserit. Episcopus igitur successor factum sui antecessoris ordinarie revocare non debet, sed illud servare : id magis tenendum, quando detrimentum experiretur, ob impensas hactenus factas, qui rescriptum obtinuit. (*Thesaur. resolut.* sacr. congr. Concilii, 6 Junii 1840, tom. C. p. 179-189.)

Notandum est quod missa de jure communi, et ordinarie non potest licite celebrari, nisi in ecclesiis, vel locis consecratis, aut saltem legitima auctoritate benedictis, « nisi summa coegerit necessitas. » Cap. *Sicut* 11, *De consecr.* dist. 1, et cap. 2 ibid.

« Necessitas autem celebrandi extra loca consecrata seu benedicta, ut sub dio, vel in privatis domibus, aut in altari portatili, et loco cæteroquin honesto, esset tempore pestis, belli, persecutionum, et ubi sine periculo mortis, aut alterius gravis mali in sacratis et benedictis locis celebrari nequit. Ita etiam si ecclesiæ essent dirutæ, vel ab infidelibus sive hæreticis impeditæ. Cap. *Concedimus* 30, *De consecrat.* dist. 1. In his enim et similibus necessariis casibus, de communi doctorum etiam absque licentia episcopi, si absens sit, et difficulter adiri possit, ipso jure potest quilibet sacerdos licite celebrare; « quoniam, ut dicitur in cap. *Sicut* supra cit., necessitas legem non habet, et quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » (Cap. *Quod non, De regul. juris* 4.)

§ IV. — De ecclesiæ ædificandæ dotatione et reparatione.

I. Ut jam dictum est, ex universali Ecclesiæ lege statutum est nullam ædificari ecclesiam absque prius definita ac constituta dote. (C. *Nemo, De consecrat.* dist. 1, cap. *Placuit*, causa 1, quæst. 2.)

II. Dos assignanda ecclesiæ debet esse competens, et sufficiens pro ipsius ecclesiæ ministris, luminariis, supellectilibus, aliisque necessariis. (Ex iisdem canonibus.)

III. Qui ex plena ac ultronea voluntate ædificant ecclesiam, tenentur etiam eamdem competenter dotare; et si episcopus permiserit ecclesiam ædificari et consecrari absque sufficienti dote, ipsemet tenetur supplere, ut dictum est supra. Sed plures possunt inter se convenire et concordare, ut alii dent fundum in quo ædificabitur ecclesia, alii eam ædificent, alii vero dotent. Tuncque omnes illi, dummodo acceptatio episcopi interveniat, ipso jure jus patronatus in solidum acquirunt. (C. *Filiis* 31 et c. *Decernimus* 32, causa 16, quæst. 6; c. *Quoniam* 3, et c. *Nobis* 25, *De jure patronatus*; et *Concil. Trident.* sess. 14, *De reform.* c. 12; et sess. 21, cap. 7.) Unde concludendum est parochianos, qui ex plena et ultronea voluntate ædificant et dotant ecclesiam, jus patronatus acquirere.

Quando unus et idem simul fundat, ædificat et dotat ecclesiam, tunc solus ipse jus patronatus acquirit.

IV. Parochiani possunt cogi ex debito et mandato superioris ecclesiam ædificare; tuncque jus patronatus non acquirunt. Sed quoad dotationem distinguendum est. Vel illa ædificatio novæ ecclesiæ est nova funditus ædificatio, absque dismembratione a præcedenti, et tunc patet hujus novæ ecclesiæ parochianos integre teneri ad sumptus tum ædificationis tum dotationis; vel est a jam exsistente ecclesia dismembratio, et in hoc secundo casu dotatio ex ecclesia matrici, etiam invitis hujus rectore et patrono, desumenda est si ista ad hanc præstandam sit idonea. (C. *Ad audientiam, De eccles. ædif.*; et *Trident.* sess. 21, *De reform.* cap. 4) Si vero ecclesia matrix non sit sufficiens ad filialem ecclesiam dotandam, tunc

dotationis supplementum a populo exigendum est. (*Trident.* ead. sess. et cap.)

V. Quæ sint vero requisita ad novæ ecclesiæ erectionem seu dismembrationem *vide* lib. VI, cap. V.

VI. Ad episcopum spectat dijudicare causas novæ erectionis seu dismembrationis, simulque sufficientiam aut insufficientiam dotis, et eam acceptare ex textibus jam allatis. Habent tamen interessati jus appellationis ad superiorem contra irrationabilem denegationem.

VII. Pro reparanda corruente ecclesia standum est specialibus locorum consuetudinibus. (Arg. c. *Ad apostolicam* 42, *De simonia;* et c. *Decrevimus* 10, causa 10, quæst. 1.) Nulla speciali consuetudine in loco exsistente, ecclesia reparari debet de suis reditibus. (C. *Placuit* 1; c. *Priscis* 2; c. *Unio* 3, causa 10, quæst. 3.) Si ecclesia nullos habeat, vel saltem non sufficientes ad reparationem, eam reparare tenetur, si sit parochialis, proprius parochus. (Textu expresso in c. *De his* 4, *De eccles. ædif.*) Et, si non sit parochialis, ad eam reparandam tenentur omnes in illa beneficium habentes. (Textu expresso in c. *Quicumque* 1, *De eccles. ædif.*) Si supra dicta omnia deficiant, aut non sufficiant, tunc ad ecclesiam reparandam tenentur patroni et parochiani. Hæc per omnia confirmantur textu expresso in conc. Trident. sess. 21, cap. 7, *De reform.* ibi : *Parochiales vero ecclesias etiamsi juris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructibus, et proventibus quibuscunque ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus, qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos, et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut in illorum defectum parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta cogant* (*episcopi*), *quacunque appellatione, exemptione, et contradictione remota : quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices, seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales, quam alias ecclesias dirutas, in profanos usus, non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi.*

« Ad reparationem ecclesiæ cathedralis tenetur episcopus solus, si tamen habeat redditus superfluos, et non adsit legitima consuetudo in contrarium. (Arg. c. *Decrevimus* 10, causa 10, quæst. 1 et cap. *Quatuor* 27, causa 12, quæst. 2.) Si autem episcopus redditus superfluos non habeat, tunc ad reparationem tenentur et compelli possunt canonici superfluos redditus habentes, sive de suis præbendis, sive de distributionibus quotidianis aliisque rebus capituli. (Arg. c. *Ex parte sua* 4, *De his quæ fiunt a major. part. capituli*, et communis.) Si vero nec episcopus nec canonici haberent redditus superfluos, aut sufficientes ad reparationem, tunc episcopus una cum capitulo posset compellere alios inferiores clericos ad contribuendum de suis superfluis redditibus; vel etiam posset deputare fructus beneficiorum vacantium pro reparatione ipsius ecclesiæ, juxta doctores. »

VIII. « Quæ dicta sunt de reparatione ecclesiæ, intelligenda etiam sunt de reædificatione, seu reparatione domus episcopi, parochi, aut beneficiati, ita ut qui tenetur ad reparationem ecclesiæ, teneatur etiam ad reparationem ædium rectoris ecclesiæ, prout decrevit S. congr. Conc., teste Barbosa in c. *De his* 4, *De eccles. ædif.* n. 5, et aliis. »

IX. Imo supradicti (deficientibus Ecclesiæ redditibus, et contraria non exstante legitima consuetudine) tenentur etiam ad procuranda et reparanda paramenta et ornamenta ecclesiastica, scilicet casulas, pluvialia, albas, calices, et hujusmodi. (Arg. cap. *Quicunque* 1, *De eccles. ædif.*, et tenent communiter doctores.)

§ V. — De ecclesiarum consecratione et benedictione.

I. Ædes ad divinum cultum destinatæ duplici modo sanctificari possunt, benedictione simplici, vel consecratione

II. Consecratio ecclesiæ est dedicatio ejusdem ad cultum divinum speciali ritu facta a legitimo ministro, ad hoc ut populus fidelis opera religionis in ea rite exercere possit; est in re communis. Solus episcopus loci de jure communi potest ecclesiam consecrare. (C. *Interdicimus* 19, causa 16, quæst. 1 ; c. *Nemo* 9, et cap. *Nullus* 15, dist. 2, *De consecrat.*) Episcopus debet esse proprius illius diœcesis, in cujus finibus sita est ecclesia consecranda. (Cit. cap. et cap. *Tua fraternitas* 2, *De consecrat. eccles.*) Non enim in diœcesi aliena potest episcopus consecrare ecclesiam absque proprii episcopi permissione. C. *Episcopus* 28, causa 7, quæst. 1, ibi : *Episcopus in diœcesim alienam ad alienos clericos ordinandos, vel consecranda al-*

taria irruere non debet. Quod si fecerit, amotis his quos ordinavit, altaris tamen consecratione manente, transgressor canonum uno anno a missarum celebratione cessabit. Et confirmatur c. *Piæ mentis* 25; c. *Frigentius* 26, causa 16, quæst. 7, sub pœna suspensionis ab exercitio pontificalium per integrum annum. (*Concil. Trident.* sess. 6, c. 5, *De reform.;* et sess. 14, c. 2; et *Conc. Chalcedonense*, can. 4.) Idque adeo verum est, ut ne ipse quidem vicarius generalis episcopi absque episcopi sui aut jussu aut permissu, consecrare ecclesias possit, etsi episcopus sit, neque enim in istius modi rebus, sed in jurisdictionis duntaxat exercitio diœcesani sui episcopi vices gerit. (Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. II, cap. 8, n. 2.) Episcopus non potest delegare potestatem consecrandi ecclesias simplici sacerdoti, sive non episcopo. (Textu expresso in c. *Aqua* 9, *De consecr. eccles.*) Consecratio enim est benedictio *realis* et *episcopalis*, quatenus fit cum sancto chrismate, et a solo episcopo peragi valet, nisi sancta sedes speciali indulto hanc facultatem presbytero concesserit. Sed in hoc casu simplices sacerdotes debent adhibere oleum sacrum ab episcopo benedictum.

III. In ædificanda autem ecclesia debet primum *episcopus civitatis ad locum accedere, et atrium ac cœmeterium publice designare, ibique crucis Dominicæ signum cum precibus figere, lapidemque primarium ponere.* (C. *Nemo* 9, *De consecr.* dist. 2.) Vel si id commode non possit, per alium etiam simplicem sacerdotem a se delegatum debet præstare. (Azor. *Instit. mor.* p. II, lib. IX, c. 3, q. 4.)

IV. Ecclesia ædificata consecrari potest qualibet die etiam non festiva. (Textu expresso in c. *Tua fraternitas* 2, *De consecrat. eccles.*) Episcopus, clerus, populusque, ad consecrationem se disponunt precibus, atque jejunio quod omnes servare tenentur, nisi data sit dispensatio; celebrantur insuper coram reliquiis sanctorum primæ vesperæ dedicationis. Non possunt ecclesiæ consecrari nisi inter missam. (Textu expresso c. *Omnes* 3, dist. 1, *De consecr.*; et c. *De fabrica* 24, *ibid.*) Tandem multi ritus solemnes in Pontificali descripti servantur: hæc autem non sunt in usu pro simplici benedictione. Consecratio fieri potest a pluribus simul episcopis, ut supponit cap. *Cum ex eo* 14, *De pœnitentiis et remissionibus*, et plurimæ sunt exempla harum dedicationum, in quibus duo, tres, aut plures episcopi partem rituum singuli expleverunt. (Azevedo, in exercit. 69, quæst. 4.)

V. Nulla erigitur nec benedicitur ecclesia quin titulus et patronus ipsi simul conferatur; et in ipsamet benedictione primarii lapidis sacræ ædis ædificandæ, Rituale Romanum præscribit ut episcopus, seu sacerdos, nominet sanctum vel sanctam, « in cujus honorem ac nomen fundabitur ecclesia. » Constitutus autem semel titulus ecclesiæ mutari deinceps non debet, nisi fiat nova ecclesiæ dedicatio. (Communis.) In actu dedicationis ecclesiæ potest episcopus præfixare diem in quo deinceps dedicationis commemoratio celebrabitur.(Vide *Praxim sacræ liturgiæ* auct. De Herdt.)

VI. Ecclesia semel consecrata non est iterum consecranda. Textu expresso in cap. *Ecclesiis* 20, dist. 1, *De consecr.* ibi: *Ecclesiis semel Deo consecratis non debet iterum consecratio adhiberi.* Si tamen ignoretur, aut dubitetur an fuerit consecrata necne, hinc est consecranda. (Textu expresso in cap. *Solemniter* 16, dist.1, *De consecrat.*, et c. *Ecclesiæ* 18, *ibid.*) Et expresse statuit Benedict. XIII in concilio Romano, tit. XXV, c. 3. Ecclesia non est consecranda, nisi prius ei de dote competente provisum fuerit. (Textu expresso c. *Cum sicut* 8, *De consecr. eccles.*, et concordant alii can.)

VII. Benedictio ecclesiarum est oratio qua minister, ad id rite deputatus, ædem Deo dicat ad cultum. Benedictio simplex fieri potest a simplice sacerdote qui hoc munus ab episcopo acceperit, nec adhibetur in ea peragenda unctio sacra olei, nec chrismatis, sed aqua tantum benedicta.

« Ecclesia benedicta et auctoritate episcopi ad sacramenta administranda erecta, ait Quarti, gaudet eisdem privilegiis quibus ecclesia consecrata, ut docent communiter doctores in titulum *De consecratione*, quos citat et sequitur Suarez. » (Commentaria in Rubr. miss. part. III, tit. X, sect. 1, dub. 3.)

VIII. Omnes ecclesiæ et oratoria publica benedici saltem debent priusquam in iisdem celebretur missa. Cap. *Consecrationem* 1, dist. 1, *De consecrat.* ibi: *Missarum celebrationes non alibi quam in sacratis Domino locis, absque magna necessitate fieri debere liquet omnibus quibus nota sunt Veteris et Novi Testamenti præcepta.* (Ex Felicis IV epist.

Item c. *Sicut* 11, et c. *Missarium* 12, dist. 1, *De consecrat.*)

IX. Nulla lege canonica præscribitur oratoria privata benedicere, nullumque ritum ad hujusmodi benedictionem tradunt rituales libri. Decet tamen hæc sacella aliqua benedictione sanctificari, si præsertim debeant sacris mysteriis modo permanenti inservire; tuncque videtur quod debeant benedici. (Arg. ex c. *Sicut* 11, dist. 1, *De consecr.*) Ideoque adhiberi potest benedictio Ritualis pro ecclesiis et oratoriis publicis.

§ VI. — De exsecratione ecclesiarum.

I. Ecclesia ex toto, vel secundum majorem partem destructa exsecratur, id est amittit suam consecrationem et benedictionem, et ex sacra in profanam ædem vertitur, ideoque indiget nova consecratione seu benedictione, licet ex eadem materia reædificetur. (Arg. c. *De fabricis* 24, dist. 1, *De consecrat.* Communis.)

II. Si ecclesia successive per partes deficiens, paulatim per partes statim iterum reficitur, ac reparatur, non indiget nova consecratione, quamvis tota ecclesia successive per partes ita destruatur, et reficiatur, ut nulla pars de primo ædificio supersit. Et ratio est quia, quamvis ex nova materia paulatim a primis fundamentis reficiatur, non ideo desinit esse eadem ecclesia; tum quia, dum ecclesia paulatim et successive reficitur, magis dignum attrahit ad se minus dignum, et major pars minorem. (Arg. c. *Quod in dubiis* 3, *De consecrat. eccles.*; c. *Si ecclesiam* 1, tit. eod. in 6; et regul. 42 juris in 6, ibi: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*) Unde in tali casu sufficiet, si nova pars aquæ benedictæ aspersione exorcizetur. (Arg. c. *De fabrica* 24, dist. 1, *De consecr.*)

III. Si non tota ecclesia, nec major, sed solum aliqua minor pars ejusdem, v. gr. tectum corruat, parietibus adhuc illæsis, non indiget nova consecratione. Textu expresso in cap. *Ligneis* 6, *De consecrat. eccles.* ibi: *Cum parietes in sua integritate permanserint, et tabula altaris mota, vel enormiter cæsa non fuerit, ob causam prædictam nec ecclesia, nec altare debet denuo consecrari.* Et ibi Glossa: « Quandiu parietes integri sunt, non est ecclesia reconsecranda, quia in parietibus consecratur ecclesia, non in tecto. Si ecclesia ita igne comburatur, ut parietes interiores ex toto, vel ex majori parte sint devastati, vel abrasi, quamvis non corruant, indiget nova consecratione. (C. *Ecclesiis* 20, dist. 1, *De consecrat.*) Et glossa ibi dat rationem, quia in parietibus ubi sunt cruces, et inunctiones, fit consecratio, adeoque illis ex toto, vel ex majori parte devastatis, seu exutis, exsecratur ecclesia, et indiget nova consecratione. »

IV. « Quando ecclesia ampliatur, si nova pars addita sit minor remanente, non indiget nova consecratione, sed sufficit quod pars nova aquæ benedictæ aspersione exorcizetur. (Arg. c. *De fabrica*, cit.) Si vero pars nova esset major veteri remanente, tunc ecclesia esset denuo consecranda. Arg. cap. *Si ecclesiam* unico, *De consecr. eccles.* in 6, ibi: *Ne minus dignum majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur.*

V. Quando ecclesia exsecrata fuerit, inservire non potest sacris mysteriis, donec denuo benedictionem seu consecrationem acceperit, ut patet ex allatis textibus; quia exsecrata est profana.

VI. Olim canones requirebant ut ligna ecclesiæ dedicatæ sed exsecratæ ad aliam ecclesiam assumerentur, vel cederent usui monasterii, aut igne consumerentur, in laicorum autem usum non admitterentur. (C. *Ligna* 38, dist. 1, *De consecrat.*) Hæc disciplina hodie non urget: licet enim ex consuetudine ligna, lapides, terram egestam ecclesiæ quondam consecratæ ad profanos usus adhibere. Ipsasmet ecclesias dirutas in usus profanos, non tamen sordidos, convertendi facultatem episcopis tribuit conc. Trident. sess. 21, cap. 7.

§ VII. — De ecclesiarum pollutione et violatione.

I. Ecclesiæ polluuntur, quando, remanentibus illarum forma et consecratione, in illis perpetratur delictum quod directe earum sanctitatem offendit, atque ex præscripto canonum impedire debet quominus ibidem sacra munia agantur, quandiu locus non sit ritibus piacularibus reconciliatus. Ecclesia pluribus casibus et modis polluitur et violatur, ita ut indigeat reconciliatione, scilicet per homicidium, sanguinis humani effusionem, peccatum externum consummatum contra castitatem, et sepulturam infidelis aut excommunicati.

II. Primus casus quo polluitur ecclesia, est quando in ea committitur voluntarium et

injuriosum homicidium sive respectu sui, sive respectu alterius, quamvis sanguis non effundatur. (C. *Si motum* 19, dist. 1. *De consecrat.* ; c. *Proposuisti* 3, *De consecrat.*) Ob casuale homicidium, vel factum sine alterius injuria, ob justam sui defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non violatur ecclesia. (Communis.) Violatur tamen ecclesia per mortem reo illatam in ipsa ex sententia judicis. C. *Decet domum Dei* 2, *De immunit. eccles.* in 6, ibi : *Nulla inibi* (scilicet in ecclesiis) *causa per laicos criminalis maxime agitetur ; sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena.* Non violatur autem, si ex ejusdem parietibus externis reus suspendatur. Si quis extra ecclesiam vulnus recipiat ; et postea ratione ejusdem vulneris moriatur intra ecclesiam, non violatur per hoc ecclesia, quia tunc non homicidium, sed sola mors contingit in ecclesia. E contra vero si quis intra ecclesiam vulnus mortale recipiat, et postea moriatur extra ipsam, tunc ecclesia efficitur polluta. Si quis exsistens intra ecclesiam, occidat jaculo hominem exsistentem extra ipsam, non violatur per hoc ecclesia. Secus vero e contra, si quis exsistens extra ecclesiam, occidat jaculo hominem exsistentem intra ipsam, quia jam tunc verificatur homicidium patratum voluntarie et injuriose intra ecclesiam. Ecclesia violatur, ita ut reconciliatione indigeat, si quis in ipsa pro defensione fidei homicidium, et ita martyrium intra ecclesiam patiatur. (Ex pluribus juris textibus, apud FERRAR. verb. *Ecclesia*, art. 4, n. 36 et seq.)

III. Secundus casus, quo polluitur ecclesia est quando in ea sanguis humanus in quantitate notabili per voluntariam, injuriosam et graviter peccaminosam actionem effunditur. (C. *Ecclesiis* 20, dist. 1, *De consecr.* ; c. *Proposuisti* 4 ; c. *Si ecclesia* 10, *De consecrat. eccles.* ; et c. unico, eod. tit. in 6.) Ecclesia efficitur polluta, sive proprius, sive alienus effundatur sanguis. Sanguinis effusio, ut polluat ecclesiam, debet esse in quantitate notabili ; si solum essent effusæ duæ vel tres guttæ, non diceretur ecclesia polluta. Et tanto minus diceretur polluta, si nullus efflueret sanguis, quamvis in ipsa quis summa cum injuria graviter verberaretur, ut ejus carnes contererentur, et ossa confringerentur. Imo sanguinis effusio, quamvis sit copiosa, non sufficit ut ecclesia dicatur polluta, nisi sit causata per percussionem graviter peccaminosam. Si enim percussio fuerit levis, quamvis sanguis copiose effundatur, non ideo erit polluta ecclesia, et hoc patet cum pueri se invicem in ecclesia percutiunt, vel pater aut magister causa correctionis modum leviter excedendo filium aut discipulum ita verberat, ut sanguis copiose e naribus fluat. Per has enim, et similes percussiones leviter peccaminosas non violatur ecclesia... Si autem sanguis copiose effluat de naso ex percussione violenta inter majores quatuordecim annorum, tunc pollui et violari ecclesiam resolvit, et judicatum refert Marc. Anton. *Variar. resolut.* lib. I, resol. 112, casu 6, et alii. Effusio sanguinis involuntaria, causata scilicet ab amente furioso, vere ebrio, dormiente, vel aliquo casu fortuito, seu etiam non injuriosa et ob justam sui defensionem servato moderamine inculpatæ tutelæ, non polluit ecclesiam, ut tenet communis doctorum cum Glossa in c. *Si ecclesiam* unic. *De consecr. eccles.* in 6. Non polluitur ecclesia, quando quis extra illam in platea, v. gr. in via, in turri, aut subtus in spelunca ecclesiæ percussus fugit ad ecclesiam, et ibi copiosum sanguinem effundit. Polluitur tamen si e contra percussus graviter in ecclesia extra illam copiosum sanguinem effundat. Sic expresse Glossa communiter recepta in citat. cap. *Si ecclesiam.*

IV. Tertius casus quo polluitur ecclesia est quando humanum semen in ecclesia criminose, voluntarie et notorie quocunque modo et peccato est effusum (textu expresso in cap. *Ecclesiis* 20, dist. 1 *De consecrat.*; et cap. *Si ecclesiam* unic., *De consecrat. eccles.* in 6, et sic communis doctorum.—Hinc nota quod non violat ecclesiam effusio seminis facta in somnis, nec pollutio, quam quis patitur invitus, nec menstruum feminarum decidens ; — nec violatur ecclesia per seminis effusionem etiam voluntarie factam, quocunque in loco ecclesiæ attenente, sed extra ecclesiæ corpus. — Violatur tamen ecclesia per copulam conjugalem, si in ipsa ecclesia habeatur, extra necessitatem ; quia, licet copula conjugalis de se sit licita, est tamen illicita propter loci sacri circumstantiam, cui fit injuria. (Arg. c. *Accusatio* 14, causa 2, quæst. 7 ; c. *Ut in domibus* 1, et cap. *Decet domum* 2, *De immunit. eccles.* in 6.) — Si autem copula conjugalis habeatur in ecclesia

in casu necessitatis, quia v. gr. conjuges causa belli, vel ex alia causa, diu cohabitare debent in ecclesia, propter quod adest periculum incontinentiæ, tunc ad ipsum vitandum est licita copula conjugalis etiam in ecclesia, si aliter extra ipsam haberi non possit.

V. Quartus casus quo polluitur ecclesia est quando in ea sepelitur aliquis excommunicatus vitandus, scilicet publice denuntiatus, aut notorius clerici percussor, aut infidelis. (Textu expresso in cap. *Sacris* 12, *De sepulturis;* cap. *Consuluisti* 7, *De consecrat. eccles.;* c. *Ecclesiam in qua paganus* 27; c. *Ecclesiam, in qua mortuorum cadavera* 28, dist. 1, *De consec.*) Hinc ecclesia polluitur per sepulturam infidelis, etiam infantis, et probabiliter per sepulturam infantis non baptizati filii parentum fidelium, nisi tamen in utero matris defunctus cum matre sepeliatur. — Violatur etiam per sepulturam ejus, qui in duello decessit, ex bulla Benedict. XIV, *Detestabilem*, et alii excommunicati non tolerati. — Non violatur autem per sepulturam hæretici non denuntiati, nec aliorum quibus est interdicta ecclesiastica sepultura, ut sunt usurarii, interdicti et alii similes, nam in pœnalibus et odiosis non est facienda extensio nisi in jure habeatur.

VI. Omnes recensiti casus, in quibus fuit dictum violari seu pollui ecclesiam, requiritur quod sint publici, seu publice innotuerint. (Arg. *Significasti* 5, *De adulter.*) Qui enim secreto polluunt, etiamsi adessent duo vel tres, non inferunt necessitatem reconciliationis. Si vero tales casus ab initio occulti, postea publice innotescant, ex eo tempore ecclesia debet haberi pro polluta, et necessario debet reconciliari.

VII. Effectus violationis seu pollutionis ecclesiæ sunt tres : 1° ecclesia polluta non potest consecrari antequam reconcilietur et pollutionis causa amoveatur.— 2° In ecclesia polluta, vel in ejus cœmeterio contiguo non potest sepeliri ullus defunctus, donec reconcilietur.— 3° In ecclesia polluta non possunt nec divina officia nec missæ celebrari. (C. *Ecclesiam* 27 et 28, dist. 1, *De consecr.*; c. *Si ecclesia* 10, *De consecr. eccles.*; c. *Si ecclesiam* unic. eod. in 6; c. *Sicut* 11; c. *Nullus* 14, dist. 1, *De consecrat.* cum similibus.) — Celebrans in tali ecclesia mortaliter peccaret, non tamen irregularis fieret. Si sacerdos sciat solum ex sacramentali confessione ecclesiam esse pollutam, poterit in ea licite celebrare neque opus est aliqua reconciliatione. (Arg. cap. *Significasti* 6, *De adulter.*, et aliis juribus cit.) — Quando in actu celebrationis missæ violatur publice ecclesia, si id contigerit ante canonem, est statim a sacrificio cessandum; si post canonem, est prosequendum. Sic expresse rubrica missalis tit. *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus.*

VIII. Polluta ecclesia, polluitur etiam cœmeterium contiguum : secus si remotum fuerit ab eadem. (C. *Si ecclesiam* unic. *De consec. eccles.* in 6.) Sed polluto cœmeterio, quamvis ecclesiæ contiguo, non polluitur ecclesia. (Eod. cap.)

IX. Iisdem causis et modis ac ecclesiæ polluuntur cœmeteria, dummodo sint consecrata seu benedicta.

§ VIII. — De ecclesiarum pollutarum reconciliatione.

I. Reconciliatio ecclesiæ pollutæ, si prius fuerat consecrata, non potest fieri ab alio, quam ab episcopo diœcesano, vel ex ejusdem assensu aut commissione ab alio episcopo; non autem potest episcopus diœcesanus ad hoc delegare simplicem sacerdotem absque indulto pontificio. Textu expresso in c. *Aqua, De consecrat. eccles.* ibi : *Aqua per episcopum benedicta ecclesiam reconciliari posse per alium episcopum non negamus; per sacerdotes simplices hoc fieri de cætero prohibentes non obstante consuetudine provinciæ Bracharensis (quæ dicenda est potius corruptela), quia, licet episcopus committere valeat quæ jurisdictionis exsistunt, quæ ordinis episcopalis sunt non potest inferioris gradus clericis demandare.* Et quod ecclesiæ consecratæ, et cœmeterii reconciliatio non possit fieri nisi per episcopum, et non per simplicem sacerdotem absque sedis apostolicæ facultate decrevit pluries sacr. Rit. congr.

II. Si ecclesia polluta non fuerit consecrata, sed solummodo benedicta, reconciliari potest per quemlibet simplicem sacerdotem per solam aquæ a sacerdote benedictæ aspersionem. (Cap. *Si ecclesia* 10, *De consecr. eccl.*)

III. Cœmeterium consecratur, et reconciliatur eisdem modis et ab eisdem quibus consecratur et reconciliatur ipsa ecclesia. (Arg. cap. *Consuluisti* 7, *De eccles. consecrat.*; et c. *Si ecclesiam*, unic. eod. in 6, et *pontif. Roman.*)

§ IX. — De interiori ecclesiæ politia.

I. Nemo potest habere fenestram per quam prospectus, nec portam per quam transitus habeatur in ecclesiam, sine indulto apostolico, ut pluries declaravit sacr. congr. Episc. et Regul. Imo injungitur episcopo, ut cryptas, et aditus subterraneos a domibus privatorum ad ecclesias, et loca immunia, ut domus parochi ecclesiæ contigua, claudere faciat. (Sacr. congr. Immunit., pluries.)

II. Sedilia, seu scamna propria ponere in ecclesia nemo potest absque facultate rectoris ecclesiæ et invito episcopo, et si ab aliquibus apponuntur, possunt a rectore, et episcopo removeri, maxime quando sunt causa rumoris et impediunt functiones, et celebrantes, ut pluries tenuit sacr. congr. Episc. et Rituum.

III. Ex tolerantia tamen, vel licentia episcopi, seu rectoris ecclesiæ possunt laici acquirere jus retinendi sedilia in ecclesia, non quoad dominium seu proprietatem, sed solum quoad usum revocabilem ad libitum rectoris et episcopi. (Congr. Episc. et communis.) Hinc non possunt laici prædicta sedilia, seu scamna, aut eorum partem, sive eorumdem usum, locum, aut situm aliis cedere, donare, aut quoquomodo concedere, nisi episcopi seu rectoris consensus accedat. (S. congr. Concil., 5 Septembr. 1665.)

IV. Consensus episcopi et rectoris non requiritur expressus, sed sufficit tacitus. Unde non potest episcopus sicut nec rector ecclesiæ laicis auferre hujusmodi jus, si ab initio passus est eos habere seu retinere sedile in aliquo Ecclesiæ loco, nisi sic exposceret servitium, seu commodum ecclesiæ, vel laicus prætenderet habere illud jus quoad proprietatem. (S. congr. Rit. pluries.)

V. Quando lis est inter privatos super competentia loci, qui sunt in possessione, sunt manutenendi in tali possessione, absque novitate. (S. congr. Episc., 6 Martii 1692.) Locus autem in ecclesia possessus videntibus et patientibus rectore, toto clero, et hominibus loci, sicuti acquiritur per decennium, ita præscribitur per immemorabilem. (Rota, part. XVIII, t. II, recent. decis. 781, n. 7.) Adeoque nemini permittitur in præjudicium hujusmodi juris quæsiti ponere novam sedem ante veterem. (Rota, *ibid.* n. 9; et sacr. congr. Episc. pluries.) — Nec potest poni nova sedes ante veterem, etiamsi sedes vetus non amoveatur a suo antiquo situ...

VI. Contra amoventes sedilia agi potest actione injuriarum, etiamsi amovens esset administrator ecclesiæ.

VII. Si antiqua forma ecclesiæ immutetur in aliam structuram, sedilia seu scamna laicorum in illa exsistentia reponi debent eodem ordine, quo reperiebantur ante immutationem fabricæ vel in loco æque digno. Jus habendi talia sedilia, vel sepulcra in ecclesia concessum alicui familiæ, vel descendentibus, exstincta familia, transit ad hæredes extraneos, sicut et jus patronatus gentilitium in tali casu ad extraneos hæredes transiret, nisi taxative concessum fuisset illis de familia duntaxat, vel solis descendentibus. Ita multi...

VIII. Sedilia non possunt in ecclesia ita collocari, ut sedentes vergant terga ad SS. Sacramentum, et alia indecora oriantur. (S. PIUS V, const. *Cum primum apostolatus officium.*)

IX. Strata ad ecclesias sibi deferri facere, vel tapeta et baldachina habere, nemini sub gravibus pœnis licere declaratur, exceptis duntaxat personis regalibus, quæ tantum strata habere possunt. (Clemens XI, part. III sui Bullarii, decr. 1 congr. Cærem.)

X. Nullus laicus sedere potest in choro seu presbyterio, ut multoties prohibitum est tum ab antiquo tum a novo jure. Sed locus magistratibus assignandus est extra chorum.

XI. Musica est de jure permissa in ecclesia textu expresso in extravag. *Docta, De vit. et honest. cleric.* Episcopus vero potest et debet prohibere quod in ecclesia non canantur in musica, nisi verba sacra, devota, et ecclesiastica, prout jussit Alexander VII in sua const. 23 April. 1657, et innovavit Innocent. XII, 20 August. 1692; et *Decret.* Trident. sess. 22, cap. 8 *De celebr. miss.*

XII. Ludi theatrales, etiam prætextu consuetudinis, in ecclesiis, vel per clericos fieri non debent. (C. *Cum decorem* 12, *De vit. et honest. cleric.*) Nec in ecclesiis fieri possunt repræsentationes, seu comœdiæ, quæcunque illæ sint, profanæ, vel sacræ, et permittentes puniendi sunt. (Eod. cap. et *Concil. Toletan.* XXII, cap. 19. — *Vide* FERRAR. verb. *Ecclesia* passim.)

§ X. — De ecclesiarum et cœmeteriorum immunitate.

I. Quid sit immunitas? — « Immunitas est jus quo ecclesiæ et alia loca sacra necnon personæ ecclesiasticæ ac res ipsarum liberæ ac immunes sunt a muneribus et oneribus sæcularibus, atque ab actibus earum sanctitati et reverentiæ debitæ repugnantibus. » (Ita FERRARIS, verb. *Immunitas*, art. 1, n. 4.) Hujusmodi immunitatis jus fluit ab essentia societatis perfectæ quam a suo divino fundatore habet Ecclesia.

II. Immunitas sic descripta recte dividitur in localem, realem et personalem. Immunitas *localis* est quæ convenit ecclesiis aliisque locis piis seu religiosis. Immunitas *realis* est quæ competit rebus ecclesiasticis, id est bonis ad ecclesias vel personas ecclesiasticas pertinentibus. Immunitas *personalis* est quæ competit personis ecclesiasticis.

Immunitas realis et personalis est de jure divino, ut colligitur ex pluribus sacræ Scripturæ locis, et multis canonibus, et Trident. sess. 25, c. 10, *De reform*. Et est præsertim personalis idem ac divina Ecclesiæ libertas. Jam vero sæpe sæpius in suis locis satis de immunitate personali et etiam reali diximus; hic igitur de immunitate *locali* tractare tantum habemus.

III. Immunitas localis ecclesiarum seu privilegium asyli non competit ecclesiis aliisque piis locis de jure naturali et divino, sed solum de jure humano, tum civili, tum canonico. » (FERRAR. verb. *Immunitas*, art. 1, n. 8.) Promanat tamen saltem remote ab essentia ecclesiæ quæ est societas perfecta et ab omni jurisdictione laicarum potestatum independens. Multi tamen magni nominis doctores, inter quos Fagnanus et Reiffenstuel, existimant immunitatem localem seu jus asyli esse juris divini positivi. Et Schmalzgrueber. in tit. 49, lib. III *Decretalium* n. 58, ait : « Dicendum immunitatem hanc constitutam ordinatione Dei, imo jure naturali originaliter, quatenus naturale et divinum jus dictat ecclesias... tanquam res Deo specialiter consecratas a sæculari potestate eximendas; humano autem perfective quatenus hoc privilegium immediate a papa et imperatoribus constitutum est... » Et n. 103 : « Hæc materia (asyli) est eccleciastica in qua jus civile jurisdictionem non habet, nisi ad fovendam dispositionem juris canonici. »

IV. Immunitas localis, seu jus asyli est ecclesiis et sacris aliis quibusdam locis competens, confugientibus ad ea malefactoribus securitatem præstans ad hoc quod inde violenter extrahi non possint, nec in vita, nec in membris puniri valeant. (Est in re communis, arg. c. *Inter alia* 6, *De immunit. ecclesiarum.*)

V. Immunitate, seu jure asyli gaudent omnes ecclesiæ et capellæ publicæ auctoritate episcopi erectæ, etiamsi nondum sint consecratæ et in iis divina adhuc non sint celebrata, cum ex eo solo quod ecclesiæ auctoritate episcopi ad usus sacros sint deputatæ, jam exsistunt loca sacra ac religiosa, ita ut ad usus profanos redire et applicari amplius nequeant. (C. *Inter alia* 6; c. *Ecclesiæ* 9; c. *Immunitatem* 10, *De immunit. ecclesiar.*; et concordant c. *Eos qui* 6, dist. 87: c. *Sicut antiquitus* 6; c. *Reum* 9; c. *Si quis* 20; c. *Definivit* 35; et c. *Id constituimus* 36, causa 17, quæst. 4, et c. *Ad hæc* 4, *De religiosis domibus.*) Quinimo immunitate gaudent etiam ecclesiæ interdictæ, pollutæ et dirutæ, dummodo non sint dirutæ auctoritate episcopi, et subsit spes reædificationis. (Arg. c. *Quæ semel* 4, causa 19, quæst. 4.) Item immunitate gaudent porticus ecclesiæ, atrium, tectum, campanile, quamvis ab ecclesia disjunctum, dummodo non ultra triginta passus distet. Item sacristia, si ecclesiæ vel cœmeterio cohæreat, et etiam non cohærens si altare habeat; secus, non. (C. *Si quis contumax* 20, causa 7, quæst. 4; c. *Id constituimus* 36, causa 17, quæst. 4, et ex multis sacr. congr. Immunit. declarationibus, apud FERRAR. verb. *Immunitas*, art. 2, n. 8 et seq. — Item immunitate gaudent fores, seu portæ ecclesiæ saltem manu tactæ et apprehensæ, cum clausæ reperiuntur; ita ut innixus stipiti portæ ecclesiæ, et evadens e manibus Birruariorum, et adhærens valvis ecclesiæ, item tenens annulum valvarum ecclesiæ, seu tangens aliam partem exteriorem ecclesiæ, v. g. muros, gaudent immunitate. (Ex multis sacr. congr. Immunit. declarationibus. *ibid.* n. 15 et seq.) — Jure antiquo privilegium immunitatis per quadraginta passus in majori ecclesia, et per triginta in capellis extendebatur circumquaque. (C. *Sicut antiquitus* 6, causa 17, quæst. 4.) Sed fere ubique videtur

sublatum esse consuetudine contraria, sicque non amplius observari posse aut debere. — (FERRAR. *ibid.* n. 19 et seq.)

VI. Immunitate gaudet cœmeterium, quanquam ab ecclesia separatum, dummodo auctoritate episcopi sit designatum. (C. *Cum ecclesia* 5, *De immunit. ecclesiar.*) In Galliis vero cum hodie multa cœmeteria ad communitatem civilem ex lege civili pertineant et plerumque non sint auctoritate episcopi designata, nec benedicta, videtur quod immunitate non gaudeant.

VII. Immunitate gaudent monasteria et conventus. (C. *Quisquis* 21, causa 17, quæst. 2; et constit. Gregor. XIV *Cum alias monasteriis.*) Item immunitate gaudent villæ, sive grangiæ, quas etiam recreationis gratia habent regulares. — Omnia loca religiosa, ut seminaria, hospitalia, nosocomia, orphanotrophia, et hujusmodi auctoritate episcopi erecta gaudent immunitate asyli. (Communis, arg. c. *Ad hæc* 4, et c. *Ne nimia* 9, *De religiosis domib.*) Hospitalia vero et hujusmodi absque auctoritate episcopi erecta a sæcularibus, non gaudent immunitate.

VIII. Confugiens ad SS. Eucharistiæ sacramentum, quod portatur ad ægrotum, vel inde reportatur, aut in processione circumfertur, gaudet immunitate.

IX. Capellæ, seu oratoria in palatiis, aut domibus privatorum non gaudent immunitate; nec etiam capellæ carcerum vel contiguæ carceribus.

X. Domus canonicales, præpositurae, parochiales, palatia cardinalium et episcoporum, modo non sint locatæ aut locata laicis, gaudent immunitate ecclesiastica.

§ XI. — De criminibus pro quibus non gaudent rei jure asyli.

I. Crimina quibus non competit jus asyli sunt omnia expressa et excepta in cap. *Inter alia* 6, *De immunit. ecclesiar.*, et in Bullis Gregorii XIV *Cum alias nonnulli.*, 9 Kalendas Junii 1591; Benedicti XIII *Ex quo divina*, 6 Idus Junii 1725; Clementis XII, *In supremo justitiæ solio*; et Benedicti XIV, *Officii nostri* 1750. Quas constitutiones ex integro refert FERRAR. v. *Immunitas*, art. 2.

Ex quibus juribus igitur crimina excepta jure asyli sunt sequentia : 1° Publici latrones, viarumque grassatores qui itinera frequentata vel publicas stratas obsident ac viatores aggrediuntur; — 2° depopulatores agrorum, qui agrorum segetes aut vinearum fructus depopulantur; — 3° qui homicidia et mutilationes membrorum in ipsis ecclesiis vel earum cœmeteriis committere non verentur; — 4° qui proditorie proximum suum occiderint; — 5° assassinatus rei; — 6° hæresis rei; — 7° læsæ majestatis in personam ipsius principis rei; — 8° falsificantes litteras apostolicas; — 9° adulterantes monetas publicas aureas et argenteas, et scienter utentes monetis adulteratis.

II. Per supradictas exceptiones facile est assignare personas quæ gaudent vel non jure asyli. Jure asyli gaudent omnes catholici utriusque sexus, sive laici, sive clerici, extra casus in constitutionibus pontificiis comprehensos et supra summatim enumeratos. — Supradicti omnes, tum laici, tum clerici, sive sæculares sive regulares, gaudent jure asyli, etiamsi sint personaliter interdicti, aut excommunicati etiam denuntiati, et publici clericorum percussores.

§ XII. — Quoad ea quæ concernunt privilegia, extractionem et restitutionem confugientium et pœnas violantium jus asyli, et absolutionem ab eisdem.

I. Rei debent recipi in locis sacris ad quæ confugiunt, nec possunt inde repelli aut excludi. (Communis, c. *Reum* 9, causa 17, quæst. 4, cap. *Inter alia* 6, *De immunit. ecclesiar.*)

II. Rei confugiti nequeunt a loco sacro seu immuni per vim extrahi, nisi commiserint aliquod crimen exceptum. (Communis, textu expresso in cap. *Definivit* 35, causa 17, quæst. 4, et cit. c. *Inter alia*, 6, *De immunit. ecclesiar.*) — Neque possunt rei confugiti capi et extrahi ab ecclesiis de eorum consensu. (S. congr. Immunit. 20 Novembr. 1640.) Quia, non obstante illorum consensu et expressa renuntiatione privilegio immunitatis, adhuc violaretur ecclesiæ immunitas, cum tale privilegium sit concessum potius ecclesiæ quam personæ.

III. Rei confugiti, quandiu in loco sacro exsistunt, non possunt per sententiam aliquam condemnari ad mortem, aut aliam pœnam corporalem. (C. *Reum* 9; c. *Id constituimus* 96, causa 17, quæst.4; c.*Inter alia* 6, citat.)

IV. Rei confugiti nequeunt in loco sacro

carcerari, nec vinculis constringi. (C. *Definivit* 35, causa 17, quæst. 4, communis.)

V. Rei confugiti, licet, quandiu exsistunt in loco sacro, damnari non possint pœna mortis, vel alia corporali, possunt tamen puniri alia pœna, videlicet pecuniaria. Communis et certa, ex juribus allatis.

VI. Custodiæ a confugientibus ad locum immunem sunt removendæ, cum non permittantur et sint contra libertatem ecclesiasticam. (S. congr. Immunit. pluries.) Imo apponentes custodias in loco immuni, vel compedes et manicas ferreas confugitis in locis immunibus, incidunt in censuras. (S. congr. Immunitat. pluries.) — Potest tamen a curia sæculari poni custodia extra locum sacrum ad præcavendum ne libere rei confugiti effugiant, vel ut, si extra fines ecclesiæ seu loci immunis exierint, facilius capi et puniri valeant, quia per talem custodiam nulla penitus vis aut injuria infertur loco sacro et ipsis reis confugitis.

VII. Nemo potest impedire seu prohibere quominus victus et vestitus aliaque necessaria ad victum deferantur reis confugitis.... Neque rei confugiti impediri possunt, quominus naturam etiam extra locum asyli (si reverentia loci id exigat) exonerare possint (c. *Definivit* 35, causa 17, quæst. 4), ubi propterea triginta passus in circuitu ecclesiæ conceduntur. — Rei confugiti, si aliunde non habeant unde sustententur, debent de bonis ecclesiæ seu loci sacri sustentari. (C. *Aurum* 69, causa 12, quæst. 2.)

VIII. Rei confugiti non possunt spoliari rebus suis, nequidem armis, quæ secum tulerunt in locum asyli. (Communis, arg. c. *Sicut* 6, causa 17, quæst. 4 et c. *Definivit* 35, ead. causa et quæst.)

IX. Quoad modum extrahendi delinquentes e locis immunibus servanda est inviolabiliter dispositio Benedicti XIII in citat. const. *Ex quo*, § 9, ubi statuit quod quotiescunque curia ecclesiastica a curia sæculari fuerit requisita ut laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi, ac illi consignari faciat, habitis super delicti excepti qualitate ac personæ reiteratis indiciis quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc curia ecclesiastica ad ejusdem delinquentis extractionem ab ecclesia, aliisve locis immunibus, ope ac medio suorum exsecutorum, implorato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, et cum interventu personæ ecclesiasticæ ab episcopo deputandæ procedere teneatur, et extractum ad suos carceres asportari, ac ibi sub tuta custodia detineri curet et faciat. Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto, ac insuper adversus eumdem extractum talia resultent indicia ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit, in eo tandem casu præfatum extractum ministris et officialibus curiæ sæcularis tradere et consignare possit ac debeat, exacta tamen et recepta prius ab ipsis obligatione in forma juris valida restituendi extractum ecclesiæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ papæ reservatæ; quatenus idem extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget ac diluat. Quod si ea non purgaverit et vere delinquens repertus fuerit, possit in tali casu curia sæcularis procedere contra ipsum ut juris esse censuerit.

« Curia sæcularis nullo modo potest propria auctoritate reos extrahere ab ecclesia seu loco immuni in casibus etiam exceptis a constitutionibus pontificiis.(Gregoriana § 4; et Benedictina, § 9.) Imo curia sæcularis neque se potest ingerere in dignoscendo an rei gaudeant immunitate et crimina ab eis commissa sint de exceptis, necne. Soli enim episcopi, aut eorum vicarii generales, et non alii episcopis inferiores, etiamsi locorum ordinarii sint, aut nullius diœcesis, aut conservatores a sede apostolica specialiter vel generaliter deputati, nec etiam vicarius capitularis sede vacante, cognoscere et declarare valent, an delicta pro quibus inquisiti ad loca immunia confugerunt, sint necne de genere ac numero exceptorum. (Sic expresse Bened. XIII, const. *Ex quo*, § 9.) Occurrente casu in loco exempto et nullius diœcesis, vel sede vacante, tunc hæc cognitio et declaratio spectat ad episcopum viciniorem. (*Ibid.*)

X. In casibus non exceptis non est licita episcopo extractio absque facultate apostolica, nequidem pro curia ecclesiastica, et sic extracti restitui debent ecclesiæ, sub pœnis Sanctissimo bene visis. (S. congr. Immunit. multoties, apud FERRAR. verb. *Immunitas*, art. 3.) De diversis casibus, modis extra-

cuonis, de dolosa extractione, etc., *vide* FERRARIS, *ibid.*

Rei confugiti per vim aut dolosam fraudem extracti, et etiam de eorum consensu et voluntate, non servato modo præscripto a Benedicto XIII, const. *Ex quo*, § 8, debent iterum restitui eidem ecclesiæ vel loco a quo fuerunt extracti; et ad hoc, ut restitutio alteri ecclesiæ fieri possit, requiritur dispensatio summi pontificis, nec sufficit solus consensus partium. (Sic pluries sacr. congr. Immunit.)

XI. Ultra restitutionem rei extracti pro reintegratione, tenentur etiam male extrahentes ad restitutionem omnium rerum et etiam armorum quæ fuerunt sublata in extractione. (Communis, arg. cap. *Sicut antiquitus* 6, causa 17, quæst. 4.)

Violatores immunitatis asyli, ultra gravissimum sacrilegium quod committunt (ex c. *Miror* 7; c. *Frater* 9; c. *Quisvis* 17, causa 17, quæst. 4, et aliis similibus), et nullitatem omnium eorum actorum (ex cit. Gregoriana et Benedictina § 9), incurrunt excommunicationem majorem latæ sententiæ; unde violatores asyli non sunt excommunicandi, sed solum sunt declarandi excommunicati. (Ex cit. Benedictina, § 9.)

Talem majorem excommunicationem latæ sententiæ incurrunt quicunque cujusvis dignitatis et auctoritatis exsistant, qui in aliquo modo immunitatem asyli violant. (Communis ex citatis constit. pontificiis.) Sic eam incurrunt omnes capientes, extrahentes, incarcerantes, vincientes reum in loco asyli exsistentem; item complices extractionis, et hujusmodi (sacr. congr. Immunit. sæpe sæpius); item fautores, cooperantes, mandantes; item cogentes, obsidentes et custodientes confugium, ut egrediatur ab ecclesia et capiatur; item dolose et blande suadentes confugito ut exeat a loco immuni et capiatur; item tentantes; item ipsi extrahentes, quamvis extractum consignaverint potestati ecclesiasticæ. Nec supradicti excusantur ab excommunicatione, quamvis reus libere consentiat capi, carcerari, extrahi, et hujusmodi, quia adhuc violatur immunitas, ex dictis.

Si violatores libertatis vel immunitatis ecclesiæ appellaverint contra sententiam declaratoriam episcopi, talis appellatio non debet admitti, nisi prius Ecclesiæ fuerit satisfactum. (S. congr. Immunit. et Episc. pluries.)

XII. Absolutio a censuris contractis ex causa violatæ immunitatis, libertatis et jurisdictionis ecclesiasticæ, est reservata summo pontifici, nec ab alio potest concedi sub quocunque prætextu, etiam restitutionis statim factæ ecclesiæ; et opinio contraria improbatur (S. congr. Immunit. pluries.) — Et ita reservata summo pontifici, ut, sede vacante, desit potestas absolvendi. (S. congreg. Immunit. pluries.) — Unde ordinarii et episcopi absolventes censuratos hujusmodi sine facultate sedis apostolicæ incidunt in excommunicationem eidem sanctæ sedi reservatam, a qua regulariter datur facultas ut se faciant absolvere a suis confessariis privatim, et cum Sanctissimo agitur pro dispensatione irregularitatis quatenus incurrerint. (Ead. sacr. congr. pluries.)

Absolutio a censuris incursis ob violatam immunitatem non datur, nec dari potest, et data non valet, nisi prius restituto reo, et facta satisfactione læsæ ecclesiæ. (Arg. c. *Ex litteris* 11, *De constitution.*; c. *Qua fronte* 25, *De appellat.*; et c. *Cum desideres* 15, *De sent. excom.*, et expresse decrevit pluries sacr. congr. Immunitatis. — *Vide* FERRAR. verb. *Immunitas.*)

CAPUT VII.

De altaribus, vasis sacris, campanis, et ecclesiæ supellectilibus.

§ I. — De altaribus.

I. Altare est mensa, super quam conficitur et offertur Eucharistiæ sacramentum et sacrificium, et hoc altare est duplex: unum fixum immobiliter alicui loco, ut sunt altaria quæ communiter in ecclesiis reperiuntur; alterum portatile seu viaticum et mobile. Utrumque hoc altare debet esse lapideum. (C. *Altaria*, *De consecrat.* dist. 1.) Hoc tamen debet intelligi, quod sufficiat esse lapideum in ea parte quæ supponitur altari, et in qua materia consecranda est apponenda, ex praxi et decretis sacr. congr. Rit. 10 Novembr 1612. Et hæc ara lapidea debet esse saltem tantæ latitudinis, ut in ea commode capi possit pes calicis et hostia consecranda. (Communis.)

II. Altaris consecratio de jure communi non potest fieri nisi per episcopum. (C. *Quamvis*, dist. 68; c. *Nullus presbyteror.*, et c. *Concedimus*, *De consecr.* dist. 1.) Nec potest simplex sacerdos altare consecrare de sola commissione et facultate episcopi. (C. *Ministrare*, causa 26, quæst. 6.) Potest autem simplex

sacerdos altaria consecrare ex indulto apostolico.— In una sola missa potest episcopus simul consecrare plura altaria in eadem ecclesia. C. *Cum sis* 5, *De consecr. eccles. vel altaris*, ibi : *Noveris, quod plura in ecclesia una altaria et plures episcopos simul poteris consecrare.*—In altaris consecratione, stando in rigore juris antiquissimi, non videtur necessaria et de essentia repositio sacrarum reliquiarum. In praxi tamen et jure non est recedendum a communi usu et consuetudine Ecclesiæ. C. *Placuit* 26, *De consecr.* dist. 1, et summarium talis canonis, ubi præcise dicitur : *Evertantur altaria quæ sine sanctorum reliquiis eriguntur.*

III. Altare fixum et stabile exsecratur, ita ut nova indigeat consecratione, primo quando mensa superior, seu lapis superpositus, qui sigillum continet, ita enormiter et notabiliter frangitur et diminuitur, ut pars quæ remanet nequeat commode continere calicem et hostiam cum patena. (C. *Ad hæc, Si altare* 1; c. *Quod in dubiis* 3, *De consecr. eccles. et altaris.*) Si autem non enormiter, sed solum modice lapis confringatur, aut diminuatur, aut adhuc calix cum patena secundum majorem sui partem in eo commode stare possit, uti, v. gr., si partes in cornibus tantum, vel ipsa cornua confringantur aut minuantur, tunc altare non amittit consecrationem, neque debet denuo consecrari, textu expresso cap. *Ligneis* 6, *De consecr. eccles. et altaris*, ibi : *Cum tabula altaris enormiter læsa non fuerit, nec altare debet denuo consecrari.* — Quando autem remanet dubium an altare enormiter sit fractum vel non, tunc relinquitur judicio episcopi. — Secundo exsecratur altare fixum, quando lapis seu mensa superior consecrata amovetur ab inferiori structura, seu basi, cui est immobiliter affixa. (C. *Ad hæc* 1, et c. *Quod in dubiis* 3, *De consecr. eccles. vel altar.*) Non exsecratur tamen si superior tabula non est immobiliter affixa structuræ inferiori, sed commode de loco ad locum una cum sepulcro transferri potest, quia tunc est altare portatile. (Ita multi.)— Tertio altare fixum exsecratur, quoties sepulcrum altaris, seu repositorium ubi reconduntur reliquiæ, frangitur, removetur, vel minuitur. (Ex c. *Placuit, De consecr.* dist. 1 et ejus summario; et sacr. congr. Rit. 5 Martii 1603.)

Exsecrato altari fixo et immobili, non exsecratur ecclesia ; nec e contra. (C. *Ad hæc* 1, *De consecr. eccles.*) — Unde exsecrata ecclesia, non ideo exsecratur altare, dummodo remaneat integrum. Polluta autem vel violata ecclesia, polluuntur etiam seu violantur omnia altaria in ea fixa.

IV. Altare portatile seu mobile exsecratur solummodo quando ita frangitur et diminuitur ut ea pars quæ remanet non sit amplius apta commode continere calicem et patenam cum hostia, et quando anguli ipsius, in quibus chrisma ponitur, notabiliter et enormiter franguntur, et quando frangitur vel loco movetur repositorium reliquiarum, aut quando in duas partes, a vertice ad fundum usque ob fracturam dividitur. (Ex iisdem juribus, et sacr. congr. Rit. declarationibus.) Per aliam autem modicam fractionem, per separationem a lignis quibus innititur et circumdatur, et per mutationem loci, non exsecratur. — Exsecrato altari portatili et mobili, non exsecratur ecclesia, nec e contra, exsecrata ecclesia, exsecratur altare portatile. Sic pariter polluta ecclesia, non censetur pollutum altare portatile, quia non efficit unum corpus cum ecclesia sicut altare fixum.

V. In ecclesia consecrata nulli licet erigere altare, stando in jure communi, sine episcopi consensu, sub pœna depositionis clericis, et excommunicationis laicis. (C. *Nullus presbyter, De consecr.* dist. 1 ; et c. *Quamvis*, dist. 68.) In ecclesiis tamen non consecratis potest altare erigi a presbyteris. (Glossa in dict. c. *Quamvis*, dist. 68, et doctores.) — Sic etiam altare ab episcopo consecratum, aut in ecclesia consecrata erectum, nequit destrui sine permissione episcopi, in ecclesiis vero non consecratis quilibet jure suo potest altare consecratum destruere.

VI. Altaris lapis profanatus seu exsecratus potest vendi et licite teneri ab emptore, dummodo in loco honesto et decenti. (S. congr. Rit. 9 Maii 1606.)

VII. In altari non consecrato nemo celebrare potest. (Sub mortali c. *Altaria* 2; c. *Ecclesiæ, De consecr.* dist. 1.)

VIII. Olim in altari in quo episcopus missam cantaverat, non poterat alius sacerdos eodem die celebrare. (C. fin. *De consecr.* dist. 12.) Verum hoc decretum exsolevit, ut observant plurimi ; adeoque quoad hoc est standum regionis consuetudini. (Ferrar. verb. *Altare*, n. 44 et seq.) Attamen ex Benedicto XIV, const. *In postremo*, in dicto casu nequit simplex sacerdos celebrare, nisi prius

obtenta ab episcopo licentia. Cætera de altaribus *vide* apud rubricistas.

§ II. — De vasis sacris.

I. Calix et patena debent esse de auro vel argento, vel stamno, ita ut si non ex auro, saltem ex argento fiant, vel ad minus, ob magnam paupertatem, ex stamno; sed semper cuppa calicis et interior patena debent esse auratæ. (C. *Calix* 45, *De consecr.* dist. 1; et const. Innoc. IV, *Sub catholicæ.*)

II. Calix et patenæ debent consecrari ac chrismate perungi per episcopum. (C. *Cum venisset* 1, *De sacra unctione.*) Imo contra eum, qui utitur calice ligneo, aut non consecrato, constituta est pœna depositionis ab officio et beneficio. (C. *Ex litteris* 14, *De celebr. Missar.*) — Nequit episcopus delegare simplicem sacerdotem ad calicem consecrandum. Ex privilegio tamen possunt calices et patenas, sed tantum pro servitio suarum ecclesiarum, benedicere seu consecrare abbates aliique prælati usum pontificalium habentes.

III. Calix et patena duobus potissimum modis consecrationem amittunt, scilicet per fractionem, et per novam inaurationem.

IV. Pixis seu vas, et tabernaculum, in quibus asservatur SS. Eucharistia, item corporalia, pallæ ab episcopo benedici debent. Possunt tamen ex indulto apostolico a simplicibus presbyteris benedici.

V. Calix, patena, et alia ornamenta, quæ immediate attingunt corpus et sanguinem Christi, ut sunt corporale et palla, non possunt tangi a laicis, et multo minus a feminis, prout habetur in cap. *Sacras* 25, dist. 23. Tangere enim vasa sacra, quando non continent actu corpus et sanguinem Christi, est restrictum subdiaconis privative quoad alios ministros non consecratos. (C. *Non oportet* 30, et cap. *Non liceat* 31, dist. 23.) Quando autem continent actu corpus et sanguinem Christi, tangi nequeunt, nisi a sacerdotibus et diaconis privative etiam quoad ipsos subdiaconos. (C. eod. *Non oportet.*) — Facultas tangendi vasa sacra vacua concessa videtur etiam acolythis in ipso missæ ministerio. (C. *Non liceat* 32, dist. 23.) Et ex probabiliori sententia, vasa sacra vacua extra sacrificium licite possunt tangi ab omnibus clericis, etiam sola prima tonsura initiatis. (Ferrar. verb. *Vasa sacra*, n. 9.)

VI. Calices, aliaque vasa sacra urgente necessitate possunt vendi; cum hoc tamen, quod si vendantur laicis, debent prius conflari et saltem frangi, et solum ecclesiasticis personis possunt integra sine fractione vendi. Nec ratione consecrationis eorum potest aliquid plus exigi ab emptoribus, aliter erit gravissimum simoniæ peccatum. (Arg. cap. *Non satis* 8, *De simonia.*)

§ III. — De ornamentis et paramentis sacris.

I. Amictus, albus, debent esse ex lino, alia paramenta ex lana vel sericea.

II. Benedici debent ab episcopo vel a sacerdote facultatem pontificiam habente.

Cætera de paramentis et aliis supellectilibus ecclesiarum, *vide* apud rubricas *Missalis*, et apud auctores de rubricis et liturgia tractantes. Et de campanis *vide* tom. I, col. 681 et 1368.

CAPUT VIII.

De sacramentis et fontibus baptismatis.

Remissive. Satis ad nostrum finem diximus in lib. III, *De episcopis;* et in lib. VI *De parochis*, præsertim cap. X, XI et XII.

CAPUT IX.

De jejunio et abstinentia ab esu carnium.

Vide apud theologos moralistas.

CAPUT X.

De cœmeteriis.

I. Cœmeteria (Græce κοιμητήριον a κοιμάω, *dormio*) sunt loca sepulturis destinata; apud Christianos autem hæc loca sunt sacris ritibus sanctificata.

Cœmeterium, per solemnem benedictionem, a loco profano efficì locum religiosum, imo ei tanquam ecclesiæ appendici etiam de jure immunitatem localem esse indultam compertum est.

Ecclesias et cœmeteria, tanquam loca religiosa, junxit concilium Lugdunense sub Gregorio X, decernens ut « cessent in ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes et præcipue nundinarum ac fori cujuscunque tumultus, omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis agitetur, sint loca eadem a laicorum cognitionibus aliena. »

Admissio in cœmeteriis ad ecclesiasticam sepulturam, videtur esse species quædam communionis. Hinc est quod excommunicatis aliisque, quibus in vivis non communicamus, non tantum sepultura sit neganda,

sed insuper per eorum in loco religioso, sive cœmeterio sepulturam, locus ipse pollui seu profanari censeatur, eatenus saltem, ut divina officia ibidem agi nequeant, ne Ecclesia illum ibidem sepultum in sua communione recipere videatur, neque ullus fidelis eo loco sepeliri possit, ne per eam inhumationem cum excommunicato, ibidem sepulto, cum quo in vivis communicare non poterat, post mortem communicare videatur.

Unde conformiter ad plurimos synodorum canones Innocentius III in c. 12, *De sepulturis*, respondit : *Si contingat interdum, quod vel excommunicatorum corpora, per violentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni poterint, exhumari debent, et procul ab ecclesiastica sepultura jactari.*

II. Cœmeteria debent includi muris satis altis ut non profanari possint ab animalibus. Omnia profana et indecentia in monumentis scripta aut repræsentata excludi debent a cœmeteriis consecratis.

III. De pollutione cœmeteriorum diximus supra ubi de pollutione ecclesiarum. Polluto cœmeterio nullus Christianus in eo inhumari debet priusquam fiat reconciliatio. Si tamen urgeat necessitas inhumandi corpora defunctorum antequam reconciliari potuerit cœmeterium, nullusque sit alius locus quo sepeliantur, componuntur in hoc cœmeterio; sed clerus illud non ingreditur, et idcirco abstinet ab explendo ritus consuetos sepulturæ Christianæ.

Si cœmeterium non est publice benedictum, sacerdos unamquamque fossam in actu sepulturæ benedicere debet, prout fert *Rituale Romanum*.

IV. *De jure eligendi sepulturam*, jam satis diximus lib. VI, *De parochis*, sed addendum est hic quod potest quisque fidelis terram sui dominii privati, pro loco sepulturæ, sibi destinare, modo tamen locus benedicatur; cap. *Cum quis. de sepulturis* in 6, ibi : *Si quis... novam in loco minus religioso elegerit sepulturam, electionem hujusmodi, licet jura super hoc videantur esse diversa, nequaquam volumus impugnari.*

Cætera de sepulturis, vide lib. VI, *De parochis*, cap. XIII et XVII.

LIBER XII. — DE BONIS ECCLESIÆ TEMPORALIBUS.

Ad bona temporalia demum Ecclesiæ devenimus, quæ extremum inter res ecclesiasticas occupant locum. « Nulla universitas, ait Devoti (*Instit. canonic.* lib. II, tit. XIII, § 1), sine bonis communibus stare potest; cum necessario multæ faciendæ sint impensæ, ut ministri stipendium habeant, ut agantur conventus, ut omnia societati necessaria comparentur. Ecclesia hominum societas est, ideoque, ut cæteræ societates, communibus his bonis carere non potest. Hinc, ei sua fuerunt ab ipso initio Christianæ religionis bona, unde aleret episcopos, presbyteros, ministros, curam gereret orphanorum, virginum, viduarum, pauperum, hospitalitatem exerceret, ferret opem fidelibus religionis causa aut carcere detentis, aut ad metalla damnatis, necessaria quæque compareret pro luminaribus, sacris vasis, libris, agapis, quod ecclesiastici convivii genus erat. » Et *ibid.* § 2 : « Ipse Christus, cum hanc societatem instituit, ei communia bona esse voluit, hoc est pecuniam collectam ex fidelium oblationibus, habuitque loculos, cum quibus apostolis, discipulis, pauperibus opitularetur. Christi exemplum secuti sunt apostoli; deinde vero, cum eorum successores Ecclesiæ regimini præfuerunt, eadem omnino ratio rerum fuit.

Verumtamen, nostris temporibus tum violentia, tum fucatis artibus, legibus tyrannicis et injuriosis imprimis quas pseudopolitici nostri sapientissimas arbitrantur, partim suis antiquis legitimis possessionibus spoliata fuit Ecclesia, partim et a novis acquirendis diligenti sollicitudine, haud secus ac olim sub ethnicis imperatoribus, prohibita, adeo ut etiamnum desiderare habeat novum Constantinum, qui eam e numero collegiorum, sin minus absolute illicitorum, saltem suspectorum nec mediocriter invisorum expungat, et decernat, ejusque divinam libertatem et jura Dei agnoscat et vereatur.

Omissis his prætensis legibus tyrannicis

et jure Dei usurpantibus, habemus nunc vera et legitima Ecclesiæ jura possidendi, regendi et administrandi bona temporalia comprobare.

CAPUT PRIMUM.

De jure et habilitate Ecclesiæ ad acquirendum et possidendum.

In duplicem classem dividi possunt, ait D. Carriere, egregio opere *De justit. et jure*, part. I, sect. 1, c. 4, punct. 1, n. 94, qui Ecclesiæ capacitatem ad acquirenda et possidenda bona temporalia impugnarunt.

« *Prima classis* hæreticos complectitur qui contendunt Christum prohibuisse ne Ecclesia, aut viri ecclesiastici bona temporalia possiderent. Inter eos recensentur Arnaldus de Brixia, circa an. 1139; Valdenses ante annum 1210, Mœrsilius Paduanus an. 1327, et præsertim Wiclefus, cujus errores damnavit concil. Constantiense, an. 1415.

« *Secunda classis* complectitur quosdam theologos, et plures jurisperitos Ecclesiæ auctoritati satis infensos, qui eam ita restringere conantur ad res spirituales, ut contendant nullum ipsi jus in res temporales competere posse, nisi ex cessione legis civilis, seu principum, a quorum proinde nutu omnino pendet, et quorum arbitrio semper revocari potest. Duplici autem præsertim via id explicant, et astruere conantur. Juxta quosdam, cum bonorum divisio, seu origo dominii ex jure civili repetenda sit, non aliter ratiocinandum est de possessionibus Ecclesiæ, seu cleri. Ecclesia, inquiunt, nulla bona temporalia a Deo, vel Christo accepit. Ergo si quædam possideat, non jure divino, sed jure humano tantum possidere dicenda est. Juxta alios bona ecclesiastica vere agnoscenda sunt sub dominio gentis, seu reipublicæ, tum quia illorum dominium nec clero generatim sumpto, nec illis privatis tribui potest, sed ad summum illorum administratio; tum quia hæc bona Ecclesiæ collata sunt in utilitatem publicam, ideoque sunt veluti pars fortunæ publicæ; tum demum quia corpora moralia quibus hæc bona tribuerentur non aliter exsistere possunt quam vi legis, quæ proinde quemadmodum potest ea supprimere, a fortiori potest de illorum bonis disponere. Hæc propugnaverunt, in diversis tamen gradibus : 1° Plures ex iis qui circa annum 1750 scripserunt contra immunitates cleri, occasione tributi in bona ecclesiastica imponendi, quibus se adjunxerunt in Italia quidam Janseniani, aut Jansenianis faventes. — 2° Qui anno 1789 promovere, aut vindicare conati sunt invasionem bonorum ecclesiasticorum, quorum varia argumenta refert Merlin, *Répert. de jurisprud.* verb. *Clergé*, § 2, t. VII, p. 7 et seq. — 3° Redactores *Articulorum organicorum* Concordati 1801. — 4° Tandem nostris diebus plures comitiorum regni oratores, occasione legis anni 1837 latæ circa palatium archiepiscopale Parisiense; et hoc anno 1860, omnes approbantes sanctæ sedis statuum temporalium et civilis principatus invasionem et usurpationem.

Contra quos omnes sint sequentes conclusiones.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesia jure divino, proindeque juste ac legitime potest acquirere et possidere. (*De fide*, ex contradictoriis propositionibus Wicleſi a Constantiensi damnatis, et c. *Inter nonnullos* 4, *De verbor. significat.*, extravag. JOAN. XXII.)

Prob. I. Ex Veteri Testamento, lib. *Numer.*, capp. XVIII et XXXV, quæ quisque legere potest. Ibi Dominus sacerdotibus tribuit oblationes ad altare, primitias frugum, et decimas proventuum terræ, et præterea amplas urbes et lata suburbana.

II. Ex Novo Testamento. Ipse Christus habuit saltem in communi cum apostolis, qui cum Christo Ecclesiam efformabant, loculos seu thesaurum ex fidelium oblationibus. Sic enim legimus apud Marc. VI, 37 : *Euntes emamus ducentis denariis panes.* Luc. IX, 13 et seq. : *Eamus et emamus in omnem hanc turbam escas.* Apud Joan. IV, 8 : *Discipuli ejus abierant in civitatem, ut cibos emerent.* An *emi* aliquid potuisset, nisi aut Christus aut cum ejus consensu apostoli ab offerentibus pecuniam accepissent et possedissent? Joan. XII, 6, et XIII, 29 Vulgata loquitur de *loculis*, quos portabat Judas ; sed in Græco textu a fidelibus oblatum positum dicitur ἐν τῷ γλωσσοκόμῳ, in *marsupio*, quod *fiscum reipublicæ Domini* appellat August. *Enarr. in psal.* CXLVI, n. 17. — Christi exemplum secuti sunt apostoli. Act. II, 4 ; IV, 34 ; V, 1 et seq.—Et confirmatur a sancto Paulo apost. I Cor. IX, 13, ubi probat jus naturale et divinum Ecclesiæ possidendi ; et sic concludit : *Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt ; et qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita et Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.*

III. Ex SS. Patribus et traditione catholica, et perpetua Ecclesiæ praxi.

IV. Ex toto Ecclesiæ jure canonico, ab antiquissimis canonibus usque ad recentiores; quos superfluum esset et longius citare. Unde sic argumentari licet : Ecclesia Spiritu sancto ducta nequit errare nec in errorem inducere in rebus fidei, morum et disciplina universali, et consequenter in rebus justitiæ et jurium suorum. Atqui exemplo Christi et apostolorum Ecclesia non solum semper et ab initio bona temporalia possedit, administravit et rexit, sed etiam sua jura possidendi talia bona, eaque administrandi tanquam naturalia et divina jura perpetuo promulgavit et propugnavit; imo gravissimis spiritualibus pœnis suorum jurium et bonorum violatores, invasores et occupantes profligavit, per leges et sanctiones canonicas generales et universales tum in œcumenicis conciliis, tum in corpore juris, tum in constitutionibus pontificiis. Ergo Ecclesia non erravit nec in errorem induxit fideles, possidendo bona temporalia, jura sua possidendi promulgando et propugnando. Ergo de fide certum est Ecclesiam habere jus divinum bona temporalia acquirendi, possidendi et administrandi.

V. Tandem sacri canones rem directe definiunt : 1° Ex damnatione sequentium propositionum in concilio œcumenico Constantiensi a Martino V const. *Inter cunctas*, approbato et promulgato; nempe « 10. Contra Scripturam sacram est quod viri ecclesiastici (id est qua tales, seu qua Ecclesiæ ministri) habeant possessiones. » Hæc hæretica propositio reposita est in lege organica Concordati Galliarum an. 1802, his verbis : Art. 74. *Les immeubles, autres que les édifices publics, destinés au logement et les jardins attenants, ne pourront être affectés à des titres ecclésiastiques, ni possédés par les ministres du culte à raison de leurs fonctions.* — 26. « Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent, et consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares et cæteri laici. » — 32. « Ditare clerum est contra regulam Christi. » — « 33. Sylvester Papa, et Constantinus imperator errarunt, Ecclesiam dotando. » — « 39. Imperator et domini sæculares sunt seducti a diabolo ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus. » — Hæc singula veluti hæretica, et in fide erronea damnata sunt judicio infallibili Ecclesiæ.

Ergo est veritas fidei . 1. quod juxta Scripturam sacram est quod viri ecclesiastici possessiones habeant. 2. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus non sunt hæretici, eo quod possessiones habent, nec consentientes eis... 3. Ditare clerum non est contra regulam Christi. 4° Sylvester papa et Constantinus imperator non erraruut, Ecclesiam dotando. 5. Imperator et domini sæculares non sunt seducti a diabolo ut Ecclesiam dotarent bonis temporalibus. — Præterea idem Martinus V, an. 1418, statuit ut quilibet de iis erroribus suspectus interrogaretur : *Utrum credat auferentes, tollentes, et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes. Item utrum credat quod ejusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium.* Atqui cum sacrilegium non admittatur nisi in rebus sacris et juribus divinis, consequens est quod bona ecclesiastica sint res sacræ et jure divino ab Ecclesia possessa.

2° Res expressius adhuc definitur in cap. *Cum inter nonnullos* 4, tit. XIV, *De verborum significatione*, extravag. Joannis XXII, quæ constitutio in corpore juris authentico inserta tanquam ab universali Ecclesia recepta censenda est. Atqui in hac constitutione sic habetur : *Utrum pertinaciter affirmare Redemptorem nostrum, ac Dominum Jesum Christum, ejusque apostolos in speciali non habuisse aliqua, nec etiam in communi, hæreticum sit censendum?... Nos huic concertationi finem imponere cupientes, assertionem hujusmodi pertinacem.., deinceps erroneam fore censendam et hæreticam, de fratrum nostrorum consilio hoc perpetuo declaramus edicto.* Ergo de fide est ecclesiam in Christo et ejus apostolis in speciali habuisse aliqua, et etiam in communi. Ergo de fide est Ecclesiam jure divino recte ac legitime posse acquirere et possidere bona temporalia. Item in eadem constitutione ita legitur : *Rursus in posterum pertinaciter affirmare, quod Redemptori nostro prædicto, ejusque apostolis iis, quæ ipsos habuisse Scriptura sacra testatur, nequaquam jus ipsis utendi competierit, nec illa vendendi seu donandi jus habuerint, aut ex ipsis alia acquirendi, quæ*

tamen ipsos de præmissis fecisse Scriptura sacra testatur, seu ipsos potuisse facere supponit expresse : cum talis assertio ipsorum usum et gesta evidenter includat, in præmissis non justa, quod utique de usu, gestis, seu factis Redemptoris nostri Dei Filii sentire nefas est, sacræ Scripturæ contrarium, et doctrinæ catholicæ inimicum : assertionem ipsam pertinacem de fratrum nostrorum consilio deinceps erroneam fore censendam merito et hæreticam declaramus. Ergo de fide est Ecclesiæ, in Christo et ejus apostolis, jus bonis temporalibus utendi competere, et illa vendendi seu donandi jus habere, aut ex ipsis alia acquirendi. Ergo de fide est Ecclesiam non tantum naturali sed etiam divino jure habere plenum et perfectum dominium suorum bonorum temporalium. Ergo hæreticum est contendere quod bona ecclesiastica non ad Ecclesiam, sed vel ad rempublicam civilem vel ad principes sæculares pertineant. Ideoque omnes talia pertinaciter asserentes nequeunt absolvi ob crimen hæresis, nisi a summo pontifice.

PROPOSITIO SECUNDA.

« Habilitas et jus Ecclesiæ ad acquirendum et possidendum etiam immobilia, ad effectum congruæ dotationis et sustentationis habendæ, proveniunt non a societate aut jure civili, sed profecto a naturali et divino, adeoque sunt perfecte libera et independentia. » (*Instit. jur. can.* auctor. R. de M. t. II, p. 342.)

Hæc conclusio a præcedenti fluit, et ex iisdem fere argumentis probatur.

I. *Scriptura sacra*, Num. XVIII, 8 seq. : *Locutus est Dominus ad Aaron : Ecce dedi tibi custodiam primitiarum mearum. Omnia quæ sanctificantur a filiis Israel tradidi tibi et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna....* Et cap. XXXV, 1 et seq : *Locutus est Dominus ad Moysen..: Præcipe filiis Israel ut dent Levitis de possessionibus suis urbes ad habitandum, et suburbana eorum per circuitum, ut ipsi in oppidis maneant, et suburbana sint pecoribus ac jumentis.* Porro ex textu sacro perampla erant talia suburbana; et istæ civitates earumque suburbana vocabantur civitates Leviticæ, erant immunes ab omnibus oneribus et impositionibus civilibus, prætereaque sex earum gaudebant immunitate locali seu jure asyli. Atqui hæc omnia lege divina statuta et sancita fuerunt, *Dominus locutus est*; non autem populus, nec principes. — *Præcipe filiis Israel*, ecce certe mandatum, et quidem divinum, adeoque necessitatem inde consequentem pro populo dandi *Levitis de possessionibus suis.*

Item in Novo Testamento, I Cor. IX, 14 : *Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere. — Dominus ordinavit*, non status, non respublica, non principes. Habent ergo licentiam, facultatem, quin et auctoritatem ministri Evangelii vivendi de Evangelio, seu acquirendi et possidendi ex largitione fidelium, et quidem a Christo, non a statu, non a lege civili.

« Hæc autem bona non aliqua hominum lege, sed Christi voluntate et exemplo acquisivit (Ecclesia). Nam Christianorum respublica contra eorum, qui tunc imperio potiebantur, voluntatem, a Christo fuerat constituta, neque civiles leges, quibus tunc orbis terrarum regebatur, cœtum hominum non earum jure sociatum aliquid acquirere ac retinere permittebant. Quare hæc societas contra id, quod esset humana lege præscriptum, bona habuit, auctoritate ipsa Christi; consequens est ut ab Ecclesia divino jure acquirantur ac retineantur bona; atque hoc jus divinum agnoverint apostoli et eorum successores, qui hæc Ecclesiæ bona esse voluerunt, cum eadem esse vetarent leges ethnicorum, quorum tunc dominatu omnia tenebantur. » (DEVOTI, *Inst. canon.* lib. II, tit. XIII, § 3; consule Mamachium *Del diritto libero della Chiesa di acquistare, e possidere*, lib. II, c. 2, § 2, p. 251 et seq.)

II. *Ex sacris canonibus.* — C. *Clericis laicos, De immunitate eccles.* in 6, ibi : *Clericis laicos infestos oppido tradit antiquitas, quod et præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt quam sit eis in clericos, ecclesiasticasve personas et bona interdicta potestas. Ecclesiarum prælatis, ecclesiis, ecclesiasticisque personis, regularibus et sæcularibus, imponunt onera gravia, ipsosque talliant, et eis collectas imponunt, ab ipsis suorum proventuum, vel bonorum dimidiam, decimam, seu vicesimam, vel quamvis aliam portionem, aut quotam exigunt et extorquent, eosque moliuntur multifarie subjicere servituti, suæque submittere ditioni : et (quod dolentes referimus) nonnulli ecclesiarum prælati, ecclesiasticæque personæ, trepidantes ubi trepidandum*

non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes majestatem temporalem offendere, quam æternam, talium abusibus non tam temere, quam improvide acquiescunt sedis apostolicæ auctoritate seu licentia non obtenta. Deinde pontifex Bonifacius VIII præcipit personas ecclesiasticas pro rebus suis vel Ecclesiarum nil laicis solvere debere absque licentia apostolicæ sedis, sub quocunque colore mutui, subventionis, doni, vel alio quolibet; ut etiam ipsi laici tallias non exigant vel recipiant, nec occupent quocunque modo deposita ecclesiarum vel personarum ecclesiasticarum : singulares (ecclesiasticos prælatos et alios et laicos imperatores, reges et alios quoscunque) contrafacientes excommunicat, universitates interdicit : et ab his sententiis solus papa absolvit, præterquam in mortis articulo. — Fines igitur transgreditur politica societas, et *interdictam potestatem* sibi usurpat, ubi Ecclesiam suæ *molitur subjicere servituti, suæque submittere ditioni,* tributa ei ratione fundorum et prædiorum imponendo. Sed apprime id posset civilis potestas, et revera haberet auctoritatem in Ecclesiam ratione horum prædiorum, si hæc ab ipsa accepisset auctoritatem ea acquirendi ac possidendi, ut patet; ergo non a politica potestate nec a *majestate temporali*, sed ab *æterna majestate* Ecclesia hanc obtinet auctoritatem. Equidem non ignoramus hanc constitutionem Bonifacii VIII, ob difficiles temporis circumstantias fuisse primum a proximo ejus successore Bened. XI temperatam et mox a subsequente Clemente V penitus abrogatam : sed utrumque quoad pœnas tantum in ea contentas, non vero quoad expositionem doctrinæ condescendenter concessum est; sed scimus etiam eamdem constitutionem integre innovatam fuisse a Leone X, in concilio generali Lateranensi v, c. *Statuimus* 2, septimi *Decret.* lib. II, tit. II, et confirmatam fuisse quoad pœnas per concil. Trident. sess. 22, cap. 11, *De reform.* Item et expressius, c. *Eos qui* 5, *De immunit. eccles.* in 6.

III. *Ratione.* Etenim ab eo Ecclesia jus habet acquirendi et possidendi a quo etiam habet auctoritatem exsistendi. Ergo Ecclesia jure divino, non humano, habet auctoritatem acquirendi et possidendi. — Possessiones Ecclesiæ sunt justa remuneratio operis quod in spiritualibus administrandis impendit; quod quidem mandavit Christus apostolis; nam apud Matth. x, 9 et seq., postquam ipsis dixisset : *Nolite possidere aurum neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via* (et in VI Marci, 8 : *Nec panem*), *neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam :* Christus dat istius mandati rationem, nempe : *dignus enim est operarius cibo suo ;* quasi dixisset, Nolite tempus consumere comparando vobis necessaria ad victum et nutritum, sicut alii homines, sed Evangelium prædicate sicut operarii Dei, qui curabit de cibo vestro ; et apud Luc. x, postquam idem præceptum dedisset, Dominus addit, vers. 7 : *In eadem autem domo manete, edentes et bibentes quæ apud illos sunt : dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quamcunque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Unde qui Evangelium accipiunt, tenentur cibum et potum, vestimenta, calceamenta et omnia necessaria evangelizantibus præbere ; quia *dignus est operarius mercede sua.* Quæ a Domino præcepta sic explicat Apostolus I Cor. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus ?..* Vers. 14 : *Ita Dominus ordinavit iis qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* — Unde manifestum est quod Christus non prohibuit apostolis de temporalibus curare, nisi quia bona temporalia ipsis necessaria erant illis subministranda ab omnibus evangelizatis qui eos recipiebant, jure operis ipsiusmet evangelizationis. Atqui quilibet in aliquo licito et de se honesto ministerio, in aliorum gratiam operans, ex ipsius operis merito et exigentia, non a societate consensu jus ad mercedem stricte consequitur. Ergo et Ecclesia, quæ est operarius salutis, digna est mercede sua, et jure proprio naturali et divino habet potestatem accipiendi et possidendi bona temporalia ipsi necessaria.

3° « Ecclesia est societas totalis et completa, a qualibet alia independens in suo esse, et exsistere. Ergo et in suo jure acquirendi et possidendi. Alioquin non esset independens a statu, sed absolutissime dependens, si absque ejus licentia non posset se sustentare. Nulla quippe est major servitutis ratio, quam alimentorum et sustentationis necessitas, ut patet ex famulis et servis

qui ea de causa servituti se mancipant, ut sustentationem accipiant.

« Tandem non solum Ecclesia est a societate civili independens, sed absolute ei superior, nullaque in re nedum inferior, sed ne quidem æqualis tantum. Ergo ex sola natura et dignitate rerum jus majus et principalius habet ad suam sustentationem quam civitas, adeo ut si, ex impossibili, res temporales ad utriusque, Ecclesiæ nempe et civitatis, necessitates insufficientes exsisterent, Ecclesiæ primum de necessaria sustentatione esset providendum, statui vero de reliquis, quod etiam iterum ex necessitate Ecclesiæ apparet, quia ipsa est societas necessaria, temporales vero societates non item. » (*Instit. jur. can.* auctor. R. de M. t. II, p. 345.)

PROPOSITIO TERTIA.

Ad solam Ecclesiam, non ad statum vel potestates sæculares, pertinet judicare de congrua dotatione et sustentatione quæ ei competit, adeoque jus proprium acquirendi et possidendi ad normam suarum necessitatum moderari et restringere. Unde leges vulgo *amortizationis* dictæ, sunt, secluso privilegio Ecclesiæ, iniquæ et in Ecclesiam injuriosæ.

« Scholium. —*Amortizationis* legem communiter vocant, eam quæ a civili potestate lata, prohibet res temporales, potissimum immobiles, in Ecclesiæ dominium transferri, absque principis, seu laicæ potestatis, consensu, ne ultra modum et rationem, ut aiunt, ditescat. Porro ideo hunc consensum *litteras amortizationis* vulgo appellant, quia ejus gratia prædictæ possessiones temporales rite et valide ad possessorem *manus mortuæ*, qualis dicitur ecclesia quæ semel acquisita nunquam fere dimittit, pertrahuntur. Lex hujusmodi per multa sæcula incognita et prorsus inaudita fuit apud regna Christiana. Sed tandem tempora, quæ ut dicit poeta, *progeniem vitiosiorem* semper parturiunt, hanc induxerunt, et paulatim per omnia fere regna propagarunt, » exemplo præcipue Galliarum.

Prob. conclusio, I. « *Ratione*, eaque multiplici. Etenim ex tota præcedenti propositione jus quod Ecclesia habet ad acquirendum et possidendum, ad normam congruæ dotationis et sustentationis, est divinum, et onus quod fidelibus incumbit Ecclesiæ de hac sufficienti dotatione et sustentatione providendi est pariter divinum. Atqui ad Ecclesiam, et quidem privative, spectat jura quæ a Christo consecuta est cognoscere, eis uti, eadem moderari.... Pariter ad eamdem spectat mandata divina exponere, eorum observantiam urgere, nec quisquam potest sine temeritate, et ecclesiasticæ libertatis læsione, impedire quominus Ecclesia jura sua sortiatur, aut fideles mandatis divinis obtemperent. Ergo iniquæ sunt leges amortizationis quæ hanc justam libertatem tum Ecclesiæ, tum fidelium offendunt.

« Præterea, vel prædicta lex amortizationis intendit Ecclesiam a congrua etiam, ac vere competenti dotatione et sustentatione habenda impedire, aut tantum eam ad normam hujus congruæ sustentationis restringere et moderari. Si prius, iniqua profecto est hujusmodi lex, et contra legem divinam quæ Ecclesiæ dedit non tantum facultatem, sed et auctoritatem, ac jus strictum ad hanc congruam partem. Si posterius, injuriosa est primum erga Ecclesiam quam supponit sæculi divitiis inhiantem, et externa coercitione in officio continendam. Deinde injusta, quia sive Ecclesia suum jus excedat, sive non, est in suo regimine independens a qualibet potestate, et sine injustitia, ac iniqua violentia, ab auctoritatem non habente in ipsam corrigi, aut coerceri nequit. » (*Inst. jur. can.* R. de M. t. II, p. 349.)

Aliunde omnis civilis potestas, sive sit Christianus, sive infidelis, sive incredulus, omnino et unice exsistit ad omnia subjectorum jura tutanda, non vero opprimenda vel usurpanda. Atqui Ecclesia, prout est societas hominum de se honesta, jus habet exsistendi et possidendi iisdem omnino conditionibus ac cæteri homines vel hominum societates ; nequit igitur potestas civilis istud Ecclesiæ jus coarctare, nisi simul coarctet jus proprietatis et possessionis omnium suorum civium ; nam catholici cives æquales sunt civibus acatholicis, ministri Ecclesiæ eadem jura naturalia habent ac cæteri cives : nequeunt igitur catholici eorumque presbyteri inæqualiter tractari a potestate gubernali. Ergo civilis potestas nequit jus proprietatis et possessionis Ecclesiæ limitare, nisi proculcando humanam libertatem, quæ est prima et fundamentalis hominis proprietas, fonsque omnium aliarum proprietatum.

Præterea omnes homines jus habent ut libere colant Deum, et omnibus mediis ne-

cessariis ad libere obtinendum suum finem ultimum gaudeant. Ergo nedum Ecclesiæ libertatem lædat, eam tutari tenetur potestas civilis quisquis sit. (*Vide* quæ dicta sunt lib. IX, *De laicis*, etc., cap. XI.) Si vero potestas sæcularis fuerit Christianus, Ecclesiæ subjicitur et tenetur obedire. Ergo universaliter, saltem regulariter, leges amortizationis sunt iniquæ, secluso tamen privilegio speciali, ut patet.

Prob. II. *Sacris canonibus*. C. *Eos qui*, ultim. *De immunit.* in 6, ibi : *Eos qui temporale dominium obtinentes suis subditis ne prælatis aut clericis, seu personis ecclesiasticis quidquam vendant, vel emant aliquid ab iisdem, nec ipsis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia exhibere præsumant, aliquando interdicunt, cum talia in derogationem ecclesiasticæ libertatis præsumantur, eo ipso excommunicationis sententiæ subjacere decernimus.* Etsi, ut ait Pirhing, lib. I, tit. II, sect. 2, n° 91, ibi disertis et formalibus verbis non prohibeatur ne subditi vendant, vel alio modo alienent bona immobilia in Ecclesias, vel personas ecclesiasticas, quia de bonis immobilibus nulla fit ibi expressa mentio, satis clare tamen id prohibitum est illis verbis : *Ne clericis quidquam vendant ;* quæ verba cum generalia sint, utique sub illis continetur etiam prohibitio venditionis bonorum, seu rerum immobilium, et non tantum mobilium, quarum aliquæ ibi specificantur. Ita laudatus auctor, qui subinde, n° 94, ex eodem textu deducit « legem, vel statutum de non alienandis bonis immobilibus in Ecclesias, et personas ecclesiasticas non solum esse injustum et illicitum, sed et omnino invalidum. »

Item cap. *Quia nonnulli*, *De immunit.* in 6, ibi : *Quia nonnulli habentes temporale dominium, vel potestatis gerentes officium sæcularis, libertatem et immunitatem ecclesiasticam lædere ac minuere, tanquam honoris et privilegii Ecclesiarum invidi, moliuntur, expedit quod per diligentiam et auctoritatem sedis apostolicæ quæ curam habet Ecclesiarum omnium et tutelam, contra talium ausus et conamina opportunum remedium opponatur, ut Ecclesiæ ipsæ in plenitudine juris sui et libertatis integritate lætentur, ac detestabilis malignorum audacia et insolentium nefaria temeritas propulsetur, sane intelleximus quod in regno Franciæ communiæ scabini, seu consules, et alii domini temporales, et ii qui jurisdictionem in ipsis communiis, civitatibus, castris, et villis temporalem exercent, vel quibus in illis commissa est exsecutio justitiæ sæcularis, molesti sunt nimium Ecclesiis super pluribus, et infesti, et inter cætera nituntur et student ut illis collectas, et tallias et alia hujusmodi, eædem ecclesiæ, prætextu bonorum quæ acquisiverunt, tribuant et persolvant, vel extra manum suam ponant hujusmodi acquisita. Volentes itaque super his omnibus prout expedit sollicite providere, totque temerariis ausibus congruis præsidiis obviare auctoritate apostolica, præhabita cum fratribus nostris diligenti deliberatione, decernimus non licere præfatis communiis, scabinis, et iis, qui in iis jurisdictionem temporalem obtinent, vel justitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas seu exactiones quascunque ecclesiis vel personis ecclesiasticis imponere, vel exigere ab eisdem pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus ab eisdem ecclesiis, vel personis ecclesiasticis hactenus acquisitis, vel in posterum acquirendis, etiamsi ipsæ ecclesiæ vel personæ, vel res hujusmodi sint intra illorum districtum vel territorium constitutæ. Nec etiam liceat illis ipsas ecclesias vel personas ad distrahendum vel alienandum, aut extra manum suam ponendum, acquisita jam vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare.* Quid est *extra manum Ecclesiæ ponere bona acquisita*, nisi Ecclesiam in possidendo moderari, quia est possessor, ut aiunt, *manus mortuæ ?* Jam vero hoc facere est *plenitudinem juris Ecclesiæ*, ejusque *libertatis integritatem* lædere. Et ultima canonis hujus verba : *Nec liceat..... vel quæ deinceps acquirent aliquatenus coarctare*, enuntiant et propulsant ipsissimum effectum et finem legis amortizationis.

Item in bulla *Pastoralis Cœnæ*, excommunicantur et anathematizantur § 15 qui *statuta, vel ordinationes, in genere, vel in specie, quovis quæsito colore aut prætextu ordinaverint, vel publicaverint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut quovis modo restringitur, seu sedis apostolicæ, aut quarumcunque ecclesiarum juribus quomodolibet directe, vel indirecte, tacite, vel expresse præjudicant.* Porro in legibus amortizationis non indirecte profecto, sed directe *libertas ecclesia-*

stica tollitur, nempe libertas acquirendi et possidendi, quæ sane mediocris non est, nec mediocriter Ecclesiæ necessaria, ut hucusque tradidimus. Ergo ibi damnatur. » (*Instit. jur. can.* R. de M. t. II, p. 352.)

III. Idem probatur communissimo doctorum consensu, quippe « hanc sententiam tenent, ait Pirhing, loc. cit. n° 94, communiter theologi et canonistæ, quorum longum catalogum ponit Diana, p. VI, tract. III, resol. 6........ Ecclesia igitur habet jus naturale et divinum acquirendi et possidendi bona temporalia; nec potest a nemine in sui juris usu moderari nec coarctari absque gravissima iniquitate. Propterea que omnes hujusmodi coarctantes et libertatem ecclesiasticam per leges aut statuta lædentes ipso facto excommunicantur.

CAPUT II.

De origine et fonte bonorum temporalium Ecclesiæ.

De jure Ecclesiæ acquirendi et possidendi independenter ab omni sæculari potestate hucusque diximus; nunc de ejusdem juris exercitio, seu de ipsa acquisitione bonorum ecclesiasticorum tractandum est.

Ipse Christus, ut dictum est, oblationes fidelium accepit et possedit; præterea mandavit ut apostoli viverent de evangelio, et *ederent et biberent quæ ipsis apponebantur a domibus et civitatibus eos recipientibus.* (*Luc.* X, 7, 8; et *I Cor.* IX.) Unde a Domino præceptum est ut audientes et recipientes fidem ab apostolis ipsis necessaria vitæ præbeant ex justitia : *Dignus est enim operarius mercede sua.* (*Luc.* X, 7.) Et ad hoc tenentur non tantum domus seu familiæ fidelium, sed etiam civitates seu respublicæ et regna humana. *In quamcunque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis; et curate infirmos, qui in illa sunt, et dicite illis : Appropinquavit in vos regnum Dei* (*Luc.* X, 8), id est Ecclesia, quæ ducit ad vitam æternam. Et quod sit civitatibus, etc., obligatio stricta recipiendi Ecclesiam seu apostolos, Ecclesiæque consequenter necessaria temporalia præbendi, Christus demonstrat per gravissimam pœnam quam rebelli civitati minatus est et decrevit. Ait enim, Luc. X, 10 et seq. : *In quamcunque autem civitatem intraveritis, et non susceperint vos, exeuntes in plateas ejus dicite : Etiam pulverem, qui adhæsit nobis de civitate vestra, extergimus in vos : tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum Dei. Dico vobis, quia Sodomis in die illa remissius erit quam illi civitati.* Si Sodomis remissius erit quam illi civitati quæ apostolos et regnum Dei seu Ecclesiam non susceperit, et ipsis vitæ necessaria non obtulerit, profecto hæc omnia faciendi stricta et quidem necessaria exsistit obligatio.

Christi igitur exemplum et mandata secuti sunt apostoli; deinde vero, cum eorum successores Ecclesiæ regimini præfuerunt, eadem omnino ratio rerum fuit. « Donec ethnici rerum potiti sunt, Ecclesiæ bona præsertim fuerunt res mobiles, quæ in illis ærumnis facile celari, asportari ac distribui poterant. Verum et hac tempestate non defuerunt bona immobilia ; et sane edicto Constantini ac Licinii, ethnici jussi sunt Christianis ea restituere, quæ hoc temporis intervallo rapuerant. (Cf. EUSEB. *Hist.* l. X, cap. 5, et *De vita Constantin.* lib. II, cap. 39; et LACTANT. *De mort. persecut.* cap. 48; et MAMACH. *Del diritto libero Eccles.* lib. II, cap. 2.) Data Christianis pace a Constantino, Ecclesia bonis immobilibus abundare cœpit, et multa ei per contractus inter vivos tributa, multa testamento relicta sunt. Ipsi etiam Christiani imperatores certam pecuniæ vim ex publico ærario Ecclesiæ solvi voluerunt. (EUSEB. *Hist.* l. X, cap. 6, et SOZOM. *Hist.* l. V.) Quam liberalitatem a Juliano apostata sublatam Marcianus restituit. (Lib. XII *Cod.*, *De sacros. Eccles.*) Et sæpe etiam ethnicorum templa eorumque redditus ecclesiis ascripserunt. (Lib. XX *Cod. Theodos.*, *De pagan.*)

« Itaque civiles leges jus Ecclesiæ acquirendi agnoverunt et confirmarunt. » (Lib. XIII *Cod.*, *De hæred. instit.*)

« Initio omnium Ecclesiæ bonorum cura et administratio erat penes episcopum, qui illam œconomo, aut archidiacono committebat, et hi, finito officio, gestæ administrationis rationem episcopo reddere debebant. Unus erat eorum bonorum cumulus, unde alebantur episcopus et clerici, qui Ecclesiæ erant addicti, pauperes opem accipiebant, detrahebantur impensæ, quas pro Ecclesiæ fabrica, ornatu, supellectile cæterisque rebus facere oportebat. Postea visum est bona ecclesiastica in certas veluti partes dividere et sua episcopo, sua clericis, sua item pauperibus, sua denique Ecclesiæ fabricæ pars attributa est.

« Denique certi redditus parochialibus ecclesiis adscripti sunt, et clericis, qui pridem ex Ecclesiæ, cui erant addicti, redditibus alebantur, certa concessa sunt ecclesiæ bona, quorum curam gererent, et ex quibus perciperent necessaria ad vitam honeste traducendam. Hodie igitur sua sunt bona clericis, et sua item ecclesiis, quæ utraque separatim administrantur. Bona hæc temporalia dicimus, quod eorum redditus impenduntur in temporales usus ecclesiarum et clericorum ; verum cum semper ecclesiastica sint, eo censenda sunt jure, quo censentur bona ecclesiarum, quæ sine legitima venia distrahi nequeunt, et quibus nemo, tanquam profanis bonis, uti et abuti potest suo arbitratu. » (DEVOTI, *Instit. canon.* lib. II, tit. XIII, § 4 et seq.)

His de bonis ecclesiasticis ita generatim dictis devenimus ad speciales origines et fontes hujusmodi bonorum.

§ I. — De parte dotationis Ecclesiæ quæ exigitur.

I. *De oblationibus.* Initio prædicationis Evangelii, fideles omnia sua ante apostolorum pedes afferebant, domos suas ad cœtum Ecclesiæ pro divinis rebus peragendis dabant : et sic ædes ecclesiasticæ sive pro cultu divino, sive pro ministrorum habitatione a fidelibus offerebantur. Oblationes aliæ ad altare fiebant, aliæ pro arbitrio in Ecclesia deponebantur, ut cederent in ipsius Ecclesiæ usum, aut in clericorum et pauperum alimenta. Ordinatione etiam apostolorum, per unam Sabbati, collectæ eleemosynarum fiebant, I Cor. XVI, 1, 2, 3. « Inde a primis sæculis erat in ecclesiis arca, quæ *corbona* dicebatur et in quam fideles stipem inferebant. Inde institutum est *Gazophilacium*, locus scilicet in exedris ecclesiæ, quo illæ fidelium oblationes deferebantur. (DEVOTI, lib. II, tit. XVIII.) Oblationum usus cœpit ab origine mundi ; *Gen.* IV, VIII, et in lege Moysis *Numer.* VII, et alibi, oblationes coram Domino offerre jubetur. Et sic in lege gratiæ adest antiquissimus usus offerendi in altari vel ecclesia tempore Missæ panem, vinum, oleum, ceram et alia hujusmodi, ut constat ex canone apostol. 4, et ex canonibus sextæ synodi. Et in canone 28 Trullano declaratur, qua ratione possint fructus aliqui offerri. Denique aliæ erant oblationes, quas Christiani pro sua pietate dabant, cum justa funeris solvebantur, cum sacramenta suscipiebant, cum alia sacra officia peragebantur. Sane quarto sæculo aliquid in baptismo dari solebat, Greg. Nazianz. orat. 40 *De baptis.* Hæ oblationes initio voluntariæ erant, et sufficiebant ad omnes Ecclesiæ necessitates; sed postea partim consuetudine, partim Ecclesiæ voluntate stabilitæ sunt, et in modum exactionis traductæ. « Et vero concilio Lateranensi IV sancitum est ut libere sacramenta, cæteraque sacra officia administrentur; sed ut fideles oblationes præstent quas præstare consueverunt, et recusantes etiam cogi ab episcopo possint. (C. 12, *De simonia.*) Non enim dantur tanquam pretium rerum sacrarum, sed tanquam præmium laboris, et tanquam alimenta quæ jus divinum Ecclesiæ ministris tribui voluit. » (DEVOTI, *ibid.* § 6.)

II. *De decimis et primitiis.* Sane decimæ et primitiæ ab ipso Deo sub Veteri Testamento institutæ sunt ; sed lex antiqua quoad cæremonialia per Evangelium abolita fuit, et nullibi in Novo Testamento præscriptæ sunt decimæ et primitiæ formaliter captæ. (FERRAR. verb. *Decimæ*, art. 1, n. 23 et seq.) Ideoque per quatuor priora Ecclesiæ sæcula nulla pene occurrit decimarum mentio ? Ita sane, cum enim frequentissimæ ac satis copiosæ oblationes essent, quas sponte fideles Ecclesiæ conferebant, hinc nullam oportuit de decimis, atque adeo neque de victu ad clericorum sustentationem fidelibus præstando edere sanctionem. Primi qui decimarum meminerint sunt auctor *Constitut.* lib. VIII, c. 30 ; Hier *in Malach.* c. III ; Chrysost. hom. 3, *in Epist. ad Ephes.*; August. *Enarr. in Psal.* CXLVI ; Cassian. collat. 14, aliique Patres. Neque vero de decimis loquuntur tanquam præcepto aliquo divino aut ecclesiastico conferendis, vel tanquam ubique gentium universe conferri solitis, sed de iis perinde verba faciunt ac de solutione voluntaria, ad quam Hebræorum exemplo excitari oportebat fideles, cum tepescente charitate non omnia Ecclesiæ ejusque ministris necessaria sponte a fidelibus suppeditarentur.

« Jam vero cum Patrum monitis paulatim pendendarum decimarum consuetudo invaluisset, canones deinde sanciti sunt quibus ad præstandas clericis decimas populus obligari cœpit. Ita synod. Matisconens. II, c. 4, *Capitular.* CAROL. MAGN. an. 801, c. 6, aliæ-

que per sæcula habitæ synodi, donec tandem jure decretalium decimarum solutio quæ jam universe obtinebat, atque antiquo fidelium usu firmata fuerat, generali sanctione populo Christiano imposita est. Quinimo, sæculo XIII exeunte, Cœlestinus III decimas persolvendas edixit non modo de fructibus quos terra annuatim gignit, verum et de negotiatione, venatione, militia, etc... Nullum sane hoc antiquius de decimis personalibus exstat vestigium. Cœlestini autem responso inter *Decretales* Greg. IX relato, jus generatim inductum est de omnibus, etiam de personalibus lucris decimas deberi.

« De *primitiis* fructuum, tanquam de parte alimentorum cleri non modo canones sic dicti apostolici can. 4, et *Constitut.* VIII, c. 40, loquuntur, verum et Patres antiquissimi... Jam vero secutis temporibus in desuetudinem abiere. Vix enim jam inde a sæculo V eorumdem occurrit mentio. » (SELVAGIO, lib. II, tit. XVII.)

III. *De obligatione oblationum et decimarum.* — Jure naturali et divino, titulo justitiæ tenentur fideles juxta facultates suas, Ecclesiæ et ministris ejus præbere stipendium necessarium ad honestam sustentationem; attamen nec naturali, nec divino jure præscriptum est ut hujusmodi stipendium debitum hoc vel alio modo solvatur. Verum etiam jure divino ad Ecclesiam pertinet determinare et fidelibus præcipere modos opportuniores et magis decentes, quibus ipsi Ecclesiæ stipendium jure divino ab ipsis debitum persolvant. Unde oblationes et « decimæ duplici modo considerari possunt : primo modo materialiter, et secundum substantiam, quatenus sunt stipendium necessarium ad honestam sustentationem ministrorum Ecclesiæ; secundo modo formaliter, et secundum certam ac determinatam partem fructuum, scilicet decimam, vel octavam, vel duodecimam. Decimæ primo modo consideratæ sunt debitæ ministris Ecclesiæ jure naturali divino et humano. (Unanimis doctorum.) — Prima pars de jure naturali est clara, quia jus naturæ, et lex justitiæ naturalis dictat, quod sicut Ecclesiæ ministri plebi spiritualia præbent, sic plebs eis pro sustentatione corporalia tribuat; est enim naturæ dictamen ut qui alicui servitium præstat, ab eodem stipendium justum recipiat.—Secunda pars de jure divino habetur expresse ex variis sacræ Scripturæ textibus, ut Matth. X, et Luc. X, ibi *Dignus est enim operarius mercede sua.* Et 1 Cor. IX, 7 : *Quis militat suis stipendiis unquam?...Ita Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant de Evangelio vivere.*—Tertia pars de jure humano clare patet ex repetitis textibus juris canonici, signanter, cap. *Admonemus* 2; cap. *Præcipimus* 3, causa 16, quæst. 2; c. *Decimas* 1; c. *Pervenit* 3; c. *Quicunque* 4; cap. *Omnes* 5; cap. *Decimas* 6; cap. *Majores* 8, causa 17, quæst. 7, et toto titulo *De decimis.* Sic etiam in sexto, Clement. et Extravagant. Item conc. Trident. sess. 25, *De reform.* cap. 12. Hinc infertur quod decimæ et oblationes primo modo consideratæ, prout præcise continent necessariam sustentationem ministrorum Ecclesiæ, sunt eis solvendæ, etiamsi aliunde habeant unde vivant, v. gr., ex patrimonio, artificio, et hujusmodi, quia non dantur illis ex mera misericordia vel charitate tanquam eleemosyna ut fit pauperibus, sed ex justitia tanquam stipendium debitum laborantibus. Secus autem est dicendum, si ministri Ecclesiæ sustentationem necessariam habeant ex aliis redditibus ecclesiasticis : in tali enim casu decimæ non deberentur eis jure naturali et divino, quia non haberent tunc rationem necessariæ sustentationis, ideoque cessaret ratio, cur decimæ dicantur esse debitæ jure naturali ac divino, sicut de facto plurimis in locis ministris Ecclesiæ aliunde providetur de necessaria sustentatione, ut experientia constat, et ex Layman observat Pirhing, lib. III *Decret.* tit. XXX, n. 6.

« Decimæ secundo modo consideratæ, id est formaliter et secundum certam ac determinatam partem, etc., licet in Veteri Testamento fuerint debitæ ex jure divino positivo, tamen tempore Novi Testamenti debentur ministris Ecclesiæ solum ex jure positivo canonico seu ecclesiastico. » Nam varii canones quibus expresse declaratur decimas esse de jure divino solvendas, intelligi debent de decimis et oblationibus non formaliter, sed solum materialiter captis.

Oblationes et « decimas defraudans, vel non solvens, peccat dupliciter, scilicet et contra virtutem religionis et contra virtutem justitiæ. (Communis.) Prima pars patet, quia decimæ etiam nunc debentur in contestationem et signum supremi et universalis dominii Dei super nos. C. *Tua nobis* 26, *De decimis*, ibi : *Decimæ quos Deus in signum universalis dominii sibi reddi præcipit.*

Et cap. *Cum non* 33, eod. tit. ibi : *Cum autem in signum universalis dominii quasi quodam titulo spirituali sibi Dominus decimas reservavit*, adeoque qui eos defraudat contra cultum Deo debitum, consequenter contra religionem agit, sicque sacrilegium committit, uti expresse de defraudantibus decimas dicit sanctus Gregorius III, in cap. *Decimas* 1, causa 16, quæst. 7, ibi : *Sciant se sacrilegii crimen committere, et æternæ damnationis periculum incurrere.* Secunda pars patet ex dictis supra, et cap. *Cum tua nobis* 26, *De decimis*, ibi : *Cum Deo debita sit solutio decimarum in tantum ut ad eas clericis exhibendas quibus eas ipse pro suo cultu concessit, laici si moniti reddere noluerint, ecclesiastica sunt districtione cogendi.* Et manifeste innuitur in conc. Trident. sess. 25, cap. 12, ubi expresse præcipitur quod defraudantes decimas *nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur*, quod non præciperetur nisi ad eas solvendas laici ex justitia tenerentur. Quinimo Trident. *ibidem* addit : *Qui vero eas* (*decimas*) *subtrahunt aut impediunt, excommunicentur.* Et sic jam fuerat prius statutum in concilio Rothomagensi relat. in c. *Omnes decimæ* 1, causa 16, quæst. 7. Sic etiam ab Alexandro III in cap. *Pervenit* 5, a Clemente III in cap. *Ex parte* 21; ab Innocentio III, cap. *Tua nobis* 26, tit. *De decimis*. Unde merito fuit damnatus a Martino V in concilio Constantiensi an. 1418, const. *Inter cunctas*, sequens articulus 18 inter alios Joannis Wiclefii de Anglia : « Decimæ sunt puræ eleemosynæ, et possunt parochiani propter peccata suorum parochorum ad libitum eas auferre. » (Ferraris, verb. *Decimæ*, art. 1.)

Unde facile deprehendere erit quam gravis esset decimas tollere, ac quam magnum fuerit proinde scelus eorum qui eas violenter sustulerunt. De cætero, hodie in Galliis de decimis nihil restat, nisi in quibusdam diœcesibus quæstæ quas apud parochianos colligunt parochi eorumque vicarii qui tenuioribus præsunt ecclesiis. Cum vero jus decimandi ac proinde quæstandi acquirere possint clerici per consuetudinem legitime præscriptam (Communis; arg. ex c. *Cum sint* 18; c. *Ad apostolicæ* 20; c. *Cum contingat* 29, *De decimis*), et ad hanc consuetudinem præscribendam sufficiat decennium inter præsentes, et vicennium inter absentes; cum alias jus quæstandi clericis concedatur per transactionem parochianorum qui erga episcopum ad hoc se obligant ut presbyteros obtineant; sequitur hujusmodi jus sic quæsitum sive per consuetudinem, sive per transactionem cadere sub præscripto sacrorum canonum, et præsertim Trident. sess. 25, c. 12. Unde qui quæstam non persolvant graviter peccant : *Qui vero eas aut subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine nisi plena restitutione secuta absolvantur.* (*Trident.*, *ibid.*)

Cætera de decimis vide quæ diximus lib. VI, cap. XVII, et etiam apud Ferrar. verb. *Decimæ*.

Quod vero ad oblationes attinet, hodie oblationes non debentur ex præcepto nisi in quatuor casibus enumeratis a sancto Thoma 2-2, quæst. 36, art. 1, et alii post ipsum. — Primus casus est cum debentur per modum census, aut pensionis, seu conventionis antea factæ cum Ecclesia, seu ejus ministris, quia omne pactum servandum est. — Secundus casus est, cum debentur ex testamento, legato, voto, vel donatione inter vivos; vota enim realia et legata adimpleri debent etiam per successores. (C. *Licet* 6, *De voto et voti redempt.*; c. *Ultima voluntas* 4, causa 13, quæst. 2.)— Tertius casus est, cum ministri Ecclesiæ non habent congruam sustentationem : tenentur enim parochiani ex præcepto naturali et divino ad exhibendas oblationes, quando presbyteri indigentes sunt, nec habent unde possint sibi necessaria ministrare, ut jam superabundantius probatum est.—Quartus casus est, cum alicubi longa consuetudine, id est decennali saltem introductum habetur quod certis anni temporibus et festivitatibus a populo oblationes fiant. (C. *Omnis Christianus* 69, dist. 1, *De consecrat.*, et cap. *Ad apostolicam* 42, *De simonia.*)

Cætera de oblationibus, vide lib. VI, cap. XVII.

§ II. — De parte dotationis Ecclesiæ quæ sponte offertur.

Secunda pars dotationis et sustentationis Ecclesiæ semper libera exstitit, quia fuit de majoribus rebus, puta fundis quos ecclesia nunquam per exactionem acquisivit, sed per spontaneam oblationem, aut alium ex justis et solitis tutulis acquirendi dominii

Ubi Constantinus justissime et piissime omnimodam dedit fidelibus facultatem in Ecclesiæ gratiam testandi : *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholicæ Ecclesiæ venerabilique concilio decedens bonorum quod*

optaverit relinquere (lib. I. *De sacros. eccles.*), hac sola libertate instructi, plurimi fideles integras etiam hæreditates testamento Ecclesiæ conferebant, clerici potissimum et episcopi, qui decedentes communiter alium hæredem non constituebant quam Ecclesiam. In quibusdam Ecclesiis particularibus provincialia concilia necessitatem imposuerunt episcopis Ecclesiam hæredem instituendi. (C. *Episcopus*, causa 2, quæst. 2.) Sed nunquam hac de re promulgata fuit lex generalis Ecclesiæ.

Post testamenta, aliasque mortis causa factas donationes quæ fuerunt modus communior pro Ecclesia acquirendi, alter æque legitimus, nec infrequens fuit donatio inter vivos, quam sicut testamenta et legata Ecclesia nonnisi cum discretione admittebat, vel etiam donatori, si forte et ipse postea indigebat, vel hæredibus, reddebat.

Tandem alii modi fuere Ecclesiæ bona sua augendi, nempe emptio, necnon alii contractuum species, sed imprimis indefessa cultura ac provida administratio, vel etiam utentium parcimonia, quæ tria posteriora fuere fontes divitiarum ecclesiasticarum ex omnibus uberrimi et tutissimi; alii quippe parum proficiunt, si isti depereant. Quapropter florentissimum habuit Ecclesia patrimonium non præcise quia multa accepit, quippe etiam ex opposito, multa diversis temporibus miseris sublevandis impendit, aut etiam violentia aut iniquis modis sibi detracta pertulit, sed quia parca, industria et provida fuit. Neque ejus opulentia cuiquam nocuit, sed plurimis sive privatis, sive collegiis, sive regnis etiam integris profuit; nam ex silvarum, locorumque cæterorum hujusmodi cultura, maxima parte, profluxit, cujus rei Galliæ nostræ, et Germania potissimum illustre argumentum præbent. » (*Inst. jur. can.* R. de M. t. II, p. 361 et seq.)

Hæc fuit et est origo, isti fuerunt et sunt legitimi ac justissimi fontes omnium Ecclesiæ bonorum temporalium; ex quibus fundata sunt beneficia, institutæ præbendæ, distributiones, etc.

CAPUT III.

De subjecto dominii ecclesiastici.

De hac quæstione plurimæ sunt opiniones et sententiæ. Aliæ erroneæ et hæreticæ quæ dominium bonorum ecclesiasticorum tribuunt ad ipsum civilem statum, quo prætextu multis in locis bona ecclesiastica sacrilege direpta sunt; aliæ catholicorum sententiæ tertiæ præcipuæ sunt, quarum una dominium hujusmodi ad Deum ipsum aut Christum refert; altera ad summum pontificem; tertia respective ad ipsas ecclesias particulares. Tandem quarta sententia, quæ alias includit, tenet dominium bonorum ecclesiasticorum esse indivisim apud Christum et ejus Ecclesiam universam, tanquam unum corpus efficientes, unam societatem divino-humanam. Hanc sententiam amplexi sumus et propugnavimus in lib. VIII, *De laicis*, etc., cap. ultimo, ad quod remittimus. Confirmatur tamen, cap. *Qui Christi* 1, causa 12, quæst. 2, ubi Stephanus papa sic ait : « Qui Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, etc., et cap. *Qui abstulerit* 6, *ibid.* Ibi Anacletus papa ait : « Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit : mater vero nostra, Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo, qui Christi pecunias et Ecclesiæ rapit.... homicida est. » Hic bona ecclesiastica vocantur indivisim bona Christi et Ecclesiæ, quasi bona communia sponsi et sponsæ, patris et matris.

Ex hac nostra sententia, sicut et ex sacris canonibus, consequitur summum pontificem esse jure divino solum administratorem supremum omnium Ecclesiæ bonorum in universo orbe; proindeque hujusmodi bona administrari debent juxta leges et constitutiones pontificias, et alienari nequeunt nisi ex facultate pontificis, sive in sacris canonibus concessa pro certis casibus, sive in aliis specialibus casibus expostulata et obtenta.

CAPUT IV.

De bonorum ecclesiasticorum inviolabilitate et immunitate.

§ I. — De bonorum ecclesiasticorum inviolabilitate

I. Ex hucusque demonstratis consequitur Ecclesiam, seu regnum Dei perfectum et completum habere jus strictum et omnino plenum acquirendi et possidendi; et de fide est ex c. *Cum inter* 4, tit. XIV *De verbor. signif.* Extravag. Joan. XXII, Ecclesiam, in Christo et apostolis, habuisse et habere perfectum et omnino immediatum dominium in bonis ab ipsa acquisitis et possessis. Atqui violatio dominii inducit grave peccatum contra jus et justitiam; unde violantes

Ecclesiæ dominium, restitutionis debito subjacent; nam ex regul. juris 4, in 6: « Peccatum non dimittitur nisi restituatur ablatum.»

Quod confirmatur sacris canonibus : C. *Qui Christi* 1, causa 12, quæst. 2 : *Qui Christi pecunias et Ecclesiæ aufert, fraudat et rapit, ut homicida in conspectu judicis deputabitur;* sic Stephanus seu potius Anacletus papa. Et cap. *Qui abstulerit* 6, ibid., Anacletus papa ait : *Qui abstulerit aliquid patri vel matri, dicitque hoc peccatum non esse, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit : mater vero nostra, Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergo, qui Christi pecunias et Ecclesiæ rapit, aufert vel fraudat, homicida est.* Ergo auferens, fraudans et rapiens bona Ecclesiæ gravissimum peccatum admittit et injustitiam.

Adeoque tenetur ad restitutionem. C. *In legibus* 10, causa 12, quæst. 2 : *In legibus sæculi cautum habetur : Qui rem surripit alienam, illi cujus res direpta est, in undecuplum, quæ sublata sunt, restituat. Et in lege divina legitur : « Maledictus omnis, qui transfert terminos proximi sui, et dicet populus, Amen.* (*Deut.* XXVII, 17.) *Talia ergo non præsumantur absque ultione, nec exerceantur absque sua damnatione. Proinde si quis ecclesiasticas oblationes, et quod Deo consecratum est, rapuerit vel consensuerit facientibus, ut sacrilegus dijudicetur, et damnum in quadruplum restituat, et canonice pœniteat.* Quod etiam statuitur a papa Joan. I, cap. *In antiquis* 7, ejusd. caus. et quæst. Sed correctum fuit a papa Gregorio, in cap. *Fraternitas* 11, ejusd. caus. et quæst. ibi : *Sed absit, ut Ecclesia cum augmento recipiat quod de terrenis rebus videtur amittere et lucra damnis quærat!* Concordant innumeri canones, ex quibus aliquos citabimus infra.

II. De fide est quod proprietas Ecclesiæ in bona ecclesiastica est sacra, adeoque eam violantes atroci sacrilegio se commaculant et tanquam sacrilegi puniendi sunt. Prob. sacr. canonibus: cap. *Nulli liceat* 3, causa 12, quæst. 2, ibi Bonifacius papa : *Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, quidquid semel fuerit consecratum sanctum sanctorum Domino erit, et ad jus pertinebit sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui a Domino et Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit, et usque ad emendationem, ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur, et si emendare noluerit, excommunicetur.* Et Pius papa cap. *Prædia* 5, ejusdem caus. et quæst. *Prædia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus, et Domino, cui tradita sunt, ea subtrahunt, ut sibi inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est; ne prædia usibus secretorum cœlestium dicata, a quibusdam irruentibus vexentur. Quod si quis præsumpserit, ut sacrilegus habeatur.* Et concordant multi textus juris.

Sed res tanquam de fide expressius declaratur per formulam Martini V, an. 1418, ad cujus normam omnes suspecti de hæresi Wiclefii interrogandi erant: *Utrum credat quod auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa ecclesiastica sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent personæ ecclesiasticæ bona hujusmodi possidentes. Item utrum credat quod hujusmodi ablatio et invasio cuicunque sacerdoti, etiam male viventi, temere, vel violenter facta, vel illata inducat sacrilegium.*

III. Ideoque bona ecclesiastica occupantes, seu usurpantes, quicunque sint, incurrunt excommunicationem papæ reservatam. Cap. *Conquestus* 16, *De foro competenti*, ibi : *Cum autem valde sit iniquum, ut ea quæ collata sunt pro remedio peccatorum venerabilibus ecclesiis, vel relicta, aut eis justis modis alias acquisita, aliis usibus applicari, propter quod merito invasores ipsarum rerum, tanquam sacrilegi, sunt anathemati usque ad satisfactionem congruam supponendi.* Et licet ex hoc canone excommunicatio sit tantum ferendæ sententiæ, tamen excommunicationem latæ sententiæ et papæ reservatam incurrunt ex concil. Lugdunensi II, c. 12 ; et ex Trident. sess. 22, cap. 11, *De reform.* ibi: *Si quem clericorum, vel laicorum, quacunque is dignitate, etiam imperiali, aut regali præfulgeat, in tantum malorum radix cupiditas occupaverit, ut alicujus ecclesiæ, seu cujusvis sæcularis vel regularis beneficii, montium pietatis, aliorumque piorum locorum jurisdictiones, bona, census, ac jura etiam feudalia et emphyteutica, fructus, emolumenta, seu quascunque obventiones quæ in ministrorum et pauperum necessitates converti debent, per se vel alios, vi vel timore incusso, seu etiam per suppositas personas cleri-

corum aut laicorum, seu quacunque arte, quocunque quæsito colore in proprios usus convertere, illosque usurpare præsumpserit, impedire, ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur, is anathemati tandiu subjaceat, quandiu jurisdictiones, bona, res et jura, fructus et redditus quos occupaverit, vel qui ad eum quomodocunque, etiam ex donatione suppositæ personæ, pervenerint, Ecclesiæ, ejusque administratori sive beneficiato integre restituerit, ac deinde a Romano pontifice absolutionem obtinuerit. Quod si ejusdem ecclesiæ patronus fuerit; etiam jure patronatus ultra prædictas pœnas eo ipso privatus exsistat. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, et usurpationis hujusmodi fabricator, seu consentiens fuerit, eisdem pœnis subjaceat, necnon quibuscunque beneficiis privatus sit et ad quæcunque alia beneficia inhabilis efficiatur, et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem, et absolutionem, sui ordinarii arbitrio suspendatur.

Et similiter eamdem excommunicationem incurrunt ex bulla *Cœnæ*, § 17, ibi: *Quive jurisdictiones seu fructus, redditus et proventus ad nos, sedem apostolicam, et quascunque ecclesiasticas personas ratione ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causa sine Romani pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium, expressa licentia sequestrant.*

Unde, ut concludit Ferraris, verb. *Bona*, art. 1, n. 16 et seq., « excommunicationem latam contra usurpantes bona ecclesiastica incurrunt, 1° omnes jurisdictionem ecclesiasticam sibi tanquam propriam usurpantes... (Communis doctorum.) — 2° Omnes sequestrantes, vel subripientes inique fructus alicujus beneficii. (Communis.) — 3° Omnes sequestrantes, vel usurpantes quotidianas distributiones. (Communis.) — 4° Omnes usurpantes fructus, redditus vel proventus ecclesiæ, seu beneficii vacantis, et papatus sede vacante. (Communis.) 5° Omnes usurpantes glandes, oleas, silvas, fenum, triticum, uvas, pensiones domorum vel prædiorum, census, decimas, et alia ad ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum, vel beneficiorum pertinentia. — 6° Omnes vi, aut clam arbores alieni beneficii cædentes, et usurpantes. — 7° Omnes impedientes quominus recipiantur ab iis, ad quos pertinent, proventus ecclesiarum vel piorum locorum. Petra tom. I comment. ad const. 1 Leonis IX, sect. 1, n. 23, ubi refert sic declarasse sac. congreg. his verbis : « Usurpantes bona, vel proventus Ecclesiarum, vel piorum locorum, vel occupantes, vel impedientes, quominus recipiantur ab iis ad quos pertinent, et ecclesiastici consentientes incidunt in canonem bullæ *Cœnæ*, et pœnas concilii Trident. sess. 22, cap. 11. » — 8° Excommunicationem incurrunt omnes sive publica, sive privata auctoritate bona seu jura ecclesiastica usurpantes. (Communis.) 9° Omnes etiam ecclesiastici bona seu jura ecclesiastica usurpantes... imo ex Tridentino cleric ultra excommunicationem privantur beneficiis obtentis, fiunt inhabiles ad alia consequenda, et sunt suspendendi a suorum ordinum exsecutione...— 10° Omnes ecclesiastici consentientes occupationi, vel usurpationi bonorum ecclesiasticorum, incidunt in excommunicationem concilii, et bullæ *Cœnæ*.

Omnes supradicti incurrunt excommunicationem latam in concilio Tridentino et in bulla *Cœnæ* contra usurpantes bona, seu jura ecclesiastica solummodo, quando sciunt prædicta bona usurpata, seu occupata esse ecclesiastica. (Communis.)

« Excommunicationem latam contra usurpantes bona ecclesiastica non incurrunt probabiliter credentes bona Ecclesiæ ad se pertinere, si illa occupent, quia ad hanc incurrendam requiritur certa scientia; fures, milites et hujusmodi subripientes bona ecclesiæ non incurrunt excommunicationem bullæ *Cœnæ* et concilii. Ipsi enim non advertunt an bona sint Ecclesiæ principaliter, sed tantum agunt ut sibi consulant, nec cum armis, aut vi agunt. Ita Petra loc. cit. et Pignatel. tom. VII, consult. 11, n. 9, ubi ait esse communem doctorum sententiam, et dicit sic censuisse sacram congr. Concilii *in Sorana* 27 Februar. 1596... Furtum autem committentes intra ecclesiam sunt ipso jure excommunicati excommunicatione lata in c. *Conquest.* 22, *De sentent. excommunic.*, dummodo tamen simul concurrat januæ aut murorum effractio, ita ut unum sine altero non sufficiat, sed debet intervenire et furtum, et fractura, ut recte observant Gonzales et alii. . » (Cf. FERRAR. verb. *Bona*, art. 1 passim.)

§ II. — De bonorum ecclesiasticorum immunitate.

I. Immunitas bonorum ecclesiasticorum est privilegium, quo res ecclesiæ exemptæ sunt a communi aliqua obligatione civili, ab exactionibus et oneribus a sæcularibus potestatibus impositis. Hujusmodi immunitas in Veteri Testamento significatur, Gen. XLVII, 23 et seq., et in lege Mosaica præcepto divino ordinata; et a gentili etiam rege, scilicet Artaxerxe, in favorem sacerdotum et ministrorum templi Dei Israel observata fuit. (I Esdr. VII, 24 et seq.) Sed Christus hanc immunitatem tum personarum, tum bonorum Ecclesiæ declaravit, ut clarissime habetur ex ipsius verbis, Matth. XVII, 24 et seq. ibi: *Quid tibi videtur, Simon? reges terræ a quibus accipiunt tributum vel censum? A filiis suis, an ab alienis? Et ille dixit: Ab alienis. Dixit illi Jesus: Ergo liberi sunt filii. Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui prius ascenderit tolle, et aperto ore ejus invenies staterem; illum sumens da eis pro me et te.* En verba Domini luculenter ostendentia exemptionem rerum et personarum ecclesiasticarum. Qui enim nomine *liberorum* magis censendi sunt, quam clerici utpote specialiter in sortem Domini electi, præsertim, quia Petrus tunc totius ecclesiastici status vicem gerebat, teste divo Augustino, serm. 6 *De verbis apostol.*? Neque enim verba illa intelligi possunt de exemptione solius Christi, seu vere Filii Dei: nam illico jussit Christus ut ad vitandum scandalum Petrus inventum in ore piscis staterem daret pro utroque, sicque de jure exemptus dignoscebatur: Christus quidem, utpote filius Regis regum; Petrus autem veluti repræsentans Ecclesiam sponsam Christi ecclesiasticasque personas tanquam domesticos ejus, ac proin eadem prærogativa cum ipso gaudentes, prout inferunt sanctus Augustinus, lib. I Quæst. evangelic., quæst. 23, apud Ferraris, verb. *Bona*, art. 2, n. 18.

Ex eodem Evangelii loco colligunt Patres, Christum se tributi lege solutum declarasse, id tamen solvisse arbitrio suo, ne publicanos scandalizaret; præterea non ex *loculis*, sed ex statere in ore piscis invento tributum pendi voluisse, ut ostenderet tributi onere non teneri loculos (seu bona ecclesiastica), in quibus pauperum et apostolorum patrimonium consistebat.) Ita S. HIER. l. III *in Matth.*, cap. XVII; S. AGOBARD. *De dispensat. eccles.* p. XIX, pag. 287 et seq, Opp. tom. I; S. THOM. 2 — 2, quæst. 188, art. 7.) — Hinc merito ab Joanne XXII damnatus est error Marsilii Patavini et Janduni aientium Christum, cum staterem ex piscis ore sumptum tributi loco solvit iis, qui petebant didrachma, hoc fecisse, « non condescensive et liberalitate suæ pietatis, sed necessitate coactum... »

Item colligitur etiam ex variis textibus juris canonici, exemptionem ecclesiarum, rerum ecclesiasticarum, seu immunitatem realem esse juris divini astruentibus, et in primis ex can. 39, alias 37 apost. ex cap. *Quisquis episcopus*, 19, causa 12, quæst. 2; et cap. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6; et c. *Non minus* 4, *De immunit. eccles.*; et concil. *Trident.* sess. 25, cap. 5, *De reform.* Et cap. 20 expresse contestatur: *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutam.* Et accedit etiam jus civile in l. *Sancimus* 22, cod. *De sacrosanct. eccles.*, ubi Justinianus imperator sic expresse ait: « Cur enim non faciamus discrimen inter res divinas et humanas? et cur competens prærogativa cœlesti favori non conservetur? » Et hanc immunitatem bonorum ecclesiasticorum originem habere non solum a jure positivo, canonico scilicet et civili, sed immediate a jure divino, decidit expresse Rota, part. VI, recentior. decis. 339, n. 7 et seq. et pluries, et cum ea passim tradit sacr. congr. Immunitatis ecclesiasticæ; et expresse tenet cum plurimis a se citatis Barbosa *Jur. Eccles. univers.* lib. I, cap. 39; et Fagnan. in c. *Non minus* 4, *De immunit.* n. 4, ubi dicit esse unanimem canonistarum sententiam.

Ergo 1° immunitas bonorum ecclesiasticorum est a jure divino fundamentaliter, et quoad principium; est 2° a jure ecclesiastico quoad determinationem, seu ut jus a Christo collatum determinante et applicante; est 3° a jure naturali ut inducente et suadente; 4° a jure gentium ut confirmante; 5° a jure civili ut reverenter obsequente, seu ut per civilem legem sanciente legem divinam et ecclesiasticam, non autem ut proprie instituente. Hæ conclusiones fuse demonstrantur ab auctore R. de M. *Inst. canon.* t. II, p. 392 ad 399.

§ III. — **De speciali immunitate bonorum ecclesiasticorum.**

Bona ecclesiastica, quantum ad præsens spectat, in triplici genere possunt considerari.

I. « Bona ecclesiastica primi generis sunt ipsæmet ecclesiæ materiales, seu templa ædificata, adjuncta cœmeteria, item vasa sacra, vestes, paramenta, et alia hujusmodi sive consecrata, sive benedicta ad divinum cultum tanquam ejus instrumenta legitime deputata. Et bona ecclesiastica hujus primi generis ex communi omnium doctorum sunt immunia et exempta ab omni jurisdictione laicali, et ab omnibus oneribus, tributis et exactionibus : quia hæc bona nullam temporalem utilitatem habent, quæ in æstimatione venire possit; cum enim ad divini cultus ministerium, tanquam consecrata vel benedicta, sint dedicata, nullis aliis usibus humanis ac profanis applicari possunt. Arg. cap. *Quæ semel 4*, causa 19, quæst. 3, cap. *Ligna 38*, *De consecrat.* dist. 1; et c. *Semel 51*, *Regul. jur.* in 6 ibi : « Semel Deo dicatum non est ad usus humanos ulterius transferendum. » Idem dicendum est de area Ecclesiæ, seu fundo in quo ædificata est, imo et de hortis juxta ecclesiam positis, et prædiis in dotem ecclesiæ peculiariter collatis (quæ solent *mansus* appellari). Hæc omnia a quocunque tributo laicali eximuntur; ratio est quia sunt necessaria cultui divino sicut et templa et vasa sacra, etc. Ideoque a sacris canonibus eximuntur textu expresso, cap. *Secundum canonicam 24*, causa 23, quæst. 8 ex Parisiensi concilio, ibi : *Secundum canonicam auctoritatem et constitutionem domini imperatoris Ludovici, de ecclesiastico agro, et manso, et de mancipiis, quæ ipse suis capitulis constituit, vel si quilibet pro loco sepulturæ aliquid largitus ecclesiæ fuerit, de decimis etiam, et oblationibus fidelium nullus quemquam presbyterorum aliquem censum persolvere cogat, nec quisquam cujuslibet ordinis, vel dignitatis exinde quidquam subtrahat, aut redhibitionem quamcunque exigat temporalem. Quod si fecerit, communione usque ad satisfactionem privetur et regia potestate dare cogatur.* Et cap. *Sancitum est 25*, ejusd. causæ ac quæst. quod relatum est in cap. 1, tit. XXXIX, lib. III *Decretal.*, quod ibi sic summatur : *Ecclesiæ fundandæ debet pro dote tribui mansus liber a quolibet servitio temporali; ad ecclesiasticum tamen tenetur : sed si aliquid conferlur ecclesiæ ultra mansum, tenetur ecclesia ex eo solvere consueta.* Et in canone : *Sancitum est ut unicuique ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio tribuatur. Et presbyteri in eis constituti, non de decimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, neque de areis, vel de hortis juxta ecclesiam positis, neque de prædicto manso aliquod servitium faciant præter ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde senioribus (alias majoribus) debitum servitium impendant.*

II. Bona secundi generis sunt ecclesiarum et beneficiorum bona temporalia præter dotationem integram et liberam a fundatoribus, vel aliis fidelibus, ad Dei honorem oblata, seu donata, ut a prælatis ecclesiarum tanquam administratoribus, vel ab ipsis beneficiatis in pios usus, et pauperum sustentationem convertantur. Et hæc bona hujusmodi generis non sunt immmunia, et exempta ab oneribus et tributis mere realibus, quæ sine habitudine ad personarum qualitatem sunt perpetuo, certe, et inviolabiliter imposita antequam ad ecclesiam transirent, vel bona ecclesiastica essent effecta. Et ratio est quia bona et res transeunt cum onere suo. Cap. *Cum ex litteris*, *De pignoribus*, ibi : *Cum bona suo onere transierint ad quemlibet possidentem.* Et cap. *Cum non sit 33*, *De decimis*, ibi : *Quoniam res transit cum suo onere.* Et manifestum est, qui venditione, donatione legato, etc., rem quampiam in ecclesiam transfert præjudicare non posse juri alterius, quod in re illa habet, nam *suæ quisque rei moderator atque arbiter est, et non alienæ*, et sic tenent communiter doctores et Rota, cum sacr. congr. Immunit. apud Ferraris, verb. *Bona*, art. 2, n. 5 et 6; et sic etiam expresse loquitur textus in cap. *Tributum 22*, causa 23, quæst. 8, quod sic summatur : *De suis exterioribus Ecclesiæ solvunt tributa*, ibi : *De exterioribus Ecclesiæ quod constitutum antiquitus est, pro pace et quiete, qua nos tueri et defendere debent, imperatoribus persolvendum est.* Ita ex Urbano papa; ubi Rota, decis. 339, n. 57, part. VI recent. explicat τὸ *antiquitus*, nempe illud quod constitutum est antequam ad Ecclesiam pervenirent prædia. (FERRAR. ibid.) Hæc sententia dicitur communis a Suarezio, *Def. fid.* lib. IV, cap. 19, quamvis ipse contrariæ adhæreat; etenim contrariam

sententiam propugnantes « ex adverso respondent, et melius ut videtur, rationes quæ bona ecclesiastica a tributis posterioribus eximunt æque tributa anteriora exstinguere. Quippe tributa ratione jurisdictionis et dominii alti bonis imponuntur et perstant, adeoque eo perserverante perseverant, cessante vero cessant. Porro, ut adversarii concedunt, cessat jurisdictio temporalis ex quo res transit ad jus Ecclesiæ; ergo et ratio tributi, adeoque tributum ipsum. Nec valet ratio rem transire ad dominium cum onere suo, quia hoc obtinet tantum quando durat ratio oneris, non autem quando cessat, ut hic. Nec iterum valet principem detrimentum pati, quia etiam patitur detrimentum in primo casu ab eis admisso, nempe quando fundus ab Ecclesia acquiritur. Nam per hanc acquisitionem fundus subducitur a novis tributis imponendis ac a status jurisdictione. In utroque casu proinde patitur princeps detrimentum jurisdictionis, emolumentorumque ex ea sequentium, sed hoc non est speciale naturæ bonorum ecclesiaticorum, sed multis aliis quæ Ecclesiam concernunt commune. Ergo.. »

Quidquid sit de his duabus contrariis sententiis, certum est quod bona ecclesiastica hujus secundi generis non sunt immunia et exempta a pensionibus et præstationibus, quas fundatores ecclesiarum et beneficiorum cum consensu episcopi in fundatione, sibi vel aliis moderate reservarunt; nam hujusmodi pacta, sive conditiones, debent necessario observari, ut aperte colligitur ex cap. *Verum* 4, *De conditionibus appositis*; c. *Cum dilecti filii* 6, *De donationibus*; cap. *Præterea* 23, *De jure patronatus*; et ex concil. Trident. sess. 25, cap. 5, ubi sic expresse habet : ***Ratio postulat ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur : quando igitur ex beneficiorum quorumcunque erectione, seu fundatione, aut aliis constitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta in beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione, eis non derogetur.*** Itaque ex sententia communi bona hujus secundi generis non sunt immunia ab oneribus laicalibus ipsis impositis, antequam ad Ecclesiam transirent.

IV. « Bona autem hujusmodi secundi generis, postquam sunt effecta ecclesiastica, sunt immunia a tributis et oneribus laicalibus de novo imponendis. (Arg. c. *Non minus* 4; c. *Adversus* 7, et c. *Quia nonnulli* 1, *De immunit. eccles.* in 6; Clement. unic. eod. tit. c. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6; c. *Nulli* 3, causa 12, quæst. 2; c. *Secundum* 24, causa 23, quæst. 8, et est doctorum sententia communis.)

« Non sunt tamen hæc bona ecclesiastica immunia, et exempta ab oneribus quæ ratione naturali ipsis rebus incumbunt, ut reficere iter ante domum, et pro rata parietem medium inter domum ecclesiæ, seu beneficii, et laici, et etiam pro rata solvere expensas pro purgatione putei ecclesiæ et toti viciniæ necessarium, et hujusmodi, ut est sententia communis. — Non tenentur vero ecclesiæ et personæ ecclesiasticæ ad sordida munera, ut ad terram et arenam fodiendam, ad fossata construenda, ad calces coquendos, ad balneorum custodias, et similia. » (Ferrar. verb. *Bona*, art. 2, n. 8 et seq.)

V. Bona ecclesiastica tertii generis sunt bona ecclesiarum, et clericorum propria titulo aliquo temporali, v. gr. emptione, inventione, hæreditate, donatione, arte, labore, aut alio simili titulo acquisita. Et hæc pariter gaudent immunitate ab omnibus oneribus et exactionibus laicalibus modo supradicto de bonis secundi generis: habetur aperte ex cap. *Adversus* 7, *De immunit. Eccles.*, cap. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6; cap. *Quia nonnulli* 1, *De immunit. eccles.* in 6; Clement. unic. tit. eod. Nam his juribus universim prohibetur, ne ecclesiasticis personis talliæ, collectæ, aut aliæ quæcumque exactiones imponantur, quia ecclesiasticæ personæ et res earum a sæcularium potestatum exactione immunes esse oportet prout jure divino sunt.... et quoad bona patrimonialia : sic pluries declaravit sacr. congr., ut refert Pignatelli t. II, consult. 54... Et ratio est clara, quia solvere tributa, etc., est proprium subditorum, cum id sit verum signum subjectionis, ut testatur Apostolus ad Romanos XIII, 5 et seq. : ***Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa præstatis.*** Et clarissime habetur ex c. *Omnis anima* 2, *De censibus*; ibi : ***Vos subditi esse debetis, ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis.*** Sed personæ ecclesiasticæ sunt immunes a ju-

risdictione laicali, ut fatentur omnes in titulo de foro competenti; ergo etiam ab oneribus et tributis; tum quia ex quo domini sæculares a clericis, aliisque ecclesiasticis personis spiritualia commoda accipiant, æquum non est ut etiam temporalia ab iis exigant, sed potius tribuant, juxta illud Apostoli I ad Cor. IX, 11 : *Si nos vobis spiritualia seminamus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?*

VI. Unde ex constitutione Urbani VIII *Romanus pontifex* 5 Junii 1641 generatim concludendum est, prout decernit et declarat pontifex : primo, quod impositiones et exactiones quarumcunque contributionum, et collectarum, ac gabellarum super ecclesiarum, vel monasteriorum, et locorum piorum bonis, vel fructibus, sint prorsus invalidæ, et illicitæ, ac indebitæ, etsi a sponte consentientibus sint datæ ac solutæ, sine speciali facultate sedis apostolicæ. Secundo, esse nullas et illicitas, etiam non obstante quod per tempus quantumvis longissimum et immemorabile sint exactæ, aut solutæ. Tertio, etiamsi sint solutæ vel exactæ sub prætextu apostolici privilegii accepti. Quarto, etiamsi sint exactæ vel solutæ cum tolerantia, facultate, ac permissione prælatorum ecclesiasticorum inferiorum, episcoporum, abbatum, ac præpositorum, generalium, provincialium, priorum, rectorum, etc., imo et legatorum, ac nuntiorum sedis apostolicæ. Quinto, restituantur in integrum omnia præjudicialia in contrarium facta, et præcipitur ut nunquam deinceps talia attententur. Sexto, etiamsi ea sint attentatà per imperatores, et reges, et quoscunque alios sufficienti ac legitima facultate apostolica non munitos. Septimo, etiamsi hujusmodi præjudicialia immunitati ecclesiasticæ sint attentata sub prætextu, quod bullæ, seu constitutiones apostolicæ non fuerint publicatæ vel usu receptæ, prout habetur in cit. bulla, § 4. Denique § 13 et 14 adduntur clausulæ derogatoriæ, et adimitur judicibus omnibus ordinariis et delegatis quacunque auctoritate præditis aliter judicandi et interpretandi facultas.

VII. Quamvis autem ecclesiæ, ecclesiasticæque personæ, ac bona, et res ipsarum quælibet immunes et exemptæ sint ab omnibus exactionibus, collectis, tributis, et oneribus novis et extraordinariis, etiam illis quæ, ob bonum commune reipublicæ, in casu necessitatis communis, tam clericos quam laicos tangentis imponuntur, ita ut quacunque necessitate, etiam belli, famis, et pestis emergente, ab eis, vel ab earum bonis nihil exigi possit, ut expresse defendit...... (Communissima canonistarum.) Tamen sex copulative concurrentibus conditionibus tempore necessitatis, ecclesiæ, et ecclesiasticæ personæ ratione suorum bonorum tenentur ad collectas, exactiones et contributiones extraordinarias. Est omnium communis cum Rota, quæ has sex necessarias conditiones adducit præcisis verbis, *in Brundusina Gabellæ*, 13 Februarii 1604, coram Penia. *Primo :* Ut adsit magna necessitas, cui alias facile subveniri non possit, nisi clerici cum laicis contribuant, ut probatur in dict. cap. *Non minus*, ubi expresse notat Abb. n. 5, v. *Secundo sequitur*, et dict. cap. *Adversus*, *De immunit. eccles.* ubi Abbas n. 4; et clarius apparet per extravag. Bened. XI sub tit. *De immunit. eccles.* — *Secundo*, debet concurrere communis utilitas, vel saltem pietas (ex iisdem et similibus capitibus juris). — *Tertio*, oportet quod onus illud sit tale, ut ad illud sustinendum laici non sufficiant, quia clerici et Ecclesiæ solum tenentur cum laicis contribuere in subsidium, et ubi laicorum non suppetunt facultates, ut in dict. c. *Non minus*, c. *Adversus*. Quas conditiones consideravit Benedictus in dict. extravag. *De immunit. eccles.* ibi : *Cæterum sollicite attendant ecclesiarum prælati et alii clerici, Lateranense concilium, quod in hujusmodi subventionibus solum casum necessitatis, aut communis utilitatis, ubi laicorum ad id non suppetunt facultates deliberatione provida noscitur excepisse.* Quarto, requiritur ut ad onus hujusmodi imponendum vocetur, et consentiat totus clerus, nec sufficeret episcopus cum capitulo, quia quod omnes tangit ab omnibus particulariter debet approbari. (C. *Cum omnes*, *De regul. juris*, in 6, et probatur in dict. c. *Non minus*, n. 4 et 5, notab.) *Quinto*, in istis oneribus imponendis ad effectum, ut clericus teneatur, potissimum requiritur ut Papa consulatur, et ipso consulto, non alias clerici contribuant (dict. cap. *Adversus*); et sic fuit expresse cautum per Benedictum XI in dict. extravag. *De immunit. eccles......* Postremo requiritur quod ad hæc onera, et impositiones solvendas, postquam prædictis requisitis concurrentibus impo-

sita fuerint, clerici et personæ ecclesiasticæ, non a ministris laicis, sed a suo episcopo, et superiore ecclesiastico compellantur; principes enim, et sæculares potestates non possunt in his se intromittere. » (Ita INNOCENT. in dict. cap. *Non minus*, n. 6, etc.) Hactenus decisio Rotæ, quam secuta est sacr. congr. 28 April. 1640, ut refert Barbosa, *Juris ecclesiast. univers.* lib. I, cap. 39, § 5, n. 8; apud FERRAR. verb. *Bona*, art. 2, n. 69 et 70.

§ IV. — De pœnis violantium immunitatem bonorum ecclesiasticorum, et de absolutione ab eisdem.

I. Ultra gravissimam sacrilegii culpam, triplex potissimum pœna incurritur a violatoribus immunitatum ecclesiasticorum bonorum.

Prima pœna est, quod omnia eorum acta contra talem immunitatem, omnesque constitutiones, et sententiæ, quæ a collectantibus ecclesias, vel ecclesiasticos, ac compellentibus ad contribuendum etiam pro necessitatibus communibus sunt editæ, vel de ipsarum mandato promulgatæ, ipso jure sint irritæ, nec ullo unquam tempore valituræ, textu expresso in cap. *Adversus* 7, *De immunit. eccles.* et constit. Urbani VIII, *Romanus pontifex* supra cit.; et ratio est quia ex *Regul. jur.* 26, in 6 : *Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.*

Secunda pœna est quod teneantur restituere ea omnia, quæ ab ecclesiis et ecclesiasticis personis aut bonis earum exegerunt. (Citat. c. *Non minus*, cum similibus.)

Tertia pœna est, quod incurrant ipso jure et facto excommunicationem majorem. (C. *Non minus* 4, *De immunit. eccles.*; c. *Adversus* 7, eod. tit.; c. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6; concordat Clement. *Quoniam*, c. unic. *De immunit. eccles.*; et extravag. *Quod olim* 1, tit. eod. et expresse bulla *Cœnæ*, § 18, et constit. URBANI VIII, *Romanus pontifex*, citat.)

« Hujusmodi excommunicationis pœnam incurrunt omnes, et singuli sine expressa speciali licentia Romani pontificis exigentes ab ecclesiis, ecclesiasticisque personis, aut earum bonis, collectas, decimas, tallias, præstantias, et quæcunque alia hujusmodi, præter ea quæ a jure canonico permittuntur. (C. *Non minus* 4, et c. *Adversus* 7, *De immunit. eccles.*; c. *Quia nonnulli*, 1, eod. tit. in 6. cit. constit. Urbani VIII *Rom. pontifex*, et expresse bulla *Cœnæ*, § 18.) — Item qui pedagia, guidagia, tallias, vel vectigalia eisdem imponunt, vel ab eis exigunt, etiam pro rebus propriis ipsorum ecclesiasticorum. (C. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6.) — Imo hanc excommunicationem incurrunt, qui sic imposita etiam a sponte dantibus et concedentibus, hoc est sine alia vi, aut coactione præter exactionem, seu impositionem, recipiunt. (Bulla *Cœnæ*, § 18, et const. URBANI VIII, *Rom. pontifex*.) — Item ea incurrunt omnes, qui per se, vel per alios, directe, vel indirecte prædicta faciunt, procurant, vel exsequuntur, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstant, sive sint supremi principes cujuscunque præeminentiæ, seu dignitatis, etiam imperialis, regalis, ducalis, aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti, sive sint subordinati senatus, magistratus, aut alii hujusmodi præsidentes et judices, sive sint infimi servi, vel famuli, aut lictores, vel satellites, aut milites directe, vel indirecte exsequentes, vel ad executionem juvantes, textu expresso in bul. *Cœnæ* § 18. — Quinimo etiam successores in officio imponentium collectas, vel onera ecclesiasticis, excommunicationem incurrunt, nisi intra mensem satisfecerint. (Textu expresso in cap. *Adversus* 7, *de Immunit. eccles.*) Hujusmodi autem successores, ne excommunicatione obstringantur, tenentur ad satisfactionem, curando satisfactionem præstari a communitate in cujus utilitatem concessum est tributum, seu collecta; vel constringendo satisfactionem præstari ab iis quibus collectæ applicatæ sunt; in defectu vero communitatis, vel illorum quibus collectæ applicatæ sunt, si successores in officio sint etiam hæredes prædecessorum, qui collectam imposuerunt, tenentur ipsi ad restitutionem damni, quod Ecclesiæ, vel ecclesiasticæ personæ ex impositione illius collectæ passæ sunt, sicut tenentur ipsi prædecessores, qui collectam imposuerunt. Si vero successores in officio non sint hæredes, non tenentur ex propriis bonis satisfacere, seu restituere, cum ipsi non deliquerint, nec aliquid ex collectis ab Ecclesia datis usurpaverint; adeoque si intra mensem non possunt satisfactionem præstare, non incurrunt excommunicationem, quia revera non deliquerunt.

(Ex c. *Adversus* cit. Pirhing, lib. III *Decretal* tit. XLIX, sect. 3, § 7, n. 91 et alii. »

« A præfata excommunicatione incurrenda, nulla consuetudo etiam immemorabilis, nulla præscriptio, nullum privilegium, nullusque alius titulus excusat. (C. *Quanquam* 4, *De censibus* in 6; et expresse bulla *Cœnæ*, § 24.) Nec valet objicere quod bulla *Cœnæ Domini* non sit ubique recepta, et consequenter non ubique obliget, quia Alexander VII, an. 1665, die 24 Septemb. inter alias propositiones etiam sequentem in ordine 28 damnavit : *Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a principe promulgatam.* Imo dato, et non concesso, quod leges aliæ non obligent in locis in quibus non sunt receptæ et promulgatæ, obligant tamen leges et constitutiones pontificiæ pro immunitate ecclesiastica editæ (inter quas præcipua est bulla *Cœnæ*) non obstante prætextu legis non receptæ, aut non promulgatæ, prout expresse sancivit Urbanus VIII in allata constit. incip. *Romanus pontifex*, § 4, ibi : *Etiam sub prætextu quod bullæ, seu constitutiones apostolicæ non fuerint publicatæ, vel usu receptæ, aut contrario usu decennali, et quantumlibet longissimo, ut prætenditur abrogatæ.* Unde bulla *Cœnæ*, etiam in locis ubi non est promulgata, quoad ea quæ pro immunitate ecclesiastica reali, et personali disponit, certissime obligat, et vim suam habet.

« II. A præfata excommunicatione, aliisque pœnis extra articulum mortis nullus præter Romanum pontificem absolvere potest; et articulo mortis nullus absolvere potest, nisi violatores prius cautionem præstent de satisfaciendo, seu restitutionem faciendo, et mandatis Ecclesiæ integre parendo, et similia non ulterius faciendo, ut habetur expresse in cit. bulla *Cœnæ*, § 21. Advertendum tamen hic, quod dato casu, quo aliquis similis violator cautionem præstare vere non posset, adhuc in simili casu potest absolvi, dummodo firmiter proponeret, et promitteret de satisfaciendo, etc., ut supra. (Communis.)

« Si aliquis alius quam Romanus pontifex extra mortis articulum, vel in articulo mortis, non servatis præfatis conditionibus similem violatorem absolveret, gravissime peccaret, excommunicationem summo pontifici reservatam incurreret, et gravius spiritualiter, et temporaliter adhuc contra eum posset procedi. » (Sic expresse cit. bulla *Cœnæ*, § 23.)

« Imo nulla absolutio etiam per Romanum pontificem facta, violatoribus immunitatis suffragatur, nisi prius a præmissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, seu facta decreta contra ecclesiasticam libertatem publice revocaverint, et ex archivis librisque in quibus fuerant adnotata expunxerint, et de his pontificem certiorem fecerint. » (Sic expresse cit. bulla *Cœnæ*, 23. — (Apud Ferrar. verb. *Bona*, art. 2 per totum.)

CAPUT V.

De divisione hodierna bonorum ecclesiasticorum

§ I. — De præbendis et beneficiis.

« I. Proprie beneficium a præbenda distinguitur. Hæc enim tantum comprehendit fructus, redditus et emolumenta, quæ clericis certo obveniunt, ecclesiasticorum et beneficiorum causa. Hinc eam sæpe etiam beneficii dotem appellamus, sive consistat in prædiis rusticis, aut urbanis, sive in pascuis, silvis, aut similibus, sive in illis juribus, quæ fructuum vicem obtinent, et rebus immobilibus æquantur, uti sunt census et reliqua generis ejusdem. At vero beneficii nomen latius patet; quoniam non ea tantum, quæ præbenda, comprehendit, sed etiam ecclesiasticum officium et magistratum.

« Beneficium est perpetuum jus percipiendi fructus de bonis ecclesiasticis, officii causa ecclesiastica auctoritate institutum. Perpetuum, inquam, hoc est, donec beneficiarius vitæ usura fruitur, beneficium esse debet; quia per hoc certo in ecclesia obeundo muneri addicitur, quod cum perpetuum sit, perpetuum quoque jus ad redditus esse debet.

« Præterea ecclesiastica auctoritate, videlicet summi pontificis, aut episcopi, opus est, ut beneficium constituatur. Cum enim ecclesiastici redditus et multo magis sacra ministeria, quæ duo beneficium complectitur, sine Ecclesiæ auctoritate dari nequeant, manifestum est, sine hac auctoritate nullum esse, et haberi beneficium posse. Quare omnes redditus, licet perpetuo clericis ob aliquod spirituale officium attributi, uti legata pia et capellaniæ, beneficia non sunt, nisi episcopi accedat auctoritas, sed mera stipendia aut eleemosynæ censentur.

« Denique beneficium propter spirituale officium institutum est. Non enim clericos otiosos et nihil agentes ex ecclesiasticis redditibus vivere oportet. Præcipuum clericorum officium positum est in altaris ministerio atque in precibus, quæ ad Deum mittere pro cunctis debent; et vero Ecclesia certas constituit preces, id est horas canonicas, quas omnes beneficiarii quotidie recitare debent, et quæ *divini officii* ac *breviarii* nomine appellantur. »

II. Dividuntur beneficia in *simplicia* et *duplicia*. « Sed præter officium, quod omnibus beneficiariis commune est, quidam sunt, qui et aliud habent ministerium, personatum, dignitatem, aut curam animarum. Hæc beneficia duplicia, cætera in quibus illa non sunt, simplicia appellantur. Ex simplicibus beneficiis, quædam sunt, quæ adjunctam habent legem residentiæ, uti sunt canonicatus et capellaniæ perpetuæ ecclesiastica potestate constitutæ, et hæc beneficia *residentiaria*, cætera a quibus onus illud abest, proprie *simplicia* et non *residentiaria* dicuntur. Verum canonicatus, quanquam inter beneficia simplicia recenseantur, tamen accedunt ad dignitates. (C. 2 *De rescriptis*, in 6), ideoque in odiosis simplicium beneficiorum nomine non continentur. »

III. Dividuntur adhuc beneficia in *majora* et *minora*. « Rursus alia beneficia sunt, quæ majora, alia quæ minora appellantur. Majora sunt, quibus hærent principes in ecclesiis gradus cum cura animarum et sacra jurisdictione, qualia beneficia oblinent summus pontifex, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi et abbates cum quasi episcopali jurisdictione. Reliqua quæ infra hæc sunt, minora beneficia dicuntur. Cæterum majora illa beneficia communi beneficii nomine non comprehenduntur; quin ne dignitatis quidem vocabulo, cum potius sint apices dignitatum.

IV. « Dividuntur etiam beneficia in sæcularia et regularia. Sæcularia sunt, quæ non nisi sæcularibus clericis, regularia, quæ tantum regularibus clericis tribuuntur, unde eorum nomen tractum est. Hinc abbatiæ, cæteraque officia claustralia suis propriis donata redditibus, beneficia sunt regularia, ac talia generatim censentur omnia, quæ a regularibus regi consueverunt. Beneficia regularibus addicta demonstrantur vel fundatione, cujus nimirum lege cautum est, ut ea regularia haberi debeant; vel incorporatione, cum monasteriis annexa sunt; vel præscriptione annorum quadraginta, cum eo temporis intervallo semper a regularibus administrata fuerunt.

V. « Denique sunt beneficia collativa, quorum collatio ad eos pertinet, quibus conferendi jus est; electiva, quæ per electionem; patronata quæ ad patroni præsentationem conceduntur. » (Devoti, *Instit. can.* lib. II, tit. 14.) De quibus omnibus satis dictum est in præcedentibus libris

§ II. — De vetita beneficiorum multitudine.

I. « Neminem duabus ecclesiis adscribi vetus disciplina patiebatur. Postquam beneficia ab ordinatione sejungi cœpta sunt, etiam interdictum, ne cui plura simul beneficia tribuantur, cum unus clericus simul gerere non possit plura officia, quæ beneficiis conjuncta sunt. Sed imminutis beneficiorum redditibus, oportuit residentiæ lege solvere clericos, qui alibi quærere debebant victum, quem a beneficio habere non poterant. Unde quædam beneficia *compatibilia* dicta sunt; quoniam non residentiam neque aliud habebant adjunctum onus, quod alterius beneficii possessionem impediret. Quibus beneficiis opponebantur *incompatibilia*, quæ scilicet plura numero, ob onus singulis affixum, ab uno eodemque clerico simul retineri non poterant.

II. « Sed lapsa disciplina, plura simul incompatibilia beneficia uni clerico data sunt; quod malum longe lateque serpens plura concilia removere studuerunt. Præsertim synodus Lateranensis III ea de re laboravit, edita lege, ut nemo duas dignitates, aut duas parochias simul deinceps habere posset, addiditque sanctionem, ut accipiens secundum beneficium amitteret, dans autem largiendi potestate privaretur. (C. 3, *De cleric. non resid.*) Verum non adhuc avulso malo, in concilio Lateranensi IV sancitum est, ut nemo duas simul parochias, dignitates, aut personatus obtineat, ipsoque jure cadat primo beneficio, qui alterum sine venia sedis apostolicæ adeptus est ac utroque privetur, si forte illud velit retinere. » (C. 28, *De præbend.*) Eadem quoque ratione præbendarum coacervatio vetita est. (C. 9, *De concess. præb.*)

« Denique Tridentini Patres alias edidere leges, ut quæ a Lateranensibus conciliis

fuerant constituta, diligenter observarentur. Itaque vetitum est uni clerico, quovis titulo, etiam *unionis* aut *commendæ*, plures simul conferre ecclesias cathedrales aut beneficia curata et cætera, quæ *incompatibilia* dicuntur, jussique sunt primo beneficio cadere, qui alterum consequuntur. Ex reliquis vero beneficiis, quæ *compatibilia* dicimus, uni clerico plura conferri possunt, quando unum satis non est, ut ille honeste ac decenter vivat. (*Trident.* sess. 7, c. 2 et 4; et sess. 24, cap. 17 *De reform.*) Exstat etiam de incompatibilibus beneficiis constitutio Joan. XXII in extravag. *Exsecrabilis*, *De præbend.*, et qua sancitum est, ut secundum beneficium curatum, vel secundam dignitatem accipiens, nisi statim primum dimittat, utroque privetur, atque in posterum a sacris ordinibus, et a beneficiis repellatur, atque ultimi beneficii collatio sum. pontifici reservetur. » Late ea de re disputat Riganti, ad regul. 1 cancell. § 8 per totum.

« Hodie igitur iis utimur legibus, quæ a Trident. synodo constitutæ sunt. Duo *incompatibilia* beneficia, qualia sunt generatim omnia quæ habent curam animarum, quæ officium, personatum, dignitatem, onus residentiæ quæ *sub eodem tecto uniformia* dicuntur (ut duo canonicatus duæque ejusdem ecclesiæ capellaniæ), uni clerico concedi non possunt, et si concedantur, primum ipso jure vacuum efficitur. Quod si utrumque simul beneficium retinere quis velit, utroque privandus est. Vacatio autem ipso jure inducitur, non collatione, sed pacifica alterius beneficii possessione, qualis ea censetur, quam quis sine ulla molestia apprehendit aut apprehendere potuit. Ideo post acceptam alterius beneficii possessionem datur adhuc spatium duorum mensium, quo beneficiarius primum etiam beneficium retinere potest, ut interim noscatur, num aliquæ de altero beneficio molestiæ exoriantur. » (Consule Rigant. in regul. 1 Cancell. § 8, n. 154 et 155.)

« In cæteris beneficiis, quæ compatibilia dicuntur, servanda regula est, eorum plura ab uno eodemque clerico retineri posse, cum unum non tantum præstat, quantum est ad cultum et ad victum necessarium. Si unius redditus satis sunt, ut clericus honeste ac decenter vivat, nefas est plura in eo beficia coacervare ; et vero primum amittit qui præter necessitatem alterum beneficium adeptus est. Sed nunc ex consuetudine ubique recepta, nemo in foro controversiam patitur, quod duo possidet beneficia, etiamsi unum satis præbeat ad vitam honeste traducendam, modo utrumque residentiam non requirat. Et licet Trident. synodus non definiverit, quinam redditus ad decentem clerici tuitionem sufficiant, tamen in comperto est, rem totam episcopi arbitrio, respectu habito ad locorum consuetudinem atque ad statum clerici, æstimandam ac definiendam esse. Interdum sedes apostolica, cujus tantum est ea in re veniam concedere, justis de causis plura ab uno clerico etiam incompatibilia beneficia retineri permittit; cujus quidem rei sunt exempla præsertim in Germania, ubi uni plures episcopatus conceduntur, ut firmioribus munitus præsidiis hæreticorum conatus retundat.

§ III. — De conjungendis ac dividendis beneficiis.

I. « Plurium ecclesiarum, vel beneficiorum conjunctio, quæ a legitimo superiore, justa ex causa, facta est, beneficiorum unio appellatur. Ea vel temporanea ac personalis, vel perpetua ac realis est. Personalem, qua plures, veluti pallio ad beneficiorum multitudinem obtegendam, abutebantur, synodus Trident. sess. 7, c. 4 *De reform.*, rejecit; perpetua, quæ rite atque ex justis causis fiat, ecclesiasticis legibus probatur. Hæc autem conjunctio tribus modis fieri solet : confusione, cum duæ pluresve ecclesiæ, aut beneficia ita coagmentantur, ut ex pluribus una Ecclesia, aut unum beneficium fiat; subjectione, cum unum beneficium alteri subjicitur, ita ut ei quasi fundus accedat, et ejus privilegia, consuetudines, naturam assumat; denique alia est unio, quæ dicitur *æque principalis*, cum neutrum beneficium alteri subjicitur, neque duo beneficia in unum quasi corpus coalescunt, sed utraque integra manent, suumque retinent gradum ac titulum, sed ab uno eodemque ministro reguntur. Hoc modo cathedrales præsertim ecclesiæ conjungi solent. »

II. Ecclesiarum et beneficiorum conjunctio nonnisi ex justa causa atque adhibitis solemnitatibus fieri debet. Justa causa est evidens ecclesiæ necessitas aut utilitas, puta si duo beneficia tenues habeant redditus, ex quibus vivere duo clerici nequeant. (*Trident.* sess. 21, cap. 5 *De reform.*) Si valde sit diminutus populi numerus, si ecclesiæ

temporis vel hostium injuria vastatæ sint. (C. 2, *De religios. domib.*) Si redditus necessarii sint ad adolescentes in seminariis educandos, vel alias ad Dei cultum sustinendum. (*Trident.* sess. 23, cap. 18; sess. 24, c. 15, *De reform.*) Graviores autem requiruntur causæ, ut curata, quam ut simplicia beneficia conjungantur; quin etiam beneficia sunt, quorum plane vetita conjunctio est. Nam diversarum beneficia diœceseon coagmentari nequeunt. (*Trident.* sess. 24, cap. 9, *De reform.*) Neque item licet conjungere beneficia curata monasteriis, abbatiis, dignitatibus, præbendis canonicorum, hospitalibus, aliisque collegiis (*ibid.* c. 13), beneficia liberæ collationis beneficiis juris patronatus, ne et ipsa juri patronatus obnoxia evadant. (*Ibid.* sess. 25, cap. 9, *De reform.*)

III. « Solemnitates pertinent ad vocandos et audiendos omnes, quorum interest, atque ad legitimam ecclesiastici superioris auctoritatem. Principio audiendus est episcopus, cujus diœceseos beneficia jungenda sunt, vocandique et audiendi sunt abbates, prælati inferiores, et patroni sive ecclesiastici, sive laici, quorum est collatio vel præsentatio, item beneficiorum uniendorum possessores, et capitulum ecclesiæ cathedralis, sine cujus consensu episcopus graviora negotia expedire non potest. »

« Legitima unionum faciendarum potestas penes summum pontificem atque episcopum est. Cathedrales ecclesias tantum conjungit summus pontifex, qui etiam cætera beneficia conjungendi amplam habet potestatem. Episcopus beneficia consociat suæ diœceseos, exceptis illis, quæ ab ejus jurisdictione exempta sunt, quæque sedi apostolicæ immediate sunt subjecta, aut perpetuo reservata. Cavere autem in primis episcopus debet, ne suæ mensæ beneficia conjungat, propter lucri suspicionem, a qua abhorrere debet, et etiam ne beneficiorum unionem faciat intra eorum vacationem.

IV. « Conjunctioni ecclesiarum ac beneficiorum opponitur eorum divisio, per quam ex una ecclesia, aut beneficio duo efficiuntur. Divisio hæc generatim est vetita, nisi eam postulet justa causa utilitatis et necessitatis. (C. 8, 26, 56 *De præb.*) In ea perficienda vocandi sunt omnes, quorum interest, ac necessaria est auctoritas ejusdem, a quo conjunctio decernitur. Imo si non amplius exsistat causa, propter quam conjunctio facta est, puta quod cessaverit paupertas, aut vastatio, illa recte dissolvitur. Tunc autem beneficia recuperant naturam suam, eorumque collatio aut præsentatio, ad illos redit, quorum ante unionem fuerat, nisi forte aliud constitutum sit. »

§ IV. — De commendis beneficiorum.

I. « Beneficia interdum clericis commendantur, unde ortæ beneficiorum commendæ, quarum origo sane vetus est, ad quarumque abusus ex parte laicorum reprimendos multum adlaboravit Ecclesia. Cæterum commendæ neque laudari, neque improbari generatim, uti animadvertit Rigant. in reg. 43, cancell. n. 49; et sæpe multæ sunt causæ, quæ illas intra tamen Ecclesiam et clericos non tantum utiles, sed etiam necessarias faciunt. Synodus Trident. rem omnem ex prudentia ac pietate Rom. pontificis, atque ex temporum ratione æstimari voluit.

II. « Hodie justis de causis commendæ dantur et dantur ab uno Rom. pontifice, cui tantum potestas est relaxandi canones, qui regularia beneficia clericis sæcularibus vetant. Verbis autem potius, quam re nunc a beneficiis commendæ differunt, quoniam et hæ in perpetuum dantur et titulum præstant ad ordines suscipiendos, et clerici commendatarii iisdem ferme prærogativis ac juribus, quibus beneficiarii, fruuntur. Quare liberam habent reddituum administrationem, et jus præsentandi, eligendi, conferendi; verum monasteria visitantur a regularibus superioribus, quibus subsunt, atque ad eos regimen et cura pertinet regularis instituti. (*Trident.* sess. 25, c. 20.)

« Clerici commendis aucti, plurimum suam habent mensam a conventuali distinctam. (Gregor. XIII, const. *Superna* 28.) Et quartam ejus partem in Ecclesiæ necessitates, aut in pauperum alimenta conferre debent. Cum vero communis mensa est, dari debet tertia pars omnium fructuum monasterii commendati pro omnibus illis oneribus supportandis et sustentatione monachorum, ut inquit Leo X const. *Supernæ* 8. In Italia aliisque regionibus ad sacros capiendos ordines et ad assiduam quoque moram adiguntur, ubi commendis animarum cura, vel monachorum, vel sæcularium adjuncta sit. Semper autem beneficia commendata retinent naturam suam, quanquam longo usu iis

concedantur, qui ejusdem ordinis, atque instituti ac veri titulares non sunt. » (*Vide* FAGNAN. in c. 1, *De capell. Monach.* 1, n. 1 et seq.)

§ V. — De pensionibus ecclesiasticis.

I. « Pensio in re canonica est certa pars redituum, qui ex alieno beneficio detrahuntur, atque alicui clerico, justa de causa, et legitima auctoritate, assignantur. Antiquissima est origo pensionum et earum in Chalcedonensi atque Ephesino concilio exempla sunt. »

II. « Cum autem per pensiones beneficia scindantur, aut iis onus imponatur, quod utrumque sacris canonibus vetitum est (cap. 8 *De præbend.*, c. 7, *De censib.*), necessario requiritur auctoritas summi pontificis, qui relaxatis canonibus pensiones constituat... Haud tamen desunt, qui etiam hanc potestatem episcopo adscribunt; sed omnes inter pensionem a pontifice atque ab episcopo impositam magnum discrimen faciunt. Nam pensio pontificis ipsi hæret beneficio, cum quo transfertur ad omnes ejus possessores; at episcopi pensio solum afficit beneficiarium, cujus obitu exstinguitur. »

III. « Justis autem de causis pensiones imponuntur, veluti si beneficium sit litigiosum, ita ut inter duos de eo litigantes concilianda concordia sit. (C. 21, *De præb.* c. 5 *De transact.*) Si illud permutetur aut resignetur. (C. 4, *De cleric. ægrot.*; c. 6, *De rerum permut.*) Si clericus de ecclesia sua bene meritus, aut inops sit, aut mala valetudine laboret, denique clerico Ecclesiæ utili pensio conceditur ut inde honeste vivat. Pensio moderata esse debet, ut beneficiario supersint redditus, cum quibus vitam traducere possit ac præterea beneficii onera sustinere. Hinc in beneficiis, ex quibus pensiones detrahuntur, sola tertia, aut dimidia fructuum pars a pontifice reservari solet.

« Cathedrales ecclesias, quæ annuos ducatos mille, et parochiales, quæ centum suis fructibus non superant, Trident. synodus pensionibus onerari vetat. (*Trident.*, sess. 24, c. 13.) Sed nunc in parochiis omnibus indiscriminatim pensiones non imponuntur, ut parochus integros habeat redditus, cum quibus pauperibus opem ferre possit. (BENED. XIII, const. *Quanta*, apud FERRAR. verb. *Pensio.*) Quanquam autem pensiones proprie beneficia non sint, tamen beneficii loco sunt, quoniam ex ecclesiasticis bonis decerpuntur, et ideo nonnisi clericis dantur, ac per matrimonium amittuntur, nisi quem sedes apostolica lege solverit. Porro clerici pensione ditati officium B. Virginis quotidie recitare debent. (S. PIUS V, const. *Sacramentum*, et const. *Ex proximo.*)

« Pensio tanquam ususfructus exstinguitur morte clerici, qui ea vivens fruebatur; nisi ipse a sede apost. in alium transferendæ pensionis facultatem obtinuerit. Quo privilegio fruuntur cardinales et alii, quibus illud a sum. pontifice datum est; et hi quidem non integram pensionem, sed dimidiam ejus partem in alium transferre possunt. (INNOCENT. XI, const. *Circumspecta.*) Tollitur etiam pensio per redemptionem, quæ fit repræsentatis, hoc est mature factis, aliquot annuis pensionum solutionibus; sed ea in re summi pontificis auctoritas necessaria est. Denique pensio amittitur religionis professione, matrimonio, degradatione, crimine hæresis, aut læsæ majestatis, cæteris fere modis, quibus beneficia amittuntur.

§ VI. — De adipiscenda beneficiorum possessione.

I. Satis non est aliquem beneficium obtinuisse, nisi is etiam ejus possessionem adipiscatur, ut fructus capiat suosque faciat. Generatim qui beneficium conferendi, is etiam possessionis tradendæ jus habet, sed hoc plerumque alteri committi solet, olim quidem ad archidiaconum pertinebat. Cum possessio traditur, externa quædam adhibentur signa, quibus ea significatur. Ita, ex. gr., canonici accepto libro, pulsato tintinnabulo, cæterisque similibus signis, parochi autem possessionem capiunt, cum ecclesiam ingrediuntur.

II. « Qui possessionem tribuit merus minister est, qui rem totam gerit collatoris jussu et auctoritate. Quare hoc tantum curat, ut collationis litteræ exitum consequantur; neque ejus est jus judicare, num clericus beneficio donatus eo sit revera dignus, an secus; nisi hoc forte negotium ei commissum fuerit, quia tunc nonnisi re cognita beneficii possessio danda est. Capta possessione, qui beneficium obtinuerunt cum cura animarum, intra duos saltem menses coram episcopo, aut ejus vicario generali fidei professionem per semetipsos emittere

debent; aucti vero canonicatu, aut dignitate in ecclesia cathedrali, non solum coram episcopo, aut vicario generali, sed etiam coram capitulo idem præstant. Nisi id fiat, inutilis possessio est, neque fructus quis facit suos. » (*Trident.* sess. 24, c. 12, *De reform.*; PIUS IV, const. *In sacrosancta*, et const. *Injunctum*.)

III. « Illud in primis efficit capta possessio, ut qui eam anni spatio retinuit, is inde dimoveri, aut beneficium alteri, qui illud impetravit, adscribi nequeat, nisi primum lis petitorio judicio finita sit. Quod jus constituit, regula 35 cancellariæ, quæ vulgo dicitur de *annali possessore* et quæ duabus constat partibus. Nam sancitum est primum, ut qui beneficium impetrat, quod alter per annum tranquillo et quieto animo retinuit, significare debeat nomen et gradum possessoris, proferre causam apertam et perspicuam, propter quam ei retinendi beneficii jus esse negat; temporis, quo in ea possessione versatus est, cursum ostendere; deinde ut intra sex menses possessorem in judicium vocet et causam intra annum usque ad sententiam persequatur. » (*Vide* RIGANTIUM, ad hanc regul. 35.)

« Est et alia regula de *triennali possessore*, quæ inter regulas cancellariæ est 36 numero, atque in re beneficiaria quadragenariæ præscriptionis vice fungitur. Ea vero cautum est, ut qui procul a labe vitioque simoniæ spatio triennii beneficium obtinuit quovis titulo, etiam *colorato*, ut vocant, is nullis amplius molestiis affici, neque a possessione dimoveri possit, atque omnes ejus beneficii *impetrationes*, quas dicunt, irritæ habeantur. Quæ triennalis possessio ut tantum valeat, capta esse debet, eaque ut explorata sit, satis est ostendere possessionem, quam quis revera adeptus est. Nam qui illam semel apprehendit ac post triennium retinet, in ea semper perseverasse censetur, nisi secus ostendatur. (Vide etiam RIGANTIUM, ad regul. 36; DEVOTI, lib. II, tit. XIV, per totum.)

§ VII. — De censibus, exactionibus et procurationibus.

I. « Non solis aluntur clerici beneficiorum fructibus, sed et alia habent emolumenta aliasque obventiones, quibus fruuntur, ut honeste ac decenter vivant. Eorum quædam ad episcopos, quædam ad cæteros clericos pertinent. Proprii sunt episcoporum census, quorum nomine hoc loco intelligitur certa vis pecuniæ, quæ ex redditibus ecclesiasticis solvenda est. »

II. « Porro episcopus in ecclesia recens fundata et dotata, cum eam consecrat, censum constituere potest, consensu accedente fundatoris. (Can. 30, causa 18, quæst. 2, cap. 16, *De censib. et exact.*) vel patrono reservare. (C. 23, *De jure pat.*) Idemque recte præstat, cum annuente capitulo ecclesiam piis locis concedit, aut subtrahit a jurisdictione sua. (C. 6, *De relig. domib.*) Generatim tamen ædificata et consecrata ecclesia, nefas est aut veterem augere censum, aut novum imponere; nisi primum apostolicæ sedis venia impetrata sit. » (Ex. tit. 39, *De censib.* lib. III *Decret.* per totum.) Episcopi vero contrafacientes in excommunicationis majoris pœnam incidunt, ex bulla *Pastoralis* in *Cœna* § 18, ibi : *Quive collectas decimas, talleas, præstantias, et alia onera clericis, prælatis, et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus hujusmodi, absque simili Romani pontificis speciali, et expressa licentia imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam a sponte dantibus, et concedentibus recipiunt. Necnon qui per se, vel alios... prædicta facere... cujuscunque sint præeminentiæ... aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti.*

III. Præter censum, alia etiam episcopi tributa exigunt a clericis et ecclesiis suæ diœceseos, quæ tributa vel ordinaria vel extraordinaria sunt. Ordinarium tributum est cathedraticum aut synodaticum, de quo satis dictum est lib. III, cap. IV, tom. I, col. 1355. Extraordinarium est subsidium charitativum, tributum de quo ibidem. Pertinet quoque ad episcopum procuratio visitationis, de qua eodem loco diximus.

IV. « Denique episcopus jure decretalium habet portionem canonicam, scilicet quartam partem earum rerum quæ ecclesiæ, aut alii pio loco relinquuntur. (C. 14, *De testament.*) Sed hodie fere ubique hæc portio consuetudine sublata est, cum non amplius episcopi gravi illa premantur inopia, cujus gratia initio ea concessa fuit. Si qua tamen regio est, in qua portio canonica adhuc obtinet, non eam pendunt loca pia et monasteria exempta, quoniam soluta sunt lege

diœcesana, unde illa procedit; neque penditur ex piis legatis, quæ pro anniversario, pro ecclesiæ fabrica cæterisque similibus relicta sunt. (C. 20, *De testam.*)

§ VIII. — De decimis.

I. « Decimæ vel prædiales, vel personales, vel mistæ sunt. Prædiales debentur ex fructibus; sive redditibus prædiorum tum urbanorum, tum rusticorum; et harum quidem aliæ majores, aliæ minores et minutæ, aliæ novales appellantur. Majores sunt, quæ ex frumento, vino, feno aliisque uberibus fructibus; minores, quæ ex leguminibus et oleribus; novales quæ penduntur ex prædiis, quæ recenter ad culturam redacta sunt, cum antea frugifera non essent. Personales solvuntur ex rebus quas sibi quisquis acquirit opera et industria sua, veluti ex lucro honestæ negotiationis, militiæ, venationis. Mistæ denique partim prædiales sunt et partim personales, quippe quæ ex rebus quidem ipsis, sed nonnisi adhibita industria percipiuntur. Hujus generis sunt fœtus pecorum, lac, lana, cætera similia. »

II. « Inter prædiales ac personales decimas non unum discrimen est. Nam prædiales debentur, non deductis impensis; et vero debentur parocho, cujus in parochia sita sunt prædia, unde illæ percipiuntur. (C. 7 et 13, *De decim.*) Cumque ipsis prædiis adhæreant, ab omnibus, qui prædia habent, etiam infidelibus solvendæ sunt. (C. 17, *De decim.*) Verum decimæ personales tantum a Christianis solvuntur parocho, a quo ipsi sacramenta accipiunt, ex iisque impensæ in rebus parandis factæ detrahuntur. (C. 20 et 28, *De decim.*) Illud commune est utrisque decimis, quod non deducitur, quod necessario ad res conservandas impenditur. (C. 28, *De decim.*)

III. « Leges hæ sunt decretalium jure generatim constitutæ. » Sed multis in locis per consuetudines vel aliter abrogatæ sunt. Unde locorum usibus diversis standum est.

IV. « Decimæ debentur parocho, sed tamen ab aliis quoque clericis, aut ecclesiis acquiri possunt vel privilegio summi pontificis, vel præscriptione annorum quadraginta cum titulo; sine titulo vero præscriptione temporis, quod hominum memoriam superet. Novales vero ac minutæ, ubi hæ vigent, decimæ, semper parocho reservatæ censentur.

V. « Solutio decimarum omnes generatim obstringit; quin etiam excommunicationis pœna constituta est adversus eos, qui decimas substrahunt aut impediunt. (Can. 5, causa 16, quæst. 7, C 5, *De decimis; Conc. Trident.* sess. 25, c. 12 *De reform.*) Multi autem eo onere soluti sunt, vel privilegio summi pontificis (cap. 24 *De decimis*), vel præscriptione annorum quadraginta cum titulo; sine titulo vero, præscriptione immemorabili (c. 15, *De privileg.*; c. 4, 6, 8, *De præscript.*; c. 1 eod. in 6); vel pactis conventis et voluntaria remissione, quæ cum perpetua est, summi pontificis auctoritatem postulat (C. 8, *De transact.*) Clerici decimas pendunt ex bonis, quæ hæreditate, legato, donatione, aut simili contractu acquisiverunt, non item ex bonis, quæ habent titulo spirituali, puta beneficii; regulares autem ex prædiis, quæ pridem suberant oneri decimarum, antequam ad eos pervenirent (c. 34 *De decim.*). non vero de aliis (c. 10 et 11 *De decim.*). » — (DEVOTI, *Inst. canon.* lib. II, tit. XVII.)

§ IX. — De primitiis, oblationibus, cæterisque temporalibus bonis clericorum.

I. Primitiæ sunt rerum primi fructus, qui Deo offeruntur. Inter Christianos primitiæ ante ipsas decimas obtinere cœperunt. Nunc fere ubique desierunt, ac si quæ regio est in qua adhuc eæ ex consuetudine tribuuntur, ex eadem noscitur, quid et quantum dari debeat.

II. Oblationes sunt munera, quæ a fidelibus Deo et Ecclesiæ sponte offeruntur. Antiquissimus earum usus est, atque ab ipsa apostolorum ætate repetendus. De iis satis dictum est in suis locis.

III. Inter clericorum redditus recensentur etiam distributiones quotidianæ, quæ debentur canonicis, qui divinis officiis intersunt; et desumuntur ex communi capitulorum arca.

§ X. — De peculio clericorum.

I. « Ex ecclesiæ bonis, cum ad clericos ea pervenerint, existit illud, quod in jure canonico peculium clericorum appellatur. Peculii nomen ex jure civili desumptum est, ac significat quasi *pusillam pecuniam*, seu *patrimonium pusillum*, ut inquit Ulpianus (leg. 5, *De pecul.*), quod servus permissu domini separatum a dominicis rationibus habet. Placuit hoc nomen traducere ad res

ecclesiasticas, quoniam uti servus verum non habet dominium peculii sui, ita neque clericus dominus est bonorum, unde illud peculium conflatum est; imo si dominus revera est fructuum eorumdem bonorum, non merus administrator, ut multi putant, hoc certe dominium et arbitrium non ita late patet, uti patet dominium, quod omnes habent in rebus suis.

II. « Verum, præter hoc peculium, habent etiam clerici bona privata, sive patrimonialia, qualia sunt acquisita hæreditate, legato, contractu, aliove jure, quod clerici cum reliquis civibus commune habent. Horum quidem bonorum omnium plenum clericis dominium est, et ideo distractio atque consumptio eorum arbitrio relinquitur. (C. 9 et 12, *De testam.*) Moriente vero clerico sine testamento, hæc bona transeunt ad cognatos proximos ab intestato, ac si nulli fuerint vel ex testamento, vel ab intestato hæredes, ad ecclesiam deferuntur. » (C. 1, *De testam*; c. 1, *De success. ab intest.*)

III. « Sed in ecclesiastico peculio illud sæpe quæsitum est, num clerici in eo dominium habeant, an potius tantum usum et administrationem. Quæ dispositio eo spectat ut sciatur num lex justitiæ, an pietatis et misericordiæ, ac jus positivum Ecclesiæ clericos cogat in pauperes, aut alios pios usus convertere quidquid ex decenti exhibitione sua superest de redditibus rerum ecclesiasticarum. Quam controversiam, omnibus excussis argumentis, diligentissime expendit Bened. XIV, *De synod. diœces.* lib. VII, c. 2. Alterutram sequi opinionem placeat, certum est clericos ex bonis ecclesiasticis tantum sumere, quod ipsis est necessarium ad honeste et decenter vivendum, reliquum in pios usus conferre oportere. »

IV. « Antiqui canones de ecclesiastico peculio clericos testari vetabant, quoniam illud redire debebat ad ecclesiam, unde profectum erat. (C. 40 apostol.; c. 1, *De peculio cleric.*; c. 7 *De testam.*) Sed sensim consuetudine ac privilegio summorum pontificum, præsertim ob frequentes lites, quas excitabat difficultas discernendi bona ecclesiastica a patrimonialibus, inductum est, ut clerici etiam de bonis ecclesiasticis testamentum condant. (Const. Jul. III. *Cum sicut nobis.*) Interim in foro valent hæc testamenta; sed gravi certe crimine obligantur clerici, qui potius quam in pios, conferunt in profanos usus, aut in ditandis consanguineis insumunt fructus rerum ecclesiasticarum. Non enim consuetudo bonorum naturam mutat, neque privilegium datum censetur cum gravi detrimento pauperum et ecclesiarum. (Vide hac de re gravi *concil. Trident.* sess. 25, cap. 1, *De reform.*)

V. « Bona ecclesiastica clericorum post eorum obitum spolia dicta sunt, quoniam clerici, exemplo monachorum, ad vitæ exitum properantes rebus peculiaribus sese ultro spoliare consueverunt, ne quid ecclesia caperet detrimentum. Hæc bona, quæ clericus moriens relinquit, nisi vel consuetudine, vel privilegio summi pontificis testandi facultatem habeat, jure spolii pertinent ad cameram apostolicam, quæ ea colligit per *collectores* in provinciis constitutos, et cuncta in pauperum alimenta aliosve pios usus convertit. (Ferrar. verb. *Spolium*, et Benedict. XIV, *De syn. diœces.* lib. III, c. 8, n. 6.) Neque quis sibi per hos collectores inferri damnum, aut injuriam putet; quoniam spolium ad ea pertinet, de quibus clericus liberum non habet statuendi arbitrium, atque illud declinare unusquisque potest, si vivens obtemperet legi, qua obstringitur, piisque adhibeat usibus redditus ecclesiasticos, qui ei supersunt ex necessariis ad vitam traducendam. » (Devoti, *Instit. jur. canon.* lib. II, tit. 18.)

CAPUT VI.

De administratione et alienatione bonorum ecclesiasticorum.

§ I. — De administratione.

Rei administratio suapte natura ei competit cui et res ipsa; nam administratio pertinet ad integritatem dominii, et est sequela proxima ejusdem. Unde imprimis præmittendum est bona ecclesiastica ab ipsa ecclesia, seu ab ecclesiasticis, aut aliis viris ab ea ad id commissis administranda esse. Quapropter nulla immistio in hac gestione de se spectat ad statum seu potestatem sæcularem, ut patet, isque nullam partem regiminis, aut intendentiæ hac in re sibi vindicare aut arrogare potest sine manifesta violatione libertatis et immunitatis ecclesiasticæ, ac proinde sine injustitiæ et sacrilegii admissione, ac pœnarum iis annexarum consecutione. De quibus pœnis satis dictum est supra cap. 4.

Administratio proinde rerum ecclesiasticarum est privative penes Ecclesiam ipsam,

ac ejus solius auctoritate ab ecclesiasticis vel laicis viris, prout ipsi melius visum fuerit, exercenda. Cum autem Christo et Ecclesiæ universæ indivisim pertineat dominium omnium bonorum ecclesiasticorum, inde sequitur summum pontificem, vicarium Christi, esse supremum et principalem omnium bonorum ecclesiasticorum administratorem, utpote qui potestatem habet solus in universam Ecclesiam. Unde ad papam et sedem apostolicam jure divino spectat leges et regulas hujusmodi administrationis condere, quibus singulæ Ecclesiæ et omnes clerici et Christi fideles obligantur. Sub auctoritate pontificis episcopus pro tota sua diœcesi est, ex iisdem rationibus, primus et principalis administrator bonorum ecclesiasticorum; unde statuta episcopalia super hac administratione omnes diœcesanos obligant. Ad normam legum pontificiarum, sanctionum conciliorum, statutorumque episcopalium beneficiarius plene administrat bona sui beneficii, fructus percipit, de iis disponit, ac per varios contractus legitimos et consuetos, instar aliorum possessorum, aut habentium usumfructum, libere paciscitur.

Verum etiam usus ille et administratio ipsorum fructuum beneficii, quanquam ex jure communi beneficiario permissa, non tamen est arbitraria, sed multis obligationibus onerata, ut decet merum usumfructuarium. Imprimis si certa pars reddituum beneficii tum ex statuto particulari, tum ex consuetudine locali pauperibus, aut ecclesiæ fabricæ assignetur, integre iis usibus a beneficiario deputanda est, et quidem ex ratione justitiæ; adeo ut si eam portionem sibi appropriat beneficiarius ad restitutionem teneatur. Hæc obligatio certa est, nullusque est qui de ea dubitet.

Secunda obligatio beneficiarii est ut partem horum fructuum quæ excedit honestam et decentem suam sustentationem, in pios usus impendat, ut dictum est in capite præcedenti. Attamen qui non impendit fructus superfluos in pios usus, etsi graviter peccaverit, nec ille nec ii in quorum manus devenerunt ad restitutionem tenentur Ratio est quia ex omnium confesso certe ac solide probabilis est opinio quæ negat hujusmodi fructibus inesse onus ex justitia, et ita tenent de facto infiniti theologi et canonistæ. (*Instit. can.* R. de M. t. II, p. 413.)

II. *De fabricis.* « Nunc autem pauca tangenda sunt de administratione alterius partis bonorum ecclesiasticorum, ejus nempe quæ cessit in usus et necessitates fabricæ ecclesiæ... Fabrica ecclesiæ proprie significat ædificium ecclesiæ, eoque sensu usurpatur in cap. *De fabrica, De consec.* dist. 1. Consuetudine tamen extensa est hujus vocis significatio ad designandum tum bona conservationi et ornatui hujus ædificii, cultusque necessitatibus et utilitatibus deputata, tum et ipsum consilium administratorum horum bonorum, quod a sat longo tempore obtinet. Quippe olim fabricæ administratio, sicut et aliorum quorumcunque bonorum ecclesiasticorum, erat immediate penes episcopum. Sed ubi particulares ecclesiæ cœpere habere proprios et titulares rectores, parochiæ habuerunt etiam particulares fabricas, quarum administrator erat parochus, sub intendentia episcopi. Verum circa sæculum XIII, ut plures æstimant, cœperunt laici in administratione se ingerere de consensu Ecclesiæ. Hinc ortum consilium quoddam laicorum qui cum parocho fabricam ecclesiæ administrabant, quod magis obtinuit ex consuetudine, quam ex jure scripto, quippe in jure communi, sed universali, vix aliquid de eo occurrit. Hujus namque solum meminit concil. Trident. sess. 22, cap. 9, *De reform.* et quidem indirecte, jubens ut *Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricæ cujusvis ecclesiæ, etiam cathedralis... singulis annis teneantur reddere rationem administrationis ordinario.*

« Utut sit, sæculo XVI universalis jam erat hujus consilii laici pro administranda fabrica ecclesiæ usus, imo in aliquibus localibus conciliis præceptus. Sic concilium Moguntinum, an. 1549, decernit ut : *Cum aliquot laicis, cujusque Ecclesiæ rectore, seu plebano, velut principali, officium fabricæ, seu procuratio ecclesiæ committatur, ita tamen ne ipsi ecclesiarum rectores, seu plebani, officio exactionis censuum, proventuum, sive redditum, seu procurationis labore graventur.*

Sed certum est 1° potestatem civilem nullo modo posse statuere de fabricis nec administratione earum bonorum, nec sive laicos, sive ecclesiasticos administratores deputare, nec quomodocunque se ingerere in rerum ecclesiasticarum administratione, quin libertatem et immunitatem ecclesia-

sticam lædat, et pœnas a sacris canonibus et bulla *Cœnæ* incurrat. Proinde administratores fabricarum nullam potestati sæculari rationem suæ administrationis debent. In quibusdam tamen regionibus, veluti in Galliis, ex injustitia et violentia legislationis sæcularis nequeunt administrare nisi conformiter hujusmodi servitutis legislationi. Unde in praxi quoties non possunt talem servitutem eludere, ex prudentia debent per legem sæcularem actus suos validare. E contra vero, quoties possunt absque periculo hujusmodi servitutis legislationem eludere, non tantum possunt, sed æque debent ita facere.

Certum est 2° administratores fabricarum teneri omnino administrare ad normam decretorum sanctorum conciliorum, constitutionum sanctæ sedis, et statutorum episcopalium. Sed nequeunt episcopalia statuta conciliis œcumenicis et pontificiis constitutionibus contraria sequi.

§ II. — De alienatione bonorum ecclesiasticorum.

I. « Vetus est regula, Ecclesiæ res alienari non posse, quam regulam et sacri canones et civiles leges ratam firmam haberi voluerunt. Nam sua Ecclesiæ bona sarta tecta servanda sunt, ut ex iis habeant clerici et pauperes unde vivant, et religionis cultus sustineatur. Hodie ea in re jure utimur, quod a Paulo II sancitum est extravag. *Ambitiosæ, De reb. Eccles. alienand. vel non.* » (Devoti, *Instit. can.* lib. II, tit. XIII. — Concordant C. *Apostolicos*, causa 12, quæst. 2 ; c. *Nulli liceat*, *De rebus eccles. non alienand.* et alii.)

II. Ex his proinde sanctionibus regulariter alienari vetantur res immobiles. « Pertinet hoc interdictum etiam ad monasteria, hospitalia, cæteraque loca pia et religiosa, quorum etiam bona ecclesiastica dicuntur, dummodo sint auctoritate ecclesiastica fundata et erecta, eaque distrahere nefas est. (Cit. extrav. *Ambitiosæ.*) Alienationis autem nomen comprehendit venditionem, donationem, permutationem, emphyteusim, locationem, et conductionem ultra triennium, pignoris constitutionem seu nexum et hypothecam, in feudum concessionem, denique omnem conditionem, per quam res ecclesiæ deterior efficitur. » (Devoti, *ibid.*) — Nomine autem rei immobilis veniunt prædia, domus, agri et similia ; item census et annui redditus ; præterea jura et actiones ad immobilia, ut habetur expresse in Clement. *Exivi, De verbor. signif.*

III. Non solum res immobiles alienari nequeunt, sed etiam res mobiles pretiosæ, quæ servari possunt. (Extrav. cit. *Ambitiosæ.*) Nomine autem mobilium pretiosarum, ait Ferraris, verb. *Alienatio*, art. 1, n. 7 et seq., quæ alienari non possint, veniunt quæ sunt de thesauro ecclesiæ, vel quæ propter pretium, artem, raritatem et antiquitatem conferunt ecclesiæ specialem splendorem, ut sunt vasa aurea, argentea, vestes pretiosæ, gemmæ, ornamenta pretiosa, copiosa bibliotheca, et similia excedentia valorem viginti quinque aureorum, prout declarasse sacr. congr. referunt Valdes et alii.... Sic etiam nomine mobilium pretiosorum veniunt insignes reliquiæ sanctorum.... Item nomine mobilium pretiosorum inalienabilium veniunt illa mobilia ex quorum fructibus annui redditus solent percipi ab ecclesia seu monasterio, ut grex ovium, armentum boum, præsepium equorum. Non autem eorum fructus, cum licitum sit vendere et alienare arietes, hircos, hædos, vitulos, equos et hujusmodi.... Item nomine mobilium pretiosorum inalienabilium veniunt arbores frugiferæ, seu prædio necessariæ, ut illis sublatis prædium reddatur graviter deterius. Unde beneficiatus incidere faciens tales arbores in bonis ecclesiæ, et in proprios usus convertens, dicitur alienare, et censuras extravag. Pauli II, *Ambitiosæ*, et Trident. sess. 22, cap. 11, incurrit, ut decisum fuisse a sacr. congr. referunt Gallet. et alii... Non peccant tamen, nec incurrunt tales censuras beneficiati incidere facientes arbores inutiles ac nocivas; v. gr., quando ob densitatem et vicinitatem sunt impedimenta aliarum augmento, vel quando loco earum reponuntur arbores frugiferæ, seu magis fructiferæ.

IV. *De rebus quæ libere possunt alienari.* — Ex opposito regulariter libere alienari possunt : 1° res ecclesiæ mobiles non pretiosæ, et maxime eæ quæ *servando servari nequeunt.* (Extrav. *Ambitiosæ.*) — 2° Item res ipsæ immobiles quæ donatæ, aut legatæ sunt ecclesiis, aut monasteriis quibus non licet immobilia possidere, alienari debent et pretium earum converti in usus fabricæ ecclesiæ, aut mensæ monasterii. — 3° Res immobiles exigui valoris, aut inutiles, vel

noxiæ, libere, id est sine conditionibus et solemnitatibus mox referendis alienari possunt. (Communis, ex c. *Terrulas*, causa 12, quæst. 2.) — 4° Tandem et ipsæ res cæteræ sive immobiles, sive mobiles pretiosæ, extrema necessitate urgente, alienari possunt, quando nempe nonnisi cum ingenti damno servari possent conditiones et solemnitates mox referendæ; a fortiori vero eædem alienari possunt servatis his conditionibus et solemnitatibus, non tamen sine proportionata ratione aut necessitate. (Ita communissime apud SCHMALZGR. tit. *De rebus Eccles. alienand.*, n. 42.) Et ratio est quia necessitas, et præsertim repentina, non habet legem. Tamen post alienationem quam primum procuranda est ratihabitio ejusdem. (SCHMALZGR. *ibid.*)

V. *De causis legitimæ alienationis.* — Causæ justæ, ob quas bona Ecclesiæ alienari possunt, sunt tres: Prima est *evidens Ecclesiæ necessitas* cui aliter subveniri non potest. (Habetur in Clem. 1, *De rebus Eccles. non alienand.;* et cap. 1, *De pignoribus.*) — Secunda causa legitimæ alienationis est *manifesta* et gravis ipsius *Ecclesiæ utilitas.* (C. *Sine exceptione*, causa 12, quæst. 2; et c. *Ut super*, *De rebus Eccles. non alien.*) — Tertia alienationis legitimæ causa est *pietas* erga pauperes, captivos, cæterasque miserabiles personas. (Constat ex c. *Aurum*, causa 12, quæst. 2.) Sed ut necessitas pauperum aut aliorum miserabilium personarum sit causa sufficiens alienationis, debet esse extraordinaria, et quodammodo extrema, cui provideri nequeat per communes subventiones.

VI. *De solemnitatibus.* — Solemnitates ad alienationem legitimam rerum ecclesiasticarum requisitæ quatuor numerantur, nempe *tractatus*, *consensus capituli*, cum subscriptione ejusdem; *prælati auctoritas*, et tandem ipsius *papæ consensus*, de quibus dictum est in suis locis. Verumtamen « solemnitates omnes fere pertinent ad consensum sedis apostolicæ, a qua causæ expenduntur iisque recte cognitis alienatio permittitur. (C. *Hoc consultissimo*, *De rebus Eccles. non alien.* in 6, et Extravag. *Ambitiosæ.*)

VII. *De pœnis contra male alienantes bona ecclesiastica.* — 1. Prima pœna est quod tam alienantes quam alienata recipientes et subscribentes incurrant excommunicationem majorem. (C. *Apostolicos*; c. *Non liceat*, causa 12, quæst. 2; c. *Si quis presbyterorum*, et Extravag. *Ambitiosæ.*) Ista tamen excommunicatio non est reservata, ait Ferraris, verb. *Alienatio*, art. 6, n. 4. Has pœnas innovavit Urbanus VIII, extenditque ad regulares in quorum gratiam fuerat per privilegia derogatum.

2. Secunda pœna est quod episcopi, vel abbates male alienantes subjacent interdicto ingressus in ecclesiam, et si per sex menses talem pœnam contumaciter sustinuerint, ab administratione beneficii, vel dignitate sint suspensi; inferiores autem prælati commendatarii, et alii ecclesiarum rectores, beneficiis quorum bona male alienaverint sint ipso facto privati, ut habet expresse cit. Extrav. *Ambitiosæ.*

3. Regulares, « capitula quoque et aliæ universitates in interdictum incidunt, singuli vero, ex quibus illæ universitates constant, privantur jure electionis et ecclesiasticis officiis, quorum bona alienarunt, atque ab iis aliisque perpetuo removentur. (Extravag. *Ambitiosæ;* DEVOTI, lib. II, tit. XIX.)

VIII. *De remediis illegitimæ alienationis.* — Primum remedium quod est etiam pœna illegitimæ et indiscretæ alienationis, et fere unicum, sed efficax et absolutum, est rescissio actus, seu invalidatio ipsius alienationis, c. *Sine exceptione*, *De reb. Eccles. non alien.*, ibi : *Irrita enim episcoporum venditio et commutatio rei ecclesiasticæ erit absque conniventia et subscriptione clericorum.* Item, c. *Dudum*, et Extravag. *Ambitiosæ.* — Secundum remedium, quod a primo sequitur, est rei male alienatæ revocatio per actionem realem et vindicationem a quocunque possessore. (C. *Episcopi*, et c. *Si quis presbyterorum*, *De rebus Eccles. non alien.*) Hanc vero revocationem et rei vindicationem exercere tenetur in primis ipse prælatus male alienans, etiamsi jurejurando se obstrinxisset ad rem non vindicandum. (C. 2, *De jurejur.* — 2. Et ipsius defectu, ejus successor, capitulum aut superior. (C. 4, 6, 9 *De rebus Eccles. non alien.* — 3. Quilibet clericus talis ecclesiæ, si per præcedentes fuerit amissa. C. 6, *De rebus Eccles. non alien.*, ibi : *Sed etiam licet quibuscunque ecclesiasticis personis vocem contradictionis afferre, et ut cum fructibus possint alienata reposcere, et ecclesiastica aucto-*

— 4. Patronus. (C. 31 et quæst. 7.) — 5. Princeps, concordata. — 6. Imo Glossa em extendit ad quemlibet fide parochia, tum extra paro-, addit, integritas bonorum ecclesiæ est et ecclesiæ privatæ de cujus re agitur, et Ecclesiæ universæ, cujus dicta particularis ecclesia membrum est, adeoque singulorum utriusque membrorum. (SCHMALZGR. tit. *De rebus Eccles. non alien.* n. 149 et seqq.) — Tertium remedium est actio personalis adversus eum qui indebite alienavit, ita ut iste in defectum præcedentium remediorum teneatur ex propriis damnum resarcire, et indemnem reddere. (C. *Monemus*, causa 12, quæst. 2; et c. *Ex præsentium*, *De pignoribus*.) Quin etiam, si maluerit ecclesia, potest, omissa rei vindicatione actionem hanc personalem adversus alienantem directe exercere, seu in ipsius est omnino potestate inter hæc duo posteriora remedia utendi eo quod ei magis arriserit; imo uno inchoato ad alterum divertendi, prout sibi magis utile visum fuerit, donec tandem per unum aut alterum ad efficacem damni reparationem pervenerit. Interea vero sive hanc actionem personalem intentet, sive remittat, currunt pœnæ ceteræ a jure latæ, de quibus supra. (*Vide Instit. jur. canon.* R. de M. lib. IV, cap. 5, *De alienat. bonorum Eccles.*)

Tandem, quod si post alienationem rite factam ecclesia grave damnum acceperit, ea, non secus ac minor, beneficium habet in integrum restitutionis. (C. 1, *De integr. restit.*; DEVOTI, lib. II, tit. XIX, § 4.)

Et hæc de bonis Ecclesiæ temporalibus, quæ, ut patet ex toto hujus præsentis libri contextu, et alibi demonstratum est, ad ecclesiam pertinent jure pleni dominii, jure supremæ potestatis tum civilis tum temporalis, quam ad semetipsam libere et independenter regendam et administrandam accepit a suo divino fundatore. Ita ut omnia quæcunque bona quæ in universo orbe possidet Ecclesia, sint propria regni Dei in terris territoria ab omni jurisdictione sæcularium potestatum exempta et soli Ecclesiæ potestati supremæ et dominio subjecta.

PARS QUINTA.

DE JUDICIIS.

LIBER XIII. — DE ECCLESIÆ POTESTATE JUDICIARIA.

In vanum leges et jura exstarent, nisi esset aliquis auctoritatem habens leges applicandi et jura declarandi et debitum jus unicuique tribuendi. Unde nunc habemus de judiciis ecclesiasticis sive civilibus, sive criminalibus dicere. Judicia enim omnia aut de judicandis litibus, aut criminibus puniendis sunt. « At vero in causis cognoscendis definiendisque et in criminibus coercendis omne studium atque opera in eo ponenda est, ut administratio justitiæ, quæ ecclesiasticæ et civilis societatis firmissimum præsidium est, religiose accurateque exerceatur. Hinc ecclesiasticæ et civiles leges, et ipsum naturæ jus quasdam præscriptiones sanxerunt, quæ ita in singulis judiciorum partibus servandæ omnino sunt, ut quidquid contra judicatum fuerit, tum injustum, tum irritum censeatur. Has igitur præscriptiones quas in jure canonico promptas compertasque habemus, in usum utilitatemque eorum, qui judices futuri sunt, in medium proferemus. » (*Saglia*, lib. III, *De judiciis*.) Ideoque dicendum venit: 1° de judiciis generatim; 2° de potestate judiciaria independenti Ecclesiæ ex jure divino, et de materia et objecto hujusce potestatis; 3° de judicibus ecclesiasticis; 4° de personis in judicio requisitis vel utilibus et præscriptis; 5° de foro competenti; 6° de formis variis in processu sive civili, sive cri-

minali ecclesiastico instituendo et prosequendo tenendis; 7° de ipsius processus exitu, seu judiciali sententia, et demum de forte interposita ab ea appellatione.

CAPUT I.

De judiciis generatim.

§ I. — Quid sit judicium forense.

Judicii nomine plura veniunt, valde ab invicem distincta. Significat enim 1° Ingenii rectitudinem, ac rationis usum. — 2° Ultimam voluntatem. (C. penult. *De sepulturis*, in 6. — 3° Jurisdictionem et potestatem judiciariam. (C. 2, *De judic.*) — 4° Locum ipsum judicii (C. ult. *De conf.*) — 5° Sententiam judicis. (C. 4, *De appell.*) — 6° Actionem in judicio motam. C. 7, *De probat.*) — 7° Demum, quod est hujus libri objectum, judicium forense; et hoc definiri solet: ***Legitima causæ inter actorem et reum controversæ per judicem facta discussio et definitio.*** Aut aliis terminis judicium non male definitur: ***Ordo judiciarius quo coram judice competente causæ controversæ disceptatio inter actorem et reum legitime peragitur, ut sententia lis finiatur, ut suum cuique tribuatur.***

Ex hac definitione ad essentiam judicii forensis requiritur:

I. Ut sit ***pronuntiatio de eo quod alicui ex jure debetur.*** Quocunque enim modo, et a quacunque persona aliquid pronuntietur, si sententia feratur de alia re præterquam de eo quod alicui ex jure, sive pœna, sive commodo, debetur, judicium non erit.

II. Requiritur ut hujusmodi pronuntiatio fiat a ***judice competente***, id est a ***persona ad justitiam faciendam legitime constituta***, quæ consequenter potestatem simul habeat sua judicata ad exsecutionem deducendi. Unde idem est aliquem ad justitiam faciendam constitui, et constitui cum potestate judicata sua ad exsecutionem deducendi. Et qui talem potestatem non haberet non esset vere et proprie judex.

III. Requiritur etiam, ut a judice competente ***aliquis petat***, vel de commodo sibi ex jure debito, vel de pœna alteri ex jure pariter debita, sententiam proferri. Secus judex, etsi pronuntiet de eo quod alicui ex jure debetur, non procedet *judicialiter.* Ad judicium ergo stricte sumptum requiritur aliquis a judice distinctus *actor* qui in criminalibus vocatur ***accusator***. Sed in criminalibus ut judex causam discutiat et sententiam ferat, sufficit fama circa delictum sparsa, quæ est et dici potest ***quasi-actor***. Sic enim decrevit Innocentius III in conc. Lateran. an: 1216, cap. ***Qualiter et quando* 24, *De accus.*** ibi: ***Non solum cum subditus, verum etiam cum prælatus excedit, si per clamorem et famam ad aures superioris pervenerit... debet coram Ecclesiæ senioribus veritatem diligentius perscrutari, ut (si rei poposcerit qualitas) canonica districtio culpam feriat delinquentis; non tanquam idem sit accusator et judex, sed quasi denuntiante fama, vel deferente clamore, officii sui debitum exsequatur.***

IV. Requiritur *reus* id est persona quam actor contendit vel crimen patrasse vel aliquid injuste denegare. ***Reus*** vocatur eo quod ab ipsa aut contra ipsam *res*, de qua disceptatio est, a judice postulatur.

V. Requiritur tandem ad proprie dictum constituendum judicium, ***causæ disceptatio*** seu ***discussio***, id est ut proferantur rationes actoris ad probandam postulationis suæ justitiam, et fiat reo eis respondendi et sese defendendi facultas, non autem ut de facto sese defendat vel compareat: si enim reus ad judicium vocatus sit *contumax*, id est, venire recuset, hac ipsa agendi ratione respondet et fatetur, sese omni efficaci defensionis medio destitui; quæ responsio ad requisitam ex parte rei causæ disceptationem plane sufficit; cum aliter posset judicialis administratio justitiæ a quolibet reo præpediri et irritam fieri judicis potestatem.

Præter quinque enumeratas conditiones, nulla alia requiritur ad constituendum proprie dictum in materia forensi judicium, ex unanimi doctorum et jurisperitorum consensu et etiam ex ratione et jure naturali, quod est rationis dictamen.

§ II. — Judicii differentia a quæstione, lite, causa et instantia.

« Ut ex definitione paulo ante tradita patet (ait Schmalzgrueber in tit. I, lib. II *Decretal.* n. 3, *judicii* nomine venit controversiæ et quæstionis in judicium deductæ tota discussio, quæ fit et durat a citatione usque ad sententiam. ***Quæstio*** est ipsa res vel jus controversum quod deduci in judicium potest;

quod si actu in judicium deducatur, *causa* vocabitur; ut adeo causa et quæstio in hoc solum differant, quod causa proprie non dicatur nisi in judicio, quæstio autem etiam extra illud. *Litis* nomine plerumque venit actio, qua causa controversa deducitur in judicium, sive in rem, sive in personam sit. *Instantia* denique est exercitium actionis, quod litis contestatione incipit, et usque ad sententiam definitivam durat, si feratur: si non feratur, biennii aut triennii lapsu, et etiam rei ab observatione judicii absolutione, de jure saltem civili (id est *Justinianeo*) exstinguitur. Porro quæstio, quæ in judicio disceptatur vel disceptari potest, est duplicis generis, facti et juris. — *Facti quæstio* est, cum de facto, de quo forte nondum liquet, vel si de hac liqueat, de circumstantiis facti quæritur; exempli gratia, quis fecerit, quomodo, quo loco, quo tempore, quibus circumstantiis, etc. — *Juris quæstio* est, quando quæritur de facti merito, quod in eo consistit, ut jus facto recte applicetur: interrogatur ergo in hoc, an id quod factum est, jure factum sit, et quid de hoc facto leges statuerint; exempli gratia, an recte Titius occiderit Caium, et si male occidit, qua pœna sit afficiendus. »

§ III. — De judicis potestate.

« Ex dictis etiam patet (ait D. Bouix, *De judiciis*, part. I, cap. 1, p. 14), qualis proprie sit judicis potestas : est nempe potestas jurisdictionis simul et imperii, seu (ut dicunt pragmatici) *jurisdictio imperio mixta*. Nam primario seu principaliter judex efficitur aliquis per potestatem causas cognoscendi et jus quoad eas dicendi; quæ potestas *jurisdictio* vocatur. Sed inanis remaneret potestas hæc, nisi ei adjungeretur et facultas vim coactivam aliquam exerendi. Necesse nempe est ut simul possit judex partes citatas et testes cogere ad comparendum, necnon sententias suas ad executionem efficaciter deducere; potestas autem coercendi *imperium* dicitur; unde revera jurisdictio in judice, ut vera sit et non derisoria, debet necessario esse cum aliquo imperio conjuncta. Dicimus *cum aliquo*; quia, attenta judicialis potestatis essentia, sufficit ea coercendi facultas, quæ necessaria est ad judiciorum expeditionem et sententiarum exsecutionem. Et eam quidem coercendi potestatem habere judex censetur hoc ipso quod judex legitime constituatur : majorem autem ex solo judicis officio non habet. »

§ VI. — Quod inter judicia quædam sint juris naturalis, quædam autem, positivi humani.

I. « Quæritur quo jure sint introducta judicia? Resp. Originaliter sunt juris naturalis, formaliter, et quoad solemnitates juris civilis. — *Pars prima* ostenditur ex necessitate humani generis. Nam sæpe evenit ut duo inter sese contendant, quid juris sit, et quivis eorum contendat jus trahere in suam partem : opus itaque erat, ut esset, qui ortas hujusmodi super jure dubio controversias solveret, et cuique jus suum tribueret : hoc autem fieri non poterat ab ipsis partibus; nihil enim rectæ rationi magis repugnat, quam jus in causa propria sibi dicere. Necesse igitur erat, ut auctoritate publica constitueretur judicium, in quo dirimerentur hujusmodi juris dubia, et quod æquum, et justum est, partes referrent. » (SCHMALZGR. in tit. I, *De judiciis*, lib. II *Decretal.* n. 4.) Præterea omnis societas jus naturale habet suam existentiam defendendi et propugnandi contra criminales homines qui eam subvertunt et destruere conantur. Sed crimina nequeunt puniri nisi legitime et recte probentur, quod fieri nequit absque judicio. — *Pars secunda* patet ex solemnitatibus judiciorum quas jure civili inventas, et jure canonico etiam ad forum ecclesiasticum translatas constat ex variis textibus juris civilis, et toto lib. II *Decretal.* » (ID. *ibid.*)

II. « Dubium est, quænam in judiciis sint juris naturalis, quæ positivi humani? Resp. Juris naturalis sunt petitio actoris, citatio rei, probatio causæ, ejusdemque defensio, decisio illius, et sententiæ pronuntiatio; nam hæc ad substantiam judicii pertinent, et talia sunt, ut sine illis causa controversa recte, et rite discuti, atque decidi nequeat; cætera, ut libelli oblatio, litis contestatio, juramentum calumniæ, feriæ, dilationes, fatalia, sententiarum formulæ, et similia sunt juris positivi humani; quia non necessitatem, sed solemnitatem sapiunt.

« Ex quo sequitur : 1° Quod summus princeps, omissis omnibus solemnitatibus, sola facti veritate inspecta, de plano possit causam cognoscere; quia legibus positivis solutus est. Sequitur 2° eumdem posse alicui causam sic delegare, ut eam dirimere de plano, et sine figura judicii possit; quia per alium facere quis potest, quod potest facere

per semetipsum. Sequitur 3° solemnitates judiciales per consuetudinem tolli posse; nam quævis lex positiva humana tolli per eamdem potest. Sequitur 4° in nullo judicio etiam summario (et consequenter in judicio *ex informata conscientia*) omitti posse ea, quæ supradixi substantialia judiciorum esse; nam hæc sunt juris naturalis, contra quod prævalere consuetudo non potest. » (Id. *ibid.*)

§ V. — De judiciorum divisione.

Judiciorum species fere tot sunt, quot actionum, quæ in judicium deducuntur:

I. Ratione *causæ efficientis*, seu *personarum judicantium* judicium dividitur :

1. In ordinarium et delegatum. — *Ordinarium* dicitur, quod instituitur coram judice ordinario; quales inter ecclesiasticos judices præter papam, et ejus legatos in provinciis sunt episcopi, cæterique prælati episcopalis ordinis, et sede episcopali vacante capitulum, vicarius generalis episcopi, vel capituli sede vacante, abbates, et his similes prælati, qui jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, vel etiam populum habent, etc. — *Delegatum* vocatur, in quo coram judice delegato disceptatur. »

2. Dividitur in judicium ecclesiasticum et sæculare : *Ecclesiasticum* est, quod instituitur a judice ecclesiastico qua tale; *sæculare*, quod expeditur a judice sæculari qua tali. Ad judicium ecclesiasticum pertinent: 1° Omnes causæ spirituales, vel his annexæ; ut si quæstio est de electione prælati, electi confirmatione, vel consecratione; de clerici ordinatione; vel præsentatione; de voto, et professione religiosa; de matrimonio, sponsalibus, aut divortiis; de primitiis, decimis, oblationibus; de beneficiis, aut pensionibus ecclesiasticis, vel jure patronatus, etc. — 2° Lites etiam civiles, si vel uterque litigans, vel saltem reus sit de foro ecclesiastico; quia, ut infra tit. II, n. 7, dicetur, actor sequitur forum rei. — 3° Certa aliqua crimina, videlicet hæresis, apostasiæ, schismatis, simoniæ, et similium; nam respectu horum etiam laici foro ecclesiastico subjiciuntur, ut suis locis dicetur. Cæteræ causæ, in quibus de re non ecclesiastica, et inter laicos, vel saltem contra reum laicum agitur; ad forum sæculare spectant. Sunt tamen inter causas, de quibus cognoscere judex sæcularis potest, etiam quædam, quæ dicuntur *mixti fori;* quia coram judice ecclesiastico, vel sæculari, prout alter alterum causam tractando prævenerit, agitari possunt, quales sunt quæstiones mere facti in rebus spiritualibus, si reus conventus laicus est. Et hinc duobus recensitis membris dividentibus addi tertia potest species, nempe *judicium mixtum*. » (Id. *ibid.* n. 6.)

II. Ratione *materiæ* sex omnino enumerantur divisiones judiciorum diversæ :

1. « In judicium spirituale, et temporale. *Spirituale* est, in quo causa spiritualis, vel spirituali annexa tractatur; *temporale*, in quo de re mere temporali, et profana contenditur. Differt spirituale ab ecclesiastico; et temporale a sæculari; quia ecclesiasticum judicium magis late patet, quam spirituale, cum exerceri possit etiam circa causas clericorum civiles; et temporale magis late quam sæculare, cum temporale judicium conveniat etiam judici ecclesiastico qua tali, si causa sit temporalis, non autem sæculare. »

2. « In judicium *universale*, in quo controversia movetur de aliqua universitate seu corpore quodam mystico, ex juribus specifice distinctis conflato : .... *Generale*, quod ad plura quidem objecta, sed separata, ac nullam universitatem conficientia porrigitur... *Speciale*, quod instituitur circa rem specialem, determinatam ac singularem. »

3. In judicium *reale*, in quo disputatur de jure in re, v. g. dominio, servitute, pignore, possessione, etc. *Personale*, in quo instituitur actio in personam, nempe ex contractu, vel quasi contractu, delicto, vel quasi delicto, et similibus...

4. In judicium *petitorium*, in quo litigatur de proprietate seu dominio rei, vel super jure aliquo... et *possessorium* in quo inter partes contentio est de sola rei, vel juris possessione, aut quasi possessione adipiscenda, retinenda, vel recuperanda.

5. In judicium *bonæ fidei* in quo liberam potestatem a lege sibi concessam judex habet, ut æstimare ex æquo et bono possit, quantum actori restitui debeat « et *stricti juris*, in quo facultas judicis est restricta, ita ut ultra id, quod vel nominatim inter partes actum, vel specialiter legibus de negotio cautum est, sententia sua non possit progredi... »

6. Denique in judicium *simplex*, in quo unus subit vicem actoris, alter vicem rei...

Et *duplex*, in quo uterque litigantium est actor, et uterque reus, utrinque a se invicem aliquid petendo...

III. Ratione *formæ* dividitur judicium in plenarium et summarium. *Plenarium*, quod etiam *ordinarium* et *solemne* dicitur, est in quo, juris ordine, et solemnitatibus accurate servatis, de causa cognoscitur et pronuntiatur. *Summarium*, et ut communiter vocatur, *extraordinarium* est, in quo, prætermissa subtili observatione solemnis ordinis judiciarii, simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura judicii proceditur, et quodammodo, sola rei veritate attenta, servatis tamen iis conditionibus quæ jure divino, naturali et gentium requiruntur, pronuntiatur.

IV. Ratione *finis* denique dividitur judicium in *civile*, in quo disceptatur de causa civili, seu in quo principaliter intenditur commodum privatum actoris... et *criminale*, in quo de crimine agitur criminaliter, sive ad vindictam publicam, puta ad privationem officii, corporis afflictionem, vel pœnam etiam extraordinariam applicandam fisco.

Porro judicium criminale subdividitur 1° in *capitale*, in quo agitur de crimine et pœna capitali... et *non capitale*. Pœna capitalis triplicis generis est; una amittitur caput naturale per mortem naturalem; altera amittitur caput civile, quod est libertas, ut cum quis damnatur ad metallum; ultima caput eximitur de civitate, cum jus civitatis amittitur per deportationem...

Subdividitur 2° in *publicum* et *privatum*. *Publicum*, in quo agitur de publico crimine, seu tali, quod accusare cuivis e populo est permissum... *Privatum*, in quo agitur de crimine privato, seu tali, quod accusandi jus non cuivis de populo, sed iis duntaxat, competit, ad quos ea res, vel injuria pertinet. » (Schmalzgr. in tit. i, lib. ii *Decretal.*)

CAPUT II.

De potestate judiciaria independenti Ecclesiæ ex jure divino.

§ I. — Errores contra hanc veritatem.

1. De hujus capitis objecto non erat tractandum veteribus canonistis, quia jus Ecclesiæ non erat contestatum, sed e contra ab omnibus receptum.

« Primus Aetius omnem Ecclesiæ jurisdictionem et legislativam potestatem eripere conatus est; ejus errorem secuti sunt valdenses, Joannes Hussius, Marsilius Patavinus, Jandunus, Lutherus, Calvinus, Grotius, qui falso putarunt nullam Ecclesiæ esse jurisdictionem, sed omnem ejus in dirigendo et suadendo positam esse auctoritatem. Horum exemplo protestantes omnes qui jus principis in sacra tuentur, Ecclesiæ adimunt judiciariam potestatem. Qui cum Puffendorfio Ecclesiam non distinctam rempublicam, aut *statum*, ut inquiunt, sed tantum *collegium* esse contendunt, ut Moshemius, Boehmerus, Budæus, aliique, omnem Ecclesiæ esse negant judiciariam potestatem, sed hanc ad jus majestatis principis sæcularis pertinere arbitrantur, atque Ecclesiæ tantum jus collegiale tribuunt. Joannes Bodinus (lib. iii *De republic.*) Ecclesiasticæ jurisdictioni ac foro vehementer adversatur, atque eum secutus est Carolus Loysæus in suo *Traité des Seigneuries*. In eodem luto hæsitat P. la Borde, qui opusculo cui titulus *Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle*, datam a Christo Ecclesiæ potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam judicandi per leges, cogendique et pœna coercendi eos, qui pœna sunt digni, labefactare ac tollere conatur, atque ecclesiasticum ministerium ita sæculari potestati subjicit, ut ad hanc pertinere contendat de externa omni ac sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Parvum ac perniciosum opusculum damnavit Ben. XIV, const. *Ad assiduas* 44, *tom.* iv *ejus bullar. pag.* 347 *ed. Lucæ.* Morinus in opere *De pœnit. administ.* lib. i, c. 10. Forum contentiosum Ecclesiæ non distinguit a foro pœnitentiali, atque illum tantum post xi aut xii sæculum Ecclesiam habuisse putat. Cum Morino sentit Van-Espen *Jur. eccl. univ.* lib. iii, *tit.* i. Fevretii celebre est opus *De abusu*, quo ipse ecclesiasticam jurisdictionem et judiciariam potestatem acriter insectatur. Inde Dupinius *De antiq. Eccles. disc.* diss. 7, § ult., judicium ecclesiasticum in civilibus et criminalibus clericorum causis et potestatem ex principis permissu repetit. Petrus Giannonius in *Hist. civil. regn. Neapol.* lib. ii, c. ult. tom. I, hostis infensissimus contentioso Ecclesiæ foro, omnem ejus potestatem in docendo, orando, suadendo, et per censuras corrigendo ponit, et Morino etiam assentitur. Jacobus quoque Gothofredus, ad l. 47 *Cod. Theod. De episc. et cleric.* tom. VI, pag. 105 et seq. ed. Li-

psiæ 1743, et Jac. Cujacius in *Paratit.* eod. *De episc. audien.* Opp. t. II, col. 30, ed. Ven. 1758, judiciariam Ecclesiæ potestatem negant. Novissime canonicus Litta in opere iterum edito Ticini an. 1783, *Del Diritto di dispore gl'impedimenti dirimenti nel matrimonio, e di dispensare*, tom. II, pag. 125, Morini sententiam ad VIII sæculum contraxit, atque ante hoc tempus Ecclesiæ veram judicandi potestatem solum in rebus religionis ascribit. Plures viri docti hanc Ecclesiæ potestatem vindicarunt, quos inter præstant Ven. Moneta *Adv. Cathar. et Valdens.* lib. v, cap. 13, ed. Rom. 1743. Dadinus Altasserra in opere *De jurisd. Eccl. adversus Fevretium*, et in libro peculiari *Adversus Gothofredum;* Joan. Antonius Bianchi *Della potestà e della polizia della Chiesa*, lib. I, c. 5; Joan. Legendre, *Judicium episcopale adversus calumnias J. Gothofredi acerrime vindicatum;* doctissimus Mamachius epist. 2, *Ad Febronium;* et auctor (Zaccaria) operis *Le storte idee raddrizzate*, cap. 4. Videndus est etiam Fleury, disc. 7, *sur l'hist. ecclés. De la jurid. essent. à l'Eglise.* » (Devoti, *Instit. can.* lib. III, tit. I. § IV. *Nota.*) Ad infensissimos potestatis judiciariæ Ecclesiæ hostes annumerandi sunt Jansenistæ qui Concordatum Galliarum an. 1801 elaboraverunt priusquam sanctæ sedi proponeretur, et præsertim auctor et defensor *Articulorum organicorum* hujus Concordati, Portalis, qui, in suo disc. *Rapport sur les articles organiques*, etc. Ecclesiæ forum contentiosum et potestatem coactivam negat. Unde ipsimet articuli organici prædicti a solo gubernio sæculari concinnati et promulgati prætendunt Ecclesiam regulare et jurisdictionem ejus coarctare et limitare legesque canonicas abrogare ut ipsi sacrorum canonum locum teneant, et gubernium sæculare Ecclesiam omnino regat et gubernet. Sed etiam inter multos jurium Ecclesiæ defensores annumerandi sunt recentes auctores, D. Bouix in suo præclaro tractatu *De judiciis ecclesiasticis*, sect. 2; Devoti, *Instit. canon* lib. III, tit. I; auctor *Instit. can.* R. de M. tom. II, *De judiciaria Ecclesiæ potestate*, lib. I, cap. 1 et seq.; et alii multi.

II. De iis auctoribus qui sustinent nullam Ecclesiæ competere coercitivam potestatem, sic sentit doctissimus Zaccaria :

« Periculosum est ejusmodi tentamen; atque, ut semota omni adulatione loquar, protestantismum tantisper redolet; si quidem hac via devenitur ad ejiciendam Ecclesiam e conditione status seu societatis perfectæ, ad conditionem *collegii.* Si ergo impugnandi errores cæteri, at huic eradicando maxime incumbendum. An autem intentum assequar? Faxit Deus! sin vero irritus cedat labor meus, id tantum sequetur incommodi, quod me ignarum curiæ Romanæ assentatorem clamitabunt. Esto : lucrum mihi existimabo (cum in præsentiarum subeundum pro veritate martyrium non immineat), quod detur saltem cum apostolis ob propugnatam potestatem coercitivam quam ipsi possederunt, docuerunt, in usum deduxerunt, solemnem subire verberum et conviciorum explosionem. Felicem me, si detur aliqua saltem ex parte eosdem imitari apostolos, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati* (*Act.* v, 41). » (*Le storte idee raddrizzate*, cap. 5.) Quæ verba clarissimi auctoris, quantum tenuitati meæ, mea faciens (nam et mihi contigit pro tuenda sanctæ matris Ecclesiæ Romanæ doctrina nonnulla pati), æque dico cum D. Bouix, ad enodandam quæstionem accedo.

§ II. — Quid sit potestas judiciaria Ecclesiæ stricte sumpta.

I. Hic non agitur de potestate quam habet Ecclesia condendi definitiones fidei, leges circa disciplinam edicendi, censuras decernendi, in foro pœnitentiali secreto vel publico judicandi.

II. « Eo scilicet *judiciariæ* potestatis stricte sumptæ vocabulo designamus jus Ecclesiæ ea exercendi quæ superiori capite *proprie dicta judicia* vocavimus; id est, habendi tribunalia, in quibus ipsius ordinarii magistratus vel ab istis delegati, ita jus dicant circa certas causas ecclesiasticas, tum civiles tum criminales, ut reis coram hujusmodi ecclesiasticis judicibus conventis liberum non sit comparere vel non; sed e contra teneantur ex conscientia, et potestate judicis cogi possint, ad comparendum et ad subeundam et exsequendam sententiam. Unde sic intellecta Ecclesiæ judiciaria potestas includit, 1° potestatem cognoscendi de certis causis tum civilibus tum criminalibus, easque dirimendi; 2° jus prædictam potestatem sibi exclusive vindicandi; ita ut nonnisi injuste, abusive et nulliter in ejusmodi causas sese ingerat sæcularis potestas;

3° potestatem obligandi fideles ad deferendas ejusmodi causas ad judicem ecclesiasticum, interdicto ipsis laico tribunali; 4° jus habendi procuratorem auctoritate ecclesiastica constitutum, cujus publico ministerio certorum criminum rei conveniantur; 5° potestatem obligandi in conscientia reum, ab actore ad jus vocatum, ut compareat, sententiamque subeat et exsequatur; 6° potestatem eumdem reum *vi coactiva* compellendi ad subeundam et exsequendam sententiam. » (D. Bouix, *De judiciis*, part. I, sect. 2, cap. 2.) Ea intelligenda venit in toto præsenti capite judiciaria Ecclesiæ potestas.

PROPOSITIO PRIMA.

Ecclesiæ competit jure divino proprie dicta judiciaria potestas. (De fide.)

Probatur I°, *Ratione* — Sic ait Devoti, *Inst. can*, lib. III, tit. I : « Ecclesiam visibilem esse societatem et ideo visibili regendam esse gubernatione, sine qua nulla hominum societas diu stare et conservari potest, superiori loco demonstratum est. Hæc autem gubernatio non tantum pertinet ad ferendas leges, quibus jubeantur quæ facienda sunt, prohibeanturque contraria, sed etiam comprehendit jus curandi et providendi, ut hæc leges vim atque exitum obtineant.... Quare Christus Ecclesiam constituit ad instar reipublicæ a civili distinctæ, eique dedit magistratus qui huic hominum societati cum imperio præessent. Quare in hos magistratus omnem potestatem, qua opus est, ut recte administretur regaturque respublica, atque ut optimis abundet legibus, quibus cuncti pareant et repugnantes etiam in officio pœnis coerceantur. Nam quomodo stabit respublica sine magistratibus, aut cum magistratibus otiosis et inanibus qui jurisdictione imperioque careant ? »

« Hæc autem jurisdictio, quam habent in republica magistratus cum imperio præpositi, sine dubio comprehendit judiciariam potestatem.... Qui hanc potestatem aut Ecclesiam habere negant, aut eam ab hominum beneficio repetendam putant, ii magistratus et omnem jurisdictionem Ecclesiæ adimant necesse est. Nam pugnantia hæc sunt, esse in republica magistratus cum imperio ac jurisdictione, et hos magistratus non habere judicandi potestatem, quæ eorum juri et officio cohæret, quæque in primis est hujus imperii et jurisdictionis propria. Atqui Ecclesiam habere magistratus, quorum administratione, cura, potestate, imperio illa Christianorum hominum societas, illaque a civili distincta respublica regenda sit, hoc est episcopos a Christo constitutos, inter catholicos omnes constat. » Et est de fide.

2. Ecclesia est societas perfecta et independens a Christo fundata et constituta. Atqui de jure naturali necessaria est in qualibet societate completa potestas judiciaria proprie dicta. Ergo ex eo quod Ecclesia exsistit societas completa, de jure naturali necessario habet proprie dictam judiciariam potestatem. Sed hujusmodi potestatem etiam tenet Ecclesia a jure positivo divino; quod est probandum.

Probatur II°, *Scriptura sacra.* — S. Matth. XXVIII, 18 : *Data est mihi omnis potestas in cælo et in terra....* Ergo et judiciaria. Nam Christus est Rex regum æternus, et omnis potestas ab ipso procedit, et reges sæculares nec judiciariam nec aliam potestatem habent nisi a Deo. Atqui Christus Deus omnem suam potestatem in cœlo et in terra Ecclesiæ suæ dedit, id est Petro et Petri successoribus, deinde apostolis cum Petro et eorum successoribus. Ergo dedit etiam ipsis potestatem judiciariam. — Matth. XVI, 19, Christus ait Petro : *Tibi dabo claves regni cælorum; quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis... Claves regni* Ecclesiæ auctoritatem adæquate significant, in qua contineri ipsam judiciariam potestatem, liquet ex terminis qui sequuntur : *Quodcunque ligaveris....* quod non tantum generaliter judicandi potestatem insinuat, sed eam specialiter comprehendit ; nemo enim magis proprie ligatur quam ille qui a judice ad actum aut pœnam devincitur.

Item et expressius, Matth. cap. XVI, 18 et seq. Christus super Petrum ædificat Ecclesiam suam, et plenitudinem clavium potestatis dat Petro ; et cap. XVIII seq. 15 et seq. ait iterum Christus : *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum ; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum,* ecce monitio charitativa ; *si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos,*

ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum ; ecce arbitros et testes qui amicabilem jurgii compositionem prius pertentare debent. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ ;* ecce tribunal et judex auctoritatem habens cognoscendi et decidendi causam, et sententiam proferendi, nam *si autem Ecclesiam non audierit* ecce sententiam, *sit tibi sicut ethnicus et publicanus,* ecce sententiæ exsecutionem et pœnam, eamque gravissimam, scilicet amputationem a corpore Ecclesiæ, seu spiritalis pœna capitalis. Jam ergo in his textibus exteriorem judiciariam Ecclesiæ potestatem, imo et integram judicii ecclesiastici substantialem formam facile est deprehendere. Nempe testes, judex, accusator, reus, causæ cognitio, sententia, et coercitio.

Ipsi apostoli hujus exterioris judiciariæ potestatis usum aut comminati sunt, uti Paulus II ad Cor. XIII, 2 : *Prædixi, et prædico, ut præsens, et nunc absens, iis qui ante peccaverunt, et cæteris omnibus, quoniam si venero iterum non parcam. An experimentum quæritis* judiciariæ potestatis mihi factæ ab eo *qui in me loquitur Christus ?* aut etiam ipso facto usi sunt, uti idem Apostolus I Cor. V, 3 et seqq.: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu,* et potestate judicis, *jam judicavi ut præsens eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Jesu Christi, congregatis vobis et meo spiritu, cum virtute et auctoritate Domini nostri Jesu, tradere hujusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini nostri Jesu Christi.* Ecce hic judicium exterius et solemne, *judicavi,* nempe de peccato publico, et *judicavi in nomine Domini Jesu Christi* et coram totius populi conventu celebratum : *Congregatis vobis et meo spiritu,* cum sententia efficaci *judicavi tradere hujusmodi Satanæ;* et judex delegat sententiæ exsecutionem *cum virtute et auctoritate Domini nostri Jesu.* Ergo ab auctoritate et virtute Christi habebat potestatem judicandi, etc.

Sed etiam Apostolus docet et præcipit omnes Christianorum lites et causas esse in Ecclesia componendas et judicandas. I Cor. V, 12 : *Quid enim mihi de iis qui foris sunt judicare ? Nonne de iis qui intus sunt, vos judicatis ?* Ibid. 13 : *Nam eos qui foris sunt, Deus judicabit. Auferte malum ex vobis ipsis.* Et cap. VI, 1 seqq. Corripit Corinthios quod judicio contenderent coram judice ethnico : *Audet aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, et non apud sanctos ? An nescitis quoniam sancti de hoc mundo judicabunt ? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis qui de minimis judicetis ? ... Sæcularia* (id est civilia) *igitur judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum....* Ergo nedum potestatem judiciariam a sæcularibus principibus obtinuerit Ecclesia, ne quidem vult Apostolus ut Christiani sæcularia seu civilia judicia habeant coram judicibus extraneis, sed jubet ut per *contemptibiles qui sunt in Ecclesia judicentur.* Expressius non poterat Ecclesiæ potestatem judiciariam ab omni potestate sæculari independentem demonstrare. Item direxit idem Apostolus ad Timotheum Ephesinum episcopum hujusmodi præceptum : *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus* (I *Tim.* V, 19.) « Porro ille textus probat Ecclesiæ competere forum contentiosum seu proprie dictam judiciariam potestatem. Nam ibi adsunt fori externi seu contentiosi essentialia, ubi adsunt actor, reus, et judex aliqua potestate coactiva præditus : cætera ad forensem apparatum adhiberi solita, ut lictores, notarii, etc., de essentialibus non sunt. Atqui prædicta essentialia exprimunt vel supponunt citata Apostoli verba. Exprimunt enim accusatorem, reum et testes. Dum autem Timotheo dicitur, *accusationem noli recipere* nisi sub tali forma, supponitur eum esse legitimum judicem. Accusator autem judicem episcopum non adiret, nisi reus posset a tali judice aliquo modo puniri vel ad aliquid aliquo modo cogi : unde hoc ipso quod Apostolus supponat accusatores, supponit in judice aliquam coercitivam potestatem. Ergo textus ille probat contentiosum forum, simulque coactivam aliquam potestatem Ecclesiæ ut propriam competere. » (D. BOUIX, *De judiciis,* t. I, p. 29.)

Plures insuper Scripturæ sacræ textus probant, a Christo Domino institutam fuisse Ecclesiam ad instar regni, a civili

republica distincti; eique regno præpositos fuisse magistratus qui cum imperio societatem fidelium regerent. *Obedite præpositis vestris*, ait divus Paulus, *et subjacete eis : ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* (*Hebr.* XIII, 17.) *Qui vos audit, me audit : et qui vos spernit me spernit* (*Luc* X, 16.) Eruditis autem explorata res est, ibi vocem *audire* idem sonare ac *obedire*. *Perambulabat Syriam et Ciliciam.... præcipiens custodire præcepta apostolorum et seniorum.* (*Act.* XV, 41.) *Cum autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis et senioribus qui erant Hierosolymis.* (*Act.* XVI, 4.) Sanctus Paulus virgam minatur Corinthiis (*I Cor.* IV, 21); et profitetur habere se *in promptu ulcisci omnem inobedientiam ex potestate*, ait, *quam dedit nobis Dominus* (*II Cor.* X, 16.) *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo.* (*II Thess.* III, 14.)

Qui textus palam faciunt a Christo datam fuisse apostolis, ac eorum successoribus, veram potestatem regnum Dei, id est, Ecclesiam, regendi et gubernandi. Jam vero ejusmodi potestas etiam per virgam seu correctionem regendi, imperandi et gubernandi, necessario includit judiciariam potestatem. Ille enim non habet populum regendi veram potestatem, qui nequit ortas lites componere; nec justa est coercitio nisi certum et probatum sit crimen ; quæ probatio ordinarie nonnisi per judicium proprie dictum.

Ergo tum directe ex quibusdam sacræ Scripturæ textibus, tum indirecte ex multis aliis, eruitur certa et proprie dicta Ecclesiæ judiciaria potestas tum in causis criminalibus ut patet per causam incestuosi apud Corinthios, tum in causis mere civilibus ut expresse habetur in 1 Cor. VI. Item ex iisdem textibus probatur hujusmodi potestatem judiciariam Ecclesiæ competere ex virtute et auctoritate Christi et consequenter ex jure divino et independenter ab omni permissu sæcularium potestatum.

Probatur III, *ex perpetua traditione et Ecclesiæ praxi.* — Jam sub ipso apostolorum regimine vidimus in actu contentiosum Ecclesiæ forum. Præceptorum subjectionis jurisdictioni episcoporum plenæ sunt litteræ Ignatii Martyris, qui in Joannis apostoli disciplina fuit : Magnesianos vult *subjectos esse episcopo, ut Christus Patri, et apostoli Christo...* etc. Atque ætate Origenis, quæ pertinet ad exitum sæculi 2, aut initium 3, ita certum atque exploratum omnibus erat, episcopos in Ecclesia gerere magistratum et habere illam, quæ magistratus est propria, jurisdictionem et potestatem, ut id tanquam certissimum ipse Origenes adversus Celsum proponat, ecclesiamque conferat cum republica, et cum civilibus ecclesiasticos magistratus. (*Contr. Celsum*, lib. III, p. 466 et 467; tom. I, ed. Paris. 1733.) — Ex Tertulliano, qui anno 202 suum apologeticum librum scripsit, cap. 39, judiciis ecclesiasticis *magno cum pondere* rei discutiebantur, adhibebaturque *castigationum* et excommunicationis correctio. — Anno 252 ad Cornelium papam scripsit sanctus Cyprianus celebrem epistolam, sub numero 59 alias 55, in qua de privato hæretico, et ejusdem adhærentibus Jovino et Maximo memorat eos formaliter judicatos et damnatos; et quia ad Cornelium papam appellaverant, contra hujusmodi appellationem scribit ad pontificem.

Ad finem tertii sæculi, vel ad summum ad initium quarti, referendos esse canones qui dicuntur apostolorum, tenent communiter eruditi, atqui fori contentiosi proprie dicti usum aperte exhibent et regulant. (Can. 73 et 74.)

Item apud eruditos pro re comperta habetur, constitutiones quæ dicuntur apostolorum, licet sancto Clementi falso adscriptas, esse tamen quarto sæculo anteriores, eisque exprimi disciplinam et statum Ecclesiæ tunc temporis obtinentem. Jam vero omnia tum essentialia, tum accidentalia judiciorum proprie dictorum in foro Ecclesiæ contentioso memorant, præscribunt et regulant, ut videre est ex multis textibus de libro II excerptis a D. Bouix, *De judiciis*, pag. 34 et seq.

In concilio Nicæno Ariani episcopi cum viderent sibi imminere a Patribus orthodoxis condemnationem, ad Constantinum imperatorem recursum habuere, imperator autem supplices libellos legere noluit, imo flammis injecit : rationem addens memoratu dignam, quam refert his verbis Rufinus (*Hist. eccles.* lib. X, sect. 1, cap. 2) : *Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi; et ideo nos*

a vobis recte judicamur; vos autem non potestis ab hominibus judicari. Propter quod Dei solius inter vos exspectate judicium; et vestra jurgia quæcunque sint, ad illud divinum reserventur examen. Vos etenim nobis a Deo dati estis dii; et conveniens non est ut homo judicet deos; sed ille solus de quo scriptum est. (*Psal.* LXXXI, 1.) « *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.*»

Concilium Antiochenum anni 341, can. 5 statuit tres vocationes rei fieri in judiciis, priusquam damnaretur contumax. — Concilium Constantinopolitanum anni 394 *decrevit, non licere in posterum, nec a tribus quidem, nedum a duobus, eum qui reus examinatur deponi : sed majoris synodi et provinciæ episcoporum sententia, sicut apostolici definiere canones.*

Concilium Carthaginense anni 397 formam judiciorum ecclesiasticorum tum criminalium, tum civilium fuse præscribit. (Apud fratres Ballerini, operum S. LEONIS, tom. III, pag. 78.)

In concilio Ephesino anni 431, nomine synodi tribus vicibus citatus fuit ad comparendum Nestorius. Quia vero, etiam post tertiam citationem venire recusavit, pronuntiata damnatio est. Eamdem forensis judicii formam secuta est contra Eutychem synodus Constantinopolitana; et contra Dioscorum Chalcedonense œcumenicum concilium. Ne autem citandis ejusmodi factis plus æquo immoremur, loco eorum subjiciemus doctissimi Zaccariæ, qui rem plane exploraverat, assertum :

« Quin timeamus, inquit, ne erroris convincamur, palam affirmare possimus, in omnibus causis vel depositorum episcoporum, vel damnatorum hæreticorum, non minus ante quam post octavum sæculum, semper eamdem servatam fuisse sententiandi normam; intervenientibus scilicet, citationibus, accusatione, testium allegationibus, et aliis publicis actibus qui forensis et contentiosi judicii proprii sunt. »

« Traditionem et praxim sex priorum sæculorum pandimus, ait D. Bouix (*De judiciis*, tom. I, p. 41); quæ non paucis aut ambiguis aliquot documentis, sed tota monumentorum quæ remanserunt veluti mole, alte et invicte demonstrant, perpetuum in ecclesia fuisse contentiosi fori usum. Supervacaneum autem esset explorationem ad recentiora sæcula protrahere; utpote de quibus ne minima quidem difficultas oriri potest, post demonstratam in toto præcedenti ævo dictam fori contentiosi disciplinam.... Hinc recte omnino doctissimus Bianchi, cujus sententia nostrum ex traditione desumptum argumentum claudimus :

« Certissimum est penes Ecclesiam semper fuisse forum externum, a foro conscientiæ et pœnitentiali diversum; ea nempe certitudine, qua constat ab Ecclesia anni ævo receptas fuisse contra reos denuntiationes seu accusationes, discussa testimonia, auditas utriusque partis rationes, sententia damnatos reos qui convicti vel contumaces fuerunt : aut, in casu notorietatis publicæ, punitos eosdem post causæ discussionem. Quam priorum sæculorum disciplinam si quis negare velit, necesse est ut omnibus quæ remanserunt horum temporum monumentis historicis valedicat. » (BIANCHI, *Politia della Chiesa*. lib, I, c. 5, § 2, n. 2.)

Probatur IV°, *ex definitionibus Ecclesiæ dogmaticis*.—1. Damnatio hæreticarum propositionum Marsilii Patavini et Joannis Junduni, per constit. *Licet juxta doctrinam*, Joannis papæ XXII, anni 1327; apud Rainaldum, ad annum 1327, n. 28; ut sequitur.

Quinto, adhuc isti blasphemi dicunt, quod tota Ecclesia simul juncta nullum hominem punire potest punitione coactiva, nisi concedat hoc imperator; quod utique doctrinæ evangelicæ noscitur obviare ; constat enim quod a Christo, Petro et in persona Petri Ecclesiæ, potestas coactiva concessa, vel saltem permissa exstitit. « *quodcunque ligaveris super terram,* » etc. (*Matth.* XVI, 19), *ligantur enim non solum voluntate, sed inviti.*

Adhuc constat, sicut ibi legitur in Matthæo, quod si aliquis damnum alicui indebite dederit, illudque ad mandatum Ecclesiæ noluerit emendare, quod Ecclesia per potestatem a Christo sibi concessam, ipsum ad hoc per excommunicationis sententiam compellere potest : quæ quidem potestas est utique coactiva.

Circa quod est advertendum, quod cum excommunicatio major, nedum excommunicatum a perceptione sacramentorum removeat, sed etiam a communione fidelium ipsum excommunicatum excludat, corporalis est a Christo coactio Ecclesiæ permissa; cum etiam secundum leges imperiales gravius reputetur inter homines conversari, ipsorumque privari suffragiis, quam ab hominibus separari, sequitur potestatem coactivam, non ab imperatore

terreno, sed ab ipso Christo fuisse originaliter Ecclesiam consecutam.

Præterea B. Petrus post ascensionem Domini, in personam Ananiæ et Saphiræ uxoris suæ, sine imperiali concessione aliqua, hac usus est potestate : in quos quia de pretio agri Deo oblato fraudaverant, mortis sententiam promulgavit : quæ quidem sententia non processit de ipsorum conjugum voluntate.

Item B. Paulus Elimam magum, Sergium Paulum a fide quærentem abducere, ad tempus luce corporali privavit. Illum quoque fornicatorem Corinthium in carnis interitum tradidit Satanæ, ut ejus spiritus salvus esset.

Item Corinthiis scribens idem Apostolus dixit : «Quid vultis? in virga ad vos veniam, an in charitate et in spiritu mansuetudinis?» (*I Cor.* 17, 21.) *In quo satis expresse coactivam potestatem supposuit se habere.*

Item scribens eisdem alibi dixit : « Arma militiæ nostræ non sunt carnalia, sed potentia Deo, id est a Deo concessa, destructionem munitionum consilia destruens, et omnem multitudinem extollentem se adversus scientiam Dei. Et sequitur : « In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam. » (*II Cor.* x, 4.) *Ex quibus patet Paulum, non ab imperatore, sed a Deo habuisse potestatem etiam coactivam; cujus contrarium blasphemi præsumunt dicere supradicti.*

Rursum advertant isti nequam homines, quomodo audent dicere, quod ab imperatore terreno Ecclesiarum prælati coactivam, vel aliam receperint originaliter potestatem, cum, ut supra dictum est, imperatores usque ad Constantinum III, fere omnes pagani fuerint seu idololatræ et persecutores, imo exterminatores, quantum fuit in eis, Ecclesiæ sanctæ Dei. Quomodo ergo illi talibus coactivam, vel aliam potestatem concederent, utique nullus sapiens credere debet.

Sequitur expressa condemnatio tum hujus, tum aliorum errorum his terminis :

Ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis, consolationemque fidelium et fidei catholicæ firmamentum, de fratrum nostrorum consilio, Dei invocato nomine, articulos prædictos videlicet..... « Quod Papa vel tota Ecclesia simul sumpta nullum hominem quantumcunque sceleratum potest punire punitione coactiva, nisi imperator daret eis auctoritatem; » velut sacræ Scripturæ contrarios, et fidei catholicæ inimicos, « hæreticos seu hæreticales et erroneos; » necnon *et prædictos Marsilium et Joannem hæreticos, imo hæresiarchos fore manifestos et notorios sententialiter declaramus.*

« Unde certum omnino est propositionem, qua Ecclesiæ denegatur potestas coercitiva, tanquam hæreticam fuisse jamdudum damnatam. »

2. Breve *ad assiduas* Benedicti XIV ad primatem, archiepiscopos et episcopos regni Poloniæ directum :

Licet universalis nostræ inquisitionis decreto die 5 Augusti anni 1753 edito, confixum damnatumque fuerit opusculum Gallice editum hoc titulo : « Principes sur l'essence, la distinction et les limites des deux puissances spirituelle et temporelle, ouvrage posthume du P. La Borde, de l'Oratoire ; » rursus tamen idem opusculum prodiisse, tam Gallico quam Polonico idiomate impressum nuper accepimus. Quod quidem vel ob solam ignorationem prælaudati decreti contigisse arbitramur, vel quod satis explorata atque comperta vobis non fuerint exitiosa ac perversa dogmata quæ in eo traduntur ; alioquin dubitare vix possumus de fraternitatum vestrarum zelo ac vigili studio, quo certe in fidelium manus non incidisset, si oculos judiciumque vestrum antea subiisset. Eo enim tendere ac collimare vidissetis exsecrandi fetus auctorem, ut collatam a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiæ suæ potestatem, non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio et salubribus pœnis coercendi atque cogendi, labefactet, convellat et prorsus eliminet ; ecclesiasticum ministerium ita sæculari dominationi subjiciens, ut ad hanc spectare pronuntiet, de externa omni et sensibili gubernatione cognoscere ac judicare. Pravum ac perniciosum systema, jampridem ab Apostolica sede, præsertim vero a Joanne XXII prædecessore nostro, constitutione incipiente « Licet juxta doctrinam, » reprobatum, ac pro hæretico expresse damnatum, fallacibus ratiunculis.... impudens scriptor obtrudit. »(*In Bullar. Benedict. XIV*, const. 44, tom. IV, p. 266, Romæ 1757.) Liquet ex hoc brevi dogmatico, non solum a Joanne XXII *expresse pro hæretico* damnatum fuisse systema quo vis coactiva Ecclesiæ denegatur, sed etiam eamdem damnationem fuisse a Benedicto XIV confirmatam. »

3. Bulla *Auctorem fidei* : inter propositiones synodi Pistoriensis in hac bulla condemna-

tas, occurrit et ista sub n° 4 : *Propositio affirmans « abusum fore auctoritatis Ecclesiæ, transferendo illum ultra limites doctrinæ ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde ;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis : » Quatenus indeterminatis illis verbis « extendendo ad res exteriores » notet velut abusum auctoritatis Ecclesiæ, usum ejus potestatis acceptæ a Deo, qua usi sunt et ipsimet apostoli in disciplina exteriore constituenda et sancienda, hæretica. Qua parte insinuat Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendæ aliter quam per media quæ pendent a persuasione ; quatenus intendat Ecclesiam non habere collatam sibi a Deo potestatem, non solum dirigendi per consilia, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus pœnis coercendi, atque cogendi ; inducens in systema alias damnatum ut hæreticum.*

4. In brevi dogmatico *Ad apostolicæ*, quo Pius IX, quem Deus sospitem servet, opera Joannis Nuytz damnavit die 22 Augusti 1851, inter reprobatas propositiones recensetur opinio qua asseritur *Ecclesiam vis inferendæ potestatem non habere, neque potestatem ullam directam vel indirectam.*

Ergo revera Ecclesiæ competere proprie dictam judiciariam potestatem exteriorem et vim coactivam, id est, exteriori judicio judicandi, cogendi et coercendi veram potestatem, non tantum est vera et certa doctrina, sed etiam multoties tanquam de fide expresse definita ; et de contraria opinione pariter expresse definitum est eam esse *hæreticam.*

PROPOSITIO SECUNDA.

Potestates ecclesiæ coercitiva intelligenda est non solum de pœnis spiritualibus, sed etiam de pœnis temporalibus et corporalibus.

Probatur I°, *ex antiqua disciplina pœnitentiæ publicæ,* qua certorum flagitiorum rei adigebantur ad pœnitentiam publicam agendam sub excommunicationis et expulsionis ab Ecclesia pœna, ut fatentur etiam adversarii.

II. *Ex antiquissimo carcerum ecclesiasticorum usu.* — A remotissima nempe antiquitate penes Ecclesiam fuisse carceres, qui *Decanicæ* vocabantur, probarunt eruditi, et ipsemet fatetur Gothofredus, comment. lib. XXX, *Codicis Theod. de hæreticis.* Auctor certe hac in re minime suspectus.

III°. *Ex virgarum pœna, quam ab antiquissimo ævo Ecclesia infligere solita fuit,* teste Augustino, epist. 132, n° 2, ad Marcellinum tribunum in qua hortatur ut verberibus duntaxat, non vero durioribus tormentis in Donatistas animadvertat, adnotat solitam fuisse verborum pœnam ab episcopis adhiberi. Et confirmatur ex concilio Agathensi, an. 506, can. 38 ; concilio Turonensi, an. 567, can. 20 ; concilio Narbonensi, an. 589, can. 12, etc.

IV°. *Ex antiquo usu pœnæ exsilii.* — In concilio Romano anni 503, ita decretum fuit : *Hi qui adversa eis moliuntur, sicut a sanctis Patribus dudum statutum est, et hodie synodali et apostolica auctoritate firmatur, penitus abjiciantur, et exsilio, suis omnibus sublatis, perpetuo tradantur* (LABBE, t. V, col. 504, edit. Venet.) Quod confirmatur conc. Aurelianensi, an. 541, can. 29 ; conc. Toletano, an. 681, can. 11.

V°. *Ex antiquo usu mulctas pecuniarias imponendi.* — « A primis temporibus reperimus id moris viguisse, ut Ecclesiæ prælati, delinquentes ad pœnitentiam publicam condemnando, sæpe ipsis injungerent notabilem pecuniæ summam pauperibus distribuendam. » (BIANCHI, *Politia della Chiesa,* lib. II, c. 4 § 9, n° 9, tom. IV, p. 697 ; et confirmatur conc. Carthag. an. 398, etc. — (*Vide* BENEDICT. XIV, *De synod. diœc.* lib. X, c. 9.

« Probatum ergo remanet Ecclesiam per sex priora sæcula temporales et corporales pœnas in emendationem delinquentium adhibuisse : quod autem ea praxis postea vigens pariter reperiatur, negat nullus. » (D. BOUIX, *De judiciis,* t. I, p. 59.)

VI°. *Ex conciliis œcumenicis.* — Concilium Lateranense III, anni 1179, in hæreticos pœnam privationis bonorum et servitutis decernit ; atque hæreticorum subditos ab obligatione fidelitatis absolvit. (*Concilia* MANSII, t. XX, p. 232.) Conc. Lateranense IV an. 1215 c. 3, *De hæreticis,* multas pœnas corporales et temporales contra hæreticos sancivit. — Concilium Lugdunense an. 1245, imperatorem Henricum II regno privavit, sententiam *auctoritate apostolica* pronuntiante Romano pontifice, et toto concilio, non tantum præsente, ut vult Bossuetius,

sed approbante. — Conc. Constantiense, sess. 15, prohibitionem quamdam sancit sub pœna excommunicationis et *carceris duorum mensium* in quoscunque, etiamsi reges fuerint. Item pœnas corporales et temporales decernit sess. 17, 31 et 37. — Conc. Tridentinum ita contra duellantes decrevit: *Qui vero pugnam commiserint et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis et omnium bonorum suorum proscriptione, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant; et ut homicidæ juxta sacros canones puniri debeant.* (Sess. 25, *De reform.* c. 19.)

Probatur VII. tandem ex dogmaticis definitionibus in præcedenti propositione relatis, ut videre est.

Atqui Ecclesia non potuit errare in sua praxi perpetua, in sanctionibus conciliorum œcumenicorum, in definitionibus dogmaticis de potestate sua coactiva etiam quoad pœnas temporales et corporales. Ergo hanc potestatem habet Ecclesia ex jure tum naturali, tum divino.

COROLLARIA.

I. Ex duabus superioribus propositionibus sequitur Ecclesiam habere judiciariam et coactivam potestatem non tantum a jure naturali, sed etiam ab ipso Christo et consequenter a jure positivo divino, uti clare reperitur in textibus sacræ Scripturæ allatis, et expresse definitur in definitionibus citatis. Ergo hanc potestatem non tenet Ecclesia a jure humano, nec ab ulla potestate temporali.

II. Potestas proprie dicta judiciaria exterior qua Ecclesia jure divino potitur, est a civili et sæculari potestate omnino independens, unde appellationes *ab abusu* dictæ, illicitæ, invalidæ et sacrilegæ sunt.

Judex ecclesiasticus sua potestate abuti potest vel injustam sententiam pronuntiando vel judicialem ordinem non servando. Si appellatio fiat ratione injustitiæ, vocatur *appellatio simplex*, et mera; si autem appellatio ob non servatum judiciorum ordinem interponatur, *appellatio tanquam ab abusu* nominatur. Inter utramque appellationem illud intercedit quod in priori appellatione princeps, sive judex laicus de re ecclesiastica cognoscit et judicat, an scilicet sententia cum sacris canonibus congruat, necne; in appellatione verum tanquam ab abusu, non de jure, sed de facto cognoscit, utrum ex. gr. ecclesiasticus judex legitimos testes et ipsos litigantes audierit, an sufficientem defensioni locum dederit, an denique in re quæ ad judiciorum ordinem pertineat potestate sua abusus sit. Præterea, articuli apud Gallias *organici* dicti, art. 6 et 7 multos alios casus appellationum ab abusu comprehenderunt, ita ut fere omnes materiæ ecclesiasticæ, jurisdictiones et potestates divinæ huic nefandæ servituti et sacrilegæ usurpationi obnoxiæ videantur et sint.

Atqui tamen potestas sæcularis nequit recipere nec *appellationes simplices* nec *appellationes* quascunque *tanquam ab abusu*.

Nam 1° judiciaria ecclesiatica potestas est supernaturalis, dum auctoritas civilis est naturalis. Porro supernaturale in nullo pendet a naturali aut ei subordinatum est, sed contra: ergo... Unde, ex dictis etiam alibi, potestas spiritualis judicat omnia, etiam potestatem civilem, ipsa vero a nemine judicatur. Ergo potestas ecclesiastica judiciaria est omnino et perfecte independens a sæculari.

2° Si potestas sæcularis nullo modo auctor est potestatis judicialis ecclesiæ, ut est de fide, nullomodo etiam se potest intromittere in usu hujus potestatis, ejusque abusus corrigere. Nam si judex inferior erraverit, seu abusus fuerit, a superiori emendabitur, ut postea videbimus, ubi de appellationibus ecclesiasticis quæ sunt remedium judiciorum ecclesiasticorum sanandorum. Si vero judex superior erraverit emendabitur a supremo; si supremus autem erraverit, tunc equidem judicialiter emendari intra Ecclesiam non poterit; verum nec magis extra per statum, qui omnino nullus est in hac parte.

3° Tunc appellantes, tum appellationes recipientes laici etiam principes supremi, crimen sacrilegii admittunt, quia jus Ecclesiæ divinum offendunt et violant. Ideoque excommunicationis majoris pontifici reservatæ pœnam incurrunt, ex bulla *Pastoralis* COENÆ (FERRAR. verb. *Pœna* art. 2, n. 56, 57 et 59; et BENEDICT. XIV const. *Pastoralis*, Mart. 1741.) Item omnes pœnas violantium immunitates ecclesiasticas incurrunt.

CAPUT III.

De materia et objecto judicii ecclesiastici.

§ I. — Quænam causæ ad forum ecclesiasticum pertineant.

Quatuor principia sunt ex quibus determinari debet quænam causæ ad forum ec-

clesiasticum pertineant et quænam ad forum sæculare.

I. « Ab omnibus admittendum est eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere quas ecclesia, sive per expressas definitiones sive per sufficientem suam praxim, declaraverit jurisdictioni suæ subjacere. » Et ratio est quod, quando Ecclesia aliquid in sua generali praxi et disciplina usurpat, hoc ipso id tanquam bonum, ac proinde tanquam nec fidei nec bonis moribus contrarium judicat, et publice proponit, et declarat; quia Ecclesia est infallibilis in doctrina fidei; morum et disciplina universali. Ergo quando Ecclesia definit certas causas jurisdictioni suæ subjacere, infallibilis est ejus definitio; ideoque omnes debent tanquam certum admittere eas causas ad forum ecclesiasticum pertinere, quas sibi subjacere Ecclesia definierit.

II. « Ad distinguendas proprias fori ecclesiastici et sæcularis causas, tuta regula sunt decreta pontificia et conciliorum, quæ hanc distinctionem clare enuntiant, et in generalem Ecclesiæ disciplinam seu legislationem transierunt. » Sequitur ex superius stabilito principio.

III. « Eæ causæ ad forum ecclesiasticum pertinere censendæ sunt, quas necesse est judici ecclesiastico, et non judici sæculari, subjacere, ut Ecclesia finem sibi proprium, salutem nempe animarum, convenienter attingere possit. » Patet ex eo quod qui vult finem, vult hoc ipso medio ad finem illum assequendum necessaria.

IV. « Ad forum ecclesiasticum pertinent eæ causæ quas illi tanquam proprias tribuunt communiter doctores catholici. » Quando enim omnes moraliter doctores catholici tanquam certum tenent et docent aliquid ad dogma pertinens, erronea esse nequit eorum doctrina.

Hujusmodi quatuor certissima principia a D. Bouix posita et probata sunt *De judiciis* t. I, peg. 68 et seq.

§ II. — De objecto in specie judiciariæ potestatis ecclesiasticæ.

1. Causæ *mere ecclesiasticæ*, seu *spirituales* sunt, quæ ex objecto suo sacræ sunt, seu quæ versantur circa rem sacram, et spiritualem. De his causis indubitata apud omnes tam catholicos quam heterodoxos sententia est, illos ad cognitionem judicis ecclesiastici, et quidem solius, laicis omnino exclusis, spectare. Constat ex pluribus textibus juris canonici, præcipue c. *Decernimus* 2, *De judiciis*; c. *Tuam* 3, *De ordin. cognit.*; c. *Lator* 5; et c. *Causam* 7, *Qui filii legit.*; c. *Ut inquisitionis* 18, *De hæreticis* in 6; c. *Si judex*; 12, *De sent. excom.* in 6.) Ratio est, quia rerum spiritualium, eisque annexarum cognitio judicialis, et auctoritativa, ac de iis dispositio est actus potestatis spiritualis: atqui hæc potestas a Christo concessa est Petro et ejus successoribus... Non vero principibus et judicibus laicis, quippe quos obsequendi magis necessitas monet, quam auctoritas imperandi, quando de rebus spiritualibus agitur. (C. *Bene quidem* 1, dist. 96; c. *Ecclesiæ* 10, *De constitut.*, et c. fin. *De reb. Eccl. non alienand.*)

Igitur et horum judicialis cognitio non ad laicos, sed Petrum, et Petri successores, ac eos, quos ipsi in partem curæ pastoralis assumunt, prælatos ecclesiasticos spectat. Proceditque hoc non tantum de iis causis, quæ ab intrinseco spirituales sunt, uti sunt quæ ad fidem, sacramenta et sacramentalia, absolutionem a votis, et juramentis, sacrificium, et ritus sacros, censuras et alias pœnas mere ecclesiasticas, aliaque his similia pertinent; sed etiam de iis, quæ intrinsece spirituales non sunt, sed spirituali tantum annexæ, quales sunt causæ redituum ecclesiasticorum, decimales, etc. Ratio est, quia magis dignum trahit ad se minus dignum;... et res temporalis desinit esse talis, quamprimum spirituali annexa fuerit, prout elucescit non tantum ex jure sacro can. *Si quis objecerit* 7, causa 1, quæst. 3 sed etiam ex jure profano, § *Sacræ* 8, *Inst. rer. div.* » (SCHMALZGR. tit. I, lib. II *Decretal.* n. 50.)

« Quando vero dubitatur an causa sit spiritualis, vel temporalis... dicendum hoc casu decisionem ad judicem ecclesiasticum pertinere... Ita receptissima traditio omnium. Sumitur clare ex c. *Si judex* 12, *De sent. exc.* in 6.) Ratio est quia judex sæcularis judicando de re spirituali excedit limites suæ potestatis; non excedit limites suæ potestatis judex ecclesiasticus judicando de re temporali, nam hic non est incapax jurisdictionis temporalis, sicut tamen ille est incapax jurisdictionis spiritualis. Atqui periculo sic excedendi limites potestatis suæ se objiceret judex sæcularis, si judicaret, quando dubium est, an causa sit spiritualis;

nam forte spiritualis est ergo. » (Id *ibid.* n. 55.)

II. *Causæ matrimoniales* fidelium omnes exclusive pertinent ad judicem ecclesiasticum. Sed ad rectam intelligentiam rei, distinguendum est cum Benedicto XIV, *De syn. diœc.*, lib. IX c. 3, ibi : « Tria sunt quippe causarum matrimonialium genera; aliquæ versantur circa initi conjugalis fœderis firmitatem, aliæ pertinent ad vim sponsalium, atque ad jus instituendi divortii quoad thorum et cohabitationem, aliæ demum sunt causæ quæ connexionem aliquam quidem habent cum matrimonio, verum de facto proprie matrimoniales, seu matrimonii inhærentes et intrinsecæ non sunt, verum extrinsecus ei accedunt, et res politicas et mere temporales directe atque immediate respiciunt. Hujusmodi sunt causæ de dote, donatione propter nuptias, alimentis et similibus; » ut hæreditates, sumptus, etc. Porro ex his variis causarum matrimonalium generibus duo priora solum vere et proprie matrimonialia sunt seu matrimonio intrinseca, adeoque ad forum ecclesiasticum spectantia, tertium vero secundum quid tantum et improprie, quia ei tantum extrinsecus accedit, unde foro sæculari dimittitur, ut ex communi doctorum sensu, ait Bened. XIV, loco cit. recte docent Bellarm., Tannerus, et Schmalzgr. loc. cit. n. 53 et 54.

Igitur omnia quæ sacramentale contractum respiciunt ad forum ecclesiasticum exclusive pertinent. Et est de fide ac per concilium Tridentinum definitum sess. 24, can. 12 : *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad judices ecclesiasticos, anathema sit.* Porro Pius VI in brevi dogmatico ad episcopum Motulensem reprobat falsas canonis Tridentini interpretationes, et declarat canonem 12 esse intelligendum quasi expresse haberet *causas omnes matrimoniales spectare ad solos judices ecclesiasticos.* Et confirmavit Pius IX in sua allocutione consistoriali, 27 Septembris 1852 inserta in publicatione periodica la *Civiltà cattolica*, n. 62, an. 3, tom. II, his verbis : *Omnino spectare ad Ecclesiæ potestatem ea omnia decernere quæ ad id matrimonium quovismodo possunt pertinere.* Et rursus ibidem : *Cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit... inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum; atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris præter sacramentum conjunctionem... nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum.* Unde concludendum est causas omnes matrimoniales esse spirituales et ecclesiasticas. Et plurimi auctores qui aliter opinati sunt, ab Ecclesia damnati fuerunt.

Causæ vero matrimoniales impropriæ dictæ seu tertii generis supra determinatæ circa res mere temporales, ad forum sæculare jure proprio pertinent. Quia, ait Schmalzgrueber, loc. cit. n. 53, hæc nihil spirituale continent. Et constat ex cap. *Causam* 7, *Qui filii sint legit.* lib. IV *Decretal.* ibi Alexander III episcopis committit judicium de valore matrimonii, quæstionem vero de possessionibus ad regem remittit.

Quod dictum est de causis proprie matrimonialibus intelligendum est tantum de matrimoniis fidelium; nam in causis matrimonialibus infidelium judex competens est solus judex sæcularis; quia eorum matrimonia sunt tantum contractus civilis : hinc princeps, in cujus jurisdictione consistunt, sicut aliis contractibus subditorum suorum, ita et matrimoniis infidelium sibi subjectorum leges ferre, iisque impedimenta tum dirimentia, tum impedientia potest statuere. » (Schmalzgr. *De judiciis*, n. 53.)

Quoad vero matrimonium fidelium, « ut ea quæ jure ecclesiastico de hoc statuta sunt, observentur, cogere subditos suos magistratus etiam sæcularis pœnas infligendo potest; quia juvare uterque magistratus se invicem debet, ut salva sint utriusque jura.

« Et hinc judex sæcularis 1° potest sponsos, de quibus constat quod valide contraxerint sponsalia compellere ad contrahendum matrimonium. — 2° Potest conjugem, quæ post contractum matrimonium a conjuge suo divertit, cogere, ut ad eumdem redeat, nisi apponat exceptionem nullitatis, vel causam legitimam faciendi divortium. — 3° Potest eos, qui matrimonium clandestine, et per consequens invalide contraxerunt, si constet contraxisse, punire. — 4° Potest adulterum punire non tantum pœna sanguinis, de qua certum est, cum eam judex ecclesiasticus non possit infligere, sed etiam alia arbitraria; quia adulterium est crimen misti fori... » (Id. *ibid.*)

III. *Causæ temporales spiritualibus annexæ*, ut dictum est supra, ad judicem ecclesiasticum spectant. Ideoque omnes causæ

beneficiales, decimales, et de oblationibus etc., nequeunt a judice sæculari cognosci et judicari. Unde certum est « judicem laicum principaliter, et per se de jure patronatus non posse cognoscere vel pronuntiare. (Constat ex cap. *Quanto* 3, *De judiciis.*) Ratio est: quia jus hoc vel secundum se, et ex objecto suo est spirituale, ut plures doctores putant, vel saltem est aliquid antecedenter annexum spirituali, cum ordinetur ad spiritualem beneficii collationem, vel institutionem præsentati... Atqui de connexis, et accessoriis idem debet esse judicium, ac dispositio. (C. *Translato* 3, *De constitut.*) Præterea jus patronatus est gratia ab Ecclesia concessa patrono, et quidem ita, ut in certis casibus, videlicet ob negligentiam patroni, ipsa defectum suppleat : ergo, etc. »

« Dixi *principaliter, et per se;* nam accessorie et secundario laicus judex de jure patronatus cognoscere et judicare potest, ut fieret, si judex sæcularis per sententiam condemnet possessorem castri alicujus, ut illud domino suo reddat una cum omnibus juribus ei annexis; nam si eidem annexum sit etiam jus patronatus ad certum, vel certa beneficia, etiam hoc cum cæteris vi talis sententiæ tradere possessor debet..... » (Schmalzgr. *De judiciis*, n. 51.)

IV « An laicus jure delegato possit de causis spiritualibus cognoscere? Resp. distinguendo : potest ex delegatione summi pontificis, ex ejusdem plenitudine potestatis; non vero ex delegatione alterius prælati ecclesiastici papa inferioris, quia inferior nequit id, quod jure superiori constitutum est, abrogare; atqui superiori jure, pontificio nempe, constitutum est, ne laici immisceant se negotiis spiritualibus... (Id. *ibid.* n. 56.)

V. *Causæ mere temporales* si agitentur inter clericos, vel saltem reus sit clericus, tractandæ sunt a judice ecclesiastico. (Schmalzgr. *ibid.* n. 57.) Et tit. II, *De foro competente*, n. 79 addit : « Generatim loquendo privilegio fori gaudent clerici in omnibus causis, in quibus non est exceptio, ita ut nullus judex sæcularis possit per se judicare, vel condemnare clericos, seu personas ecclesiasticas, nisi super hoc legitimam a pontifice aut episcopo licentiam et commissionem habeat, vel causæ genus exceptum sit. Patet ex cap. *Nullus* 2, *De foro compet.* ubi excommunicationis pœna infligitur contrarium attentantibus; idque merito; nam judex laicus, arrogans sibi potestatem in clericos, eosque ad tribunal suum trahens, judicans, et condemnans, irrogat injuriam Ecclesiæ, et sacrilegium facit, pœna utique non minore vindicandum. Estque hoc ita verum, ut neque consuetudo ulla, etiam immemorialis, potestatem istam concedere eidem possit : quia ejusmodi consuetudo est contra libertatem ecclesiasticam, et irrationabilis, atque invalida, cui sancti canones semper resistunt, ita ut nunquam possit præscribi. (Pirhing hic, n. 85; Engl. n. 49; et colligitur ex c. *Clerici* 8, *De judiciis.*) Proceditque hoc 1° sive causa sit criminalis, sive tantum civilis; nam in utraque causa clericus privilegio fori gaudet : in criminali quidem, cap. *At si clerici* 4; cap. *Clerici* 8; cap. *Cum non ab homine* 10, *De judic.;* cap. *Nullus* 2; cap. *Si diligenti* 12, *De foro compet.* et cap. unic. *De cleric. conjug.* in 6. In civili autem can. *Nullus* 6; can. *Inolita* 42; can. *Placet* 43, causa 11, quæst. 1; quibus consonant constitutiones imperiales : *Auth. Statuimus*, etc. cap. *De episc. et cler.* — Procedit 2°, etsi agatur in judicio possessorio tantum; nam quamvis ageretur de possessione facti tantum, adhuc tamen clericus coram judice laico conveniri nequit, si non propter qualitatem causæ, saltem propter qualitatem personæ rei, qui convenitur. Nam judex laicus ratione personæ incompetens est respectu clerici. — Procedit 3°, etsi liquidæ probationes dentur adversus clericum; nam adhuc sententiam ferre adversus eumdem judex sæcularis nequit; imo neque potest sententiam a judice ecclesiastico adversus ipsum latam exsequi, nisi de istius mandato; quia tam prolatio sententiæ, quam hujus exsecutio est actus judicialis, ad quem exercendum opus est jurisdictione in eum, in quem sententia lata est.

Dixi autem; *in quibus non est exceptio*, nam clerici coram judice sæculari conveniri possunt in pluribus casibus : 1. Si causa sit feudalis..... — 2. Si bona immobilia a principio ecclesiis, vel clericis donata sint cum reservatione jurisdictionis, sive cum pacto, vel conditione, ut sub eodem foro maneant, sub quo prius exsistebant; talis enim conditio, quippe justa, servanda est... — 3. Si agatur contra laicum ad evincendum ab ipso rem, quam emit a clerico; tum

enim clericus venditor, si laudatus ab emptore fuerit, ei assistere, et comparere debet etiam coram judice laico... — 4. Si clericus ratione officii alieno nomine conveniatur tanquam tutor, curator, vel procurator alicujus laici; tunc enim sortitur forum coram judice sæculari, sicut forum coram judice ecclesiastico sortitur laicus ratione administrationis rerum temporalium pertinentium ad Ecclesiam... — 5. Si clericus laicum conveniat coram judice laico; tunc enim poterit laicus eumdem clericum vicissim coram eodem judice in causa civili reconvenire...—6. Si clericus sit hæres laici, et lis cum defuncto jam fuit cœpta; quia judicium, ubi acceptum semel, ibi et finem accipere debet. »

Sed clerici et ecclesiæ sicut generatim nequeunt conveniri coram judice laico actione personali, nec etiam conveniri possunt actione reali super bonis, et rebus cæteris, quæ in dominio suo habent. Ita Schmalzgrueber. (*De foro competenti* n. 79 et seq.)

VI. Quinam vero gaudent privilegio fori, quinam hujusmodi privilegium amittunt, dictum est lib. VII, cap. I et V.

VII. Causæ mere temporales, etiamsi agitentur inter laicos, si judices sæculares tum inferiores tum superiores simul negligant justitiam administrare, ad forum ecclesiasticum legitime deferuntur, ut fuse probat D. Bouix, *De judiciis*, part. I, t. I, n. 90 et seq.; et Schmalzgrueber, tit. *De judiciis*, n. 58; ex decretali *Licet* 10, Innocentii III, tit. II, lib. II *Decretal.* Sed nunquam ad sæcularem potestatem pertinet ecclesiastici negligentiam supplere in causis ecclesiasticis. (C. *Qualiter* 17, *De judiciis*, lib. II *Decretal.* et bulla *Cœnæ*, et aliis multis universalibus decretis).

VIII. « An et quatenus causæ de publica juventutis educatione, necnon de ejusdem instructione, tum religiosa, tum etiam litteraria et scientifica, ad forum ecclesiasticum pertineant, » fuse exponit D. Bouix, *De judiciis*, part. I, tom. I, pag. 99 et seq. De qua materia satis diximus in lib. X, *De Magistris, scholis*, etc.

IX. *De causis foro sæculari propriis.* — « Omnes generaliter causæ mere temporales, præter illas quas modo excepimus et jurisdictioni ecclesiasticæ vindicavimus, ad forum sæculare pertinere certum est, tum ex jure divino, tum ex multis etiam juris ecclesiastici declarationibus, tum ex communi de hac re doctorum sententia. » (D. Bouix, *De judiciis*, t. I, p. 116, c. 8.)

§ III. — De causis mixti fori.

I. « Causæ *mixti fori* dicuntur, quæ in utroque foro, tam ecclesiastico scilicet quam civili, tractari possunt, ita ut præventioni locus sit. Ita desumitur ex canone *Sunt quædam*, causa 23, quæst. 5, et cap. 1, *De officio ordinar...* Dantur etenim aliquæ causæ, quæ licet ex se et ex natura sua sæculares sint, nihilominus propter certam adjunctam qualitatem spiritualem etiam respiciunt forum ecclesiasticum, aut e contra: ac proin, sic suadente æquitate canonica, lege, seu consuetudine, in utroque foro agitari possunt; ita tamen ut qui prævenit, ab altero impediri amplius in judicando non possit. » (Reiffenstuel, in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 151; et Schmalzgr. *ibid.* tit. I *De judiciis*, n. 61.)

II. « Sunt autem causæ istæ aliæ *civiles*, aliæ *criminales*. »

III. « Causæ civiles mixti fori perhibentur quæ quidem originaliter sunt *sæculares*, propter certam tamen qualitatem spiritualem habent respectum ad forum ecclesiasticum; vel quæ originaliter sunt *ecclesiasticæ*, propter qualitatem temporalem adjunctam, etiam ad forum sæculare respiciunt. Res tota magis exemplis quam certa definitione demonstrari potest.

« Ita contractus inter laicos initi, originaliter quidem sunt de foro sæculari. Sin autem *juramentum* accesserit, propter istam qualitatem spiritualem juramenti, fiunt mixtæ jurisdictionis; intellige quoad exsecutionem contractus jurati: nam si de *valore* juramenti quæratur, cognitio *privative* ad ecclesiasticum judicem pertinebit. » (C. *Licet mulieres* 2, *De jure jurando*, in 6; c. *Novit* 13, *De judiciis*; c. ultimo *De foro compet.* in 6; c. *Quamvis, De pactis* in 6.)

« Ita testamenta laicorum etiam originaliter ad forum sæculare spectant; si tamen legata ad *pias causas* inserta sint, quantum ad ista legata eorumque exsecutionem efficiuntur mixti fori. » (*Trident.* sess. 22, cap. 8, *De reform.*)

« Ita causæ *decimarum*, *juris patronatus*, etc., originaliter ecclesiasticæ sunt: si tamen in hujusmodi causis super nuda possessione et instantia juris ecclesiastici agatur,

et quæratur quis in possessione decimarum vel juris patronatus sit, si laicus decimas solvere recuset, tunc etiam ex communi sententia, maxime de consuetudine, judex sæcularis cognoscere poterit; quia possessio seu nuda instantia, cum sit facti, temporalis censeri potest, dummodo actio contra laicum instituatur. »

IV. « De *miserabilibus personis* dubitatur an causæ illarum sint mixti fori? Dicuntur autem *miserabiles personæ*, quæ aliqua commiseratione dignæ sunt, ut viduæ, pupilli, peregrini, pauperes, captivi, oppressi et similes. Sane pro affirmativa sine distinctione tenenda faciunt diversi juris canonici textus. (C. *Ex parte* 15, *De foro compet.*; c. *Nuper* 6, *De don. inter vir. et uxor;* c. *Super quibusdam* 26, in fin. *De verborum signific.*) Verum consuetudini et stylo judiciorum, teste Covarruvia, conformior est illa opinio, quod tunc demum causæ miserabilium personarum ad forum ecclesiasticum spectent, si judex sæcularis in administranda justitia negligens fuerit. » (Eng., in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 67.)

V. « Causæ *criminales mixti fori* dicuntur illæ quæ versantur circa crimina, a jure tum canonico, tum civili prohibita ac punienda. Cujusmodi sunt homicidium, adulterium, incestus, sodomia, perjurium, sacrilegium, blasphemia, sortilegium, divinatio, magia, et hujusmodi. Si quidem ex una parte ad Ecclesiam pertinet de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum. (c. *Novit* 13, § *Cum enim, De judiciis.*) Unde præsertim in lib. V *Decretalium* de variis criminibus per Ecclesiam puniendis tractatur. Ex altera vero parte hodie *pleraque* crimina puniuntur in foro sæculari...; sicque de facto, si non omnia, saltem pleraque crimina quoad pœnam irrogandam sunt mixti fori : quanquam de consuetudine plerumque Ecclesia punitionem criminum inter laicos commissorum relinquat sæculari. »

« Additur hic notanter *saltem pleraque crimina :* quia hinc excipi debet *crimen hæresis*, utpote quod est mere ecclesiasticum. (C. *Inquisitionis, De hæreticis* in 6.) Ac proinde respectus ejus solus judex ecclesiasticus, non autem sæcularis, etiam inter laicos est competens. Quamvis sæculares principes, potestates ac rectores locorum, ad commonitionem et requisitionem episcoporum, teneantur fideliter atque efficaciter Ecclesiam contra hæreticos eorumque fautores adjuvare ac defendere, juxta officium et posse suum. » (C. *Ad abolendam*, et c. *Excommunicamus*, *De hæreticis.*

« Similiter, quod *simonia* sit crimen mere ecclesiasticum, atque ideo judex sæcularis non possit aliquo modo se de eo intromittere, neque cognoscere, tenet Abbas... Clarus... Farinacius...., citans doctores communiter. Et merito. » (Reiffenst. in tit. II, lib. II *Decret.* n. 158 : *vide* etiam Schmalzgr. in tit. I, *De judiciis.* lib. II *Decretal.* n. 62 et seqq.)

CAPUT IV.

De judicibus ecclesiasticis, et eorum qualitatibus atque obligationibus.

Ut jam dictum est, de jure naturali tres saltem personæ in judicio requiruntur, scilicet judex, actor et reus. Agemus igitur in hoc capite, *De judice*, seu de variis judicum ecclesiasticorum speciebus, et de qualitatibus et obligationibus eorum.

§ I. — De variis personis quæ constituunt judicium.

I. *Principales personæ.* — *Judex*, sic appellatus, quod *jus dicat*, est persona, quæ publica auctoritate judicio præest, et quasi mediatorem agit inter litigantes, rem controversam secundum juris præscriptum decidendo

« *Actor* ab *agendo* dictus, est is, qui actionem proposuit, et prior ad judicium provocat. Hic in causis criminalibus proprie accusator vocatur.

« *Reus*, ita appellatus à *re*, seu causa, et controversia, quæ ipsi movetur, est, qui ab actore in jus vocatus, ejus actionem propulsando, se defendit.

II. « *Personæ quæ in judicio interveniunt minus principaliter*, duplicis maxime classis sunt. Nam aliquæ interveniunt ad adjuvandos litigantes, ut sunt advocati, procuratores, testes, etc. Aliæ ad adjuvandum judicem, quod triplici modo fieri potest : 1. *Consultando*, ut faciunt assessores et consiliarii. 2. *Acta* judicii conscribendo, ut tabelliones seu notarii. 3 *Exsequendo, quod judex imperat*, ut apparitores, executores, cursores, sive nuntii, et viatores, quibus personarum citationes, denuntiationes, incarcerationes, custodia, aliæque

hujusmodi executiones expediendæ committuntur. »

De quibus aliquid exponi necesse est, et primo de judicibus.

§ II. — De judicibus ecclesiasticis variis.

Judices ecclesiastici in varias species distingui possunt :

I. Judices *ex jure divino*, et judices *ex jure ecclesiastico*. Supremus in universa Ecclesia judex, ab ipso Christo institutus est Romanus pontifex; ideoque, ut est definitum a conciliis œcumenicis, ad papam pertinet omnes et omnia in Ecclesia potestate ordinaria judicare; ad eum appellari potest ex toto orbe; sed a sententiis ejus nequit appellari, siquidem judicium ejus omnes causas definit et terminat. Nemoque in terra potest reformare judicia summi pontificis nisi ipsemet pontifex.

Item jure divino judices sunt episcopi, quatenus collegialiter cum capite suo Romano pontifice sumpti; ut alibi probavimus

Utrum vero particularis etiam judicandi potestas, quam quisque episcopus in sua diœcesi exercet, divino juri adcensenda sit, ita ut illam immediate a Christo habeat, et non tantum a papa, est quæstio aliquatenus adhuc apud doctores controversa, et nondum expresse definita. Alibi probavimus episcopos omnes suas potestates ab ipso Christo per sacramentum accipere, sed missionem necessariam ad potestates explicandas ipsismet dari a pontifice supremo. Unde dicendum est quod unusquisque episcopus judiciariam potestatem habet immediate a Christo, sed nequit eamdem exercere nisi ex missione quam immediate a solo Romano pontifice accipit.

Cæteri vero, præter memoratos, ecclesiastici judices, ex juris canonici dispositione instituti censendi sunt, quod extra omnem controversiam est.

II. Distingui possunt *in judices singulares*, et *judices collectivos*. Judices singulares ita judicialem potestatem possident, ut unusquisque solus eam exercere valeat. Sic v. gr. judices sunt summus pontifex relative ad universam Ecclesiam, et quilibet episcopus in sua diœcesi. Judices collectivi non possident judicialem potestatem uti singuli, sed quatenus collecti, seu cum aliis simul judicantes, et proinde ipsum collegium est verus judex; tales sunt Romanæ congregationes cardinalium, quando judicialiter procedunt, et judices omnes qui plures delegantur ut collegialiter causas dirimant.

III. Distinguuntur *in ordinarios* et *delegatos*. Ordinarii dicuntur ii omnes qui potestatem judicandi habent ex jure sive divino sive ecclesiastico muneri suo annexam; delegati, qui eam accipiunt ab homine, id est, ex speciali mandato principis vel alterius ordinarii, delegandi facultatem habentis. Notandum autem est judices ordinarios duplicis esse generis; sunt enim qui ita jurisdictionem habent a jure suo officio annexam, ut eam aliis delegare queant; qualis est, v. gr. summus pontifex, episcopus, et prælatus quasi episcopalem jurisdictionem habens : et sunt qui, licet potestatem judicialem pariter ex vi legis et ex officio habeant, eam tamen delegare nequeunt nisi partialiter et pro certis casibus; v. gr. vicarius generalis episcopi. Priores stricto sensu ordinarii sunt : posteriores minus stricto sensu; quia ideo tantum ordinarii vocantur, ut intelligatur eos deputari ab ipsa lege ecclesiastica; ad distinctionem aliorum qui delegantur per speciale mandatum seu ab homine

IV. In *competentes* et *incompetentes*. « Competens dicitur judex relative ad aliquam causam definiendam, quando illa causa ipsius jurisdictioni subjacet, et aliunde non adsunt certæ circumstantiæ, in quibus judices a lege prohibentur ne de causa (quantumvis eorum jurisdictioni subjecta) cognoscant et pronuntient. Incompetens est judex, quando vel ipsius jurisdictio ad causam sese non extendit, vel intervenit aliqua ex prædictis circumstantiis, in quibus lege cautum est, ut nullius valoris sit judicis sententia. »

V. « In judices *proprie dictos* et in *arbitros*. »

VI. « Iterum distingui possunt judices juxta œconomiam qua reperiuntur in Ecclesia constituti, id est, juxta varios potestatis judicialis gradus qui ipsis competunt. Et sic 1° occurrit summus pontifex universalem quoad materias et personas, seu quoad causas ecclesiasticas omnes, jurisdictionem jure divino habens; 2° patriarcha pro causis quæ ipsius patriarchali potestati subjectæ sunt; 3° primas item quoad causas primatiali tribunali attributas; 4° metropolitanus, in iis

quæ a metropolitana jurisdictione pendent; 5° episcopus pro causis ad quas sese extendit episcopalis jurisdictio; 6° prælatus jurisdictionem quasi episcopalem habens, item in sphæra quæ ipsi competit. »

« Præter prædicta tribunalia ecclesiastica, alia intermedia regulariter seu modo stabili constituta sunt, et alia possunt extraordinarie constitui. Nempe 1° congregationes cardinalium et alia quædam tribunalia Romana, quibus sedes apostolica in certas materias judicialem, eamque ordinariam, potestatem contulit; 2° legati, nuntii, et visitatores apostolici, qui pariter ordinariam jurisdicundi potestatem habent in regionibus, in quibus ut tales constituuntur; 3° judices synodales, qui in hunc finem eliguntur in qualibet diœcesi, ut iis sedes apostolica possit causas in partibus excutiendas committere; 4° alii a sede apostolica ad aliquam particularem causam judicandam judices extraordinarie deputati; 5° vicarius episcopi, qui ex officio habet ordinariam jurisdicundi potestatem, ita tamen episcopo subjectam ut possit episcopus intra certos limites eam coarctare; 6° alii judices quos extraordinarie et pro certis determinatis causis constituere potest episcopus, aliusve prælatus delegandi potestate pollens. »

VII. « Relative ad appellationes, judex alius dicitur *a quo*, id est, a cujus sententia appellatur; et alius *ad quem*, id est, ad cujus tribunal fit appellatio. » (D. Bouix, *De judiciis*, pars I, t. I, pag. 121 et seq.)

§ III. — De qualitatibus requisitis ut judex valide judicare possit.

I. *Ut judex causam valide judicet, debet esse competens.* — Certum est ut judex cognoscere, et judicare de causa aliqua possit, necesse esse ut illa sit sui fori, id est ut illi quos judicat, sint subditi illius jurisdictioni, et causa supra quam fert judicium sit materia sui tribunalis; aliter ejus sententia esset injusta, quia injuste sibi usurparet potestatem, quam non habet in non suos subditos. C. *Ea quæ* 26, *De regulis juris*, in 6, ibi : *Ea quæ fiunt a judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.* Hinc nec judex ecclesiasticus causam præcise politicam, et civilem, nec judex sæcularis causam ecclesiasticam cognoscere et judicare potest. Papa autem est jure divino competens pro omnibus omnino causis ecclesiasticis in universo orbe. Alii judices ecclesiastici, inferiores papa, sunt tantum in territorio suæ jurisdictioni subjecto competentes, sed non pro omnibus causis, quia sunt causæ summo pontifici reservatæ vel tanquam majores, vel ratione exemptionis, vel alia ratione. Item sunt causæ ex jure episcopo diœcesano reservatæ, pro quibus non est competens vicarius generalis ex suo officio. Hinc judices qui, in hujusmodi causis pro quibus competentia carent, judicant, injuste et invalide pronuntiant.

II. *Nemo potest esse judex, vel assessor in causa, in qua advocatum egit* (etiamsi causa esset sui fori). C. *Nullus unquam* 1, et c. *Nullus introducatur* 2, causa 4, quæst. 4. « Ratio est quia de improbitate merito suspectum se reddit is, qui judicare, vel judicanti assistere vult in causa, cujus ante defensionem suscepit; neque enim præsumi potest pronuntiaturus, aut suasurus adversus ea, quæ ante tanquam justa defendit. » Schmalzgr. *De judiciis*, n. 17; Ferrar. verb. *Judex*, n. 50.) Et hæc regula videtur ad jus naturale ascribenda, unde nequit abrogari.

III. *Valide pronuntiare nequit judex, qui consimilem ipse causam, tanquam actor vel reus habet.* — Ex decretali Innocentii III, cap. 18, tit. I, lib. II *Decretal.* et ex jure naturali firmari potest, ut satis ostendunt rationes quas sic exponit Schmalzgrueber, in tit. I, *De judiciis*, lib. II *Decretal.* n. 17 : « Non admittitur tanquam judex ordinarius, vel delegatus ad tractationem causæ, cui consimilem habet ipse tanquam actor, vel reus. (C. *Causam* 18, *De judiciis.*) Ratio est quia merito præsumitur, judicem in causa, suæ cognitioni commissa, ita judicaturum, sicut ab aliis judicari vellet in consimili sua; et quod tanquam pars litigans æquum justumque existimat in sua, id æquum justumque judicaturum in causa aliena, ne sibi contradicat, et alio jure videatur uti in alium, quam quo jure utitur in seipsum. »

IV. *Ex evidenti jure naturali nemo regulariter in propria causa judex esse potest.* — « Multominus, pergit Schmalzgrueber, *ibid.*, regulariter potest aliquis esse judex in causa propria, seu tali, cujus emolumentum vel damnum ad ipsum suo nomine pertinet; nam in hoc casu multo major est suspicio affectionis erga causam, et inde consurgens periculum insinceri judicii. »

V. *Dantur tamen ad prædictam regulam*

aliquæ exceptiones. — « Distinguendum tamen est, ait Schmalzgrueber, *ibid.*, inter judicem, qui superiorem non recognoscit, et inter judicem inferiorem. Et hinc, n. 18, dub. 1, an princeps, seu judex supremus, superiorem non recognoscens, uti est papa, imperator, vel rex, in causa propria, sive quæ vertitur inter ipsum et subditos, judex esse possit? Negativa videtur colligi ex c. *Forus* 10, *De verbor. signif.* lib. v *Decretal.*, ubi ad judicii substantiam requiruntur tres personæ, judex, actor, et reus; casu autem, quo princeps de causa inter se et subditum suum controversa cognosceret, præter ipsum et collitigantem subditum nemo interveniret. Ergo, etc. Sed tenenda est affirmativa sententia. Ita glossa in c. *Cum venissent* 12, verb. *Judicari*, *De judiciis*. Abbas, *ibi;* Decius, Layman, Barbosa, Pirhing, Wiest, n. 73, qui tamen n. 74 cum aliis citatis monet, tali casu consultius et juri naturali conformius acturos principes, et similes magistratus supremos, si vel arbitris causas, inter se et subditos controversas, decidendas committant, vel judices ordinarios, aut delegatos constituant, qui jus inter ipsos et subditos dicant, juxta l. *Si adversus* 2, c. *Si adversus fisc.* et praxim modernam, qua lites eorum fiscales cognoscuntur et terminantur ab iis, qui cameræ, seu fisco principis præsident. »

Cum quæstio ista circa jus naturale versetur, sententia quam cum aliis defendit Wiestner videtur probabilior et amplexanda in rebus temporalibus; nam in spiritualibus non est idem. Unde discutienda est sententia Schmalzgrueber et aliorum : « Cæterum, ait *ibid.*, responsio (supra) multiplici probari argumento potest : 1° Ex cap. *Cum venissent* 12, *De judiciis*, ubi cognitio quæstionis super sedis apostolicæ privilegiis orta, denegetur judicibus summa illa sede inferioribus. » Hoc non probat pro rebus temporalibus, sed tantum pro *privilegiis sanctæ sedis*, quæ cum sint de jure divino spiritualia sunt, ideoque sola sedes apostolica est de jure divino competens de suis privilegiis supreme judicandis. Ergo argumentum ex c. *Cum venissent* non valet; siquidem jura concordare debent; at vero in causis temporalibus propriis inter sanctam sedem et suos subditos exortis, has aliis dijudicandas committit pontifex, ut in cap. *Nos si incompetenter* 41, causa 2, quæst. 7, ubi Leo papa in præsentia legatorum imperatoris causam inter se et subditos examinari voluerit; idem Nicolaus papa imperatori. Et cap. *Innotuit* 1, tit. xxvi *De maledicis*, lib. v *Decretal.*, ubi Clemens III maledicentem papæ remittit inferioribus judicibus puniendum, ut alii deinceps deterreantur, et ipse arceatur. Ergo in temporalibus et personalibus causis inter ipsum papam et subditos, sancta sedes remittit judicium aliis judicibus. Ergo non idem dicendum est de privilegiis jure divino sanctæ sedi pertinentibus, et de causis mere temporalibus.

Alia argumenta non sunt majoris valoris; pergit Schmalzgrueber. « 2° Ex l. *Et hoc* 41, junct. glossa marg. ff. *De hær. instit.*, ubi imperator Tiberius in causa propria sententiam dixit, jubens, ut hæreditas servo, qui putabatur esse ingenuus, relicta divideretur inter ipsum Cæsarem, et substitutum servo ipsius. » Patet hic Tiberium, sicut leonem fabulæ, judicasse in suum commodum, non vero probatur justam sententiam dixisse. Ergo argumentum non probat. — « 3° Ait Schmalzgrueber ex l. unic. c. *Si quis imper. maledix.*, ubi decernitur, ut is, qui animo injuriandi maledixerit principi, ad ipsum remittatur, ut cognoscat de injuria sibi illata an maledicens ad pœnam trahi, an vero maledictum dissimulando prætermitti debeat.» Sed contra est cap. *Innotuit* supra cit. Aliunde ex verbis ipsis auctoris non agitur præcise de judicio faciendo, sed tantum utrum fieri debeat judicium.

Unde cum Wiestner et aliis dicendum est « consultius et juri naturali conformius acturos principes, et similes magistratus supremos, si vel arbitris causas temporales et personales, inter se et subditos controversas, decidendas committant, vel judices ordinarios, aut delegatos constituant, qui jus inter ipsos et subditos suos dicant. »

VI. « Dub. 2. An judex papa, vel principe inferior possit in causa propria judicare, vel jus sibi ipsi dicere? Resp. regulariter non posse. Ita Abbas, etc.; et sumitur ex can. *Inter querelas* 27, junct. gloss. v. *Propriæ*, causa 23, quæst. 4... Ratio est, quia in propria causa jus dicens, propter naturalem affectionem ad eam, merito est suspectus, nisi suspicionem hanc purget dignitas, uti purgat in judice supremo. Proceditque hoc etiam de arbitro, ita quidem, ut non tantum sententia judicis, sed etiam arbitrium in pro-

pria causa prolatum invalidum sit, ut habetur l. *Si de re sua* 51, ff. *De recept.*, *qui arbitr...* »

« Dixi autem *regulariter;* nam plures sunt casus quibus inferior judex legitime procedit in causa, quæ ipsiusmet est, aut esse videri potest. Veluti 1° in iis, quæ sunt jurisdictionis voluntariæ; nam in his, ut quis publicam simul, et privatam sustineat, permittunt jura, ut patet ex l. *Si consul.* 3, ff. *De adoption.*; et l. *Apud filium* f. 18, ff. *De manum vindict.*, ubi statuitur emancipari, et in adoptionem dari aliquem apud seipsum posse. Excipiuntur ii actus, qui specialem causæ cognitionem exposcunt, qualis est confirmatio donationis excedentis 500 solidos.

2° Si factum, ex. gr. injuria, ipsi judici illata, sit notoria : ubi tamen quoad irrogationem pœnæ est distinguendum, an injuria illata sit judici qui talis, an qua talis est.— Si *primum,* decernere in injuriantem potest vel ordinariam, si talis legibus, aut consuetudine taxata sit; vel si taxata non sit, arbitrariam, modo illa non ad vindictam privatam, et interesse ipsius judicis, sed ad publicam sit inferenda... Ratio est quia, cum talis injuria respiciat non tam personam, quam officium et potestatem judicis, judex in ea judicans magis alienam causam, quam propriam tractasse censetur. — Si *secundum,* arbitrariam quidem irrogare non potest, quia esset judex in causa propria; potest tamen eam, quæ lege, vel consuetudine taxata est... Ratio est quia, cum hujusmodi pœnam in se notorie delinquenti infligit, reipsa potius exsecutor juris, quam judex est; adeoque causa suspicionis cessat. »

« Episcopus, vel alius similis prælatus judicare potest in causa suæ Ecclesiæ; ubi tamen est distinguendum, an causa directe et principaliter spectet ad ipsam Ecclesiam, et dignitatem episcopalem, an ad episcopi ipsius, eique similis prælati personam. — Si *primum,* potest episcopus in ea causa esse judex, ut recte glossa in c. *Romana* 1, v. *Punire, De pœnis* in 6; Abb... et alii... Notant tamen doctores cit. eumdem hoc casu recusari posse a partibus, tanquam suspectum; ob præsumptionem singularis affectionis erga suam ecclesiam. — Si *secundum,* non potest esse judex, ut cum Abb. in c. 12, cit. n. 9, cæteri supra relati. Ratio disparitatis est, quia quando emolumentum, vel damnum causæ ad prælatum sub nomine, censetur jus dicere in causa propria, in aliena autem, quando jus dicit in causa, quæ principaliter ad Ecclesiam suam spectat. »

VII. Excipitur tertio : « In causa competentiæ, sive quando judex rationabiliter dubitat, an jurisdictio, quam habet, se extendat ad causam perlatam ad suum tribunal ; nam de hac cognoscere judex ipse, qui dubitat, potest. (Glossa. in l. *Si quis* 5, v. *Æstimare*, ff. *De judiciis*, Felin.... etc.) Et aperte constat ex l. *Quacunque* 2, ff. *Si quis in jus*, etc. ; et l. *Si quis* cit., ubi dicitur : *prætoris est æstimare, an sua sit jurisdictio.)* Ratio est quia hujusmodi causa, licet propriæ similis sit, revera tamen non est propria, cum ejus commodum et utilitas ad judicem non pertineat. Accedit quia prævia ejusmodi cognitio necessaria est ; ut judicandi munere rite fungi judex possit. Procedit autem hoc regulariter ; nam triplici casu cognoscere de jurisdictione in controversiam tracta, an sua sit, nequit, 1° quando objicitur defectus sugillans personam ejusdem, v. gr. quod sit excommunicatus, infamis, jurisdictionis incapax ; 2° quando recusatur ut suspectus, nisi exceptio suspicionis sit frivola ; 3° si judex, cujus jurisdictio dubia est, ex causæ cognitione notabile emolumentum ex. gr. magnæ quantitatis sportulas percepturus est. » (Schmalzgr. *De judiciis* n. 19)

VIII. « Judex, licet aliunde competens, non potest judicare quando recusatur tanquam suspectus, nisi suspicio sit frivola ; ad ipsum vero pertinet judicare utrum frivola sit necne. » Extra controversiam.

IX. Judicare valide non potest judex excommunicatus, vel qui infamiam contraxit.

X. Necesse est ut saltem errore probabili, communi et publico judex existimetur habere jurisdictionem. — Quod sic exponit Schmalzgr. *ibid.* n. 20 et seq. : « An acta judicii, et sententia lata a judice solum existimato, sive qui jurisdictione caret, vel ea quam habet, quacunque ex causa excidit valida sint? videtur tenenda sententia negativa ob sequentes rationes..... (quas exponit) .... Sed his non obstantibus, omnino tenendum est,

quod acta et sententiæ pronuntiatæ a judice, qui revera non est judex, si probabili, et publico, seu communi populi errore talis esse existimatur, sint valida. (Ita communiter doctores.) Sumitur ex l. *Barbarius* 3, ff. *De offic. prætor.*, quæ lex suo modo canonizata videtur c. *Infamis* 1, § *Verum tamen*, causa 3, quæst. 7, ubi pronuntiatur firmitatem rei judicatæ tenere sententiam, pronuntiatam a servo, qui cum putaretur liber, jurisdictionem delegatam accepit.... Ratione, quia tali casu resp. vel Ecclesia propter utilitatem publicam supplet defectum jurisdictionis necessariæ ad valorem actorum, et sententiarum judicialium, atque ipsarum etiam absolutionum sacramentalium.

« Dixi autem *probabili errore*; aliud esset, si gesta essent a judice existimato per crassum, et supinum, aut ex liquidi et manifesti juris ignorantia provenientem errorem; qualis esset, si is, qui sententiam protulit, in eo loco, ubi protulit, publice damnatus vel denuntiatus esset de aliquo impedimento, ob quod incapax esset officii judicis, nam talis error vel ignorantia scientiæ æquiparatur, cons. vitium sententiam dicentis non tollit. ..Addidi *communi errore et publico*; non enim sufficit unius, vel alterius, aut paucorum error; sed debet esse communis, cui necesse sit subvenire, supplendo defectum jurisdictionis.... Ratio est, quia suppletur ob utilitatem publicam. Erit autem communis error, si impedimentum, quo laborat judex, saltem in eo loco, ubi judicii acta exercentur, occultum sit, licet publicum sit in alio loco, præsertim ita distante, ut ejus notitia veresimiliter ad locum, in quo impedimentum occultum est, pervenire non possit.... imo talis error habendus est, etsi in eodem loco ubi judex pronuntiat, impedimentum publicum fuerit, si tantum temporis intercesserit, ut jam ab hominum memoria lapsum sit, et communiter nunc ignoretur.

An ad hoc, ut gesta ab existimato judice utroque foro sint valida, necessarius sit titulus coloratus, seu a legitimo superiore, quamvis invalide, collatus, aut valide quidem collatus, sed postea exstinctus? Affirmant Innoc. Joan Andr. Abb. et alii; sed tenenda sententia est negativa, quam etiam defendunt Abbas et multi...

Dub. 5. In quibus casibus procedat doctrina hactenus tradita? — Resp. Procedit in pluribus casibus maxime in sex sequentibus. 1. Valent acta episcopi, vel alterius prælati, cujus electio propter quodcunque juris humani impedimentum fuit nulla, si ejus nullitas publice ignoretur. — 2. Valent absolutiones collatæ a sacerdote, et coram eo celebrata matrimonia, etsi vere parochus non sit, quia vel intrusus, vel ad animarum curam ab episcopo non approbatus; modo pro legitimo parocho communiter sit habitus. — 3. Eadem acta, sententiæ et absolutiones subsistunt, quantumvis episcopus, vel alius prælatus excommunicatus, suspensus, vel jurisdictione, et ipsa prælatura, et beneficio, vel officio privatus fuisset, modo communi errore existimetur adhuc præditus jurisdictione sufficienti. — 4. Ea ipsa valebunt, quantumvis impedimentum unus vel alter sciverit, modo ii a quibus gesta sunt pro veris judicibus communi errore sint habiti; quia leges non privatam, sed communem æstimationem attendunt. — 5. Imo valori a se actorum non obierit mala fides ipsius judicis, parochi, aut confessarii, scientis se carere jurisdictione, modo communi errore existimentur hac præditi; quia beneficium non est datum in favorem judicis, sed boni publici, quod plurimum pateretur, si stante communi errore, valori actuum obesset mala fides judicis, etc. — 6. Denique eadem acta valent, etsi una vel utraque pars sciat judicem coram quo agunt, aut parochum, coram quo contrahunt matrimonium, legitima potestate instructum non esse, modo communiter habeatur pro vero judice, aut vero parocho, ob eamdem rationem. Excipitur absolutio sacramentalis; hanc enim si quis extra mortis articulum peteret a sacerdote, qui communiter creditur sufficienti jurisdictione instructus, sed quem ipse scit ea instructum non esse, non absolveretur valide, non quidem ex defectu jurisdictionis in absolvente (quia istam ei hoc casu dat Ecclesia defectum supplens ob errorem communem), sed quia peccaminosa sua petitione, et inde orta indisposi-

tione, obicem ponit validæ administrationi sacramenti. »

§ IV. — De generalibus quibusdam judicis obligationibus.

I. *De scientia in judice requisita.* — Judex carens debita scientia, et ex culpabili ignorantia male judicans, peccat mortaliter, et tenetur ad restitutionem totius damni causati parti læsæ, sive in substantia litis, sive in superfluis expensis. (Communis, teste cardin. de Lugo tom. II, disp. 37, n. 1.) Judex agnoscens errorem a se, quamvis sine gravi culpa, commissum in præjudicium litigantis, tenetur, si potest citra suam infamiam, impedire errorem, monendo verbi gratia occulte partem læsam ut sibi appellatione, vel alio simili remedio consulat, quia hoc pertinet ad debitam sui muneris exsecutionem, et quia alioquin, si, dum potest, non impedit suum errorem, imputabitur jam ei quasi conservanti id quod propter inadvertentiam inculpabilem prius non imputabatur. (Lugo loc. cit. num. 3, *De testibus cogendis.*) Judex carens necessaria scientia ad suum officium non potest absolvi, nisi facta renuntiatione officii, vel nisi firme proponat renuntiare, quia nemo potest retinere officium cujus munia obire non potest nisi cum damno vel periculo proximi. (S. Thom. 2-2, quæst. 76, art. 2; Farinacius, part. III, quæst. 3 art. 16; Reginald. l. 25, n. 675; Cajetan. Navarrus, et alii passim. — Ferrar., verb. *Judex*, n. 29 et seq.) Hinc vicarius generalis, carens necessaria scientia canonum ad suum officium, non potest absolvi, etc. Idem dicendum est de episcopo carente necessaria scientia ad suum officium, et qui non curat habere vicarium generalem scientia pollentem.

II. *De vitandis dilationibus non necessariis.* — « Judex mortaliter peccat contra suum officium differendo valde notabiliter causarum expeditionem sine justa causa, et tenetur restituere parti læsæ damna et expensas quæ ex iniqua dilatione secutæ sunt, quia est earum injusta causa.» (Sic communiter doctores. — Ferrar. verb. *Judex*, n. 32.)

III. *De non recipiendis muneribus a litigantibus.* — Judex tenetur abstinere a receptione munerum, tum jure naturali, tum jure divino, tum jure humano; prout probatur apud Ferraris verb. *Judex*, n. 33 et 34, et idem auctor addit, n. 35: « Judex contra supradictas prohibitiones accipiens notabilia munera, peccat graviter, et tenetur ad restitutionem: sic habetur expresse in lib. III et seq. ff. ad legem *Juliam repetundarum*; et c. *Statutum* 11, *De rescriptis in* 6, ibi: *Si quid autem contra constitutionem præsentem recipit, ad ipsius restitutionem integram teneatur. Nulla earum quibus restitutio facienda fuerit remissione ullatenus profutura eidem.* Et cap. *Qui recte* 66, causa 11, quæst. 3, expresse dicitur: *Qui recte judicat, et præmium inde remunerationis exspectat, fraudem in Deum perpetrat, quia justitiam, quam gratis impertiri debuit, acceptione pecuniæ vendit*, etc.

An autem talis restitutio sit pro foro conscientiæ facienda ante sententiam condemnatoriam, seu declaratoriam delicti, variant doctores .... In hac autem doctorum varietate hoc pro certo tenendum est, quod ea quæ ad redimendam vexationem, aut sententiam injustam, aut aliter involuntarie data sunt, debent a judice restitui ante omnem sententiam, quia invitis dominis sunt accepta, et ideo non est translatum dominium; et idem est si judices per legem alicubi expresse reddantur inhabiles ad acquirendum munerum receptorum dominium, uti notant omnes doctores.

Atqui hanc inhabilitatem in judicibus ecclesiasticis ad acquirendum munerum receptorum dominium videntur statuisse jura. (C. *Statutum* 11, *De rescriptis*, in 6, supra cit.) Pro judice delegato; et pro omnibus judicibus c. *Cum ab omni* 10, *De vita et honest. clericor.* ibi: *Nos attendentes, quod ad hoc vobis et aliis clericis sint ecclesiastici reditus deputati, ut ex ipsis honeste vivere debeatis...... ideoque mandamus quatenus ab hujusmodi exactionibus de cætero abstinentes vigorem judiciarium gratis studeatis litigantibus impartiri.* Et in ejus summario sic expresse dicitur: *Ecclesiastici judices et delegati gratis judicare debent, nec exigere possunt decimam vel aliam quotam litis, etiamsi hoc habeat consuetudo.* Et concordant c. *Exigit, De censib.* in 6, et Clement. *Nolentes, De hæreticis*, ubi pariter liberalis remissio datis, non eximit re-

cipientem ab obligatione restitutionis.

« Potest tamen judex recipere a partibus sponte oblata munuscula leviora, pro quibus non est periculum quod pervertatur seu corrumpatur ipsius judicium, et permittitur cap. *Statutum* 11, *De rescriptis*, in 6, judici recipere esculentum vel poculentum, quod paucis consumi possit diebus. » Sed dicendum semper periculosum esse levia ejusmodi munuscula a judice ecclesiastico recipi.

Judex ecclesiasticus nequit exigere sportularum nomine certam quotam pecuniæ, videlicet duos aureos a principio et alios duos aureos in fine litis ab utraque parte litigantium præstandos, dummodo summa pro qua litigatur centum aureos excedat, veluti exigere possunt judices laici.

Si autem judex sive ordinarius, sive delegatus, sive ecclesiasticus, sive sæcularis, non habeat sibi assignatum stipendium, nec congruam sustentationem, poterit pro judiciis sibi commissis exigere sportulas seu honoraria. Ita Ferraris, verb. *Judex*, et communiter doctores, ex ea ratione quod nullus suis stipendiis militare cogendus est.

IV. *De obligatione judicandi juxta probabiliorem sententiam, et in æquali probabilitate in favorem rei.* — « Judex non potest judicare secundum sententiam minus probabilem, relicta probabiliore. (Communis et certa.) Nam ab Innocentio XI, die 2 Mart. 1679, damnata est ista propositio : « Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem. » Et ab Alexandro VII, die 24 Septemb. 1665 damnata est sequens propositio : « Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio. »

In causis tamen criminalibus, reus non potest damnari ob *probabiliores* de ipsius delicto obtentas probationes. Sed ad condemnandum requiritur in causis criminalibus probatio certa; prout infra suo loco dicetur. — Item in causis matrimonialibus, certa probatione opus est, ut judex matrimonii nullitatem pronuntiare possit.

In aliis causis, quando, cunctis bene perpensis, apparent adhuc judici æque probabiles, atque per omnia æquales rationes, et probationes utriusque partis, tunc in pari causa pro reo vel pro possessore est judicandum. Cap. *Cum sunt* 11, *De regulis juris*, in 6, ibi : *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius quam actori.* Cap. *In pari* 65, *De reg. juris* in 6 : *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.* Cap. *Ad aures* 6, *De præscriptionibus*, ibi : *De jure melior est conditio possidentis.* Et cap. *Ex litteris* 3, *De probationibus*, ibi : *Quod si ambarum partium testes sunt æque idonei, possessoris testes præferuntur, cum promptiora sint jura ad absolvendum quam ad condemnandum.*

« Excipiuntur tamen causæ privilegiatæ, liberales, seu favorabiles verbi gratia matrimonii, libertatis, dotis ac testamenti, quia in æqualitate probationum judicatur pro causa liberali seu favorabili, textu expresso in cit. cap. *Ex litteris*, ibi : *Præterquam in liberali causa, in qua, si utriusque partis testes æquales fuerint, pro libertate sententia proferetur.* Et glossa communiter recepta ibi verb. *In liberali*, ubi excipit dictas causas in his duobus versibus contentas :

Stat testamentum, libertas, conjugium, dos,
Si sunt æquales, qui producuntur utrinque.

« Et expresse excipiuntur dictæ causæ in cap. *Duobus judicibus* 26, de sententia et re judicata, ibi : *Tenet pro reo, non pro actore sententia, nisi in causa favorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata.* Et probari posset ex jure naturali

V. *De Obligatione judicandi juxta allegata et probata.* — « Judex, regulariter loquendo, judicare debet *secundum allegata, et probata.* » (Communis ac certa, claris juribus in c. *Judices* 4, causa 3, quæst. 7; c. *Cum æterni tribunal* 1, *De sententia et re judicata* in 6, cum similibus.)

An autem judex debeat judicare *secundum allegata et probata* etiam contra propriam certam scientiam ? tres sunt opiniones, duæ extremæ oppositæ, et una media inter utramque.

« *Prima sententia* absolute et universim tenet judicem posse ac debere semper in quacunque causa judicare *secundum allegata et probata*, etiam contra propriam conscientiam, si nullum medium supersit effugiendi, et præsertim liberandi quem ipse judex privata scientia certo scit esse innocentem, et secundum allegata et probata comparet nocens, et reus morte dignus, et hanc sententiam tenet expresse sanctus Tho-

mas, 2-2, quæst. 64, art. 6, ubi ait : « Judex, si scit aliquem innocentem esse, qui falsis testibus convincitur, debet diligentius examinare testes ut inveniat occasionem liberandi innoxium, sicut Daniel fecit. Si autem hoc non potest, debet eum superiori relinquere judicandum. Si autem hoc non potest, non peccat secundum allegata et probata sententiam ferens, sed illi qui eum asserunt nocentem. » (Sic D. Thomas et alii plurimi cum eo.) Arg. ex cap. *Judicat* 4, causa 3, quæst. 7, ubi ex verbis sancti Ambrosii habetur : *Bonus judex nihil ex arbitrio suo facit, et domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges et jura pronuntiat, scitis juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati, nihil paratum et meditatum domo refert; sed sicut audit ita judicat; et sicut se habet negotii natura, decernit; obsequitur legibus, non adversatur.* Et glossa ibi; et alia glossa in c. *Pastoralis* 28, *De officio delegati* : et alia Glossa in c. *Perniciosam* 1, *De off. judicis ordinarii*, ubi sic expresse dicit : *Judex debet judicare secundum allegata, et secundum canones, et leges, et non secundum conscientiam.* » (Arg. cap. *Summopere* 7, causa 11, quæst. 3.)

« *Secunda sententia*, extreme opposita primæ, docet in nulla causa posse judicem judicare *secundum allegata et probata* contra propriam conscientiam, et condemnare quem privata scientia certo scit esse innocentem. (Sic tenent abbas Panormitan. et plurimi.) Et ratio istorum est quia judex ferendo sententiam contra privatam suam certissimam scientiam reipsa mentiretur : aliud enim facere quam scias mendacium est, atque intrinsece malum, et nunquam licitum. Unde Exod. XXIII, 1, 2, sic expresse præcipitur omni judici : *Non suscipies voces mendacii..... nec in judicio plurimorum acquiesces sententiæ, ut a vero devies.* Et Apostolus ad Romanos XIV, 23, sic scribit : *Omne quod non est ex fide peccatum est.* Id est, omne quod sit contra conscientiam peccatum est... Tum quia præsertim in criminalibus nullimode potest habere locum prima sententia, quia nullo modo licet judici condemnare ad mortem quem certissime scit innocentem, suprema lege Dei id prohibente, Exod. XXII, 7, ibi : *Insontem et justum non occides.* Quamvis enim per leges humanas teneretur judex condemnare ad mortem *secundum allegata et probata* ostensum reum, quem ipse privata scientia scit certissime innocentem, adhuc tamen non posset licite ipsum condemnare, ratione dictæ legis divinæ id prohibentis, cum contra legem divinam et naturalem nihil valeant leges humanæ... » (Ferrar. verb. *Judex*, n. 56 et seqq.)

Ad primam sententiam responderi potest, quod jura allegata prohibent quidem judici judicare secundum suam voluntatem, arbitrium, seu quod ei videretur esse æquitatem naturalem, relictis allegatis et probatis simul cum legibus; sed nullo modo prohibent ne judicet juxta certam scientiam, qua scit reum innocentem; etenim jus naturale et divinum prohibent damnare innocentem, atqui supponitur judex habere certam scientiam rei innocentiæ. Ergo juxta jus naturale et divinum et secundum sibi certo ex conscientia probata judicat non condemnando innocentem. Unde prima sententia non est, ut plurimi sentiunt, probabilior et certa in suis præsertim conclusionibus extremis.

« *Tertia sententia*, duabus aliis probabilior, docet quod si nulla media declinandi officium judicis supersint, possit quidem judex *secundum allegata et probata* contra propriam scientiam licite ferre sententiam in civilibus et causis criminalibus minoribus, ubi solum agitur de pœna pecuniaria, privationis officii vel bonorum ; non autem in criminalibus majoribus, in quibus agitur de pœna vitæ vel mutilationis. » (Sic tenent *Immola* et alii juristæ... multi.)

Ratio autem hujus sententiæ « est quia judex in causis civilibus et criminalibus minoribus habet ad hoc legitimam potestatem ab ipsa republica, quæ est domina bonorum suorum subditorum, et potest de illis disponere quando bonum publicum id requirit, ut in hoc casu, ne forma publicorum judiciorum cum populi scandalo evertatur. At vero in criminalibus majoribus non habet judex hanc potestatem a republica, quæ, cum non sit domina vitæ ac membrorum suorum subditorum innocentium, non potest concedere judici talem potestatem. Tum quia occidere innocentem est intrinsece malum... » (Ferrar. et ab ipso citati, verb. *Judex*, n. 60 et 61.)

Sed contra mihi videtur dicendum : 1° Respublica non magis habet dominium bonorum suorum subditorum quam eorum vitæ ac membrorum ; siquidem proprietas et dominium uti alibi probavimus, ad personas et individuas pertinent. — 2° Atqui ex om-

mum consensu respublica et ejus potestas unice exsistit ad jura civium tutanda, non vero violanda; ideoque nec respublica, nec ejus gubernium possunt de bonis subditorum disponere nisi pro boni publici necessitate et cum necessaria æquitatis indemnitate, ut fatentur omnes doctores ex jure naturali et omnibus juribus. In sententia autem quam pugnamus, respublica de bonis subditorum disponit absque ulla compensatione. At vero si ex jure naturali et divino non licet *occidere innocentem*, ex iisdem juribus non licet furari nec innocentem spoliare. Ergo in nullis causis judex habet potestatem legitimam a republica damnandi contra certam scientiam innocentem, quia ipsamet respublica talem potestatem non habet, cum hoc videatur esse juri naturali et divino contrarium. Ex rationibus istis et multis aliis quæ adduci possent, videtur concludendum secundam sententiam esse tutiorem et probabiliorem.

Sed, quidquid sit, certum est apud omnes quod « de primo ad ultimum quando judex scit certo scientia privata aliquem esse innocentem, licet juridice probatus sit nocens, tenetur omni modo eum liberare, si potest, verbi gratia excogitando causas sufficientes ad repellendam accusationem, vel sigillatim interrogando circumstantiam loci, temporis, et hujusmodi, juxta exemplum Danielis prophetæ (*Dan.* XIII), uti sic testium falsitas possit deprehendi; vel relinquendo carcerem apertum, si hoc sine majori malo et scandalo fieri possit, vel remittere causam ad judicem superiorem, et coram illo testificari innocentiam certo a se cognitam rei falso accusati. Quod si autem nullum præfatorum aut similium fieri posset seu juvaret pro liberando tali innocente, et judex urgeretur a præpotente parte ad ipsum morti adjudicandum, tunc potius deberet judex officium demittere quam innocentem contra propriam conscientiam, licet juridice probatum nocentem, ad mortem condemnare, non obstante quod etiam hoc modo nihil esset ipsi innocenti profuturus. » (Sic verius censet cum aliis LESSIUS, lib. II, c. 23, n. 78 et alii. — FERRAR. verb. *Judex*, n. 63.)

« Judex licet habeat certam scientiam privatam contra reum, quia verbi gratia propriis oculis vidit illum delinquentem, si tamen juridice probatus sit innocens, non potest licite eum condemnare, quia judex ut persona publica debet sequi scientiam publicam, et procedere secundum allegata et probata, præsertim in favorem rei. Hoc apud omnes certum est et desumitur ex juribus. » (FERRAR. *ibid.* n. 64.)

VI. Judex non potest a reis criminaliter inquisitis exigere juramentum, dum judicialiter, uti principales, examinantur. (BENEDICT. XIII sic statuit in *Conc.* Rom. tit. III, *De jurejurando*, c. 2.)

VII. *Utrum judex licite possit pœnam relaxare?* — « Judex debet judicare secundum leges. Unde ordinarie non potest pœnam relaxare vel minuere, etiamsi actor consentiat, nisi aliquando ad bonum reipublicæ aliud necessarium esse dictaret epikeia, vel nisi de privata tantum injuria actoris ageretur. » (S. LIGORIO, lib. IV, c. 3, n. 205.)

§ V. — De judice delegato.

I. Multæ causæ ecclesiasticæ per judices delegatos dirimuntur. Atqui « delegare in genere nihil significat aliud, quam alium in locum suum substituere, seu vices suas eidem committere. Et hinc *judex delegatus* is erit, qui, non munere proprio, sed ex commissione (vel ipsius juris, vel alterius hominis, propriam et ordinariam jurisdictionem habentis) immediate vel mediate facta, ideoque alterius vice et auctoritate, jurisdictionem ab isto derivatam et distinctam exercet. « (SCHMALZG. in tit. XXIX, lib. I *Decretal.*, n. 1.) Differt 1° *a judice ordinario*, quia hic jurisdictionem exercet suo jure, sive ex proprio officio seu magistratu. — 2° *Ab arbitrio compromissario* et *mero executore*, quia isti jurisdictionem non habent; sed ille simplicem duntaxat causæ cognitionem, hic vero nudum solummodo ministerium. — 3° *A vicario generali;* quia hic jurisdictionem quidem alterius vice, eamdem tamen quam constituens habet, et in proprio hujus tribunali exercet. » (ID. *ibid.* n. 2.)

II. Variæ distinguuntur delegatorum species, ut jam alibi dictum est:

1. Alii delegati sunt a jure, alii ab homine. — *Delegati a jure* illi sunt, quibus per legem aliquam delegatur jurisdictio; tales sunt episcopi qui, ultra ordinariam jurisdictionem, in multis constituti sunt sedis apostolicæ delegati, præsertim per Tridentina decreta, et in actibus judiciariis attendendum est utrum ordinaria, an delegata

potestate agant. Nam consequentia præsertim quoad appellationem valde differunt siquidem non potest appellari a judice delegato per sanctam sedem nisi ad ipsam sedem apostolicam. — *Delegati ab homine* illi sunt, qui ab aliquo judice ordinario, puta a papa vel episcopo, delegationem recipiunt.

2. Alii sunt delegati universales, alii speciales. — *Universales* delegantur vel ad omnes universim causas, vel saltem ad omnes causas certi generis, quamvis cum restritione ad certum tempus, locum, quantitatem, etc.; v. gr. ille est delegatus universalis, cui facta fuit delegatio ad omnes casus matrimoniales in tali territorio per tres annos. — *Speciales* vero delegantur, vel ad unam tantum causam, vel ad plures quidem, sed certas numero, aut inter certas personas.

3. Alii sunt delegati ratione *dignitatis*, ut quando fit delegatio abbati, episcopo, vel primati talis loci, quin ejus exprimatur nomen; alii ratione *personæ*, quando nempe proprium delegati nomen exprimitur.

4. Alii sunt delegati *immediati*, quando ab ipso ordinario immediate commissionem accipiunt; alii mediati seu *subdelegati*, qui ab aliquo delegato et non immediate ab ordinario constituuntur.

§ VI. — Quinam possint delegare et subdelegare.

I. Papa potestatem suam delegare potest et etiam laicos ad causas ecclesiasticas.

II. Possunt ordinarii quilibet judices, licet papa inferiores, delegare; non tamen omnem in perpetuum potestatem suam sine consensu papæ. (Constat ex c. *Cum episcopus* 7, *De officio judic. ordinar.* in 6; et ex regula jur. 68 in 6.)

III. Certum est delegatum a Papa posse regulariter subdelegare. (Constat ex c. *Si pro debilitate* 3; et c. *Pastoralis* 28, tit. XXIX, lib. I *Decretal.* et est communis doctorum sententia et constans praxis.)

Diximus *regulariter*, nam si electa sit industria personalis delegati, nequit subdelegare. Censendus autem est electus ob industriam personalem, si in rescripto dicatur *per teipsum*, vel *personaliter exsequaris*: item si causa sit ita gravis ut deceat a delegato ipso dirimi, prout habetur in citata decretali, *Si pro debilitate*; item si delegato committatur mera exsecutio seu nudum ministerium.

IV. Delegatus ab ordinario inferiore, regulariter non potest subdelegare. (Constat ex cap. *Causam* 62, *De appell.* et c. *Cum in multis* 2, *De rescriptis*, in 6.) Diximus *regulariter*, quia si ordinarius suo delegato potestatem subdelegandi fecerit, delegatus potest nomine ordinarii subdelegare. Præterea communiter a doctoribus admittitur, posse delegatum ab ordinario inferiore ad *universalitatem causarum* subdelegare, *saltem ex consuetudine;* in hujusmodi vero casu nequit totam suam potestatem delegare, sed unam tantum vel alteram causam. (SCHMALZGR. in tit. XXIX, lib. I *Decret.* n. 11.)

§ VII. — Quinam possint delegari vel subdelegari.

I. Ex generali regula ab omnibus posita, certum est *delegari omnes posse qui non prohibentur*.

II. Delegari nequeunt surdi-muti, perpetuo amentes, infantes, et impuberes discretione carentes, ex jure naturali.

III. Infames et excommunicati, ex positivis Ecclesiæ legibus.

IV. Servi et feminæ, ex usu generali qui vim universalis legis obtinet.

V. « Major 20 annis potest a quocunque dari delegatus. Idem in majori 18, dummodo interveniat consensus partium. Minor vero 18, non potest dari nisi a principe, » id est papa. (C. *Cum vicesimum* 41, tit. XXIX, lib. I *Decretal.*)

VI. A papa delegari potest etiam laicus. At vero ab aliis ordinariis delegari nequit nisi clericus. Ita communis et omnino certa doctorum sententia, ex cap. *Decernimus* 2, *De judiciis*, lib. II *Decretal.* et cap. *Significasti* 18, *De foro competenti.*

VII. De jure ordinario, delegatus a papa, debet esse in dignitate ecclesiastica constitutus, vel personatum obtinere, vel esse alicujus cathedralis canonicus, vel officialis seu vicarius generalis episcopi, vel prior conventualis. (Ex c. *Statutum* 11, *De rescriptis* in 6; et c. *Et si principalis* 2, *De rescriptis.*) — Sub nomine *prioris conventualis* hic veniunt etiam præpositi, rectores, guardiani, aliique omnes quocunque nomine nuncupati superiores conventuales regularium : nam etiam isti censentur esse in dignitate ecclesiastica, ad hoc ut esse possint delegati apostolici. (FERRAR. verb. *Delegatus*, n. 31.)

Diximus de *jure ordinario*; quia de plenitudine potestatis potest papa delegare

clericos quoscunque, imo etiam laicos. At vero ex eo quod de jure ordinario delegati pontificii esse nequeant nisi prædictis qualitatibus vestiti, sequitur nullum fore et pro nullo habendum rescriptum papale, quo aliquem his qualitatibus carentem delegaret, nisi contineret clausulam *ex certa scientia*, vel aliam dicto juri ordinario derogantem.

VIII. Delegatus autem episcopi vel alterius ordinarii potest esse simplex clericus de jure ordinario : extra controversiam est.

IX. Plures ad unam eamdemque causam possunt delegari, ex pluribus juris textibus, et præsertim c. *Prudentiam* 21, tit. XXIX, lib. I *Decretal.* et est constans Ecclesiæ praxis.

Sed si plures sint delegati diverso modo procedere debent vel possunt juxta delegationis formam et clausulam, quæ refertur ad triplicem casum.

Primo casu : « cum plures, sub illa forma, *ut omnes aut duo vel unus eorum mandatum apostolicum exsequantur, aut alia consimili, judices vel executores a sede apostolica deputari contingit, ipsorum quilibet injunctum potest libere adimplere mandatum. Porro uno eorum negotium inchoante commissum, alii nequibunt se ulterius intromittere de eodem, nisi vel infirmitate, vel alia justa causa illum contingeret impediri : aut si nollet, vel malitiose in eo procedere recusaret.* (Sic textu expresso, BONIFAC. VIII decrevit, in cap. 8, tit. XIV, lib. I, in 6.)

Secundo casu formulæ, *ut si omnes interesse nequiverint, reliqui mandatum exsequantur*, ex cap. *Prudentiam* 21, tit. XXIX *Decretal.* lib. I, ubi expresse habetur : *Supplicas informari, utrum, cum tribus causa committitur, ita quod si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exsequantur, si reus a duobus tantum fuerit convocatus, venire necessario teneatur : etsi citatus a pluribus coram duobus comparuerit, tertio nec veniente per se, vel per litteras (ut solet fieri) excusante, an duo præsentes in causa possint procedere, et eam sententiam calculo terminare ? In hoc casu taliter respondemus quod, cum aliquis delegatorum judicum, per certum nuntium vel excusatorem litteratorie destinatum, non ostenderit se interesse non posse, vel alias de eodem canonice constare non poterit, residui procedere ad causæ cognitionem non debent : quod si processerint, nihil reputabuntur egisse. Illa quippe fuit antiqua sedis apostolicæ provisio, ut hujusmodi causarum cognitiones, duobus quam uni, tribus quam duobus libentius delegaret... Mandati si quidem excedere fines probaretur, si quis citra formam rescripti accepti præsumeret judicare. Adjicimus etiam quod, ubi fuerit in commissione appositum, ut si omnes interesse nequiverint, duo eam nihilominus exsequantur, si quis ex ipsis, cum possit, noluerit interesse, duo nihilominus in causa procedant; licet ille tertius gravissime sit arguendus pro eo quod mandatum apostolicum exsequi subterfugiat aut contemnat. Idem quoque per omnia dicimus observandum in causa quæ committitur duobus, eo apposito, ut si ambo interesse nequiverint, alter nihilominus exsequatur.*

Cæterum si per plures negotium expediatur, tenet sententia majoris eorum numeri. Et in casu æqualis hinc inde inter judices oppositionis, ad delegantem est recurrendum; scilicet ad episcopum, si plures commissi sunt ab episcopo, ad papam, si sint a papa delegati.

Tertio casu nullius additæ clausulæ, seu *simplicis*, ut dicunt, deputationis. Ex cap. *Causam* 16, tit. XXIX, lib. I *Decretal.* ubi sic habetur : *Cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet.* Tunc nullis censetur facta facultas sine aliis judicandi. Unde si unus absit, quamvis legitime impeditus vel etiam morte sublatus, cæteri valide procedere nequeunt. Item tunc censentur deputari *collegialiter*, ita ut nempe ea sententia valeat, cui major pars eorum adhæret. Hinc si dissentiant, et utrinque æqualis stet numerus, nihil concluderetur, et ad delegantem recurrendum erit. (D. BOUIX, *De judiciis*, t. I, p. 152.)

§ VIII. — De officio judicis delegati.

I. Delegatus non potest procedere ante rescriptum delegationis sibi præsentatum. (C. *Super eo* 12, in fine *De appellat.*) Ratio est quia jurisdictio non acquiritur, nisi scienti et acceptanti : hoc autem ante rescripti præsentationem non contingit. Ex quo *sequitur* 1°, quod in rescripto, quo confertur jurisdictio, attendi debeat tempus non *datæ*, sed *præsentatæ*.— *Sequitur* 2°, processum ante præsentationem rescripti delegationis a judice inchoatum, et acta cætera irrita esse, ita ut nec secuta illius præsen-

tatione, convalescant; quia facta sunt a non habente jurisdictionem.—*Sequitur* 3°, id verum esse, etiamsi, antequam processum inchoaverit, privatim sciverit, sibi causam delegatam esse; quia requiritur ut sciat authentice per præsentationem rescripti. » (PIRHING. ibi n. 100; WIESTNER n. 43 et alii ab his citt.—SCHMALZGR. in tit. XXIX. lib. I *Decret.* n. 25.)

Notandum est hic supradictam præsentationis rescripti delegato conditionem necessariam habere locum in omnibus casibus in quibus requiritur facultas sedis apostolicæ, sive ad absolvendum, sive ad dispensandum in quacunque materia et lege canonica; ita ut presbyteri, parochi et alii qui ab episcopo subdelegantur ad quascunque causas in quibus necessaria est facultas apostolica nequeant, valide agere ante rescriptum delegationis apostolicæ sibi præsentatum aut saltem certioratum per episcopale rescriptum; secus eorum acta invalida et nulla sunt. Quia episcopus potestate ordinaria nequit eos delegare, sed tantum ex potestate a sancta sede delegata. Atqui necesse est ut delegatus vel subdelegatus sciat se habere jurisdictionem quam supponere nequit; hanc tamen solummodo supponere posset si episcopus delegando non certificaret de rescripto apostolico.

II. Delegatus « litteras seu mandatum delegationis suæ in forma authentica exhibere debet; ejusque copiam facere partibus litigantibus coram se comparentibus, ut fides ipsi habeatur de accepta potestate; alioquin necessario ipsi parendum non est, neque ordinarius loci, vel alius, cui delegatus, etiam sedis apostolicæ, aliquid mandat, exsequi illud tenebitur, prout sumitur ex cap. *Cum in jure* 31, *De officio et potestate jud. deleg.*, et *Cum contingat* 24, *De rescriptis.*) Ratio est 1°, quia in quolibet territorio præsumptio est pro judice ordinario; igitur alius in eo judicandi potestatem habere non creditur, nisi delegationem suam editis istius litteris probet. — 2° Quia delegatio est quid facti; factum autem regulariter non præsumitur, sed probari debet. — 3° Jurisdictio qualitas est, quæ homini nec a natura, nec ordinarie inest, sed uni, aut alteri competere potest, et cons. ante omnia est probanda. Hinc salubriter monent doctores ut is, pro quo a delegato papæ lata est sententia, tam hanc, quam delegationem, seu commissionem pari cura custodiat, ut si cum tempore super eadem causa conveniretur, tam sententiam a delegato latam, quam delegationem eidem factam legitime probare possit. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 26.)

Sunt tamen quædam exceptiones ad supradictam regulam. — 1. Si sit delegatus inferiori principe, probare suam commissionem potest per testes, quia in iis locum habet jus commune, secundum quod eamdem vim habet probatio per testes, quæ per instrumenta. — 2. Recte proceditur a delegato papæ, etsi litteras authenticas delegationis suæ non exhibuerit, 1° si partes litigantes, et judex ordinarius, in cujus territorio constituitur, sine illis fidem dare velint delegato asserenti habere mandatum; 2° si ipse delegans præsens sit, ut facile ex ipso quæri possit, an potestatem ei delegaverit; 3° si ante exhibitas ejusmodi litteras partes litigantes coram delegato litem sint contestatæ; quia hujusmodi exceptiones dilatoriæ judicii opponi debent ab initio. (Arg. c. *Inter* 20, *De sent. et re judic.*)

III. « Delegatus accurate observare debet formam quæ præscripta est in delegationis rescripto, ut præcipitur c. *Cum debita* 22, *De rescriptis*, alias a delegato contra formam rescripti acta erunt irrita (C. *Cum olim* 32, et c. *Venerabili* 37, *De offic. et potest. jud. deleg.*) Ratio est quia delegatus jurisdictionem non habet, nisi quæ concessa ipsi est ex rescripto delegationis : igitur quæ ultra istius tenorem acta sunt, a non habente jurisdictionem acta videntur.

« *Excipitur* 1. Si connexa et accessoria sint; nam cui commissa est aliqua causa, commissa etiam censentur omnia pertinentia ad expeditionem causæ, quantumvis in delegatione non sint expressa, saltem si speciale mandatum non exigant. (C. *Præterea* 5, *De offic. et potest. jud. deleg.*)

« *Excipitur* 2. Si aliquando a rigorosa rescripti observatione recessum suadeat æquitas et rationabilis exceptio partis. (Arg. c. *Super eo* 15, eod. tit.)

« *Excipitur* 3. Si partes favori per præscriptam delegationis formam sibi quæsito ultro renuntient... (c. *Statutum* 11, § *In nullo*, *De rescriptis* in 6.)

« *Excipitur* 4. Si forma, seu conditio, quæ judici delegato præscribitur, requiratur etiam de jure communi...

IV. « Delegatus admittere debet necessarias probationes, et rationabiles exceptiones, frivola vero rejicere. (C. *Ex parte* 13, *De offic. et potest. jud. deleg.*) Ratio est quia papa, quando præscribit certam formam in processu servandam, nulla exceptionum mentione facta, juris ordinem ac proinde ei conformes rationabiles exceptiones tollere non censetur.

« Proceditque hoc, etsi prohibuerit exceptionem admitti; adhuc enim admitti a delegato poterunt exceptiones notoriæ, fundatæ in jure naturali, vel divino, aut jure humano specialiter approbatæ: quales sunt exceptiones nullitatis, incompetentiæ judicis, defectus citationis, inhabilitatis personæ ad agendum, inepti tituli; exceptiones metus, et doli aperti; exceptiones fundatæ in confessione partis in judicio factæ, aut instrumento subnixæ... etc... »

V. Delegati officium est, ut deferat legitimæ appellationi; cum enim hæc sit quædam sui defensio, in innocentiæ subsidium comparata (c. *Cum speciali*, 61, § *Porro*, *De appell.*), eidem judex delegatus non minus, ac ordinarius, si legitime sit interposita, deferre debet. (C. *Omnis* 3 et seqq.. causa 2, quæst. 6. — Schmalzgr. in tit. xxix *De officio et potestate judicis delegati*, n. 25 ad 30.)

§ IX. — De potestate judicis delegati.

1. « Non solum officium judex delegatus habet, sed ut quæ officii sunt, causæ cognitiones, et definitiones exsequi possit, officio ejus adjuncta potestas est. Hæc generatim loquendo ex auctoritate et potestate delegantis metienda est, et ex mandato concesso; nam delegatus in jurisdictione sibi concessa vices delegantis gerit. (C. fin. dist. 93; c. *Valde* 1, dist. 94; et c. *Sane* 11, *De off. et potest. jud. delegat.*) Unde certum est delegato competere non posse jurisdictionem qua caret delegans. Hinc quando episcopus aut alius prælatus vi facultatis apostolicæ delegat, necesse est ut rescriptum pontificium notificet. Sed vicissim ex eo quod aliquid possit delegans, non continuo concludendum est idem posse delegatum; hic enim non aliud potest quam quod ille per mandatum concesserit, et « ea omnia, sine quibus exsequi mandatam sibi jurisdictionem non potest. Nam hæc omnia in delegatione continentur, etsi expressa non sint. Ratio est, quia qui exsecutionem finis committit, etiam media necessaria, sine quibus finis obtineri non potest, commisisse censetur.

II. « In specie potest, 1. Citare partes inter se contendentes, ut compareant et si legitime citatæ comparere, aut ejus mandato alias parere contumaciter recusent, illas potest remediis opportunis ad id compellere; *De causis* 4. et c. *seq. De off. jud. deleg.* et idem dicendum de subdelegato a delegato Papæ, ex c. *Ex litter.* 29, eod. tit.

2. « Hanc potestatem puniendi et compellendi exercere potest, non solum ad partes litigantes, in quas ei jurisdictio est delegata, sed etiam ad alios, qui jurisdictionem ejus, vel processum causæ impediunt, aut malitiose retardant, (C. *Quia quæsitum* 1, *De off. et potest. jud. deleg.*) et si delegatus papæ sit, in ipsum episcopum, si hic in causa delegata contumax, et rebellis sit: ut habetur c. *Sane* 11 eod. tit. Quia licet secundum suam personam forte minor sit episcopo, vel etiam ei subjectus, ut delegatus tamen papæ, cum vices hujus repræsentet, est eo major; (C. *Sane* cit.) In hunc tamen propter reverentiam sacri officii, quod gerit, mitius animadvertere debet, quam in alios. (C. *Pastoralis* 28 eod. tit.) *Nisi forte*, et c. *Quia pontificali* 2, eod. tit. in 6. dicitur, *aliter fieri suaserit nimia contumaciæ protervitas, seu culpa.*

3. « Potest judex delegatus, cui pars citata objiciat jurisdictionis defectum, cognoscere regulariter, num sua sit jurisdictio, prout sumitur ex c. *Ex parte* 23, *De rescriptis*. Et hinc discrimen est inter judicem ordinarium et delegatum. Nam judex ordinarius tantum potest cognoscere, an sua sit jurisdictio quando ipsi objicitur, quod non sit competens respectu partis citatæ; non vero, quando ipsi objicitur, quod nullam habeat jurisdictionem. At vero delegatus cognoscere potest, num sua sit jurisdictio, etiamsi pars citata objiciat rescriptum delegationis esse invalidum. Ratio disparitatis est, quia judex ordinarius, cum defectus omnis jurisdictionis ipsi objicitur, hanc facultatem non habet: et hinc nec pronuntiare interlocutorie de illa potest, ne judicet directe in causa propria. At judex delegatus, cum omnia agat nomine delegantis, de cujus jurisdictione, ut apponitur, nul-

lum movetur dubium, ipse quoque jurisdictionem fundatam habet, consequenter etiam cognoscendi, utrum litteræ delegationis a delegante datæ sint invalidæ.

4. « Potest delegatus absolvere actorem ab excommunicatione, quam incurrit post rescripti impetrationem ob causam pertinentem ad eam ad quam delegatio facta est, nisi illa sit specialiter reservata papæ, ut habetur c. *Prudentiam* 21, § *Sexta*, *De offic. et potest. jud. deleg.* Et ratio est, quia, cum excommunicatio a communicatione forensi removeat, ita necessarium est ut causa principalis per delegatum expediri possit. Addidi *ob causam pertinentem*, etc. Nam si ob causam diversam et ad eam, quæ delegata est, non pertinentem excommunicatus est, ad excommunicatorem est remittendus, ut dicitur § *Sexta* cit. Qui si absolvere eumdem renuat, videndum an ex justa causa renuat, an per malitiam : si hoc secundum, juxta § *Sexta*, ipse delegatus absolvere eumdem poterit; si vero primum, absolvi a delegato non poterit, ac proinde ab agendo ipse repellendus, et papa de statu causæ informandus est, ut notat Pirhing, hic, n. 85; Wiestner n. 62. Excipitur, si causa dilationem non pateretur; tunc enim excommunicatus a delegato absolvi posset ad reincidentiam, sive ad præsentem tantum actum judicialem exercendum, ita ut isto peracto, in excommunicationem reincidat... » (Schmalzgr. in cit. 29 *De officio et potest. jud. deleg.* n. 31 ad 35.)

5. « Potest delegatus actorem, si probaverit se possedisse, et spoliatum fuisse, contra reum absentem, et intra præfixum terminum fraudulenter et contumaciter non comparentem, restituere in possessionem; secus vero si legitima causa reus sit absens. (C. *Consultationibus* 10, *De offic. et potest. jud. deleg.*)

6. « Potest delegatus a papa, vel principe, non tantum de causa sibi commissa cognoscere et super ea ferre sententiam, sed etiam latam exsequi, ut constat ex c. *Significasti* 7, eod. tit. Pro quo habet annum integrum continuum, a lata sententia numerandum. (C. *Quærenti* 26, eod. tit.)

« An idem dicendum sit etiam de delegato a judice ordinario inferiore controvertunt doctores... Sed retinenda est affirmativa sententia, tanquam probabilior..... modo sibi delegans exsecutionem expresse non reservaverit.

7. « Delegatus sedis apostolicæ si sententiam suam exsequi per se aut ministros suos non possit, aut non velit, ejus exsecutionem alteri et quod frequentissime solet, judici ordinario demandare, et quia in causa sibi commissa major et superior illo est, si remittatur, ad parendum et exsequendum compellere censuris potest, ut statuitur c. *Significasti* 7, eod. tit.

« Ordinarius exsequi eamdem tenetur, nisi sciat eam esse irritam. Sed si sciat sententiam tantum injustam, eam exsequi debet, nisi injustitia sit notoria, vel causa criminalis et agatur de vita et membris... Tunc enim executor ad superiorem referre id debet. » (C. *De cætero* 5, *De sent. et re judic.* — Schmalzgr. *ibid.*, n. 36 ad 38.)

8. Delegatus sedis apostolicæ ad sententiæ latæ exsecutionem non tantum censuris aliisque similibus remediis uti adversus contumaces, et illam impedientes potest, sed etiam, si ita necessarium fuerit, brachii sæcularis auxilium implorare, quod etiam, si legitime illud imploraverit, denegari eidem non potest, et si hoc judex sæcularis indebite neget, ad id exhibendum a delegato ecclesiasticis censuris compelli poterit. Colligitur ex can. *Administratores* 26, causa 23, quæst. 5... » (Schmalzgr. *ibid.* n. 39.)

§ X. — De cessatione officii, et potestatis judicis delegati.

Officium et potestas judicis delegati pluribus modis cessare potest.

I. Si delegatus sententiam pronuntiaverit, eamque per se, vel per alium exsecutori mandaverit, quia tunc censetur *officio suo functus*, ut dicitur c. *In litteris* 9, *De offic. jud. deleg.*; ubi tamen distinguendum, an sola cognitio causæ delegato commissa sit, an etiam exsecutio; nam si primum, per pronuntiationem sententiæ officium delegati finitur absolute; si alterum, finitur tantum quoad causæ cognitionem, ita ut deinde amplius cognoscere de causa sibi commissa nequeat, vel sententiam emendare, nisi nova eidem fiat commissio. (Arg. c. *Si compromissarius* 37, § *Si vero*, *De elect.* in 6.) Proceditque hoc, sive bene, sive male pronuntiaverit, ut cum aliis notat Gonzales in § 9 cit. n. 3. Imo etiamsi nulliter judicaverit.

(Schmalzgr. *De offic. et potest. jud. deleg.* n. 40)

II. Finitur delegati officium, finito quocunque modo negotio, sive per transactionem, sive per compositionem, accepti lationem, aut pactum de non petendo. Et quoad delegatum finita censetur causa, quando eam in totum alteri subdelegaverit et is subdelegata sibi jurisdictione uti cœpit.

III. Finitur, si judex delegatus interloquendo pronuntiet, sibi nullam jurisdictionem seu potestatem in causa delegata competere, quod rescriptum delegationis invalidum sit. (C. *Signific.* 38, eod. tit.) Proceditque hoc, sive male, sive bene pronuntiaverit; nam functus censetur officio suo ita ut reassumere illud deinceps nequeat etsi partes consentiant, cum istæ dare jurisdictionem non possint.

Excipitur 1. Nisi pars impetrans scriptum a tali sententia interlocutoria appellaverit. — 2. Si delegatus pronuntiet, sibi jurisdictionem non competere super quæstione incidente tantum.

IV. Finitur recusatione judicis, quando pronuntiatum est causam recusationis esse legitimam. Si vero causam alteri remiserit ante propositam recusationem, nequit recusari. Cap. *Judex* 5, tit. XIV, lib. I in 6, ibi: *Judex ab apostolica sede datus, quamvis legitime recusari valeat ut suspectus, potest licite vices suas committere, antequam recusatio contra ipsum proponatur. Et si totum commiserit, recusari ulterius, aut facta per eum commissio impugnari, nequibit. Quod posset si sibi de jurisdictione aliquid reservasset. Post recusationem quoque propositam committere (nisi de recusatoris procedat consensu) non potest; sed eo volente, hoc potest, etiamsi recusatio eadem sit probata: dummodo pronuntiatum non fuerit super ea. Ex tunc enim (cum omnino judex esse desierit) nulla, etiam cum illius assensu, potest fieri commissio per eumdem.*

V. Finitur lapsu termini, seu temporis ad dicendam causam præfixi, nisi iste communi partium consensu sit prorogatus. (C. *De causis* 4, *De offic. et potest. jud. deleg.*) Quamvis tamen consensu partium prorogatus fuerit, judex esse cessaret si a delegante fuerit prohibita termini prorogatio.

VI. Finitur revocatione delegantis, idque si revocatio expresse sit facta, sive tacite, ut, v. gr., si delegans procedat aliquo modo in causa a se delegata: ubi tamen statuendum est discrimen inter primum delegantem et subdelegantem; nam subdelegans hujusmodi revocationem facere solum potest, quando aliquam duntaxat causæ partem commisit, non vero quando totam causam subdelegavit et causa incœpta est. At primus delegans revocationem facere pro arbitrio potest, etiamsi res non amplius integra sit, cum utatur jure suo, et quasi re propria.

VII. « Finitur morte ipsius delegati, etiam re non integra, si delegatio jurisdictionis sit facta personæ seu expresso nomine proprio delegati. — Aliud est si delegatio facta sit sub nomine dignitatis, aut officii, nam eo casu ad successorem transmittitur. » (C. *Quoniam* 14, *De offic. et potest. jud. deleg.*)

VIII. Finitur delegatio, quando delegatus deponit dignitatem, vel officium, si delegatio facta sit intuitu dignitatis; sed e contra, si delegatio facta sit personæ, nam in hoc casu, hujusmodi delegatus cognoscere adhuc de causa sibi commissa potest; nisi tamen in delicti pœnam privatus sit dignitate vel officio, vel duxerit uxorem, aut religionem ingressus fuerit.

IX. Finitur potestas et officium delegati et subdelegati morte delegantis, si res sit adhuc integra, et delegatus vel subdelegatus nondum cœperit uti jurisdictione. (C. *Relatum* 19; c. *Gratum* 20, etc.; c. *Licet* 30, *De offic. et potest. judicis deleg.*) Porro ut res dici possit non amplius esse integra, juxta communem sufficit, si decretum citationis sit expeditum, licet illud parti nondum sit intimatum, prout colligitur ex c. *Gratum* cit., ubi *proposito citationis decreto* res non amplius esse integra dicitur.

X. « Denique finitur officium et potestas judicis delegati morte ejus qui, vi rescripti, conveniendus erat coram delegato (c. *Significavit* 36, *De rescript.*), nisi ante ejus mortem lis contestata jam fuisset cum defuncto, vel iste conveniendus fuerit ratione prælaturæ, ecclesiæ, etc., ut arg. c. *Quoniam* 14, *De offic. et potest. jud. deleg* » (Schmalzgr. *De off. et potest. jud. deleg.* n. 40 ad 50.)

§ XI. — **De judicibus synodalibus et conservatoribus.**

De judicibus synodalibus et conservatoribus satis diximus in lib. III, cap. IV et X; et lib. VII cap. XI; quæ vero in præsenti capite

dicta sunt de judice delegato applicanda veniunt in casu judicibus synodalibus et suo modo conservatoribus.

CAPUT V.

De actore et reo.

Actor et reus, sunt cum judice, tres personæ judicio necessariæ. Quærendum nunc est igitur quis actor et reus esse possit, vel debeat.

Resp. De utroque generalis est regula agere in judicio, et conveniri in eodem posse omnes, et solos illos, qui legitimam personam standi in judicio habent: quales sunt homines liberi, masculi, majorenses, etc. Discrimen tamen aliquod faciendum est inter actorem et reum; nam multi, qui actores esse non possunt, stare in judicio ut rei possunt vel in persona propria, vel aliena: de quibus in sequentibus disputabitur.

Porro in judicio stare nequeunt:

I. *Infantes, furiosi, amentes, surdi et muti uti et prodigi*: pro quibus tamen agendo et defendendo judicium suscipiunt tutores et curatores. Ex lege Justiniana ab Ecclesia canonizata... Sed hodie, quod jam in multis regionibus ita locupleti instructione donantur surdi et muti, ut generaliter sua jura intelligant, eaque prosequi et defendere possint, non videtur judicium ecclesiasticum nullitate laborare, ex eo solo quod actor vel reus surdus et mutus fuerit.

II. *Servi proprie dicti* in causa pecuniaria; nam in aliis causis admitti aliquando possunt, ut in criminalibus, causis liberalibus, et quæ concernunt utilitatem publicam.

III. *Pupillus* sine auctoritate tutoris. Nam ex istius arbitrio operationes ejusdem legales pendent. — Excipiuntur: 1 Causæ criminales, in quibus etiam pueri audiuntur, si aliter delictum probari nequeat. — 2. Causa momentaneæ possessionis, in qua agitur de restitutione spolii, vel de possessione interimistica, seu summario possessorio. — 3. Excipiuntur quæcunque aliæ causæ, si adversarius eum non removeat contra eum excipiendo; nam si in tali casu, et causa pupillus vel minor vincat, licet sine auctoritate tutoris contenderit in judicio, sententia sustinetur, ne quod in favorem eorumdem introductum est, in odium illorum detorqueatur.

IV. « *Minor* 25 *annis* sine auctoritate curatoris. Si curatorem non habeat, ad litem dandus est ipsi curator etiam invito; cujus tamen officium lite finita cessat. Proceditque hoc in causis tum civilibus, quam criminalibus; quia in neutris personam legitimam standi in judicio habet. Estque curator ad litem pupillo et minori ita necessarius, ut sententia contra ipsum curatore, vel tutore destitutum pronuntiata, tanquam contra indefensum lata, sit ipso jure invalida; pro ipso tamen lata, sustinetur. Imo etiam contra eumdem lata valebit in iis casibus, in quibus agere et conveniri sine curatoris auctoritate potest. Tales autem sunt undecim maxime. Et quidem 1° si ætatis 20 anno impleto, veniam ætatis impetravit. — 2° In causa momentaneæ possessionis. — 3° Si minor querelam porrigat de toro violato. — 4° In causa alimentorum, ubi periculum est in mora, nec est tempus dandi curatorem; nam secus curator dandus est. — 5° Cum minor de castrensibus, aut patris testamento litem agit. — 6° In præparatoriis ad judicium. — 7° Si minor sine tutore, vel curatore contrahens cum aliquo juret se esse majorem, et postea ex contractu oriatur controversia. — 8° Quoties in causis civilibus minor absque tutore vel curatore juravit, gestis vel in judicio gerendis non contravenire. — 9° Si causa sit spiritualis, ut matrimonialis, beneficialis, decimalis, etc. — 10° Si in judicium deducatur causa connexa spirituali. — 11° Denique in quibuscunque aliis causis, in quibus consuetudo legitime præscripta, aut statutum legitime conditum concedit minori potestatem sine interventu curatoris litigandi in judicio...., attamen sine curatore nec etiam in causis spiritualibus stare in judicio potest minor impubes; cui igitur curatorem dare debet judex.

V. *Filiusfamilias*. In quo tamen est distinguendum contra quem agat, contra patrem an contra extraneum. Quod vide discussum apud Schmalzgrueber, *De judiciis*, n° 28.

VI. *Mulieres*. Ubi tamen distinguendum est inter causas civiles et criminales; nam in civilibus invitæ personaliter ad judicium trahi non permittuntur. Si tamen velint agere, et respondere in eo possunt. In criminalibus non quidem permittuntur agere, vel accusare. Si tamen atrocioris alicujus cri-

minis reæ sint, invitæ in judicium trahi possunt. (Ita c. *Mulieres* 2, *De judiciis* n. 6, ubi quod contra hanc constitutionem judicialiter attentatum fuerit, ipso jure irritum dicitur.) Moniales tamen, et aliæ femineæ religiosæ nequeunt etiam volentes in judicio agere nec respondere.

VII. *Excommunicatus* excommunicatione majore. C. *Intelleximus* 7, *De judiciis*; c. *A nobis* 2; c. *Exceptionem, De except.*; c. *Decernimus*, 8, *De sent. excom.* in 6.) Quibus omnibus textibus statuitur eum repelli ab agendo per exceptionem a parte, vel ex officio a judice posse... proceditque hoc etiam, spectato jure communi, de excommunicato non vitando, seu nondum denuntiato... non obstante extravag. *Ad evitanda* a Martino V in conc. Constantiensi edita...

Attamen si excommunicatus sit reus necessarius, non solum admittitur, sed etiam compelli ad respondendum in judicio potest in quacunque causa conventus fuerit... Si vero sit reus voluntarius, et qui non citatus, sed ultro et voluntarie in judicium venit, pro suo commodo, cum posset non comparere, aut si vocatus quidem est, sed sub conditione si voluerit, aut si commodum ei fuerit comparere, antequam absolvatur ab excommunicatione, ad respondendum in judicio non admittitur.

« Dub. 2. An aliquando excommunicatus in judicio stare possit ut actor?

« Resp. Distinguendum, an sit excommunicatus vitandus, vel non vitandus. Si sit excommunicatus non vitandus, etsi peccet ingerendo se, si tamen neque pars contra eum excipiat, neque judex illum repellat, agere in judicio potest, neque repelli necessario debet. Si vero sit excommunicatus vitandus, regulariter ab agendo repelli debet. Dixi *regulariter*, nam in pluribus casibus ad agendum etiam vitandus admittitur: 1° in causa suæ excommunicationis (arg. c. *ipso jure* 1, *De rescript.* in 6), si probare intendat excommunicationem contra se latam fuisse ipso jure nullam : secus si probare velit eam fuisse injustam. Tunc enim prius absolvi deberet, cautione præstita, mandatis Ecclesiæ se pariturum. — 2° Ubi agitur de pericule ipsius animæ, ex. gr. in causa matrimoniali... ex officio judicis, admitti deberet. — 3° Quando periculum est in mora, ut si debitor ejus sit fugitivus. — 4° Quando impeditur agere sibi alias permissa, ut si impediatur ire Romam ad impetrandum Rescriptum apostolicum super appellatione, tunc enim agere potest contra impedientes. — 5° Si quis in beneficio, ad quod ipse jus aliquod habet, instituendus, vel electus confirmandus in eo sit; quia tunc oppositio excommunicati erit necessaria defensio, a qua nullus excommunicatus repellitur. — 6. Si agatur de bono publico suæ ecclesiæ. — 7° Universim admittitur excommunicatus quando est actor necessarius... 8. Reconvenire actorem suum in eadem aut connexa causa... »

« Dub. 3 Quomodo excommunicatus in judicio respondere debeat, per seipsum an per procuratorem?

Certum est quod per procuratorem a se constitutum respondere possit, ut patet c. *Intelleximus* 7 *De judiciis*. Idque magis decens est quam si personaliter compareat in judicio. Utrum autem compelli possit ad admittendum procuratorem loco sui, major est controversia. Negant glossa... et alii... affirmant Decius et alii... Melius distinguit Laym. et alii... si *causa non sit ardua*, cogi potest, ut per procuratorem respondeat, modo idoneum habere possit; si vero *causa sit ardua*, ad constituendum procuratorem compelli nequit, sed per se ipsum comparere, et respondere in judicio poterit... »

VIII. *Religiosus*. — Nam hic sine consensu prælati, in judicio stare nequit, aut in eodem convenire, vel conveniri, suntque ea, quæ a religioso sine concensu prælati expresso vel tacito, fiunt, ipso jure irrita... Proceditque hoc 1°, sive tanquam actor, sive tanquam reus in judicio stare velit. — Procedit 2°, ut nec per procuratorem agere, vel defendere se in judicio possit, quia quod quis per se facere non potest, neque per alium potest; reg. 68 in 6. — Procedit 3°, etsi agatur de contractu quem celebravit religiosus ante ingressum in monasterium; nam etiam hoc casu conveniendum est monasterium, quamvis libello in personam religiosi concepto, ... ita tamen ut executio in bonis monasterii fieri nequeat ultra id, quod ex. bonis religiosi sui accepit... 4° Etiamsi religiosus injuriatus, vel aliqua re spoliatus esset...

« Dub. 1. Quibus casibus religiosus agere

et respondere per se, vel per procuratorem in judicio possit?

« Resp. Casus hujusmodi sunt sequentes: 1° Si obtineat beneficium ecclesiasticum quod annexam habet administrationem aliquam, agere et respondere pro juribus ejusdem non minus poterit quam alius non regularis. — 2° Si studiorum et aliorum negotiorum causa a monasterio procul absit; tali enim casu, si spolii, vel injuriæ illatæ, aut alterius causæ necessitas exigat, agere in judicio valet ex licentia prælati præsumpta. — 3° Si agere velit, ut in religione retineatur, vel ab ea repulsus restituatur, vel ne ei alimenta debita, aut expensæ a monasterio denegentur, vel de jure, quod habet, ferendi suffragium, sedendi in choro, vel alio sibi quæsito per professionem, electionem, collationem, etc. — 4° Si proprius prælatus tanquam dilapidator, etc., accusandus sit. (C. *Ex parte* 11, *De accusat.*) — 5° Si contra defendendus sit prælatus proprius incarceratus. 6° Si tuenda causa monasterii, et prælatus sit absens, ut commode ejus licentia haberi nequeat, et periculum sit in mora. — 7° In causa delicti proprii: nam ex hoc non monasterium, sed religiosus delinquens conveniendus est. His casibus religioso subeunti judicium, si peculium a prælato sibi concesso non habeat, necessarias expensas subministrare monasterium debet.. »

« Dub. 2. Quis de jure agere, vel respondere in judicio possit, vel debeat nomine Ecclesiæ, vel monasterii?

« Resp. *Certum est* ad prælatum hoc pertinere, ut clare patet ex c. *Nullam* 9, causa 18, quæst. 2, c. *Edoceri* 21, *De rescript.* — Si bona vero sunt tam prælato quam capitulo communia, et causa sit majoris momenti, prælatus nequit sine consensu capituli vel monasterii; sed si causa non fuerit majoris momenti hujusmodi consensu prælatus non indiget.

« Aliud autem est, si agatur de bonis et juribus quæ a prælaturæ bonis prorsus separata et capitulo specialiter attributa etiam quoad administrationem sunt, in his enim agere, et conveniri debet capitulum, neque opus consensu prælati habet, nisi causa sit ardua. — Super hujusmodi enim causis arduis et majoris momenti nec prælatus sine capitulo, nec capitulum sine prælato contendere, et respondere in judicio potest.

« Dub. 3. Abbatissæ, et reliquæ feminæ monialium præpositæ, jure communi super monasteriorum suorum rebus et juribus per constitutos procuratores agere et respondere in judicio non minus possunt, ac prælati, abbates, et alii monasteriis virorum præpositi. Sed videndum est quid ipsis per ordinum suorum regulas, constitutiones et consuetudines liceat.

«Quoad ecclesias parochiales etiam decisio plurimum pendet a consuetudine recepta, et concordatis locorum, in regionibus ubi constituti sunt speciales præpositi qui rerum Ecclesiæ temporalium curam tam extra quam intra judicium gerant, ad eos incumbit agere et defendere.

« Alibi de jure communi distinctio est adhibenda : si parochialis ecclesia proprium parochum habeat, nec unita vel incorporata alteri ecclesiæ vel monasterio sit, jus agendi super rebus, et juribus ecclesiæ parochialis ad parochum spectat. (Arg. c. *Edoceri* 21, *De rescript.*) Quia competit ei etiam de jure communi administratio : non tamen excluso episcopo. — Si contra parochialis unita et incorporata sit ecclesiæ, vel monasterio alteri, tunc vicarius agere potest, melius tamen super iis agit, et respondet in judicio collegium, vel monasterium cui est incorporata.

« Dub. 4. Quis agere in judicio debeat super rebus et juribus ecclesiæ, an prælatus superior (v. gr. episcopus), an vero inferior ejus rector (v. gr. parochus), vel administrator?

« Resp. cum distinctione. Vel enim administratio rerum et jurium est penes utrumque, vel est penes inferiorem tantum, ita ut superior administrationi ordinarie se non immisceat. — *Si primum*, inferior in judicio quidem agere, et respondere super rebus et juribus ecclesiæ sibi concreditæ potest; si tamen superior ipsemet velit agere, inferiori, tanquam majorem administrandi potestatem habens, præferendus est, prout sumitur ex Clement. 1, *De rescriptis.* — *Si secundum*, præferri debet rector, vel administrator immediatus, si perpetuus ille sit; secus si temporalis, et ad nutum superioris amovibilis. De perpetuo constat; quia hujus eo casu principalius interest; de temporali ostenditur; hunc enim tali casu superior ab administratione amovere omnino potest; igi-

tur multo magis amovere eumdem poterit a particulari potestate agendi in hac vel illa causa.

« Dub. 5. An casu, quo capitulum sine consensu prælati, cum debuisset illum exquirere, in causa propria egit in judicio, et causam obtinuit, sententia in favorem ejusdem lata ratificari a prælato per subsequentem consensum possit?

« Resp. Certum est ratificari sic posse, casu quo consensus solum requirebatur tanquam solemnitas quædam in favorem ecclesiæ; in casu vero quo consensus prælati requiritur ad valorem, per supervenientem prælati consensum confirmatur actus, aut sententia prius invalida, modo pars altera litigans interim consensum suum non revocaverit.

« Dub. 6. Quando prælatus in causa propria capituli, vel capitulum in causa propria prælati admittatur ad agendum, et respondendum in judicio?

« Resp. Admitti, si aut prælatus habeat speciale mandatum a capitulo, vel capitulum a prælato; si mandato ejusmodi careat, ut admittatur prælatus in causa capituli propria, aut capitulum in causa propria prælati, necesse est ut caveant de rato; tunc enim admitti possunt.... Ratio est, quia hoc casu personæ conjunctæ admittuntur. Non minor autem conjunctio est prælati cum capitulo, cum ille instar capitis, istud instar corporis sit.

« IX. Denique quamvis in reum etiam invitum reddatur judicium, ad agendum tamen in civilibus et criminalibus invitus nemo compelli potest... Ratio est quia cuilibet liberum est an velit juri, et actioni, quam adversus alium habet, cedere, vel insistere. Procedit autem hoc regulariter. Nam complures sunt exceptiones : 1. Qui jam semel actionem proposuit, cogi potest ut cœptam actionem prosequatur. 2. Qui alterum diffamavit.. ad diffamati instantiam compelli potest ad agendum intra certum terminum, nisi velit silentium sibi imponi. — 3. Creditores studiosorum discessurorum ab academiis, imo et aliorum, dum peregre abire cogitant; his enim certum terminum judex statuere potest, ut intra illum sibi ab his debita prætendant et debitores conveniant, eo autem lapso non audiantur. —4. Tutores et curatores; nam hi pro pupillis et minoribus sibi concreditis ratione officii agere compelluntur, nisi tutelæ judicio damnari velint.—6. Administrator civitatis. — 7. Denique hæres; nam hic necem defuncti vindicare tenetur, nisi hæreditatem sibi ut indigno auferri velit.

« Dub. 1. Utrum actor et reus cogi possint, ut personaliter compareant in judicio

« Resp. distinguendo inter judicem supremum, et inferiores supremo. *Supremus* puta, princeps, papa, imperator, rex, præcipere potest, ut partes si jurisdictioni suæ subsint, personaliter veniant, prout colligitur argumento a sensu contrario sumpto ex c. *Juris* 1, *De judiciis* in 6.... Aliud dicendum de judicibus inferioribus principe, nam etsi iste reum saltem compellere possit ad personaliter comparendum, quando causa est criminalis, et pœna corporis afflictiva, vel alia relegatione major infligenda venit. Id tamen communiter negatur, quando causa est civilis, vel criminalis quidem, sed talis in qua criminis qualitas mitiorem admittit pœnam... Ratio est, quia indultum a jure beneficium nemini est auferendum. (*Regul. jur.* 17, in 6.) Atqui litigantibus a jure indulgetur alternative, ut per se vel per idoneum procuratorem litigent. (C. *Querelam* 2, *De procurat.*) Ergo hoc juris beneficium a judicè, qui juris conditore inferior est (etiamsi esset Papæ delegatus), auferri non debet : et hinc in omni citatione, quæ personalem præsentiam expresse non astringit, subintelligi alternatio ista debet. Estque hoc ita verum, ut si judex ejusmodi inferior partes vocet ad personaliter comparendum in judicio non expressa causa in citatione, citatio non valeat, nec citatus in propria persona teneatur venire.

« Dub. 2. Quando judex inferior ordinarius, vel delegatus, compellere partes possit ad personaliter comparendum in judicio?

« Resp. plures enumerari casus. Et 1. quidem si causa sit criminalis, et injungenda pœna corporis afflictiva, vel alia relegatione major.. 2. Si præstandum sit juramentum de calumnia, aut pro veritate dicenda (c. *Juris* 1, *De judiciis* in 6), nisi tamen procurator a parte missus ad hoc ipsum speciale mandatum habeat; tunc enim admitti iste, nec principalis compelli potest, quia tunc nulla est juris necessitas. 3. Si specialiter examinare oporteat qualitatem personæ maturitatem ætatis, judicii discretionem.... — 4. Si actoris, vel rei præsentiam personalem necessitas juris exigat, quod statum, et verita-

tem rei, præsertim ea, quæ in facto consistunt, melius perspecta habeat, et valeat explicare. (C. *Juris* cit.; c. *Pastoralis* 14, *De judiciis.*) — 5. Si indicia contra reum sint vehementia, et accedente præsentia rei, inspecto vultu, ac responsis consideratis, veritas facilius deprehendenda speretur...— 6. In aliis etiam casibus, et causis, si delegatùs papæ sit, et ad hoc speciale mandatum habeat,.... quod tamen ad delegatos inferiorum judicum extendi non debet; quia hi, cum extra quinque relatos casus compellere partes ad comparendum personaliter nequeant, etiam non possunt eam potestatem delegare alteri. »

« Dub. 3. Utrum litigantes ea, quæ ad factum pertinent, in judicio proponere per advocatos valeant?

« Resp. Videtur respondendum affirmative... Et ita consuetudo et praxis passim in tribunalibus obtinet. Excipitur casus in quo necesse foret ut quæ ad factum pertinent, non per advocatos, sed per ipsas personas principales proponi deberent.

« Dub. 4. An, qui promisit se litigaturum coram judice, postea resilire possit?...

« Tenenda est negativa sententia, et dicendum eum, qui promisit coram judice sedente pro tribunali, se coram eo cum adversario suo litigaturum, etsi litem nondum sit contestatus, non posse amplius judicium recusare, vel exceptionem fori declinatoriam opponere, nisi nova causa superveniat, vel antiqua, quæ latebat et ignorabatur, detegatur. (Colligitur ex c. *De quod vult.* decret. 1, *De judiciis.*) Quod ita verum est ut, si post promissionem ejusmodi factam legitime citatus non compareat, habendus sit pro contumace, et ut talis puniendus, etiam censura excommunicationis, vel privationis reddit(uum) beneficii, ut sumitur ex cap. cit. Ipso tamen beneficio privari non potest... Quod multo magis verum est de episcopatu, nisi per annum in contumacia persistiterit. (C. *Rursus* 36, et c. seq. causa 11, quæst. 3.) Et ratio est, quia non debet duplici pœna affici. »

« Dixi *post promissionem*; nam si litigaturum se coram tali judice non promisit, nec litem est contestatus, adhuc potest exceptionem fori declinatoriam opponere usque ad contestationem litis. Et hinc pro cautela monet Barbosa loc. cit. n. 4; ut qui vult excludere adversarium ab opponendo exceptionem declinatoriam judicii, faciat, ut is interrogetur a judice, an litigare coram se velit; nam si respondeat affirmando, et scivit, sibi competere exceptionem declinatoriam fori, eam opponere deinceps non permittitur, sed eidem renuntiasse censetur. » (Huc usque SCHMALZGR. tit. I *De judiciis*, lib. II *Decretal.* n. 23 et seqq.)

CAPUT VI.

De aliis personis in judicio requisitis vel utilibus.

De personis principalibus, quæ judicium constituunt huc usque tractatum est; aliæ sunt minus principales quæ regulariter quidem, et secundum communem ac ordinarium processum in judicio intervenire debent, non tamen ita sunt necessariæ ut illud sine ipsis institui nequeat. Atque hinc primo breviter notanda sunt sequentia circa personas ad adjuvandum judicem constitutas, remittendo ad ea quæ diximus ubi de curia episcopali. Ibi enim necessariam notionem de ***auditoribus***, ***assessoribus***, ***fiscali promotore et advocato***, ***notariis et actuariis***, ***necnon cursoribus seu bajulis***, exposuimus.

ARTICULUS I. — *Quoad personas ad adjuvandum judicem constitutas.*

§ I. — De assessoribus.

« Hi ab *assistendo* sic dicti sunt, quod eum in finem assumantur, ut judici assideant, eumque suo consilio adjuvent. Unde etiam *consiliarii* vocantur... Officium eorum et auctoritas hodierno jure major est quam antiquo; nam antiquo jurisdictionem nullam habebant, sed tantum judici addebantur, ut consilio suo illum juvarent, quod proinde judex sequi necessario non tenebatur.... Hodierno autem jure in plerisque principum dicasteriis jurisdictionem etiam, et causarum decisionem habent, ut adeo sint veri judices, ac proinde, ut inter hos assumi quis possit, eædem petuntur qualitates, quæ petuntur in judice. » (SCHMALZGR. *De judiciis*, n. 14.) In ecclesiasticis judiciis assessores eam habent jurisdictionem, quam ab episcopo seu judice principali tenent.

§ II. — De auditoribus.

Auditorum usus præcipue est in curia Romana, et apud legatos sedis apostolicæ. Sunt, quibus vel tota causa, vel certus causæ articulus examinandus committitur, eo fine, ut post diligens examen super hoc institutum, rem omnem exponat judici, ejusque decisioni relinquat. Habent illi quidem juris-

dictionem in cognoscendo, ita ut partes ad audientiam citare, testes et probationes admittere possint, etc. In dicendo autem, et sententiando jurisdictionem non habent, nisi hoc ipsis specialiter a principali delegetur.

« His quoad officium consimiles videntur esse *referendarii*, a *referendo* dicti; quia eum in finem constituuntur, ut quia judex, multitudine causarum obrutus, omnium momenta ex actis sæpe amplissimis colligere unus non potest, ipsi ea discutiant, et postea eorum substantiam!, rationes et merita, judici et assessoribus referant, sicque illos ad sententiam ferendam instruant. »

§ III. — De notariis.

Hi varia sortiuntur nomina; dicuntur enim *notarii* a *notis*, seu abbreviato scribendi modo, quibus olim gesta in vel extra judicium mira celeritate excipiebant; *scribæ publici* (seu *grefarii* a γράφω, *scribo*), quia, quæ publice fiunt, publica auctoritate conscribunt; *actuarii*, dum acta, dicta et gesta judicialia notant; *tabelliones*, quia annotationes suas olim referebant in tabulas; *protocollistæ*, quia moderno tempore protocollum, seu librum actorum habent. Officium illorum patet ex data nominum, quibus compelluntur, explicatione; consistit enim in eo, ut dicta actaque judicii diligenter, et bona fide excipiant, et conscribant. »

§ IV. — De nuntiis judicialibus.

« Nuntii judiciales idem munus habent quod pedelli, cursores, viatores, apparitores, bajuli, etc. Hæc enim omnia in jure idem significant. Officium illorum est jussa sui magistratus et judicis implere, litigantes in jus vocare, processus actusque judiciarios exsequi, etc. Hinc sanctæ ipsorum personæ, et a violentia malignorum hominum, quoad actus, quos ex officio peragunt, debent exemptæ esse. » (Schmalzgr. *De judiciis*, n. 17 et seq.)

Articulus II. — *De personis quæ in judicio interveniunt ad adjuvandos litigantes.*

§ I. — De fiscali promotore et advocato.

Hi duo deputantur ad agendum et respondendum pro communitate, sive diœcesi et bono publico diœcesis. De his satis diximus in lib. III *De curia episcopali*, cap. XI.

§ II. — De procuratoribus.

Dictum est supra litigantes posse per procuratores agere et defendere in judicio; et hoc possunt multas ob causas et etiam in casibus non exceptis ob solam eorum voluntatem.

I. Atqui *procurator* idem sonat ac *pro alio curator*. In jure Romano, lege *Procurator* 1, ff. *De procuratoribus*, definitur : *Procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat.* « Vel ut alii explicatius, est, qui a domino, rebus suis superesse per seipsum non valente, vel non volente, constituitur, ut ipsius absentis negotia, unum vel plura, aut etiam eorum universitatem, in aut extra judicium, vel utrobique expedienda perficiendaque administret. (Ita, quoad sensum, doctores communiter.) Estque definitio hæc satis exacta, cum clarissime procuratorem distinguat ab iis, qui proprie procuratores non sunt : 1. Enim distinguit ipsum ab *advocato;* quia hic pro præsente postulat. — 2. A *negotiorum gestore;* quia hic aliena negotia gerit sine mandato. — 3. A *tutore et curatore;* quia isti non a pupillo, vel minore, sed a lege, magistratu, vel defuncto testatore constituuntur. — 4. A *nuntio;* quia huic nudum solummodo ministerium, non autem administrandi potestas committitur. — 5. A *defensore*, quia defensor reum tantummodo, et quidem si proprie sumatur, sine mandato tuetur. » (Schmalzgr. tit. xxxviii, *De procuratoribus*, lib. i *Decretal.*)

II. Procuratorum multæ sunt species.

1. Enim alius est procurator verus, alius falsus. *Verus* est, qui legitimum mandatum administrandi habet a domino; *falsus*, qui vel nullum mandatum habet a domino, vel non sufficiens; revocatum, aut alio modo exstinctum.

2. Procurator verus alius est *generalis* qui ad omnia negotia, vel lites; alius *specialis*, qui ad certum duntaxat negotium expediendum, vel litem in judicio prosequendam est constitutus.

3. Procurator generalis est, qui constitutus est *simpliciter* et alienare solum ea potest, quæ facile corrumpuntur, et servari nequeunt. Alius vero, qui constitutus est *cum libera*, hoc est plena et libera potestate agendi, vel gerendi omnia, quæ in causa, vel negotio gerere potest dominus : et hic etiam alias res mobiles, imo et immobiles vendere, permutare, aut aliis modis, excepta donatione, alienare potest.

4. Procurator alius est *in rem alienam* qui negotium alienum gerit in utilitatem domini; alius *in rem suam*, qui in commodum et utilitatem propriam : talis est, cui dominus vendidit, aut quoquo modo cessit jura et actiones suas, ita ut alieno quidem nomine litiget, emolumenta tamen litis ad ipsum pertineant.

5. Procurator alius est *principalis*, qui a domino deputatur; alius *substitutus*, qui a procuratore constituitur.

6. Denique procurator alius est *judicialis*, qui litem mandato domini gerendam suscipit; alius *extrajudicialis*, qui ad negotia extra judicium tractanda et explicanda constituitur.

7. Procuratores alii sunt simpliciter constituti; alii *in solidum*, id est, ita ut quilibet possit causam expedire. Si plures deputentur simpliciter, unus sine aliis admitti non debet. Si deputentur in solidum, et unus causam præoccupaverit, cæteri hoc ipso exclusi manent; nisi tamen in mandato cautum fuisset, ut causam non prosequente eo qui prior eam occupavit, alter admitteretur. (C. *Si duo* 6, *De procuratoribus*, in 6.)

III. *Quinam possint procuratores constituere?* — Generaliter loquendo omnes constituere procuratorem possunt, qui non prohibentur; et ad judicium omnes qui in judicio stare possunt et in iisdem causis atque cum eisdem conditionibus ac ipsi domini possunt.

Sic procuratorem ad lites dare nequeunt servus, pupillus et minor sine auctoritate tutoris vel curatoris; excommunicatus ad agendum, sed bene ad defendendum; religiosus, exceptis casibus, quibus per se agere in judicio sine licentia prælati potest; bannitus, quia civiliter mortuus reputatur; procurator, tutor, curator, syndicus universitatis, vel civitatis, qui constituere procuratorem nequeunt nisi litem sit contestatus; bene tamen possunt actorem constituere. Captus ab hostibus, qui similiter actorem constituere potest, non tamen procuratorem. — Prælatus sine consensu capituli et capitulum sine prælati consensu procuratorem constituere possunt in iisdem casibus, quibus agere et defendere possunt. Universitates possunt sibi constituere procuratorem. — Impeditus impedimento perpetuo, vel diu duraturo compelli potest sub contumacis pœna ut procuratorem constituat : secus si impedimentum sit temporale duntaxat, et brevi auferendum, et causa differri possit.

IV. *Quinam constitui procuratores possint?* — Constitui omnes possunt, qui mandati negotii exsequendi capaces sunt, nisi specialiter a jure prohibeantur. (C. *Non indiscrete* 1, tit. XIX, lib. I, in 6.) Jure canonico prohibentur esse procuratores excommunicati excommunicatione majore. (C. *Intelleximus* 7, tit. I, lib. II *Decretal.*) Procurator judicialis esse nequit minor 25 annis. (Cap. *Qui generaliter* 5, tit. XIX, lib. I, in 6.) — « Infamis persona nec procurator esse potest. » (Textu expresso cap. 1, causa 3, quæst. 7.)

In jure civili Romano procuratores esse nequeunt feminæ, exceptis nonnullis casibus; milites, exceptis pariter certis casibus; servi, furiosi, amentes, muti-surdi, digniores de republica, fiscus, accusatus criminis judicialiter donec suam innocentiam probaverit. Et hi censendi sunt a procurationis munere in foro ecclesiastico interdicti.

Quæritur utrum *clerici sæculares* et *religiosi* procuratores et advocati esse possint. Et sic respondendum est:

1. Clerici omnes, procuratores et advocati nunquam esse possunt contra reum, in causa criminali, si reo immineat pœna sanguinis. Communis ex c. *Sententiam* 9, tit. L, lib. III *Decretal.* ibi : *Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit.* Attento tamen jure hodierno, nihil obstare videtur quin clericus in minoribus constitutus reum in criminali causa et coram judice sæculari defendat; modo tamen clericus ille beneficium ecclesiasticum non habeat, ut dicetur infra.

2. Clerici in subdiaconatu et supra, item clerici in minoribus constituti et beneficium ecclesiasticum obtinentes, coram sæculari judice advocati et procuratores in negotiis sæcularibus fieri non præsumant. (Textu expresso c. *Clerici* 1, tit. XXXVII, lib. I *Decretal.*) Quatuor tamen enumerantur casus in quibus clericis sæcularibus omnibus permissum sit postulare. (C. *Clerici* 1, c. *Cum sacerdotis* 3, tit. XXXVII, *De postulando*, lib. I *Decretal.*) Et hujusmodi casus sunt: 1° Pro seipsis, sive in propria causa. — 2° Pro causa suæ ecclesiæ. — 3° Pro personis conjunctis usque ad quartum gradum consanguinitatis. Quibus Gloss. in c. *Cum sacerdotis*

cit. v. *Pro seipso* annumerandos vult etiam fratres spirituales, v. gr. canonicos ejusdem ecclesiæ, cum in his procedat paritas, vel majoritas rationis. — 4° Pro personis miserabilibus, quarum defensio ad Ecclesiam spectat, quales sunt pauperes, pupilli, orphani, viduæ, nam harum personarum patrocinium suscipere est opus pietatis. — 5° Addi debet consuetudo Romanæ curiæ, in qua summi pontificis tolerantia, clerici, etiam sacerdotes, obire solent munera advocationis et procurationis; sed tamen ob peculiares ejusdem curiæ consuetudines et agendi rationes in causis judicialibus.

3. Nullus clericus potest esse procurator et advocatus pro extraneis coram judice etiam ecclesiastico, contra ecclesiam a qua beneficium obtineret, sub pœna beneficii hujusmodi spoliationis. (C. *Cum sacerdotis* 3, tit. XXXVII, lib. III *Decretal.*) « Plures tamen faciendæ sunt exceptiones, quibus contra ecclesiam, in qua beneficium obtinet, clericus advocati et procuratoris munus obire potest. 1° Si præcepto superioris ad hoc cogatur. — 2° Si postulet in sua causa vel personæ conjunctæ. — 3° Si pro personis miserabilibus alio advocato destitutis. — 4° Si ecclesia integra esset in clericum. — 5° Si in una ecclesia, pro qua postulat, esset prælatus, in altera, contra quam postulat, haberet aliud beneficium. (SCHMALZGR. tit. XXXVII, *De postulando*, lib. I *Decretal.* n. 9.)

4. « Clerici qui sacerdotes sunt, in nulla causa, præter quam quinque casibus n. 2 supra exceptis, advocare possunt, etiam coram tribunali ecclesiastico (c. *Clerici* 1; c. *Cum sacerdotis* 3, tit. XXXVII, lib. I *Decretal.*), cujus ultimi textu sacerdos indistincte prohibetur in judicio postulare, adeoque coram judice ecclesiastico. Et ratio insinuatur: quia *sacerdotis officium est nulli nocere, omnibus autem velle prodesse.* Atqui advocatus, dum uni parti assistit et patrocinatur, alteri nocet, quam oppugnat. Ergo, etc.» (Ita SCHMALZGR. *ibid.* n 10.) « Contrarius tamen, ait D. Bouix, *De judiciis*, t. I, p. 204, huic sententiæ fuit celebris canonista Hostiensis, qui putavit sacerdoti illicitum non esse coram judice ecclesiastico advocati officium, modo sine salario exerceatur. Ad quam opinionem me inclinari, nisi doctorum communis obstaret auctoritas, faterer. Putarem nempe sensum legis posse intelligi de advocati officio, prout est publicum seu publica quædam professio et ordinaria exercitatio, ex qua lucrum percipi soleat; quo sensu nec coram ecclesiastico judice liceret sacerdoti advocatiam exercere. At vero quando quis, præsertim sacerdos, coram judice ecclesiastico convenitur, non posse eum ab alio sacerdote defendi, non mihi videtur ex textu legis fluere. Et certe sacerdotali dignitati magis congruit, ut pro sacerdote ad tribunal episcopi vocato, procuratoris et advocati officium potius exerceat sacerdos, quam inferior clericus, et præsertim laicus; ad quos tamen recurrere cogetur reus, si inter sacerdotes defensorem suum eligere prohibeatur. » Ad quæ præclari auctoris verba addendæ videntur aliæ rationes præsertim quoad Galliarum hodiernum statum. Etiam valde mutata sunt tempora ex quo lex cap. *Cum sacerdotis* cit. lata fuit; nam sæculares advocati fere omnino jus canonicum ignorant, imo et permulti clerici, unde coram judice ecclesiastico defendere nequeunt. Necessitas ergo, quæ est prima lex, cogit reum sacerdotem ad quærendum advocatum et procuratorem inter rares juris ecclesiastici peritos sacerdotes. Præterea exceptio per glossam supra cit. in cap *Cum sacerdotis*, in canonicorum ejusdem Ecclesiæ admissa, militare videtur etiam in sacerdotum favorem, quia sunt membra ejusdem corporis et sacerdotium in solidum obtinent. Aliunde sacerdotes coram judice ecclesiastico vocati, plerumque omni auxilio et patrocinio sunt destituti et plerumque apud nos vere pauperes; unde quarta ipsius juris exceptio pro miserabilibus personis posita, applicanda videtur hujusmodi sacerdotibus et clericis, qui proinde possunt a consacerdote defendi. Praxis etiam curiæ Romanæ non est in hoc casu negligenda; cum Ecclesia Romana sit mater et magistra omnium ecclesiarum, videtur ob temporum difficultates Romana praxis legem facere pro aliis ecclesiis, ac proinde in iis auctorizare ut sacerdotes defendant sacerdotem. Et clarissimus Fagnanus, quamvis teneat in cap. *Clerici*, et cap. *Cum sacerdotis*, sacerdotes non posse esse advocatos etiam coram judice ecclesiastico, sic explicat exceptionem capitis *Cum sacerdotis* in conjunctorum favorem : « Conjuncti etiam dici possunt conjunctione spirituali, confratres, seu clerici ejusdem ecclesiæ, vel canonicæ. (Arg. c. *Cum R. canonicus*, Ut

offic. deleg. et tenet hic gloss. 2, *Hostien*... et plerique alii; licet cardin. contra in quæst. 5.) Sed hic ut proxime dicam de amico. Quinimo conjunctus dici potest etiam amicus intimus fraterna charitate dilectus... Licet contrarium teneat cardinalis in quæst. 4., magis placet primum quoad potentiam exercendi advocationis officium. » — Ferraris, verb. *Advocatus*, art. 1, n. 6, sic absolute ait: « In foro autem ecclesiastico possunt advocatum agere clerici in sacris et beneficiati, etiam pro laicis, ut colligitur ex cap. *Per venerabilem*, *Qui filii sint legitimi*, et cum aliis tenet Fagn. in c. 1, n. 7, tit. XXXVII, *De postulando*, » ubi tamen Fagnanus excipit sacerdotes, quamvis ex Abbate Siculo dicat sentire communiter doctores quod omnes clerici etiam in sacris advocati esse in foro ecclesiastico possint. In hac sententiarum diversitate, videtur saltem jus prohibens advocatiam sacerdotibus in foro ecclesiastico non esse omnibus doctoribus clarum: unde libertas alterutram sententiam amplectendi cuilibet relinqui videtur.

5. « Clerici, subdiaconi et diaconi advocati, et procuratores esse possunt coram judice ecclesiastico, etiam in causis sæcularibus; coram judice sæculari autem (extra casus omnibus permissos.) tantum in negotiis ecclesiasticis. » (Communis. SCHMALZGR. in tit. XXVII, lib. I, n. 10.)

6. Clerici in minoribus constituti omnes possunt esse advocati coram judice ecclesiastico, præterquam in casibus exceptis num. 1, 2, 3, supra. (Est communis et extra controversiam.)

7. Clerici in minoribus beneficium ecclesiasticum non habentes, advocati esse possunt etiam coram judice sæculari extra causam sanguinis, et mutilationis, ut colligitur ex cap. *Clerici* 1, *De postulando*.... saltem si patrimonialia, vel aliunde acquisita bona non habeant. (Ita communiter doctores.)

8. Tum subdiaconi, tum diaconi, tum etiam sacerdotes, si neque ex redditibus ecclesiasticis, neque aliunde habeant unde vivant, et episcopus aut non velit aut non possit illis providere, licite possunt munere advocationis fungi etiam coram judice sæculari et in causis sæcularibus. Ita doctores communiter: in cujus conclusionis probationem sic disserit Pirhing: « Nam si clericus victum et vestitum sibi quærere potest exercendo agriculturam (c. *Clericus* 3, dist. 91), multo magis in tali necessitate poterit exercere munus advocationis, quod nobilius est; præsertim quia necessitas legem non habet; et, si clerico licet advocare pro pauperibus et aliis miserabilibus personis, ut illarum necessitati succurrat, multo magis erit id licitum ut propriæ necessitati consulat, cum charitas bene ordinata incipiat a se ipso. » (In tit. XXXVII, lib. I, *Decretal.* n. 10.)

9. *Religiosi* nequeunt esse advocati et procuratores coram ullo judice præterquam in causis, in quibus vertitur utilitas monasterii; in his enim, accedente mandato, sive consensu proprii prælati regularis obire munus advocati, vel procuratoris etiam coram judice sæculari possunt. (C. *Monachi* 35, causa 16, quæst. 1, et c. *Ex parte* 2, tit. XXXVII, *De postulando*, lib. I *Decretal.*) Excipiuntur FF. minores S. Francisci; nam hi ob nullam monasterii utilitatem ejusmodi munus, etiam de superiorum suorum licentia, obire possunt. (Clement. *Exivi* 1, *De verbor. signif.*—SCHMALZGR. *De postulando*, n. 7.)

V. *Quæritur in quibus causis constitui procuratores possunt.* — Resp. In omnibus causis, et negotiis, in quibus non reperitur prohibitum procuratorem constitui.... » — « Quare procurator constitui poterit: 1. in causis pecuniariis. — 2. In liberalibus, seu statum concernentibus. — 3. Non tantum in temporalibus, sed etiam in spiritualibus (C. *Non indiscrete*, *De procuratoribus* in 6.) — 4. Non tantum ad lites præsentes, seu inchoatas, sed etiam ad futuras, et nondum exortas. (C. *Non injuste* 14, *De procurator.*) — 5. Non tantum in prima instantia, sed etiam in secunda, sive in causa appellationis... (SCHMALZGR. tit. XXXVIII, lib. I *Decretal.* n. 18.) — In causis criminalibus omnibus procurator semper admitti potest pro actore; pro reo etiam admittitur præterquam in casu, quo pœna pro crimine imponenda veniat capitalis, vel corporis afflictiva, aut alia relegatione major. Si tamen reus sit absens, et quominus personaliter in judicio compareat impeditus, semper defendi per procuratorem potest, saltem ex probabiliori sententia. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 22.)

VI. *De mandato procuratorio* — 1. Regu-

lariter mandatum procuratori ad agendum seu pro actore necessarium est, et quidem ita, ut ab eo, qui legitimo mandato caret, sive a procuratore falso, in judicio gesta, sint irrita ipso jure. (Arg. c. *In nostra* 4, *De procurator.*) — Dixi *ad agendum, seu pro actore*, nam pro reo absente etiam sine mandato defensor admittitur, modo legitimam personam standi in judicio habeat, satis det pro judicato solvendo, et etiam de rato cautionem præstet casu, quo reus convenitur actione reali ; et hoc verum est de jure positivo et naturali.

« Addidi *regulariter;* nam plures sunt casus, in quibus etiam ad agendum procurator sine mandato admittitur. Et 1° quidem si dominus præsens, et sciens suo nomine aliquem in judicio contendere, istud patiatur ; quia tali dominus mandasse videtur. — 2° Si talis sit, qui causas tractare consuevit et secum habet instrumenta, sive acta ipsius causæ; quia hæc præsumptionem mandati fundant. (C. *Coram* 34, *De offic. deleg.*)— 3° Si sint consortes ejusdem litis; nam hi pro se invicem, etiam absque mandato, in judicio possunt agere. — 4° Si sint personæ conjunctæ, quales sunt parentes, liberi, fratres, affines, liberti.... imo omnes conjuncti usque ad quartum gradum in linea transversali. — 5° Si maritus agere velit pro uxore. (C. *Constitutis* 12, *De procurator*.... — 6° Si episcopus, vel prælatus bona et jura ecclesiæ suæ perdat, vel defendere aut recuperare negligat ; tunc enim canonici et clerici singuli agere super iisdem possunt, etiam sine mandato. (C. *Licet* 1, *de restit. spoliat. ;* c. *Cum olim* 34, *De test. et attest* ; c. *Si quis* 6, *De rebus eccles. non alienand.*) Et ratio est, quia ipsorum interest res et jura ecclesiæ suæ salva et illæsa servari... His ergo omnibus agere sine mandato permittitur, nisi aliud constet de voluntate domini, pro quo interveniunt, vel causa sit speciale mandatum exigens. Ratio exceptionis est ; quia personæ hactenus relatæ admittuntur ob præsumptionem mandati, quæ in casu exceptionis cessat. » SCHMALZGR. *ibid.* n. 25.)

2. Ut procurator cum mandato admitti debeat ad agendum pro principali, requiritur : 1° ut mandatum, quod habet, sit sufficiens, non revocatum, vel alio modo exstinctum; alias tantum erit procurator falsus. — 2° Ut mandatum illud sit conceptum in forma a jure, et juxta stylum curiæ cujusque requisita. Tale erit, si in eo ponatur nomen constituentis, procuratoris constituti, actoris, contra quem, judicis apud quem, agendum ; si ponatur in eo qualitas causæ demandatæ, dies, et annus constitutionis, etc. —3° Ut mandatum sit sufficienter probatum. Probari autem potest per instrumenta publica et privata, per testes, qui de mandato deponant, per præsumptionem ex conjunctione sanguinis, etc. — 4° Ut si sit procurator rei, satis det de judicato solvendo, nisi satisdationem præstiterit ipse principalis.... Hodie tamen cautio hæc non requiritur, sed sufficit, si procurator fidem de mandato faciat. — 5°. Ut, si rationabiliter dubitetur, an ad agendum legitimo et sufficienti mandato instructus sit, procurator actoris caveat, vel promittat dominum rem ratam habiturum... Secus, si constet, quod sit instructus mandato sufficienti, vel contra certum sit, quod vel nullum, vel non legitimum mandatum habeat; nam primo casu etiam sine cautione hac admittendus; in secundo etiam cum cautione de rato est repellendus, nisi ex talibus personis sit, quæ agere sine mandato possunt... (ID. *ibid.* n. 26.)

3. « *Quæritur* quid procurator, generaliter constitutus ad agendum, vi mandati hujus generalis possit. Resp. Potest omnia quæ mandatum hoc, vel principaliter vel accessorie sub proprietate suorum verborum continet, nisi causa talis sit, quæ speciale mandatum exigat. Ita communis.

Porro speciali mandato procurator indiget : 1. Ad tractandas causas criminales criminaliter intentatas. —2. Ad jurandum de calumnia. Clem. 2. *De procurat.* — 3. Ad deferendum adversæ parti juramentum decisivum. (C. *Qui ad agendum* 4, *De procurat.* in 6.) — 4. Ad transigendum vel paciscendum. (C. cit.) — 5. Ad compromittendum in arbitrium. — 6. Ad petendam restitutionem in integrum. — 7. Ad impetrandum rescriptum. — 8. Ad tractandam causam, seu negotium matrimoniale. — 9. Ad donandum, debitum remittendum, fidejubendum. — 10. Ad beneficiorum aliorumque jurium renuntiationem.— 11. Ad accipiendam possessionem canonicatus vel alterius beneficii. — 12. Ad collationem vel præsentationem faciendam ratione juris conferendi, vel patronatus. — 13. Ad petendam absolutionem ab excom-

municatione. — 14. Ad impetrandam dispensationem... etc. Multos alios hujusmodi casus enumerant auctores.....

« Procurator, qui generaliier constitutus est cum clausula *Ut possit omnia, licet mandatum speciale exigant*, non potest tamen expedire articulum aliquem, speciale mandatum exigentem. (Ita statuitur c. *Qui ad agendum* 4, *De procurator.* in 6.) Si autem in hujusmodi mandato unum aut plura, speciale mandatum exposcentia, exprimantur et permittantur, tunc vi hujus clausulæ procurator sic constitutus expedire potest etiam alia his similia, aut minora. (C. *Qui ad agendum*, cit. et *Clement.* 2, eod. tit.) — Item si procurator sit constitutus cum libera et plena potestate agendi omnia, quæ ipse dominus posset si præsens esset, potest expedire ea quæ speciale mandatum exigunt; quia mandatum cum libera æquivalet mandato speciali... »

Procurator generaliter constitutus *ad negotia*, vi talis mandati etiam censetur datus *ad lites;* quia verba generalia generaliter intelligenda sunt. (C. *Qui generaliter* 6, *De procurat.* in 6.) Secus si vox *negotium* sumatur stricte.

Procurator datus ad agendum censeri debet instructus sufficienti mandato ad respondendum, seu defendendum, et etiam respondere debet et potest in causa reconventionis. (SCHMALZGR. tit. XXXVIII, lib. I *Decretal.* n. 25 ad 31.)

VII. *De officio et potestate procuratoris.* — Officium procuratoris debet esse gratuitum. Ex quo sequitur, si pactio vel conventio de mercede interveniat inter dominum et procuratorem, ejusmodi procuratorem non esse proprie procuratorem, sed potius locatorem, nec mandati, sed locati nomine contra eum agendum. Si constitutus tamen, non secus ac alius verus procurator admitti debebit; quia sufficit quod mandato domini agat.

Officium et potestas procuratoris maxime ex mandato pendet; cujus fines diligenter observare debet; alias domino non præjudicat; quia qui fines mandati sibi dati *excessit, aliud quid facere videtur*, quam ei mandatum est. Quare quid in particulari possit procurator mandatum consulere debet. »

« Omnibus procuratoribus communia sunt sequentia : 1° Contestari litem.— 2° Appellare. — 3° Substituere sibi alium, si impeditus est. — 4° Negotio, aut lite ad finem perducta, rationem eorum, quæ gessit domino reddere. — 5° Eidem, quæ consecutus est, restituere. »

« Litis contestatione procurator fit dominus litis, ita ut in ipsum totus processus dirigi, et ipsa etiam sententia in eumdem, et non in dominum regulariter ferri debeat; quamvis exsecutio fieri debeat in bonis domini, nisi procurator in rem suam datus sit, vel cum mandatum non haberet, ad defensionem se obtulerit, satisdando dominum rem ratam habiturum. »

« Dixi *regulariter*; nam excipitur 1° Si dominus præsens fuit in judicio, et litem ipse est contestatus...2° In matrimonialibus, beneficialibus et aliis spiritualibus causis. —3° In causis criminalibus criminaliter intentatis. — 4° In causis ecclesiarum, monasteriorum, aliarumque communitatum, uti et pupillorum. — 5° In aliis causis, si consuetudo, aut specialis constitutio habeat, ut sententia feratur in dominum, etsi is per procuratorem agat. »

« Procurator constitutus ad lites appellare potest non tantum si denegentur ei induciæ, quas petit, ad dominum absentem super re aliqua consulendum. (C. *Dilectus* 11, *De procurat.*) Sed etiam a sententia contra ipsum lata. (C. *Non injuste* 14, eod.)

Non tenetur tamen appellationem prosequi exceptis casibus sequentibus : « 1° Si generaliter ad lites, seu causas judiciales omnes sit constitutus; nam etiam causa appellationis judicialis est. — 2° Si appellaverit a sententia interlocutoria; quia censetur idem negotium cum causa principali.— 3° Si constitutus sit ad agendum, defendendum et appellandum: quia tunc suscepisse creditur in se prosequendi appellationem. »

« Procurator ad negotia datus regulariter substituere sibi alium potest; procurator vero ad lites non potest ante contestatam litem, sed post contestationem litis, potest.

Dixi *regulariter*, nam in negotio contrahendi matrimonium, in negotio magni momenti, in quo præsumitur electa esse industria personæ, si committens negotium voluerit ut procurator illud expediret per seipsum; in negotio, quod alias speciale mandatum exigat, procurator sibi alium substituere nequit.

Negotio, aut lite ad finem perducta, debet : 1. procurator omnium eorum, quæ

gessit, rationem reddere; et quæ consecutus est, domino restituere. — 2. Si dolo vel culpa etiam levissima damnum intulit, vel interesse domini non bene curavit, illatum damnum, et interesse propter tacite promissam industriam compensare tenetur.. Quod si procurator solvendo non sit, domino concedenda est in integrum restitutio. (Gloss. in c. *Cum venissent* 2, verb. *Restituimus*, *De in integr. restit.*, atque doctores passim.) — 3. Si expensas in mandati, sive negotii sibi commissi executione de bonis propriis fecit, repetere illas a domino potest, etsi de restituendis in constitutione nihil sit actum... proceditque hoc, etsi procurator in causa succubuerit, aut negotium, sine culpa sua, inutiliter gesserit. — 4. Si procurator negotium non gratis gerendum suscepit, salarium vel honorarium promissum exigere potest. — Duo priora præstanda sunt etiam procuratori, qui absentis negotium sine mandato suscepit. Quoad tertium et quartum, distinguendum est an faciliter, et utiliter negotium absentis gesserit, an inutiliter. Si *primum*, salarium laboris suscepti, et factas expensas actione negotiorum gestorum potest repetere. — Si *posterius*, iterum distingui debet, an secundum communem æstimationem hominum consultum fuerit in principio, ut absentis negotium ipse ageret, vel non. Si consultum et utile fuit, iterum repetere expensas, imo et honorarium potest, etsi negotium præter exspectationem optatum exitum non habuerit. Secus, si neque consultum, neque utile illud fuit domino: tunc enim sibi imputare negotiorum gestor debet, quod alieni patrimonii administrationi improvide se immiscuerit.»

« An, et qua ratione procurator, agendo vel omittendo, noceat domino, seu principali? Resp. cum distinctione: vel enim mandati procuratorii fines observat procurator, vel fines ejusdem excedit. *Si primum*, id, quod vi talis mandati facit, domino nocet; quia quatenus procurator non excedit fines mandati, ab ipso gestum a domino gestum habetur. »

« *Si secundum*, secunda distinctio adhibenda est, et videndum an aliquid agat extra id quod mandato continetur, vel an aliquid agat aut omittat circa actum, vel negotium mandato comprehensum. *Si prius*, et aliquid agat extra id, quod mandato continetur. ex. gr., si habens mandatum ad proponendas exceptiones dilatorias, non has, sed peremptorias proponat, et propterea causa cadat, ejus factum non præjudicat domino. Ratio est, quia ad id nullum habet mandatum. »

« *Si posterius*, et aliquid agat, vel omittat mandato comprehensum, distinguendum est tertio, et videndum an id, quod amisit procurator, ex judicis, vel legis præcepto dominus debuisset facere, an vero non dominus, sed procurator. *Si dominus illud debuisset facere*, et procurator illud omisit, ex. gr. si ad litem prosequendam constitutus in præfixo termino peremptorio non comparuerit, si exceptionem domino competentem non opposuit, si labi permisit fatalia ad appellandum concessa, etc., id domino nocet, et imputatur; quia is obligatus erat ad faciendum illud per se vel per alium; et in effectu non fecit... Excipitur, si casus fortuitus procuratori accidit, qui etiam dominum excusasset; tunc enim neque ipsi domino imputari id poterit. »

« Quod si non dominus, sed procurator aliquid facere debuit, et non fecit, danda est distinctio quarta, an certum sit negligentiam procuratoris in delictum cadere, vel non certum. *Si certum non est*, nocet, et præjudicat domino; quia sibi imputare dominus debet, quod negligentem et imperitum procuratorem constituerit... At *si certum sit*, seu constet quod talis sit negligentia, quæ in delictum cadat, vel pœnam mereatur, et agatur de re magni præjudicii, ut de multæ impositione, ea omissio nihil nocet, vel præjudicat domino; quia non censetur dominus procuratorem, quamvis generalem, constituendo, voluisse ipsi delictum præcipere. (Piring. hic, n. 79.) Excipitur, nisi dominus consentiat expresse, vel tacite. » (Schmalzgr. tit. xxxviii, lib. i *Decretal*. n. 32 ad 38.)

VIII. *Quomodo officium et potestas procuratoris exspiret?* — 1. Officium et potestas procuratoris variis modis exstingui potest. Et primo quidem exspirat *mutuo consensu utriusque*, scilicet domini constituentis, et procuratoris constituti... estque hoc verum, sive res sit integra adhuc, sive non amplius integra, nisi alterius præjudicium in eo versetur: quod addo propter procuratorem ad lites datum: nam si hic litem contestatus jam est, accedere insuper consensus adversarii, vel causæ cognitio debet, cujus ratio est, quia per litis contestationem quasi

contrahitur cum adversario... a contractu autem, parte altera invita, non licet recedere. »

2. « *Revocatione*. Ubi tamen distinguendum est, an res adhuc sit integra, vel non. Si *integra adhuc sit*, revocare dominus procuratorem a se datum libere, et sine causa, etiam invitum potest... nisi mutatione tali præjudicaretur alteri, sicut præjudicaretur, si procurator in rem suam fuisset datus. — At si res *integra esse desiit* (quod in procuratore ad negotia fit inchoato negotio, in procuratore ad lites lite contestata), non aliter procuratorem invitum revocare potest, quam justa causa intercedente, eaque, si procurator ad lites datus sit, a judice prius cognita, et probata. » (C. *Quamvis* 2, *De procurat.* in 6.)

« Dubium est, an procuratoris potestas statim cesset, revocatione facta? Resp. negative. Sed requiritur ut intimetur ipsi procuratori, et si hic sit datus ad negotia personæ, cum qua tractandum negotium ipsi erat; adversario autem, vel judici, si sit datus ad lites. (C. *Ex insinuatione* 3 et seq. *De procurat*... — Effectus intimationis sic factæ est, quod acta ab hujusmodi procuratore revocato invalida sint, quæ alias valerent si constituens intimationem hanc omisisset. Excipiuntur tamen 1° contractus matrimonii; 2° acceptatio beneficii ecclesiastici; 3° quoties ignorantia revocationis procuratori præjudicium nullum affert..... In his enim revocatio etiam non intimata tenet, et post eam acta invalida sunt.

3. Finitur officium et potestas procuratoris *exoneratione* ipsius procuratoris renuntiantis mandato : in quo iterum adhibenda distinctio; nam *ante litem contestatum* libere resignare officium procurationis potest; nisi dominus pro procuratore expresse vel tacite ratum habente satis dederit, vel fidejusserit de judicato solvendo; tunc enim compelli potest procurator ad judicium accipiendum, ne decipiatur is, qui satis dedit. (Clement. 1, *De procurat.*) — *Post litis contestationem* renuntiare procurator officio, domino invito, nequit; nisi justa causa subsit...

4. *Mutatione* procuratoris, seu alio in locum ejus substituto; nisi in constitutione secundi dominus exprimat, quod per hoc priorem revocare non intendat. (Arg. c. *Si quem* 8, *De procurat.* in 6.)

5. *Finita instantia* judicii, videlicet lata sententia definitiva.

6. *Morte constituentis*, re adhuc integra, exstinguitur; at si integra esse desiit, officium et potestas procuratoris post mortem constituentis perseverat. Excipitur in Clement. fin. *De procurator.*, ille procurator, qui a prælatis, vel personis ecclesiasticis deputatur pro juribus Ecclesiæ, vel beneficii sui defendendis aut prosequendis; nam hujus officium morte constituentis, etiam civili, exspirat, etsi res non amplius sit integra, sed lis contestata, vel negotium cœptum. Ratio est, quia successor in dignitate, vel beneficio ecclesiastico non tenetur factum, vel contractum defuncti sui antecessoris præstare, nisi tamen hoc factum sit simul cum consensu capituli; sic enim gesta etiam successorem ligant, consequenter, ita constitutus procurator capitulari auctoritate sustinetur, vacante sede, successore vero ingresso, auctoritate juris communis, quod successorem ad ita factis standum obligat. »

7. *Morte ipsius procuratoris;* nam hoc officium non transit ad hæredes.

8. « Si ipse dominus sive ante, sive post litem contestatam ad causam suam veniat, non ut assistat procuratori suo, prout ipse potest per c. *Quamvis* 2, *De procurat.* in 6; sed ut eamdem causam per se tractet. Nam eam per se tractando, censetur procuratorem tacite revocare, nisi ex protestatione, aut aliis conjecturis contrarium appareat. (C. *Si quem* 8, *De procurat.* in 6.)

« Porro ex dictis hactenus patet quænam exceptiones opponi adversus procuratorem possint. Reducuntur enim maxime ad quatuor capita. 1° Excipi adversus ipsum potest *ex parte constituentis*, quod constitutus sit a non habente potestatem constituendi. — 2° *Ex parte ipsius procuratoris constituti*, quod procurator esse non possit, quia est minor, excommunicatus, etc. — 3° *Ex parte materiæ*, quod causa, in qua constitutus est, procuratorem non admittat. — 4° *Ex parte formæ*, quod mandatum non habeat, vel non sufficiens. » (SCHMALZGR. tit. XXXVIII, *De procuratoribus*, lib. I *Decretal.*, n. 39 ad 48.)

§ III. — De syndico seu procuratore universitatum, communitatum et collegiorum.

1. *Syndicus* est procurator, qui alicujus universitatis communi mandato causas, et lites ejusdem administrat, et prosequitur.

Sumitur autem hic *universitatis* nomine collectio hominum viventium in civili, vel ecclesiastica societate, jure, vel consuetudine approbata, ut sunt civitates, oppida, ecclesiæ, monasteria, collegia studiorum, opificum.

II. Ut rite constituatur syndicus, 1° ad eum constituendum vocandi sunt omnes, qui jus suffragii habent. — 2° Si aliqui vocati emaneant, constituere syndicum præsentes possunt, modo duæ partes ex tribus, de universitate eorum qui jus suffragii habent, præsentes sint, et major præsentium pars consentiat. — 3° Electio syndici a communitate ecclesiastica, quæ bona separata non possidet, confirmari debet consensu superioris. — 4° Expediendum est instrumentum syndicatus, subscriptione ordinaria et sigillo universitatis munitum, quod ut rite conceptum sit, exprimi ibidem debet, quis syndicum constituerit, quis constituatur, ad quas causas, et lites contra quas, denique quomodo, et quare constitutus sit.

III. Syndici constitui possunt omnes, et soli illi, qui procuratores; sed præferendi sunt qui ex ipsa universitate sunt, si in ea reperiantur idonei. Laicus etiam in causis spiritualibus syndicus et procurator ad agendum, et defendendum in judicio esse potest.

IV. Universitas seu communitas necessario debet constituere syndicum; quia per seipsam nec convenire, nec conveniri potest. Possunt assumi syndici plures.

V. *Objectum* syndici sunt causæ universitatis, præsentes et futuræ, tam civiles, quam criminales.

VI. *Officium* syndici est agere et defendere causas communitatis, a qua constitutus est, etiamsi illæ inter ipsam et superiorem illius, e. gr. principem agitentur: nec propterea culpari syndicus debet, quippe quem officii necessitas excusat.

Potestas autem, si mandato non restringatur, aut extendatur, eadem fere est, quæ procuratoris constituti cum libera, seu plena agendi potestate. Hinc in negotiis universitatis istius nomine deferre potest, et præstare juramentum, super ejus rebus dubiis, et controversis transigere, et pleraque alia exercere, quæ speciale mandatum non exigunt. — Donare tamen; ac debitum liquidum remittere nequeunt. — Ut admittatur ad agendum, et defendendum communitatis nomine, non tenetur cavere de rato, nisi probabiliter de mandato dubitetur; nec cogi potest satisdare judicatum solvi; quia pro publica utilitate constituitur, sicut tutor, præsertim cum universitas præsumatur semper esse solvenda.

VII. Officium et potestas syndici finitur iisdem fere modis, quibus mandatum procuratorium, duobus duntaxat exceptis. Nam 1. non finitur morte constituentium, quia communitas semper manere eadem intelligitur. — 2. Non finitur, finita instantia; cum enim ad causas universitatis generaliter constitutus sit, etiam appellationes ejus nomine interpositas, instar procuratoris ad lites generaliter constituti, prosequi debet. (Arg. c. *Non injuste* 14, *De procurat.*) — Attamen solus abbas revocare potest syndicum cum consensu capituli constitutum (SCHMALZGR. tit. XXXIX, lib. I *Decretal.*)

§ IV. — De advocatis, seu de postulando (tit. XXXVII, lib. I *Decretal.*)

I. *Postulare*, seu *advocare* hic aliud nihil significat, quam desiderium suum, vel amici sui, apud eum qui jurisdictioni præest, in jure, sive judicio exponere, vel alterius desiderio contradicere. (C. *Infantes* 2, causa 3, quæst. 7.)

II. « *Advocatus*, qui alias etiam *patronus causæ*, et *orator*, et *causidicus* appellatur, proprie dictus est ille, qui pro altero præsente postulat, seu defensionem præstat, et ei auctoritate, consilio, opera sua in judicio assistit. » (Ita cum communi PIRHING. hic, n. 2.)

« Ex quo sequitur, advocati munus non obire: 1. Qui sive verbo, sive scripto alicui consilium dat in aliqua causa, non adeundo judicem; quia advocare est assistere in judicio, et ibi desiderium alterius exponere: et hinc prohibitus advocare non prohibetur extra judicium consilium litiganti dare. — 2. Qui partes inducit ad contractum aliquem ineundum ob eamdem rationem. — 3. Qui jura partis allegat coram arbitratore; quia arbitramentum non est proprie judicium...; aliud est in arbitrio; cum arbitria ad instar veri judicis redacta sint. — 4. Qui judicem adit, non tamen ibi jura partis allegat, sed tantum rogat, ut eidem concedat terminum: imo qui etiam jura partis allegat, sed privatim tantum, et non in judicio. »

III. *Advocatus* in multis a procuratore differt: 1. Enim advocatus postulat pro præ-

sente, procurator pro absente. — 2. Advocatus debet esse juris peritus, imo juris doctorum judicio approbatus; in procuratore vero non tam scientia, quam diligentia requiritur, cum causæ, seu negotii administrationem tantum habeat. » — 3. Advocati officium publicum, et honorabile est, multisque gaudet privilegiis; procuratoris officium est magis privatum, vile et onerosum. — 4. Cum procuratore contrahitur, quando mandatum suscipit, ideoque non potest cogi; non autem cum advocato, siquidem officium ejus est publicum, ideoque cogi potest a judice ad suscipiendum patrocinium causæ. — 5. Procurator, si causam male egerit, vel cum adversario colluserit, tenetur actione mandati. Advocatus vero eo casu non ex mandato, sed de prævaricatione tenebitur. — 6. Procurator post litis contestationem fit dominus litis; advocatus non item.

IV. Advocatorum, 1. alii sunt *publici*, qui in causis publicis, et fisci operam suam impendunt; alii *privati*, qui operam suam præstant in causis privatorum. — 2. Alii *ordinarii*, qui publica auctoritate ad causas perorandas destinati, quasi ex officio, patrocinium litigantibus conferunt : et hi, quia, dum officium istud suscipiunt, juramentum deponunt, et in album advocatorum referuntur, *jurati*, *immatriculati* dicuntur; alii vero *extraordinarii*, qui nec publica auctoritate constituti, nec in numerum advocatorum adlecti, extra ordinem quasi partibus patrocinantur in judicio. — 3. Denique alii sunt *voluntarii*, qui a partibus rogati spontanee suum auxilium pollicentur; alii *necessarii*, qui auctoritate judicis inviti jubentur causam clientis suscipere.

V. Litigantes sibi advocatos possunt constituere. Partibus petentibus, vel etiam ex officio advocatos decernit et dat judex, vel magistratus ordinarius, ut si partes principales propter impedimentum juris, aut facti, per seipsas postulare, vel propter notoriam egestatem, adversæ partis potentiam, etc., acquirere advocatos non possint. Et hoc casu tenebitur patrocinium præstare parti, cui a judice vel magistratu datus est, et quidem gratis, saltem lege charitatis, si cliens non habeat unde salarium advocato solvat, et hoc ex ærario publico pro talibus advocatis constitutum non sit. Ad id compellere eumdem judex, vel magistratus poterit, etiam sub pœna privationis officii.

VI. *Quinam possint advocare seu officium advocati suscipere?*

Diximus supra § 6, *De procuratoribus*, n. 4.

VII. Licet advocato pacisci de salario solvendo a suo cliente.

VIII. *Quasnam causas perorandas suscipere possint advocati?* — « *Certum est* 1°, non posse ab ipsis suscipi causam injustam; alioquin si sciens id fecerit, tenebitur tum parti læsæ, tum clienti, si eum decepit, dicens esse justam causam, ad restitutionem damni illati. »

« *Certum est* 2°, non esse opus, ut advocatus sit certus de justitia causæ, quam suscipit; quia potest suscipere defendendam causam etiam mere probabilem, saltem si sit æque probabilis, vel probabilior, quam sit causa oppositæ partis. Si hoc non liceret, vix unquam liceret advocato patrocinium interponere, cum lites fere omnes oriantur ex re, vel facto dubio. »

« *Certum est* 3°, non posse illum suscipere causam probabilem, in qua nulla spes prudens affulget victoriæ, nisi monito prius de hoc periculo suo liente. »

IX. « Quæritur *quod sit officium et obligatio advocati?* — Resp. 1. Si in advocatorum matriculam sit relatus, et judex ita præcipiat; præstare clienti sibi a judice commendato, patrocinium debet, nec recusare id potest sine justa causa, ut dictum est supra num. 4 et 5. Quod adeo verum est, ut litigans, quandiu idoneum advocatum non habet, in contumaciam condemnari nequeat, sed dandæ sint ipsi induciæ ad advocatum quærendum. (C. *Adhuc* 1, *Ut lit. non contest.*)

2. Si causam aliquam sibi defendendam susceperit, illius merita diligenter rimari, ea, quæ ad defensionem illius sive de jure, sive de facto conferunt, diligenter conquirere, et nihil eorum debet omittere, quæ causæ defendendæ proficua esse possunt. Alias si quovis modo per culpam suam, vel imperitiam amittat causam in judicio, non solum salarii nihil potest exigere, sed ad ejus etiam, quod accepit, restitutionem, et resarcitionem omnis damni, quod clienti inde ortum est, in conscientia obligatur. »

3. « Aliud nihil in judicio proponant, quam quod justum et verum perspexerint.

Hinc in defensione causæ nullam legem falsam allegabunt, vel perverse interpretabuntur, nec producent falsa instrumenta, aut testes falsos, vel corruptos; alias falsi crimen incurrunt.

4. Fidelitatem, et silentium clienti servent; nam si cum adversario, aut ejus advocatis colluserint, vel causam prodiderint, aut aliquid in eorum gratiam omiserint, tanquam prævaricatores, et criminis falsi rei puniri poterunt.

5. Causam semel susceptam, cliente invito, non deserent, nisi reperiant esse injustam, sed ad exitum perducant usque ad sententiam definitivam.

6. Non exigant, vel accipiant immodicum lucrum sub quocunque nomine. (Vide alia apud SCHMALZGR.)

7. Ad quæ omnia, initio suscepti officii juramento se debent obstringere... (SCHMALZGR. in tit. 37, *De postulando*, lib. I *Decretal.*)

Notandum : Constitutis advocatis, procuratoribus, et syndicis, de quibus hactenus, partes litigantes accedunt judicem, et actor actionem intentat reo, reus adversus istum se defendit, producendo ex utraque parte testes et instrumenta probationum. De quibus dicemus infra. Nunc vero de quasi judice seu de arbitris, ut omnia completa sint, tractandum videtur.

CAPUT VII.

De arbitris. (Tit. XLIII, lib. I *Decretal.*)

Qui in judicio coram judice litigare nolunt metu sumptuum, et expensarum, plerumque ad arbitros lites deferunt, et coram iisdem, minori plerumque impendio, easdem terminant.

§ I. — De natura et varietate arbitrorum.

I. Arbiter stricte et specifice sumptus, prout a judice proprie dicto contra distinguitur, definiri potest, quod sit vir bonus, qui sive ex dispositione juris, sive ex conventione partium constituitur, ut super controversia, quæ inter eos est, judicium, sive animi sui sensum proferat, eamque dirimat. (PIRHING, hic. n. 1.)

« Ex quo sequitur duplicis generis dari arbitros, nempe *arbitros juris*, qui etiam *arbitri necessarii* appellantur, et *arbitros compromissarios*, qui alio nomine *voluntarii* dicuntur. *Priores* sunt, qui ex præscripto legis, principis, vel judicis constituuntur; *posteriores*, qui solo partium consensu assumuntur.— Horum iterum duæ sunt species; nam aliqui illorum appellantur simpliciter arbitri, alii vero arbitatrores. — *Arbitri* dicuntur, in quos ita sive expresse, sive tacite compromissum est, ut in causa sibi commissa, servato juris ordine, ac forma judicii procedere ac pronuntiare debeant. — *Arbitratores* vero, in quos a partibus ita compromittitur, ut sine juris ordine, seu forma judicii non observata, causam cognoscant, examinent, ac de illa statuant, sicut ipsis æquum et bonum videtur. »

Quando quis arbiter legitime constituitur, potestatem qua antea carebat, de causa cognoscendi et pronuntiandi acquirit. Quæ potestas, etsi jurisdictio proprie dicta non sit, est tamen quasi jurisdictio; et arbiter est quasi judex.

II. Arbiter compromissarius a judice differt : 1. Quoad ipsam *constitutionem;* nam judex publica auctoritate assumitur; arbiter compromissarius solum privata partium. Ille invitus dari potest; hic non nisi volens. (C. *Cum speciali* 6, *De appellat.*) —2. *Quoad potestatem :* nam arbitraria sunt stricti juris, et in iis observari fines compromissi debent, amplior est potestas judicis, præsertim ordinarii; hic enim omnia potest, quæ in causis ad forum ejus spectantibus non sunt expresse excepta. —3. *Quoad processum :* nam procurator coram arbitro litigans non tenetur satisdare, et cavere dominum rem ratam habiturum; quia potest solvere pœnam compromissi, et non stare sententiæ. Secus si litiget coram judice. Item arbiter compromissarius non potest contumaces punire, vel testes cogere, quia jurisdictionem non habet. Quod tamen potest judex. — 4. *Quoad pronuntiationis vim et efficaciam :* nam ex sententia judicis oritur actio, et exceptio rei judicatæ. Neutra datur ex pronuntiatione arbitri, sed pœnæ tantum petitio, nisi expresse, vel tacite sit approbatum. Item sententia judicis lata in causa furti, injuriæ, etc., infamat condemnatum. Laudum vero, seu pronuntiatio arbitri non infamat. — 5. *Quoad firmitatem pronuntiati :* nam arbiter, si de causa sibi commissa pronuntiando erravit, et sententiam invalidam dixit, errorem corrigere, vel sententiam mutare non potest; at judex ordinarius potest. — 6. *Quoad appellationem :* nam ab arbitro compromissario, ejusque arbitrio appellari nequit; potest appellari a sententia judicis. — *Quoad exe-*

cutionem : nam judex sententiam valide a se latam exsequi potest; non potest arbiter, quia jurisdictione caret; sed executio demandatur judici ordinario rei ipsius. »

III. Quomodo *arbitri juris* differant ab *arbitris compromissariis?* — Resp. Tres potissimum sunt differentiæ. 1. Arbitri juris compelli possunt ad munus hoc suscipiendum: non ita compelli possunt arbitri compromissarii; si tamen arbiter etiam compromissarius arbitrium semel suscepit, adimplere illud tenetur, nisi incidens aliquod necessarium impedimentum, vel alia causa justa eumdem excuset. — 2. Arbitri juris habent jurisdictionem quasi ordinariam : et propterea instar veri judicis citare partes, examinare testes, et alia facere possunt, quæ ad causæ definitionem sunt necessaria. (Arg. c. *Suspicionis* 39; et ibi gloss. v. *Ad quos omnia, De offic. delegat.*) At vero arbitri compromissarii nullam habent jurisdictionem, sed tantum cognitionem, eamque ob causam sententiam de causa sibi commissa ferre quidem possunt partes tamen, vel testes ad comparendum et testificandum compellere nequeunt. — 3. A juris arbitris non secus, ac a sententia judicis appellari potest; quia sunt veri judices. (C. *Ab arbitris* 11, *De offic. deleg.*) Non autem appellationi est locus ab arbitris compromissariis; nam partes hos sibi sponte elegerunt, ut adeo sibi imputare debeant, si illorum pronuntiatione lædentur.

IV. *Quæ sit inter arbitrum, et arbitratorem differentia?* — Resp. Præcipuæ differentiæ sunt sequentes : 1. « Arbiter assumitur super lite, sive ad dirimendam, quæ inter aliquos est controversiam. At arbitrator plerumque tantum ad contractus perficiendos, damna illata resarcienda, et alia negotia extrajudicialia explenda. — 2. Arbiter procedit, servato juris ordine, ad modum judicis..... At arbitrator, etsi ad litem componendam assumptus sit, quasi amicabilis compositor, et inter partes mediator extrajudicialiter solum, atque ex æquo et bono negotium æstimat, deque eo judicium suum profert. — 3. Arbitratores semper ex libera voluntate partium assumuntur, arbitri vero, ut vidimus, aliquando sunt juris et necessarii. Ad arbitratoris munus regulariter admittuntur omnes; non omnes possunt esse arbitri, ut dicetur infra. — 4. Ut judex, ita nec arbiter aliquis esse in propria causa potest. Arbitrator autem quis esse in causa et facto proprio non prohibetur. — 5. Sententiæ arbitri stari oportet, sive æqua, sive iniqua sit, nisi arbiter juris, et necessarius fuerit; tum enim appellatio datur. At arbitramentum, seu pronuntiatum arbitratoris propter læsionem enormem, quam pars parata est probare, ad arbitrium boni viri reduci potest ad æqualitatem justitiæ. » (SCHMALZGR. in tit. XLIII, *De arbitris*, lib. I *Decretal.*)

V. *De arbitri juris constitutione.*— Arbitri juris « possunt constitui ex variis causis, et aliquando etiam debent. Casus, quibus ex legis præscripto constitui debent, sunt maxime sequentes. 1. In causa suspicionis objectæ judici. (C. *Suspicionis* 39, *De offic. deleg.;* c. Si *contra* 4; et c. *Ab arbitris* 11, eod. in 6.) — 2. Si diversi judices super revocatione litterarum apostolicarum discordent. (C. *Pastoralis* 14, *De rescriptis.*) — 3. Si episcopus cum clerico sibi subjecto controversiam habeat. (C. *Clericus* 46, causa 11, quæst. 1.) — 4. Si supremi principes inter se contendant, et transactione res componi nequeat. — 5. Si exstet statutum in aliquo loco, ut super controversiis, inter personas sanguine conjunctas ortis, compromittatur in arbitros. »

§ II. — De subjecto et objecto arbitrii.

I. *Quinam compromittere in arbitros possint vel non?* — Resp. Regulariter possunt omnes, qui rerum suarum liberam administrationem habent, ut de iis disponere etiam alienando possint. (Colligitur ex c. *Cum tempore* 5, *De arbitris.*)

II. Sed in arbitros compromittere nequeunt, qui liberam bonorum administrationem non habent : 1. Pupillus et minor sine auctoritate tutoris vel curatoris. — 2. Furiosus et prodigus. — 3. Femina, nisi pro re sua, non vero pro alio. — 4. Servus. — 5. Filiusfamilias super peculio suo adventitio, vel profectitio; secus, si agatur de castrensi, vel quasi castrensi. — 6. Tutores et curatores super rebus, quas sine solemnitatibus alienare nequeunt; secus, si res sit, quam licite alienant. — 7. Procurator in negotio sibi commisso, nisi speciali mandato compromissum facere sit ipsi concessum. (C. *Per tuas* 9, *De arbitris.*) — 8. Religiosus, etiam administrationem habens, sine licentia superioris. — 9. Parochus, vel alius beneficiatus sine consensu episcopi in præjudicium

ecclesiæ, vel beneficii sui. (C. *Pervenit* 3, et ibi glossa fin. *De arbitris.*)

III. Certum est Prælatum in causa ecclesiæ suæ compromittere in arbitrium posse: 1. Si agatur de re mobili non pretiosa. — 2. Si agatur de mobilibus, aut immobilibus pretiosis, dummodo compromissum fiat, ita ut non ad alienandas, sed retinendas penes ecclesiam tendat: — 3. Etiam super immobilibus et mobilibus pretiosis, si accedat justa causa et consensus capituli, aliæque solemnitates ad alienationem necessariæ.

IV. Nemo cogi potest compromittere in arbitros, estque hoc ita verum ut, si judex quempiam indebite ad compromittendum compulerit, compromissum sit ipso jure nullum.

«Excipitur 1. Si sit princeps supremus, vel papa; nam isti cogere ad compromittendum possunt : quod tamen intelligendum duntaxat est de iis, quæ libere ipsorum administrationi subsunt, non vero de privatis aliorum juribus. — 2. Si judex videt non posse causam per sententiam sine scandalo, vel alio publico incommodo expedire. — 3. Si partes diu litigarunt et, res multum est controversa. — 4. Si dissensio sit inter personas insignes, ut per eas turbatio reipubl. timenda esset. — 5. Si imminet suspicio rixæ et armorum. — 6. Denique in singulis cæteris casibus, in quibus jus commune, vel statutarium mandat eligi arbitros.»

V. « *Quinam possint eligi, vel assumi in arbitros?* — Resp. Possunt eligi et assumi omnes cujuscunque dignitatis et æstimationis sint, nisi jure prohibiti reperiantur; neque refert, sitne pater, an filiusfam., ingenuus, an libertinus, integræ famæ, an infamis, privatus, an constitutus in magistratu. » — « Nec etiam interest quot assumantur; possunt enim assumi arbitri in una eademque causa unus, vel plures, pares vel impares numero. c. *Pervenit* 3, et c. *Innotuit* 12, *De arbit.*) Consultius tamen est, si impari numero assumuntur, ut si dissentiant, majoritas votorum haberi possit. (C. *Sane* 1, et ibi glossa, v. *Unus*, *De arbitr.*)

In specie prohibentur esse arbitri compromissarii: 1° servus; — 2° pupillus, furiosus, surdus et mutus; 3° minor 20 annis; — 4° excommunicatus vitandus; — 5° mulier; — 6° religiosus sine superioris sui consensu; — 7° Laicus in causa spirituali (c. *Contingit* 8, *De arbitr.*), nisi munitus sit privilegio apostolico; — 8° nemo in propria causa. Sed arbitratores possunt esse *primo* mulier; *secundo* laicus in causa spirituali.

VI. « *Super qua causa, seu re compromitti in arbitros possit?* — Resp. Hic regulæ instar est compromitti posse in arbitros super qualibet causa, vel re de qua in canonibus, vel legibus non reperitur prohibitum. «Jure autem excipiuntur: 1. causæ criminales, si criminaliter intententur. (C. *Causa* 9, in fin. *De in integr. restit.*) — 2. Causæ matrimoniales. (C. *Causa* cit.) — 3. Causæ beneficiales. (Ex reg. 1, in 6.) — 4. Causæ liberales, sive quibus de hominis libertate, ingenuitate, conditione servili quæstio est; nam hæ et cæteræ status quæstiones, majores judices postulant. (C. *Causa* cit.)—5. Causæ exemptionis. (*Cum tempore* 5, *De arbitr.*) — 6. Causa decisa per sententiam indubitatam et quæ transiit in rem judicatam. (C. *Exposita* 11, *De arbitr.*) — 7. Causa in integrum restitutionis, nisi incidenter tractetur. (C. *Causa* 9, cit. 8.) Causæ in quibus agitur de rebus spectantibus ad aliquam communitatem, ut ad regnum, civitatem, oppidum, etc. — 9. Causæ omnes, super quibus non potest transigi. »

VII. *An coram arbitris institui etiam reconventio possit?* — Distinguendum est: 1. Coram arbitro juris si electus sit ad totam causam, et non tantum ad certum articulum definiendum, locum reconventio habet, cum vere sit judex; non vero coram arbitro compromissario, nisi id in compromisso expressum sit.

VIII. Arbiter potest cognoscere non solum de causa principali, sed etiam de connexis, si quasi intrinseca sit ipsorum connexio, non vero, si mere extrinseca. In specie cognoscere potest: 1. De exceptionibus tam dilatoriis, quam peremptoriis; quia ad defensionem excipientis et elidendam intentionem actoris ab intrinseco ordinantur. — 2. De interesse tam actoris, quam rei; quia illud tacite inest ipsi reo. — 3. De fructibus, quia constituunt partem rei. — 4. De expensis et sumptibus litis.

IX. Arbiter compromissarius sibi non potest alium substituere, nisi hoc in compromisso expressum sit. »

§ III. — De arbitrii forma, effectu, et contrariis.

I. Quæritur *quid sit forma?* — Ad formam arbitrii plura pertinent: 1. Modus, quo compromissum fit in arbitros. — 2. Forma qua procedere in causa sibi commissa debet arbiter. — 3. Locus ubi de illa cognoscere. — 4. Tempus, quo ferre arbitrium. — 5. Modus quo illud ferre.

«Dub. 1. *Quomodo compromitti possit in arbitros?* Resp. Potest compromitti non solum voce, aut nutibus inter præsentes, sed etiam per epistolam, vel internuntium inter absentes; per nudum pactum, nulla interveniente stipulatione, vel etiam hac interveniente, absolute, et sine adjectione pœnæ vel apposita pœna cum juramento, vel sine illo, in unum, vel plures arbitros.»

«Hinc etiam varia compromittentium est obligatio, qua tenentur stare arbitrio. Nam 1° si compromissio facta sit nudo pacto, in foro externo nulla oritur efficax obligatio vel actio; sed compromittentes laudo arbitri possunt impune non parere. *Excipitur*, nisi ex altera parte pactum illud sit traditione impletum, et sic in pactum vestitum transierit; tunc enim ex eo actio dabitur contra illum, qui compromissum implere non vult, ut vel impleat, vel acceptum restituat, vel interesse solvat, prout is qui compromissum implevit, maluerit.»

2° «Si intervenerit stipulatio, sed sine pœna et juramento adjecto, contra non stantem compromisso actio ad interesse competit. (C. *Per tuas* 9, *De arbitr.*) Non autem inde actio, vel exceptio rei judicatæ nascitur post sententiam latam ab arbitro nisi sententia hæc a partibus homologata, id est, recepta et approbata fuerit vel expresse, vel tacite per silentium decem dierum. Tunc enim oritur ex illa exceptio et actio in factum tanquam ex re judicata, et laudum indistincte observandum et exsecutioni mandandum est.» (C. *Per tuas*, cit.)

3° «Si compromissum sit in arbitros, adjecta pœna transgressori, sed sine juramento, sufficit, si pœna solvatur. Nam hac soluta, a sententia arbitri libere recedi potest. (C. *Per tuas* 9, cit.) Nisi *primo* sententia arbitri a compromittente, contra quem lata est, homologata sit expresse; quia tunc censetur elegisse potius stare sententiæ, quam pœnam solvere. Non sufficit homologatio tacita. Excipitur *secundo* nisi in compromisso pœnali adjecta sit clausula, *rato manente compromisso, et arbitrio super eo lato;* tunc enim contraveniens et pœnam solvere et sententiæ arbitri nihilominus parere cogitur.»

4° «Si compromisso præter pœnam transgressori statutam, adjectum sit juramentum de observando arbitrio, dissident inter se doctores in c. *Per tuas* cit. Alii volunt eo casu trangressorem compelli posse ad solvendam pœnam, et insuper etiam ad observandum compromissum; quia dicunt juramentum oppositum compromisso pœnali habere vim clausulæ *rato manente compromisso.* ¡Sed probabilius est satisfacere, si vel stet compromisso, vel pœnam solvat, ita ut illam solvendo a compromisso possit recedere.» (Ita INNOCENT. et alii.)

5° «Denique, si compromisso non quidem pœna, sed juramentum appositum sit, quo partes compromittentes jurarunt se staturos sententiæ arbitri: tunc ex jure canonico nascitur obligatio efficax et actio, ob clarum textum c. *Non fine* 2, *De arbitr.*, ubi partes jubentur compelli ad servandum arbitrium, in quod juramento compromissum est, modo id alias licitum et æquitate subnixum sit.»

«Dub. 2. *Qua forma in causa sibi commissa procedere arbiter debeat?*—Resp. Si partes nihil aliud in compromisso expresserint, forma in arbitrio servanda est fere eadem, quæ in judicio; nam, ut sæpe dictum est, compromissa ad similitudinem judiciorum redacta sunt. Adeoque citari partes, contestari utrinque litem, jurare de calumnia et fieri alia debent, quæ ad processum judicialem pertinent. Ita omnes.»

«Addidi autem, *si partes aliud nihil in compromisso expresserint.* Solent namque et possunt partes compromittentes formam, in arbitrali processu servandam præscribere. Hinc tota potestas arbitri compromissarii ex ipso compromisso pendet; ita ut si ejus excedat terminos, nihil agat... Excipienda tamen sunt ea, quæ dependentia, seu necessario connexa sunt, sine quibus causa principalis commode expediri non potest; nam de his cognoscere, et judicare arbiter potest, etsi ea expressa non sint, ut dictum est supra.»

«Dub. 3. *In quo loco arbitri cognoscere debeant de causa sibi commissa, et laudum proferre?* — Si locus certus est designatus a compromittentibus, statur conventioni, et partes alibi comparare non tenentur. Si nihil de loco in compromisso expressum est, causa cogno-

scenda et terminanda est in illo loco, in quo compromissum factum est. De cætero, debet locus ille esse honestus, et quidem respectu utriusque compromittentis; alias arbitro convocanti impune non parent. Non debet esse ecclesia. Perinde est in quo territorio exsistant arbiter et compromittentes.

« Dub. 4. *Quo tempore arbiter debeat arbitrari?* — Videtur nullo tempore prohibitum... Quare *arbitrator* dicere arbitrium potest etiam die feriato. Sed si de *arbitro* sermo sit, etsi sint feriæ in honorem Dei institutæ, laudum arbitri in iis pronuntiatum non solum illicitum, sed etiam ipso jure nullum est, nisi necessitas urgeat, aut pietas aliud suadeat.

« Dub. 5. *Casu quo plures assumpti sint arbitri, jure canonico.* — Si major arbitrorum pars adsit, et reliqui vocati, ac requisiti ut intersint, absque justo impedimento, ex negligentia, vel malitia causæ cognitioni interesse nolint, reliqui præsentes causam, super qua compromissum in eos est, examinare, et definire libere possunt. (C. *Ut quæstionibus, De arbitr.* in 6.)

« Dub. 6. Quorum sententiæ standum sit, si plures electi arbitri dissentiant? — Resp. Nisi compromissum sit, ita ut concordare omnes debeant, standum est sententiæ, in quam major pars illorum convenerit... Si plures electi utrinque numero pari dissentiant, judex ordinarius compellere eos potest, ac debet, ut tertiam personam certam eligant, vel a partibus coram ipsis litigantibus designatam assumant, cujus auctoritati stetur ac pareatur. Ipsis arbitris in dissensione tertium eligendi licentia non est danda. (C. *Innotuit* 12, *De arbitr.*)

II. « Quæritur *Quis sit effectus recepti arbitri?* — Resp. Plures occurrunt, quorum aliqui se tenent ex parte arbitri, alii ex parte compromittentium, alii ex parte causæ, de qua est compromissum, alii ex parte judicis ordinarii. »

« *Ex parte arbitri.* — 1. Etsi arbitri munus in se suscipere non cogatur, si tamen illud in se susceperit, in eo perseverare, et causa cognita, sententiam tenetur dicere, et si temere recuset, judiciali sententia compelli potest. — 2. Debet procedere secundum tenorem compromissi; nam si modum et terminos in hoc præscriptos excedat, arbitrium irritum efficitur. Si tamen istud plura contineret capitula, et horum unum ab altero non dependeat, laudum super his pronuntiatum validum manebit quoad ea de quibus pronuntiando limites compromissi non excessit, ne utile per inutile vitietur contra *regul. jur.* 37, in 6. — 3. Debet pronuntiare juste et sincere, remotis partium studiis, juxta leges, statuta, et consuetudines loci : nam si inique pronuntiet, idque ex dolo, et hoc evidenter constet, laudum ipsius observari non debet, ut colligitur ex c. *Non sine* 2, *De arbitr.* 4, potest arbiter non comparentes, et contumaces *punire pecuniam cum adversario dari jubendo.* — 5. Si semel bene, vel male pronuntiaverit, pronuntiatum corrigere non amplius potest; quia ubi primum fuerit pronuntiatum, officio suo functus censetur. »

« Effectus *ex parte compromittentium* est: 1. Quod arbitro vocanti teneantur parere, sub mulctæ pœna. — 2. Quod regulariter obligentur stare sententiæ arbitri, sive æqua, sive iniqua sit. — 3. Quod ipsis detur ex laudo arbitri actio, et exceptio, non quidem judicati, sed in factum, seu ex compromisso.

Ex parte causæ denique arbitrium sequentes producit effectus : 1. Illi imponit finem, ita ut ne appellari quidem ab ipso possit. — 2. Interrupit præscriptionem; — 3. Acta coram arbitro in eadem causa, et inter eosdem compromittentes in quolibet judicio vim probandi retinent.

« Dub. 1. Plures causæ excusant arbitros, quominus arbitrium dicere teneantur : 1. Si litigatores eos infamaverint. — 2. Si spreta eorum auctoritate, ad judicem, vel alios arbitros iverint, et si mox redierint. — 3. Si litigantium alter cesserit bonis. — 4. Si inimicitiæ capitales inter ipsos et litigatores intercesserint. — 5. Si judex sit ejus rei, de qua in ipsum est compromissum. — 6. Si superveniat adversa valetudo, vel alia causa justa.

« Dub. 3. *Quibus casibus arbitri sententia sive laudum non debeat necessario observari?* — 1. Quando non fuit observata forma expressa in compromisso. — 2. Quando adversatur legibus, aut sanctis canonibus; — 3. Quando dolo arbitrium ab arbitro pronuntiatum est. — 4. Quando ejus iniquitas est notoria. — 5. Quando arbitri pronuntiatione pars enormissime læsa est. » — Si vero pars graviter quidem, sed non enormissime et citra dolum sit læsa, tunc reductio peti

debet coram judice ordinario; a quo in casu appellari etiam potest.

« Quæritur 3. *Quibus modis finiatur compromissum et arbitrorum potestas?* Resp. Solvitur pluribus modis.

Ex parte arbitrorum. — 1° Solvitur morte arbitrorum, etiam unius, si plures sint, et res adhuc sit integra. — 2° Deportatione vel banno eorum; item, professione religiosa. — 3° Diuturna absentia, vel alio justo impedimento. — 4° Recusatione arbitri.

Ex parte compromittentium. — 1° Solvitur morte eorum, vel etiam unius, nisi pro universitate vel hæredibus sit compromissum. — 2° Mutuo compromittentium consensu. — 3° Transactione partium. — 4° Cessione sui juris ab una parte. — 5° Si recedens a compromisso pœnam statutam solverit, nisi adjecta sit clausula *rato nihilominus manente* compromisso.

Ex parte causæ. — 1° Solvitur pronuntiatione definitiva super tota, vel omnibus causis, super quibus est compromissum. — 2° Lapsu temporis, pro causa finienda præstituti, nisi partes tempus præfixum prorogent. — 3° Lapsu triennii a lite coram arbitro contestata, si nullum certum tempus causæ expediendæ præfixum sit. — 4° Deficiente conditione, sub qua in arbitros est compromissum. — 5° Interitu rei, de qua arbitrium ferendum erat.

Tria remedia competunt contra laudum seu sententiam injustam arbitri. 1° Is, contra quem lata est, si conveniatur actione ex stipulatu ad pœnam promissam solvendam *uti potest doli mali exceptione*, et petentem repellere. — 2° In casu læsionis ultra dimidium justi pretii; ita læsus intentare potest remedium, etiamsi laudum et arbitramentum approbasset. — 3° Si laudum contineat iniquitatem notoriam et manifestam, admittitur etiam ab eo appellatio, etiamsi compromissum sit juramento confirmatum, vel saltem reductio laudi ad arbitrium boni viri, quæ est quædam quasi appellatio... (Hactenus ex SCHMALZGR. tit. XLIII *De arbitris*, lib. I *Decretal.*)

CAPUT VIII.

De foro competenti.

Quia jurisdictio seu fori competentia, totius judicii contentiosi fundamentum sit, ita ut eo deficiente judicium sit nullum; ideo quoad unamquamque causam ante omnia dignoscendum est quisnam judex legitimus sit seu competens. Neque enim quilibet judex potestatem habet quaslibet causas dirimendi; sed certas duntaxat quæ ipsius jurisdictioni subjacent. Hinc sedulo canonistæ materiam illam *de foro competenti* expendere solent; sub quo titulo duo determinant. 1. Nempe quænam causæ ad judicium ecclesiasticum pertineant, et quænam ad tribunal sæculare; de quo tractavimus supra. — 2. Quisnam ex judicibus ecclesiasticis competens sit quoad singulas causas, quæ fori ecclesiastici sunt; de quo nunc tractandum habemus, siquidem hoc est semper determinandum priusquam quodlibet judicium incipiatur.

§ I. — Quid sit forus et quotuplex.

I. Præteritis variis hujus vocabuli significationibus : « in proposito *forus* seu *forum* significat, imprimis locum publicum in quo lites et judicia exercentur, seu ubi quis convenire potest. (C. *Forus* 10, *De verbor. Significatione.*) Ibi dicitur: *Forus est exercendarum litium locus.* Et hoc forum alias etiam tribunal vel auditorium, vel etiam, respectu papæ aut judicis ecclesiastici, consistorium vocatur, ut notat Hostiensis in *Summa*, tit. *de foro compet.* n. 1 et 2. Forum etiam significat totum territorium in quo quisque judex habet jurisdictionem. (L. *Pupillus*, 239, ff. *De verbor. significat.*) Quo sensu etiam tota diœcesis dicitur territorium episcopi..... Itaque proprie loquendo forum competens vocatur tribunal judicis, cujus jurisdictioni reus subjicitur, sive in quo reus ab actore conveniri debet et potest... Adeoque forum dicit et importat, tum jurisdictionem quæ exercetur in litibus dirimendis, tum etiam locum seu tribunal in quo lites dirimuntur; ita ut forum sit aliquid aggregatum et compositum ex utrisque.» (PIRHING. in tit. II, lib. II *Decretal.* sect. 1, § 1.)

II. *Quotuplex sit forus?* — « Aliud est forum *competens*, in quo reus conveniri potest et debet, vel ubi judex est competens et jurisdictionem habens in reum; aliud est *incompetens*, ubi reus conveniri nec potest, nec debet. Competens dividitur in *ecclesiasticum et sæculare*; ecclesiasticum in *externum* et *internum*. Internum in forum pœnitentiale sive sacramentale, et in non

sacramentale. Item aliud forum est *contentiosum*, aliud *voluntarium* : hic de foro externo et contentioso sermo est. » (HUTH, in tit. II, lib. II *Decretal*. quæst. 1.)

§ II. — De competentia fori seu judicis.

I. Competentia nihil aliud est quam ipsamet jurisdictio. Is enim « judex competens dicitur, cujus jurisdictioni subjicitur reus, seu coram quo actio, et lis proponi, atque institui, et finiri potest...» (PIRHING. *De foro compet*. n. 1, et communiter.)

II. Competentia autem proprie dicta est jurisdictio in personas simul et earum causam, non vero in solas personas, aut solam causam. Exempli gratia, episcopus jurisdictionem quidem in omnes suos diœcesanos habet; sed quoad ecclesiasticas, non quoad sæculares ipsorum causas. Item episcopus potestatem habet delinquentes clericos judicandi et puniendi ; non tamen alios quam diœcesis suæ ; item judex sæcularis judicare potest causas mere temporales, sed non inter clericos. Unde necesse est ad competentiam proprie dictam ut judex jurisdictionem habeat in personas simul et earum causas. Atqui generaliter sic distinguuntur judices competentes:

1. « Alius est *simpliciter competens*, quem scilicet partes litigantes adire possunt, et debent, tanquam ordinarium judicem loci, seu territorii, in quo judicium exercetur: quales sunt judices ordinarii constituti a lege, principe, vel consuetudine ut præsint universali jurisdictioni alicujus civitatis, vel provinciæ, » aut diœcesis.

2. « Alius vero est *per se incompetens*, qui tamen consensu partium litigantium, dum jurisdictionem ejus prorogant, competens fieri potest. (C. *Significasti* 18, *De foro competenti*.) Talis est judex ecclesiasticus respectu laicorum in causis temporalibus; licet enim ille respectu istorum in hujusmodi causis per se competens non sit, si tamen laici se jurisdictioni ejusdem subjiciant, illam in se prorogant; et sic eum respectu sui competentem faciunt. »

3. Utrique opponitur judex, qui *simpliciter est incompetens* : ita ut nec partes jurisdictionem ejusdem prorogare in se consensu suo possint. Talis est judex sæcularis respectu clericorum, et respectu laicorum in causis mere spiritualibus et ecclesiasticis, ut hæresis, simoniæ, decimarum, etc...

Unde sequitur : 1° Quod sententia lata a judice simpliciter incompetente ipso jure nulla est. (Per claros textus c. *At si clerici* 4, *De judiciis*.) Ratio est quia jurisdictio est basis et fundamentum omnis judicii ac sententiæ. Igitur ubi hæc deficit, judicium non est, et nec sententia, et nec judicatum dici potest. Et hinc ejusmodi sententia, licet ab ea non appelletur, nunquam tamen in rem judicatam transit, sed semper etiam post tres uniformes sententias exceptio nullitatis contra eamdem opponi potest, modo de tali incompetentia, et omnimodæ jurisdictionis defectu evidenter constet. (Glossa in Clement. unic. v. *Non obstante*, *De sequest. possess*.) Proceditque hoc, quamvis quis jurasset se non oppositurum de nullitate; nam adhuc nullitatem ex defectu jurisdictionis potest opponere.

2° Si sententia lata est a judice per se incompetente cujus jurisdictio in litigantes prorogari potuit, videndum, an pars litigans, ab eo in jus vocata, ignoraverit eum esse incompetentem, an vero hoc sciverit, et tamen non opposita exceptione fori declinatoria, comparuerit. — *Si prius*, sententia iterum nulla est; quia, cum ignorantis nullus sit consensus, is, qui judicem, quem adiit, nescivit incompetentem esse, ejus jurisdictionem in se prorogasse non intelligitur. Et hinc errore postea cognito, exceptionem incompetentiæ etiam post litem contestatam potest opponere. — *Si posterius*, comparendo, et non opposita exceptione, litigando censetur in ipsum consensisse, et jurisdictionem illius in se prorogasse, ut ita qui suus, et competens ante non fuerat, suus, et competens effectus fuerit. (SCHMALZGR. in tit. II *De foro compet*. lib. II *Decretal*. n. 1 ad 5.)

§ III. — Ex quibus principiis deducatur competentia fori.

Resp. Deducitur maxime ex tribus, videlicet : « 1. Ex persona judicis, ejusque jurisdictione. — 2. Ex persona rei conventi. — 3. Ex qualitate causæ in judicium deductæ, vel deducendæ. »

« Ut ex persona judicis forum competens sit, necessarium est ut jurisdictionem, vel saltem facultatem cognoscendi de causa inter personas litigantes habeat; quod fieri duplici modo potest : 1° potestate ordinaria, qualem ordinarii judices habent; 2° potestate extraordinaria, qua pluribus modis acquiri potest : scilicet vel delegatione, vel

prorogatione, vel causæ connexione, vel reconventione, vel compromisso partium, vel privilegio certis personis concesso. Tollitur vero vel suspenditur avocatione, præventione, appellatione, relatione, et quibusdam aliis intervenientibus circumstantiis a jure determinatis. Unde ut dignoscatur an quis ex jurisdictione extraordinaria competens judex sit, explorandum est an ipsi competat aliquis ex titulis prædictis, et insuper an sic acquisita jurisdictio suspensa necne fuerit, aut etiam sublata. »

Cum multa sint communia ordinariæ et extraordinariæ jurisdictioni, de singulis extraordinariam jurisdictionem acquirendi vel amittendi modis hic primo tradenda notio est.

I. *De jurisdictione per delegationem acquisita.* — Duplici modo acquiri potest jurisdictio; vel scilicet independenter ab omni circumscriptione territoriali, vel potestate coarctata intra certi alicujus territorii fines. Priori modo jurisdictionem delegatam habent, v. gr. judices a papa delegati quoad certam aliquam causam, vel ad certas causarum species, ubicunque terrarum degant personæ inter quas illæ causæ vertuntur. Posteriori modo jurisdictionem delegatam habet delegatus papæ quoad certas causas alicujus duntaxat provinciæ. Potest etiam episcopus, intra tamen limites suæ diœcesis aliquem delegare ad certas causarum species in tota diœcesi, vel ad certas causas alicujus duntaxat partis ejusdem diœcesis.

Unde 1°, quando jurisdictio delegata non alligatur alicui territorio; si verificetur causa de qua agitur, et personas inter quas vertitur, esse de earum numero, in quas concessam jurisdictionem mandati testatur, concludendum erit hunc judicem quoad illam competentem esse; modo tamen jurisdictio illa suspensa aut sublata non fuerit aliquo ex modis infra enumerandis. Sed hic primus casus locum habere potest solummodo in delegatis papæ, cui totus mundus territorium est.

2° Quando jurisdictio delegata alicui particulari territorio affigitur, quod semper accidit in delegatis a quocunque prælato papæ inferiori et etiam in delegatis papæ pro aliqua provincia; tunc ad affirmandam judicis delegati competentiam non sufficit causam de qua agitur, et personas inter quas vertitur, esse de numero earum in quas per diploma delegationis confertur jurisdictio; sed necessarium est insuper verificari alias conditiones ex parte circumscriptionis territorialis necessarias, de quibus infra agemus,' agendo nempe de jurisdictione ordinaria. Si ergo hæc omnia super causa, personis et territorialibus conditionibus verificentur ex mandatodelegationis, constat judici delegato collatam fuisse jurisdictionem, modo tamen, quod semper subaudiendum est, ipsius jurisdictio suspensa vel sublata non fuerit.

II. *De jurisdictione per prorogationem acquisita.* — 1. *Quid sit prorogatio.* — « Prorogare jurisdictionem nihil aliud est quam voluntarie alicui judici se subjiciendo, cui quis alias in illa causa subjectus non est, ejus jurisdictionem ac potestatem supra se extendere, et sic alienum et incompetentem judicem, sponte in eum consentiendo, suum et competentem facere. » (Pirhing. in tit. ii, lib. ii *Decretal.* n. 182.) Prorogatio definitur apud Adamum Huth, *ibid.* quæst. 12, resp. 4 : *Extensio jurisdictionis ad personas, causam, tempus, vel locum, in quas, quando et ubi alias non competit, consensu libere earumdem personarum facta.* Brevius definiri potest : *Judici, alioquin incompetenti per consensum partium addita sufficiens jurisdictio.* (D. Bouix, *De judiciis*, t. 1, p. 249.)

2. *Quotuplex distinguatur prorogatio.* — « Fit autem hæc prorogatio quatuor potissimum modis videlicet : 1° *De una persona ad aliam personam*, ex. gr. quando scilicet judici, qui limitatam jurisdictionem habet in una civitate (vel territorio, subditi alieni mutuo consensu se subjiciunt, ut causa eorum cognoscatur per illum, cui alias quoad suas personas non sunt subjecti. — 2° *De re ad rem* (seu de una causa ad aliam causam), ex. gr. scilicet si judici habenti limitatam jurisdictionem', ut non possit cognoscere de summa excedente centum aureos, partes litigantes super majore summa se ei mutuo consensu subjiciunt, ut etiam cognoscere de majore illa summa. — 3° *De tempore ad tempus*, quando causa intra certum tempus terminanda, cum consensu partium et judicis prorogatur, ut etiam post illud cognosci et definiri possit. — 4° Denique, *de loco ad locum*, quando de uno loco territorii ad alium ejusdem territorii, cum consensu partium transfertur forum seu judicium. Quod si partes prorogare velint jurisdictionem ab uno loco ad alium alterius jurisdi-

ctionis seu territorii, tum requiritur consensus judicis illius territorii. » (PIRHING. in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 182.)

3. ***Quænam requirantur conditiones ut prorogatio valeat.*** — 1° « Requiritur ut is cui partes litigantes se subjiciunt habeat jurisdictionem aliquam. Nam alioquin partes non tam veterem jurisdictionem prorogarent seu extenderent, quam novam conferrent.... Cum prorogare nihil aliud sit quam extendere, consequenter ubi nulla est jurisdictio, ea extendi non potest. »

2° « Requiritur, ut judex cujus jurisdictio prorogatur habeat jurisdictionem ordinariam. Nam jurisdictio judicis delegati ad certam causam non potest, etiam partium consensu, prorogari seu extendi de persona ad personam, neque de causa ad causam non expressam. (C. 40, tit. XXX, lib. I *Decretal.*) Quamvis jurisdictio delegati ad universitatem causarum prorogari possit, secundum probabilem sententiam, cum hæc jurisdictio ordinariæ æquiparetur. Quamvis autem prorogatio jurisdictionis delegatæ, etiam ex partium consensu, quoad substantialia (videlicet de persona ad personam, vel de re ad rem aliam non expressam), fieri nequeat, potest tamen fieri extensio quoad accidentalia, videlicet de tempore ad tempus, vel de loco ad locum, vel de minore quantitate ad majorem.

3° « Requiritur ut judex habeat jurisdictionem similem, seu ejusdem generis, adeoque sufficientem ad cognitionem et decisionem causæ quæ inter litigantes vertitur : ut, si causa sit spiritualis, jurisdictionem habeat spiritualem; si criminalis, non solum possit cognoscere de causis civilibus, sed etiam de causis criminalibus criminaliter intentatis, habeatque potestatem crimina coercendi... Porro etsi hujusmodi prorogatio jurisdictionis in causa criminali facta valeat in præjudicium partium quæ in eam consenserunt, non tamen per hoc infertur præjudicium ordinario judici competenti, quominus is de commisso crimine inquirere et cognoscere illudque punire possit, ad resarciendum jus reipublicæ offensæ; quia voluntate privatorum seu partium non potest præjudicari juri publico.

4° « Requiritur ut partes alieno judici se scienter et libera voluntate subjiciant... Secus inutilis est prorogatio, nec valet quod agitur... Consensus tamen tacitus sufficit; qui scilicet ipso facto fit, veluti litis contestatione, vel oppositione alicujus exceptionis dilatoriæ ante litem contestatam... Non tamen censetur aliquis in judicem non suum consentire, adeoque neque prorogare ejus jurisdictionem, si solum coram eo citante compareat, vel etiam copiam libelli sui edi petat, vel det satisfactionem de sistendo se judicio : quinimo citatus tenetur comparere coram judice, ut exceptionem fori declinatoriam opponat, nisi notorium sit judicem esse incompetentem.

« Non autem ad prorogationem jurisdictionis requiritur consensus ipsius judicis ordinarii, cujus forum declinatur.... Neque etiam necessarium est ut ipsius judicis, in quem fit prorogatio, consensus interveniat; modo patiatur postea litem ante se contestari.

5°. « Requiritur, ad prorogationem, ut ea fiat lege non prohibente, sed permittente. » (PIRHING, in tit. 2, lib. II *Decretal.* n. 183 et seq.)

6° ***Porro prorogationem lex prohibet in pluribus causarum speciebus.*** — 1° In causis appellationis fieri nequit prorogatio; quia de natura appellationis est ut gradatim ab inferiore judice ad ipsius superiorem fiat. (Communis; SCHMALZGR. in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 145.) — 2° Neque in causis criminalibus, quando proceditur, non per viam accusationis, sed ex mero officio judicis seu per inquisitionem. (PIRHING. in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 188.) — 3° Neque in causis papæ reservatis, aut a papa avocatis. (SCHMALZGR. loc. cit.) — 4° Neque in foro sacramentali pœnitentiæ. — 5° In causis laicorum temporalibus et ad forum sæculare pertinentibus, possunt ex jure Romano laici competentem reddere judicem non suum; exceptis tamen certis causarum speciebus in eodem jure Justinianeo expressis. Hodiernæ vero multarum gentium sæculares leges dispositionem illam immutarunt. — 6°. In causis sacramentalibus non possunt laici, absque proprii episcopi consensu, judicem non suum adire, et competentem efficere. (Unanimis doctorum, ex c. *Nullus* 3, tit. XXX, lib. III *Decretal.* ibi : ***Nullus episcopus alterius parochianum judicare præsumat. Nam qui eum ordinare non potuit, nec judicare potest.*** — 7° Etiam ex eod. cap. in causis ecclesiasticis laicorum non sacramentalibus, contra paucos veteres canoni-

stas, tenendum est non dari locum prorogationi. — 8°. Clericos absque consensu proprii episcopi, non posse adire et competentem efficere judicem etiam ecclesiasticum non suum, sive in causis suis spiritualibus, sive etiam in temporalibus, patet ex c. *Significasti* 18, tit. II l. II *Decretal.* ibi : *Clerici tamen in judicem non suum (nisi forte sit persona ecclesiastica, et episcopi diœcesani voluntas accedat) consentire non possunt.* — 9° Possunt tamen clerici, proprio consentiente episcopo, prorogare et competentem efficere judicem non suum, modo ille sit persona ecclesiastica. (Ex eod. c. *Significasti.*) « Sufficit autem consensus tacitus episcopi, ut si scivit clericum subditum suum litigare coram judice ecclesiastico et non contradixerit. » (PIRHING. in tit. 2, lib. II *Decretal.* n. 191.) — 10° Sed, etiamsi causa sit mere profana, et episcopi diœcesani voluntas accedat, non possunt clerici consentire in judicem sæcularem et ipsius jurisdictionem prorogare, in causa criminali aut civili, sive mere spirituali et ecclesiastica, sive temporali. (Ita glossa frivolis in c. *Significasti*, cit.; et colligitur ex c. *Si diligenti* 12, tit. II, *De foro compet.* lib. II *Decretal.*) Et rationem assignat glossa citata : quia sicut clericus non potest renuntiare privilegio fori concesso in favorem totius ordinis clericalis, ita nec episcopus potest hoc privilegium clericorum minuere, vel consentire ut clerici illi renuntient ; multo minus clericos ad id compellere. Nec objiciantur certi canones, quia immerito eos allegari probat Schmalzgr. in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 147.) Nec etiam objiciatur posse sæcularem judicem ex delegatione episcopi mere temporales clericorum causas cognoscere. Nam laicus judicans ex delegatione episcopi, non vi suæ, sed vi ecclesiasticæ potestatis judicat ; in casu vero prorogationis judicaret vi propriæ potestatis licet per consensum partium et episcopi prorogatæ : quod lex canonica prohibitum voluit. (Et confirmat communis doctorum sententia.) — 11° « Sed neque clerici, sine consensu episcopi seu ordinarii prorogare possunt jurisdictionem metropolitani, eique se subjicere, ut constat ex c. 1 *De foro competenti*, in 6 ; ubi habetur, quod archiepiscopus, vel officialis ejus, de causis subditorum suffraganei sui cognoscere non potest, absque licentia suffraganei, quamvis utraque pars litigantium velit, et in eum consentiat. » (PIRHING. in tit. II, lib. II *Decretal.* n. 131.) — 12° « Imo neque ipsi episcopi suffraganei, sine licentia archiepiscopi seu metropolitani sui, possunt prorogare jurisdictionem in alienum judicem ecclesiasticum : quia sicut episcopus est judex ordinarius clericorum sibi subditorum, ita etiam archiepiscopus suorum suffraganeorum. » (PIRHING, loc. cit.) Quæ tamen ultima verba intelligenda sunt quoad ea pauca duntaxat in quibus metropolitanus jurisdictionem in suffraganeos post concilium Tridentinum conservavit. Nam, ut notum est, valde restricta fuit metropolitana in suffraganeos jurisdictio. (D. BOUIX, *De judic.* t. I, p. 256.) — 13° Religiosi exempti et papæ immediate subjecti, per viam prorogationis se subjicere jurisdictioni contentiosæ ordinariorum non possunt sine consensu papæ. — 14° In iis vero quæ pertinent ad jurisdictionem voluntariam, cujusmodi est absolutio a peccatis et censuris, dispensatio in votis, juramentis, irregularitatibus, legibus, recitatione breviarii, jejunii, etc... dissident inter se doctores. Juxta communiorem sententiam, in his casibus possunt religiosi ad episcopi jurisdictionem recurrere sub his tamen restrictionibus : *primo*, ut facile adiri non possit papa, vel ejus legatus ; *secundo*, ut superiores ordinis potestate dispensandi careant ; quia alioquin ad hos et non ad episcopum esset recurrendum ; *tertio* ut prælatus religionis hunc ad episcopalem jurisdictionem recursum permittat. Sufficit autem tacita ipsius licentia, vel etiam aliquoties præsumpta, v. gr. si sit impeditus. (SCHMALZGR. in tit. II, lib. II, *Decretal.* n. 149 ; D. BOUIX, *ibid.*)

Ex hactenus dictis facile quisque dignoscere potest utrum quis per prorogationem habeat jurisdictionem et sit judex competens.

III. Tertio modo acquirendi extraordinariam jurisdictionem assignatur compromissum partium, quo modo arbitri compromissarii accipiunt, facultatem cognoscendi de causa, in qua electi sunt arbitri. Quoad Juris arbitros, hi jurisdictionem a lege accipiunt. De utrisque dictum est in superiori capite.

IV. *De jurisdictione seu competentia ex reconventione, causæ connexione et privilegio exorta.* — 1. *Quid sit reconventio.* — Quando reus coram judice conventus, vicissim ipse

actorem coram eodem judice convenit, ejus actus *reconventio* vocatur. In causa autem quam reus sic *reconveniendo* proponit contra actorem, ipse fit actor, et vice versa actor rei personam induit. Unde si stricte servaretur celebris regula, *actor forum rei sequitur*, qui reconvenit, non posset id facere nisi coram tribunali a quo penderet adversa pars; sed jure canonico non minus quam Justinianeo cautum est, ut, ubi fit conventio, ibi simul fieri possit reconventio; et judex qui jurisdictionem habet ad terminandam causam conventionis, hoc ipso æqualem habeat ad terminandam simul causam reconventionis; ut patet ex tit. IV *De mutuis petitionibus* lib. II *Decretalium*. Et sic evenit ut judex, qui jurisdictione in aliquam causam careret, eam acquirat si causa hæc per modum reconventionis coram ipsius tribunali proponatur.»

2. *Quid sit causarum connexio, seu continentia?*— «Connexæ dicuntur duæ causæ, quando una sine altera commode discuti et dirimi nequit; quod evenit, vel quando plures personæ eadem causa involvuntur, quia, verbi gratia, cohæredes aut sociæ fuerunt; vel quando causæ decisio pendet a decisione plurium quæstionum.»

Regula generalis est causas connexas ab uno eodemque judice dirimi debere, ut colligitur e multis juris canonici textibus, quos indicatos vide apud Schmalzgr. in tit. I, lib. II. *Decretal.* n. 72.

«*Quis judex in causis connexis legitimus sit?* Non omnino conveniunt doctores. Alii putant adeundum superiorem respectu omnium interesse habentium... Alii nullum discrimen inter judicem superiorem, et inferiorem facientes, putant ibi terminari litem debere, ubi vel contra unum ex correis præoccupata est, etc. (quod vide apud SCHMALZGR. n. 74.)

Generalis regula quod judex, qui cognovit de una causa, etiam cognoscere de altera connexa debeat, plures exceptiones admittit: 1° Si reus conventus contra dividentem causarum continentia non excipiat: tunc enim sic acta in diversis judiciis valent. — 2° Si una causa sit temporalis, altera autem ex connexis spiritualis, tunc judex laicus de temporali causa cognoscens, spiritualem connexam remittere ad judicem ecclesiasticum tenetur. (C. *Tuam* 3, *De ordin. cognit.*) — 3° Si unus ex litigantibus sit laicus, alter clericus: v. gr. si clericus coram judice laico contra laicum agat possessorio, ac postea contra ipsum agatur petitorio; nam tunc judicium petitorium laicus judex adversus clericum tractare non potest, cum sit incapax jurisdictionis in clericum. (C. fin. *De judiciis*, lib. IV *Decretal*...— Cætera vide apud SCHMALZGR. *ibid.* n. 75.)

3. Aliquando evenit ut certis personis concedatur forum privilegiatum; vi scilicet hujus privilegii, judex qui alioquin in ejusmodi personas, quando in judicio trahuntur, jurisdictionem non haberet, erga easdem competentiam acquirit; et vice versa judex ordinarius, ob obtentum privilegium in personas privilegiatas competentiam amittit. Quod omne judicandum est ex ipsius indulti tenore.

§ IV. — De judicis competentia vi ordinariæ jurisdictionis.

Jurisdictio ordinaria quæ magistratibus vel superioribus competit vi ipsiusmet, quo funguntur, officii seu muneris, duplicis generis est; alia nempe territorii alicujus terminis circumscripta; alia vero ab omni territoriali circumscriptione independens. Jurisdictio, v. gr. episcopi tripliciter determinatur; personis, causis et loco; est nempe in certas personas, in certas causas et intra fines diœceseos coarctata. Sunt autem alii prælati quorum jurisdictio dupliciter duntaxat determinatur, personis scilicet et causis. Tales sunt, v. gr. generales ordinum religiosorum superiores, congregationes Romanæ cardinalium, etc. Hi nempe jurisdictionem habent per totum mundum; ad certas quidem personas et certas causarum species restrictam, sed non ad certum locum sive territorium.

I. Quando agitur de iis superioribus qui jurisdictionem habent a territoriali circumscriptione liberam, videndum est utrum personæ inter quas causa vertitur, et causa ipsa, eorumdem superiorum jurisdictioni fuerunt subjectæ. Quæ duæ conditiones si verificentur, aderit competentia: si vero ambæ vel alterutra deficient, et ipsa competentia deerit.

II. Quando ordinaria (et etiam delegata) jurisdictio non tantum ad certas personas et certas causarum species restringitur, sed insuper intra certi territorii fines

coarctatatur, ad determinandam competentiam habenda est ratio, tum domicilii personarum inter quas causa vertitur, tum loci in quo vel sita est res de qua contenditur, vel peractus contractus fuit vel patratum delictum. De hujusmodi circumstantiis loci in sequentibus paragraphis disserendum venit.

§ V. — De competentia judicis ratione domicilii.

I. *Quid nomine domicilii in jure intelligendum veniat?* — 1. Duplex præcipue distinguitur domicilium : *Originis* nempe, dicitur locus in quo quis natus est, et *habitationis*, locus in quo quis degit seu commoratur, etiamsi in eo natus non sit.

2. Domicilium *habitationis* subdistinguitur in *proprie dictum*, in quo aliquis degit cum animo in perpetuum ibidem manendi, si nihil avocet; et improprie dictum seu *quasi-domicilium*, in quo quis degens, proposuit non in perpetuum, sed per notabilem anni partem, aut diutius ibidem commorari.

3. Iterum distinguitur domicilium in *verum*, quod quis vera et corporali præsentia alicubi contrahit; et *fictitium*, quod est locus quem jus tanquam verum domicilium assignat certis personis, ob specialem earum conditionem, etiamsi de facto in hujusmodi loco non commorentur...— Ita religiosus in loco monasterii, cui ascriptus est ibi domicilium retinet, quandiu ad aliud monasterium voluntate superiorum non transfertur. Clericus in loco beneficii, quod obtinet; ubi tamen est distinguendum; nam si beneficium illud residentiam postulet, conveniri in eodem potest etiam quoad alia quæ beneficium ejus non concernunt; secus, si residentiam illud non postulet; quia hoc verum domicilium non facit.

II. *De domicilio originis.* — *Ratione originis* forum sortiri aliquis multipliciter potest. Nam 1. sortitur aliquis forum in loco, in quo natus est.— 2. Ratione originis paternæ, ubi scilicet pater ejusdem fuit natus. — 3. Ratione originis avitæ, seu ubi natus est avus ejusdem paternus, modo vivente avo natus, vel saltem conceptus fuerit. — An etiam sortiatur aliquis forum ratione originis fortuitæ in loco, in quo ex matre transeunte, et ad locum domicilii properante, editus in lucem est? Controvertitur inter doctores, apud SCHMALZGR. tit. II, *De foro compet.* lib. II. n. 21.)

Ex praxi et usu generaliter receptum est, ut nemo in loco originis sive in criminalibus, sive in civilibus conveniatur, si non concurrat domicilium habitationis, ut cum communi testatur Barbosa... (SCHMALZGR. *ibid.* n. 23.)

De domicilio habitationis. — « Vis domicilii habitationis generalis est, ut ratione illius sortiatur quis forum quoad universam jurisdictionem, tam contentiosam, quam voluntariam : est enim generalis, et præcipua jurisdictionis causa, ita ut soli illi, qui domicilium alicubi habent, et incolæ sunt, proprie, ac simpliciter sint subditi. Hinc cum omnibus aliis foris concurrit, imo iis potentius est, excepto foro feudi, quando dominus feudi non est simul judex domicilii; et foro rei sitæ, de quo infra. » (Ita communis doctorum.)

Proceditque hoc : 1. In causa tam civili, quam criminali. — 2. Etsi crimen commissum, et contractus celebratus sit alibi. (C. *Dilecti* 17, *De for. compet.*) Item quamvis commissum crimen illud, vel contractus celebratus sit ante domicilium, et forum ibi obtentum. — Procedit 3. Sive reus conveniendus exsistat in loco domicilii sui, sive non; potest enim citari absens, et si contumaciter non compareat, immissio in bona ejusdem fieri. (C. *Causam* 3, *De dol. et contum.*) Ratio est quia per forum domicilii, ut dictum est, fit quis absolute subditus judici, seu magistratui loci, et talis manet, quocunque in loco exsistat, nisi mutaverit domicilium. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 15.)

IV. *De quasi domicilio.* — 1. Quasi domicilium habent in academiis studiosi, in loco legationis legati, in oppidis famuli, et ancillæ, in civitatibus negotiatores, si officinam, aut tabernam ibidem constituerunt, vel conduxerunt animo per notabilem anni partem ibi commorandi.

2. Effectus quasi-domicilii est : 1° quod hoc habentes, quandiu ibidem exsistunt, teneantur legibus, statutis, et consuetudinibus illius loci. — 2° Acquirunt jus parochiæ, et subditi ei fiunt in foro externo, ita ut sacramenta non solum pœnitentiæ, sed etiam omnia alia recipere possint ab episcopo, vel parocho illius loci, excepto sacramento ordinis : neque opus est tali licentia, vel expressa parochi, vel episcopi domicilii...

Iidem in loco quasi-domicilii probabilius possunt dispensari in votis, et juramentis, jungi matrimonio, habere sepulturam...

3. Certum est hujusmodi loci incolas conveniri posse ratione contractuum, et delictorum ibi celebratorum, vel commissorum. — Item possunt etiam conveniri de actibus alibi gestis.

4. Vagabundi, id est qui nullam certam habitationem habent, sed navigant, aut iter faciunt per mundum, ubique sortiuntur forum, et domicilium habere censentur, ac dicuntur, ubi inveniuntur, ita ut conveniri ibidem possint etiam ratione contractus alibi initi, et puniri propter delicta alio in loco commissa, ac proinde de hujusmodi vagabundo intelligi potest vulgare dictum, *ubi te invenero, ibi te judicabo.* (Schmalzgr. *ibid.* n. 17 et 18.)

V. *De domicilio ficto seu generali.*— 1. « An recte adhuc hodie conveniri clerici in curia Romana possint? Videtur non posse ex Trident. sess. 24, c. 20 *De reform.*, ubi statuitur, ut causæ omnes ad forum ecclesiasticum pertinentes, in prima instantia coram ordinariis locorum tantum cognoscantur, ac terminentur. — Sed non obstante, dicendum posse clericos adhuc hodie conveniri in curia Romana, etsi alias specifice ibidem forum non sortiantur, modo, dum conveniuntur, ibi exsistant. (Ita habetur c. *Licet* 20, tit. II, lib. II *Decretal.*, et docent *ibid.* doctores.) Ratio est quia Roma quoad clericos communis hodiedum patria est, communi ipsorum patre summo pontifice ibidem exsistente. *Conf.* quia curia Romana habet jurisdictionem concurrentem cum omnibus dicasteriis ecclesiasticis, et ipse pontifex omnium christifidelium, in causis saltem spiritualibus, ordinarius judex est. (C. *Cuncta* 17, et c. fin., *Causa* 9, quæst. 3.) Estque hoc ita verum, ut ita conventus clericus exceptionem fori declinatoriam opponere nequeat, quamvis si ex justa et necessaria causa ibi ad tempus degat, litem demum ad forum domicilii avocare possit, ubi melius ad respondendum instructus est, ut recte advertit glossa fin., *De for. compet.* »

2. « Laici in causis spiritualibus conveniri in curia Romana possunt æque ac clerici, si ibidem reperiantur, nec causam domum revocandi habeant.

« Dixi autem, si clerici vel laici *ibidem reperiantur* : quod benignitati sedis apostolicæ tribuendum est, quæ licet etiam de absentium causis in prima instantia cognoscere possit, non tamen vult, et solet, nisi ibidem reperiantur, ne fideles, sive clerici, sive laici, nimium graventur, si in locum adeo dissitum, judicii subeundi causa, conferre se tenerentur. Accedit, quia sic magis conservatur consistoriis inferioribus sua auctoritas; et cavetur ne pontificia dicasteria litium multitudine obruantur.

« Addidi *nec causam domum revocandi habeant;* talis est, si, ut dictum est, in loco domicilii melius instructus esset ad respondendum, qui ita in curia Romana convenitur. Permittitur autem hæc avocatio solum illi, qui ex justa et necessaria causa Romæ est: quales sunt si episcopus, ex. gr. vel clericus alius in causa suæ Ecclesiæ velut legatus ibidem degat, si causa testimonii dicendi, aut judicandi eo vocatus est, si causa appellandi contra sententiam illuc accessit... Et hinc si causa sit omnino voluntaria, jus revocandi domum non habet, sicut nec facultas illa conceditur casu, quo periculum est in mora, quando controvertitur de electione prælati, cujus examen ob detrimentum Ecclesiæ diu differendum non est. »

Tandem « Roma hic non accipienda est materialiter, et pro determinata urbe, quæ eo nomine appellatur, sed pro loco, ubi pontifex residet, sive Roma is sit, sive alius locus; ubicunque enim is resederit, ibi sedes et curia pontificis erit, cons. etiam Roma. » (Schmalzgr. *ibid.* n. 27 et seq.)

3. Ex constitutione Eugeniana, c. *Divina* 3, tit. VII, lib. V *Extravag. commun.*, non possunt extra curiam Romanam conveniri *officiales* sedis apostolicæ. *et quicunque alii, qui pro suis negotiis expediendis ad hanc sedem accesserunt.* At vero hujusmodi privilegio gaudent illi soli qui in curia Romana *morati sunt pro suis negotiis et causis expediendis* jam per annum integrum. (Ita expresse restrictum fuit a Paulo V in bulla *Universi agri.*) Nec privilegio Eugeniano gaudent Romani curiales, quando lis movetur super beneficio, quod habent extra Romanam diœcesim; nec etiam parochi non residentes, contra quos potest eorum ordinarius procedere. (Ex *Trident.* sess. 23, c. 1, in fine.)

§ VI. — De foro competente ratione contractus.

1. Alter modus sortiendi forum est contractus; nam quisque in eo loco, in quo

contraxit, etiam sortitur forum, ut ibidem conveniri possit ratione illius contractus. (Ita aperte c. *Licet* 20, tit. II, lib. II *Decretal.*; et c. *Romana* 1, tit. II, lib. II, in 6.) Quod saluberrime est constitutum ex triplici præcipue capite : 1. Ne creditores sumptibus, et difficultatibus graventur in adeundo contra debitorem judice domicilii. — 2. Quia in loco contractus facilius constare potest tum de ipso contractu, tum de solemnitatibus requisitis. — 3. Quia contrahens se obligavit tacite, vel expresse ad solvendum in loco contractus, adeoque etiam ad subeundum ibi judicium, si non solvatur... Interim tamen actori liberum est, ut vel in loco contractus, vel in loco domicilii, debitorem conveniat, forum namque acquisitum ex contractu in loco certo non tollit forum domicilii, sed forum foro accumulat. (C. *Dilecti* 17, *De for. compet.*)

II. Limitatur hæc regula per sequentes exceptiones : 1. Non potest reus coram judice loci contractus conveniri, nisi ibidem præsens reperiatur. — 2. Excipitur etiam casus quo inter contrahentes conventum fuit, ne in loco contractus se invicem convenirent super implemento contractus : nam forum contractus constitutum est in favorem contrahentium; cui proin renuntiare possunt. — 3. Excipiendus pariter ille advena, qui statim post contractum recessurus est, et ab altero contrahente statim recessurus noscitur... Contra vero, si emens aliquantisper in loco contractus commoraturus sit, vel si venditor ignoret eum statim recessurum, locum habet generalis regula; poterit nempe talis emptor, si ad locum contractus iterum accedat, ibidem dum præsens erit, conveniri. (Communis.)

III. ***Competens regulariter non est ordinarius loci in quo initus est contractus, nisi reus ibidem præsens sit.*** (Constat ex decret. *Romana* 1, tit. II, lib. II, in 6.) — Diximus autem *regulariter;* nam 1. excipiendus casus quo aliter inter contrahentes conventum fuit : v. gr. si quis in loco contractus se responsurum promisit, et foro domicilii expresse renuntiavit. — 2. Si locus contractus sit simul quoad reum locus domicilii. — 3. Si agatur de reddenda ratione administrationis. — 4. Si lis de contractu mota jam fuit per reum, postea vita functum, contestata : tunc scilicet ipsius hæres, etsi absens et alibi domicilium habens, conveniri potest in loco ubi jam cœptum est judicium. — 5. In casu, quo reus bona possidet, sive in loco contractus, sive alibi, contendunt canonistæ sat communiter, judicem loci ubi initus est contractus non habere quidem jurisdictionem in personam absentis rei, sed tamen posse actori concedere immissionem in possessionem bonorum ejusdem rei. Ita scilicet ut hanc immissionem possit ipse exsequi, si intra suum territorium bona rei sita sint : sin autem alibi sita sint, requirendo illius loci judicem ut eamdem immissionem decernat. (Colligunt ex decret. *Romana*, cit.)

IV. Hucusque dicta de competentia ratione contractus, applicanda veniunt, non tantum quoad contractus proprie dictos, sed etiam quoad quasi-contractus; idque verum est non tantum quoad obligationem principalem ex contractu vel quasi-contractu ortam, sed etiam quoad obligationem secundariam; puta quoad damna et interesse propter moram debitoris suo tempore non solventis.

V. Conventiones tamen per contrahentes admissæ sive de loco contractus, sive de impletione, sive de rescissione, servandæ sunt, et possunt competentem vel non judicem loci contractus facere.

VI. Administrator conveniri potest in loco gestæ administrationis, etiamsi ibi præsens non sit. (*Vide* SCHMALZGR. *De foro competenti*, § 3.)

§ VII. — De foro competente ratione rei sitæ.

I. Tertius modus, seu titulus jure communi sortiendi forum est ***res sita;*** nam ratione istius conveniri potest possessor coram judice territorii, in quo sita est res, de qua controversia instituitur, prout habetur c. *Sane* 3, et c. fin. *De foro compet.*

II. Coram judice sitæ rei regulariter conveniri possunt personæ omnes, etiamsi alias tali judici subjectæ non sint... proceditque hoc : 1° etiamsi reus conventus habeat privilegium, vi cujus coram certo tantum judice teneatur respondere. Nam hoc privilegio non obstante, conveniri potest in loco rei sitæ, nisi per privilegium istud, ejusque tenorem foro huic sit derogatum per textum c. *Volentes* 1, in princ. *De privileg.* in 6, ibi : *Quantumcunque sic exempti gaudeant libertate; nihilominus tamen ratione... rei de qua contra ipsos agitur, rite possunt coram loco-*

rum ordinariis conveniri.— Procedit 2° etiam de clericis. Nam etsi isti alioquin coram suo tantum episcopo conveniri, nec sine ejus consensu alteri prorogare in se jurisdictionem valeant, conveniri tamen in loco rei sitæ æque ac in loco contractus possunt, saltem coram judice ecclesiastico loci ; utrum enim coram laico, plenius dicetur infra.

III. Reus in loco rei sitæ conveniri potest actione reali tantum, non vero personali, nisi sit in rem scripta. — Patet ex text. cit. addidi, *nisi in rem scripta sit;* qualis est actio *quod metus causa,* actio quadrupedaria, actio ad exhibendum, etc. Hæc namque, cum actionem realem eatenus imitetur, quatenus contra quemcunque possessorem moveri potest, imitatur quoque eamdem actionem in hoc, quod ibi moveri valeat, ubi sita est res metu extorta, aut ad noxæ deditionem, vel exhibendum debita, ut DD. notant. Et ratio est quia actio in rem scripta non solum personam, sed etiam rem prosequitur, ut adeo mirum esse non debeat, quod intentari in loco rei sitæ possit.

IV. Reus sortitur forum etiam ratione rei mobilis, aut semoventis, modo res fuerit in loco non transeunter.

V. Reus in loco rei sitæ actione reali conveniri potest etiam, quando in eo non reperitur, prout tenet sententia communior et probabilior.

VI. Loco rei sitæ institui potest etiam judicium possessorium.

VII. Ex communi sententia, arbitrio actoris relinquitur, an reum coram judice domicilii, vel territorii, in quo res contentiosa exsistit, convenire velit. (*Vide* SCHMALZGR. *De foro compet.* § 4.)

§ VIII. — De foro competente ratione delicti.

I. Quartus titulus, et modus sortiendi forum jure communi est delictum. Nam ratione istius delinquens subjicitur jurisdictioni illius judicis, in cujus territorio deliquit, etiamsi alias eidem non sit subjectus. (Ita habetur c. *Postulasti,* 14, et c. fin. *De foro compet.*; c. *De illis* 1, *De raptorib.*) Ratio est quia maxime congruit, ut scelera eo in loco publice puniantur, ubi perpetrata sunt ob multiplices rationes. Neque obstat, quod extra diœcesim, vel parochiam suam delinquens in loco delicti forum pœnitentiale non sortiatur, sed a proprio suo pastore, vel ab iis regularibus, qui undecunque ad se accedentes audiri possunt, sit judicandus, et absolvendus. (C. *Omnis* 12, *De pœnit. et remiss.*)

II. « *Quinam ratione delicti, et ratione cujus delicti sortiantur forum?* Resp. In hoc regulam generalem esse, quod delinquens quicunque, qualecunque delictum committat, in loco delicti sortiatur forum. Proinde regula hæc locum habet, proceditque : 1. De quovis delicto, sive leve illud fuerit, sive grave, sive privatum, sive publicum, ordinarium, vel extraordinarium, etc.

« Procedit 2. Etiam de milite...

« Procedit 3. Etiam de clericis. Nam si delinquant extra diœcesim, puniri possunt ab episcopo loci, ubi deliquerunt; etiam usque ad privationem beneficii, quod in aliena diœcesi obtinent, ut statuitur C. *Postulasti* 14, *De foro compet.* Quamvis executio fieri debeat ab episcopo, in cujus diœcesi beneficium situm est.

Procedit 4. Etiamsi delinquens sit persona in dignitate constituta : neque enim refert cujus dignitatis, vel ordinis sit is, qui delinquit, nam et clarissimi in provincia, in qua deliquerunt, accusari possunt. »

« Procedit 5. Etsi persona delinquens sit episcopus, vel archiepiscopus; nam si episcopus in aliena diœcesi, et archiepiscopus extra suam provinciam delinquat, ab ordinario loci puniri potest; quia extra territorium suum censetur ut persona privata.— Ubi tamen duo sunt advertenda. Unum est, ne suffraganeus præsumat archiepiscopum in sui suffraganei diœcesi delinquentem punire; quia inferior in superiorem suum jurisdictionem ordinariam exercere non potest. (C. *Cum inferior* 16, *De majorit. et obed.*) Alterum, ne ejusmodi judex delicti excedat potestatem sibi concessam; nam jure novo. (Trident. sess. 13, c. 8, *De reform.*) archiepiscopi, episcopi, et similes ecclesiastici in criminibus saltem gravioribus, — solius Romani Pont. judicio subjacent.»

« Procedit 6. Quamvis delinquens privilegiatus, atque exemptus sit; nam et hi ratione delicti, commissi in loco secundum se non exempto, ab ordinario loci citari et puniri possunt, perinde ut peregrini, ut habetur c. *Volentes* 1, *De privileg.* in 6. — Excipitur, nisi ita exempti, et privilegiati sint, ut etiam casus delicti in privilegio exprimatur; quale privilegium, ut supra dixi, in causis criminalibus, saltem gravioribus, habent episcopi, et præter hos

regulares ordines, quorum tamen privilegiis quoad hoc aliqua ex parte derogatum est per conc. Trident. sess. VI, c. 3, *De reformatione;* et sess. XXV, c. 14, *De regular.* »

III. «Quæritur *quomodo delicti judex procedere valeat in reum, in suo territorio delinquentem?* — Resp. distinguendo. Vel enim delinquens deprehenditur in loco delicti, seu territorio judicis, ubi delictum commissum est, vel inde jam est egressus. — Si *primum,* res satis est expedita; dicendum enim, eo casu delinquentem, etsi alias non foret subditus, a judice territorii, in quo deliquit, puniri pœna vel pecuniaria posse, prout ratio delicti, juxta c. *Postulasti* 14, *De for. compet.* — Si *secundum,* altera distinctio est adhibenda, et disquirendum an reus ante egressum citatione ipsi insinuata jam sit præventus, vel non. — Si *prius* contigerit, denuo citari, et si contumaciter non compareat, processus adversus ipsum institui, adnotari bona, et in ea fieri immissio, aut banni, atque excommunicationis sententia ferri potest. (C. *Proposuisti* 19, *De for. compet.;* c. *Accedens* 2, et c. seq. *Ut lit. non contest.;* c. *Veritatis* 8, *De dol.*) — Si fiat *posterius,* et reus citatione præventus non est, applicanda distinctio tertia, et videndum an constet in quo loco moretur reus, an vero non constet. — Si constat, necesse est ut si delinquentem trahere ad judicium suum velit, judex delicti litteras requisitoriales det ad judicem territorii, ad quod delinquens abiit, huncque per illum citari curet; quia jam non amplius est sub jurisdictione ejusdem. — Si vero non constat quo profugerit delinquens, facta summaria informatione de delicto, citari per edictum, in territorio delicti promulgandum, aut curiæ, vel ecclesiarum valvis, aut portis civitatis affigendum potest.

« Quo facto, si citatus contumaciter non compareat, judex quidem in ejus personam procedere, et sententiam alicujus pœnæ corporalis inflictivam ferre non potest. (Clement. *Pastoralis* 2, *De sent. et re judic.*) Quia, ut dixi, per egressum ex territorio jam desiit esse subditus illius judicis quoad personam. Si tamen in loco delicti bona aliqua habeat, adnotari illa, et casu, quo reus aliter satisfactionem præstare renuit, immissio in illa decerni ac fieri potest; vel si non habeat bona aliqua in loco delicti, habeat autem alibi, requiri super hoc judex loci, ut immissionem actoris in hujusmodi rei absentis bona faciat... »

IV. Judex delinquentem in suo territorio, si hic in aliud territorium fugerit, persequi, et in eo deprehensum apprehendere non valet, propter textus c. fin. *De const.* in 6. — Judex vero loci delicti petere potest remissionem delinquentis a judice territorii in quod delinquens transiit. — Iste autem potest remittere delinquentem, si velit, sed jure hodierno non tenetur etiamsi utrumque territorium sit sub eodem supremo principe. Excipitur, nisi judex territorii, in quo reus versatur, sit inferioris potestatis, et delictum mereatur pœnam quam ipse non potest infligere; tunc enim remittere reum debet ad superiorem, etiam non requisitus.

V. *Quomodo delinquentis remissio petenda, aut facienda sit?* — (Vide discussum apud Schmalzgr. *De foro compet.* § 5, num. 64.

VI. « Quæritur, *an delinquentem, extra domicilii, et delicti locum egressum, punire valeat magistratus loci, in quo is reperitur?* Affirmant plurimi.... Sed probabilior et juri canonico saltem conformior videtur esse sententia negativa; proinde dicendum regulariter reum extra domicilii, et delicti commissi loca non sortiri forum, neque puniri posse.... Excipitur si delinquens sit vagus; vagi enim sicut ubique sortiuntur forum, ita ubique puniri possunt etiam propter delicta commissa alibi.»— Vide alias exceptiones apud Schmalzgr. *ibid.* n. 66.

§ IX. — De foro competente ratione personarum ecclesiasticarum.

« Hactenus actum est de quatuor modis generalibus sortiendi forum; sequitur nunc de modis specialibus; inter quos cum emineat privilegium clericale, quo clerici tam quoad res suas, quam quoad personas, a foro sæculari exempti sunt, idcirco jure primum sibi locum inter modos speciales forum sortiendi vindicat.

« Dub. 1. *In quo Ecclesiæ foro singuli clerici conveniendi sint?* — Resp. Pro diversitate graduum diversos sortiuntur judices. — Et 1° clerici quidem inferiores, si exempti non sint, conveniri debent coram episcopo proprio. (C. *Pervenit* 39; c. *Si quis* 45, et c. seq. causa 11, quæst. 1; c. *Cum episco-*

pus 7, *De offic. ordin.* in 6; et c. *Si quis* 1, *De for. compet.*) Proceditque hoc, sive causa, in qua convenitur, sit civilis, sive sit criminalis. (C. *Inolita* 42, junct. Gloss. v. *Pontifice*, et c. *Placuit* 43, causa 11, quæst. 1.) — 2° Episcopi conveniri debent coram archiepiscopo, seu metropolitano suo, cujus sunt suffraganei. (C. *Quorumdam*, dist. 34.) Ubi tamen faciendum est discrimen inter causas. Nam criminales majores, et aliæ magis arduæ eorum causæ, ex decreto Trident. sess. XXIV, c. 5, *De reform.*, deferendæ sunt ad summum pontificem; minores vero criminales, et secundum aliquas etiam civiles ab archiepiscopo decidi duntaxat in concilio provinciali possunt, prout dictum est alibi. — 3° Archiepiscopi conveniri debent coram suo primate, vel patriarcha (C. *Antiqua*, *De privileg.*), cum eodem causarum discrimine, ut supra de episcopis. — 4° Patriarcha, vel primas denique conveniri debet coram summo pontifice vel ejus legato in provinciam misso. — 5° Ipse autem pontifex, cum sit omnium fidelium caput, judicem alium non agnoscit, nisi solum Deum, idque non humano solum, sed etiam divino jure, prout passim catholici doctores tradunt, et præter alios textus clarissime ostenditur ex concil. Roman. sub Sylvest. I celebrati, can. 20, ibi : *Nemo judicabit primam sedem, quoniam omnes sedes a prima sede justitiam desiderant temperari, neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a populo judex judicabitur.*

« Dub. 2. *Quis hic veniat nomine episcopi proprii, ut conveniri coram eo clericus possit?* Resp. Clericus coram non uno episcopo conveniri potest, sed ut laicus, ita et ipse plures potest habere judices, coram quibus lis intentari contra eumdem valeat. Talis autem est : 1° Episcopus in cujus diœcesi clericus domicilium habet. — 2° Episcopus originis propriæ, seu paternæ, si tamen clericus ibi reperiatur et exsistat, licet alibi domicilium habeat. — 3° Episcopus in cujus diœcesi beneficium ecclesiasticum habet, quod residentiam personalem postulat; nam coram hoc conveniri potest etiam de alibi gestis, quia domicilium ibi contrahit. (C. *Postulasti* 14, *De for. compet.*) — 4° Episcopus in cujus diœcesi habet beneficium eccles. quodcumque, etiam personalem residentiam non exigens, si tamen in illo resideat; nam si in illo non resideat, in causis quidem ad beneficium illud spectantibus, conveniri coram eo debet, non tamen quoad alia; quia quoad hæc illi non est subjectus. — 5° Episcopus denique, in cujus diœcesi clericus celebravit contractum, commisit delictum, res controversa, et in litem deducta sita est. » (C. fin. *De for. compet.*)

« Dub. 3. Præter episcopum diœcesanum etiam alii prælati episcopo inferiores reperiuntur, qui vel ex lege, vel ex consuetudine vim legis habente, vel ex electione collegii ecclesiastici regularis, aut sæcularis jurisdictionem ordinariam tam in foro interno, quam in externo habent, eamque in clericos sive sæculares, sive regulares sibi subjectos exercent, prout sumitur ex c. *Cum ab ecclesiarum* 3, *De offic. deleg.* Unde nomen *episcopi proprii*, quod adhibetur in textu c. *Si quis* 1, *De for. compet.*, debet accipi late pro quocunque jurisdictionem quasi episcopalem habente, etiam inferiore prælato. Tales sunt : 1° Archidiaconi respectu sui archidiaconatus. — 2° Ex Germaniæ consuetudine, decani ecclesiarum cathedralium respectu canonicorum, et clericorum capitulo deservientium, quorum correctioni episcopi se non immiscent, nisi decani sint negligentes et officio suo desint. — 3° Prælati regulares respectu subditorum suorum regularium. — 4° Ex privilegio, vel consuetudine in quibusdam ecclesiis capitulum cathedrale, et alii quidam; qui tamen hoc suum jus probare debent. Nam cæteroquin episcopus intentionem fundatam super jurisdictione ordinaria in totam diœcesim habet, ut causas clericorum non exemptorum in diœcesi sua degentium, exclusis aliis quibuscunque prælatis inferioribus, et ipso etiam capitulo cathedrali, possit in prima instantia judicare.

« Dub. 4. *In quo loco possit episcopus exercere jurisdictionem suam?* — Resp. Licet ordinarie tribunal, seu consistorium suum habeat in civitate sua episcopali, reipsa tamen jurisdictionem suam exercere potest in quolibet diœcesis suæ loco. (C. *Cum episcopus* 7, *De offic. ordin.* in 6.) Extra diœcesim jurisdictionem contentiosam exercere non potest (Clement. unic. *De for. compet.*), juxta regulam generalem quod *extra territorium suum jus dicenti impune non paretur*. Excipi debet nisi episcopus, saltem confirmatus, ex sua diœcesi expulsus sit, ita ut non possit secure jus dicere etiam in

loco exempto suæ diœcesis, et litigantes sint ipsi subditi, et ut petat prius licentiam ab episcopo diœcesano loci in quo jurisdictionem exercere intendat, nam hac non petita, processus foret nullus. Non requiritur tamen ut ea etiam sit obtenta; prout patet ex Clement. citat. » (SCHMALZGR. *De for. compet.*, § 6)

De aliis fori specialis generibus, vide SCHMALZGRUEBER, *ibid.*, et § 7 et 8.

CAPUT IX.

De probationibus judicialibus, et confessione rei judiciaria.

Supposita jurisdictione et competentia judicis, necesse est ut eidem præbeantur probationes contra reum, et nisi istæ sufficientes sint, reus est omnino a judice absolvendus; hoc est commune omnibus judiciorum speciebus.

Aliquando ab onere probandi reus actorem relevat, quod tum contingit, quando aliquam, vel aliquas ex positionibus sibi ab actore propositis fatetur; cum enim optima probatio sit proprii oris confessio, quoad illa, quoad quæ reum fatentem habet, probatione actor non indiget. Ut autem primo sciamus, quæ vis sit confessionis in judicio, sit,

§ I. — De natura confessionis, hujus varietate, et requisitis

I. *Confessio*, prout hic accipitur, *est ejus, quod ab adversario intenditur, in judicio vel extra illud facta, asseveratio.* Ita quoad rem communiter, doctores; quatuor autem maxime modis dividi confessio solet.

1. In *discretam*, quæ fit cum expressione causæ, ex qua orta est obligatio, et *indiscretam*, quæ generice tantum et absque mentione causæ obligantis.

2. In *simplicem* quando quis adversarii intentionem confitetur simpliciter, et sine adjecta qualitate restringente; et *qualificatam*, quando fatetur quidem actoris intentionem, sed adjecta conditione, vel qualitate aliqua, per quem confessio restringatur.

3. In *expressam*, quæ etiam *vera* confessio nuncupatur, et quæ fit verbis, scriptura, vel aliis signis declarandæ voluntati accommodis; et *tacitam*, quæ et *quasi-confessio* appellatur, est, quæ ex certo aliquo facto elicitur, vel a lege intervenisse fingitur : quod variis modis potest contingere. Et 1°, si quis de delicto cum actore transigat, numerando ei pecuniam, vel aliud quid præstando, ut ab accusatione abstineat ;... is, qui ita transegit cum accusatore, delictum confiteri censetur, et perinde ac si condemnatus fuisset, infamia notatur. — 2° Si quis sit contumax, et in judicio non respondeat, vel non recte (C. fin. tit. XVIII, *De confessis*). Ubi tamen excipitur, qui ex causa non respondet; nam, ut textus ait : *Contumaces non videntur, nisi qui, cum obedire deberent, non obsequuntur.* — 3° Qui fugit, et judicio post litem contestatam se subducit (C. *Nullus* 4, *De præsumpt.*), ubi Bonifacius papa, *nullus dubitat*, inquit, *quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur, qui est innocens, quærit; confitetur enim de omnibus, quisquis se subterfugere judicium dilationibus putat.* — 4° Qui renuntiat liti : talis enim ostendit se non habere jus, aut saltem credere se non habere. — 5° Qui producit instrumentum, vel rescriptum : nam hic confiteri censetur ibi contenta; alias ad probationem eidem non deserviret, utpote dubiæ fidei. — 6° Qui ad positiones ab adversario allegatas a judice respondere jussus tacet, aut obscure respondet. (C. fin. *De confes.* in 6.) Nam hic quoad eas positiones pro confesso habetur... Plures alios modos vide apud doctores.

4. Denique, et principaliter dividitur confessio in judicialem et extrajudicialem : *judicialis* est, quæ fit in jure, seu judicio. *Extrajudicialis*, quæ extra illud. Præcipue de his agetur. Unde

II. « Quæritur an reus in judicio interrogatus de crimine respondere teneatur?

« Resp. cum distinctione. Vel enim constat quod judex non interroget legitime, vel constat, quod interroget legitime, vel dubium est, an interroget legitime, necne?

« *Si primum* est, ex. gr. quia judex interrogat reum de crimine, de quo nondum est diffamatus, nec aliis indiciis ad semiplenam probationem gravatus, non tenetur respondere, neque ex taciturnitate haberi potest pro confesso; quia eo casu judex egreditur limites suæ potestatis, et cons. interrogat tanquam privatus.

« *Si tertium*, iterum non tenetur confiteri; quia in dubio melior est conditio possidentis; et licet alias præsumatur superioris mandatum esse justum, non tamen in hoc speciali casu, ubi est conjunctum cum damno gravissimo.

Si secundum, aliqui cum Innocent. in c. *Dudum* 22, *De elect.*, existimant non teneri etiam hoc casu reum interroganti judici respondere, saltem si agatur in causa capitali de damno vitæ; quia, ut aiunt, præceptum humanum, quale est judicis, non solet obligare cum tanto damno; quod confirmari potest argumento a minore ad majus; nemo enim de jure cogi potest, ut veritatem dicat contra consanguineum suum; ergo multo minus ut veritatem dicat contra seipsum. Hæc sententia, cum satis probabilis sit, confessariis servire potest, quando reus persuaderi non potest, ut crimen ultro confiteatur. Cæterum contrariam judico probabiliorem, quam etiam tenent sanctus Thomas, Cajetanus, et alii communiter. Ratio est, quia reipubl. interest, ne crimina maneant impunita; et correlativa sunt judicem interrogare legitime, et reum ad interrogationem respondere debere; alias exigua judicis auctoritas foret.

« Procedit responsio etiam quoad positiones negativas, quæ aliter probari nequeunt, nisi per confessionem adversarii... »

III. « Quæritur an et quando judex reum de se confessum interrogare possit de sociis criminis?

« Resp. Regulariter et ordinarie interrogare de sociis eum non potest, et si ita interrogatus de iis aliquid affirmat, confessio illa eisdem non nocet. Ita communis omnium sententia; patet ex juris utriusque textibus: canonici quidem can. fin. causa 15, quæst. 3; c. *Veniens* 10, *De testibus*; c. *Cum monasterium* 1, *De confessis...* »

Dixi autem *regulariter et ordinarie*, nam plures sunt casus, quibus interrogari criminosus de sociis in judicio potest. Et 1° quidem in criminibus quæ in perturbationem, concussionem, et perniciem reip. specialiter cedunt, ut crimen læsæ majestatis, hæresis, veneficii, latrocinii, sacrilegii, falsæ monetæ, assassinii. — 2° In criminibus occultis, et difficilis probationis, in quibus plerumque de veritate aliter constare non potest, nisi per socios criminis; quia in his ob difficultatem probationis admittuntur etiam testes inhabiles, et leviora sufficiunt indicia. — 3° In iis quæ sine socio non committuntur, cujusmodi sunt sodomia, stuprum, adulterium, conspiratio in principem, etc., quia etiam hæc fere occulta, et difficilis probationis sunt. — 4° In illis quæ non sunt mere præterita, sed futuro tempore committenda cum damno reip. vel etiam privatæ personæ, ut si aliqui conjurarunt ad prodendam patriam, vel hominem occidendum. — 5° In aliis quibuscunque criminibus, si socii aliunde jam sint diffamati, sintque aliæ contra eos probationes et indicia... »

IV. « Quæritur quæ requirantur, ut in relatis casibus judex reum, de se confessum, juridice interrogare possit de sociis criminis, et reus sic confessus, et nominans socios, fidem faciat adversum illos?

« Resp. 1. Requiritur ut judex non interroget in specie, vel in individuo de certa persona, ex. gr. an Titius sit particeps criminis; sed in genere solum, an reus habuerit socios. Ratio est quia, si in specie de aliquo interrogaret, id esset potius suggerere, quam inquirere. *Excipitur*, nisi jam aliunde de ejusmodi delicto suspecta esset persona aliqua; vel nisi reus in judicio jam confessus fuisset se cum sociis deliquisse; tunc in duobus istis casibus potest judex ulterius petere, ut socios nominet: alias denuntiatio eorum in judicio esset frustranea et imperfecta.

2. « Ut, qui socios criminis revelavit, hoc ipsum postea confirmet in tortura. Et postea confessionem altera die in loco judicii coram notario et testibus, sponte et sine tormentorum metu, ratificet...

3. « Ut reus denuntiationem socii juramento confirmet, nisi alicubi de consuetudine denuntiatio sociorum a reo facta recipiatur etiam sine juramento...

4. « Ut denuntians non habuerit inimicitias adversus denuntiatum..

5. « Ut denuntians in suis denuntiationibus contra socios criminis sit constans, et perseveret...

6. « Ut reus de se confessus, præter illum criminis defectum, non sit aliunde inhabilis ad testificandum...

7. « Ut denuntiatio hujusmodi a reo facta suffulta sit aliis conjecturis, et indiciis criminis, ob quæ verisimilis fiat... »

V. Quæritur quid universim requiratur ut confessio judicialis effectum habeat, et præjudicet confitenti?

Resp. Plura passim apud doctores inve-

piuntur requisita, quæ memoriæ juvandæ gratia in versiculos sequentes collecta sunt.

Major, sponte, sciens, contra se, est jus ubi, et hostis, Certum, lisque favor, jus, nec natura repugnet.

« Igitur requiritur : 1. Ut confessio sit profecta a *majore 24 annis*. Ubi plurimum refert, an minor sit infans, an infante major, sed adhuc impubes, an jam pubertatem adeptus. Confessio ab infante facta sine tutoris auctoritate, non valet. Si vero jam sit pubertatem adeptus, et habeat curatorem, confessio ejus non aliter ipsi præjudicat, quam si curator intervenerit; si non habet curatorem, confessio illi præjudicat, si facta sit extra judicium, sed læsus in integrum restituitur... At si in judicio facta sit, regulariter nulla est; quia minor per se loquendo personam standi in judicio non habet... *Excipitur*, quando agitur de momentanea possessione, vel rebus spiritualibus, et quæ his annexa sunt, cum in hujusmodi causis stare in judicio minor possit...

2. « Ut fiat *sponte*, et *libere*, non vi, et metu, spe impunitatis promissæ, vel alia fraude extorta. (C. *Si quandoque* 1, causa 15, quæst. 6.)

3. « Ut sciens confiteatur, hoc est ut confessio procedat ex certa scientia, et non ex errore...

4. « Ut confiteatur *contra seipsum*...

5. « Ut confessio fiat *ubi jus est*, id est coram judice competente sedente pro tribunali... *Excipitur*, si causa non requirat plenam cognitionem; nam in summario judicio valet confessio extra tribunal facta...

6. « Ut confessio fiat *præsente adversario*; hic enim *hostis* nomine in versiculis allatis intelligitur. Sufficit autem, si adsit confessioni hujus procurator, habens ad hoc speciale mandatum...

7. « Ut sit de *re certa*, quoad substantiam et quantitatem...

8. « Ut fiat *in judicio* : hoc enim *litis* nomine significatur. In hoc distinguitur judicialis confessio ab extrajudiciali...

9. « Ut non sit facta *in favorem confitentis*...

10. « Ut sit de re, quæ neque *rerum naturæ*, neque *juri* adversatur : qualis esset confessio qua quis fatetur Titium esse suum filium, qui tamen majoris est ætatis, quam sit ipsemet, vel si quis confiteatur se occidisse hominem, qui adhuc vivit. »

VI. « Quæritur an confessio judicialis requirat sententiam definitivam judicis, quæ ferri debeat contra confessum in judicio?

Celeberrima hæc quæstio est apud doctores, nec tamen hodiedum ita discussa adhuc, ut quænam opinio verior sit, satis liqueat. Probabilior tamen sententia utitur distinctione inter causas criminales et civiles. *Quoad causas criminales* facile omnes doctores conveniunt, quod contra confessum requiratur sententia definitiva, sive præcedat confessio contestationem litis, sive sequatur; quod satis patet ex c. *Cum super* 2, *De confessis*. Quoad *causas civiles*, non conveniunt doctores; alii dicunt sufficere præceptum judicis de solvendo; alii requiri sententiam condemnatoriam.

§ II. — De effectibus confessionis, et ejus revocatione.

I. Effectus confessionis judicialis varii afferuntur.

1. Est quidem plenissima probatio, ita ut superet, et infringat omnes alias probationes, factas per testes, et instrumenta in favorem confitentis contrarium. (C. *Diligenti* 7, *De præscript.*; c. *Dilecti* 2, *De capell. monach.*) Et propterea non est mirum, quod per eam ab onere probandi relevetur actor, cum nulla sit probatio melior, quam proprii oris confessio; ut proinde utilissime admittatur in judicio, cum per eam veritas controversiæ sine longioribus ambagibus eruatur. *Excipitur*, nisi quod aliquid confitetur, tale sit, ut simul cedat in præjudicium reipublicæ...

2. « Inducit notorium per cap. *Vestra* 7, *De cohabit. cler. et mulier.* Hinc viam appellationi præcludit (C. *Pervenit* 13, et cap. seq. *De appellat.*) Estque hoc verum, etsi confessus quis sit sponte, ac voce propria, licet convictus non sit; neque refert an causa, de qua agitur, sit civilis an criminalis... *Excipitur* casus quo reus confessionem in judicio factam ex causa revocavit, tunc enim nihil obstat appellationi.

3. « Tollit præsumptionem juris, et de jure, ita ut etiam si aliæ probationes contra hujusmodi præsumptionem non admittantur, admittatur tamen contra illam probatio in contrarium per confessionem partis...

4. « Locum invenit etiam post conclusionem in causa; quia, licet renuntiatum sit probationibus, non intelligitur tamen renuntiatum etiam confessionibus, per textum c.

Joannes 10, *De fide instrum.*), extendit istud Hiltrop. n. 7, et ait procedere etiam post latam sententiam; semper enim debet veritati locum esse.

5. « Sanat omnes defectus processus, adeo ut, etsi processus ob juris ordinem non servatum vel alium quemcunque defectum nullus sit et propterea sententia ex eo ferri non possit, confessio tamen, modo coram competente judice, et cum aliis supra requisitis fiat, valida sit, et sententia ferri ex ea possit... ratio est quia ad valorem confessionis processus non requiritur.

6. « Per confessionem res judicata retractatur.

7. « Æquiparatur rei judicatæ, quamvis tamen requiratur sententia, ut supra dictum est.

II. Quæritur quem effectum operetur confessio extrajudicialis?

Communiter distinguunt doctores inter eam quæ fit in causis civilibus, et eam quæ fit in causis criminalibus.

Si causa sit civilis : 1. Si ejusmodi confessio tendat ad liberandum debitorem, quia scilicet confitemur nobis satisfactum esse pro debito, et liberamus ab isto adversarium, talis confessio operatur, et probat plene effectum liberationis, modo sit ab adversario acceptata.

2. Si vero confessio tendat ad obligandum confitentem, *plene probat,* si sit discreta, hoc est, adjecta causa specialiter expressa, ut *confiteor me debere* 100 Titio *ex causa accepti mutui,* sique insuper aut in scriptis aut viva quidem voce, sed præsente tamen adversario facta, ac per duos testes integræ fidei probata fuerit, ut habetur C. *Si cautio* 14, *De fid. instrum.* Excipe nisi ex circumstantiis appareat contrarium...

Semiplene probat, si discreta quidem sit, sed fiat absente adversario, vel si præsente quidem adversario fiat, sed discreta non sit, et causam non exprimat. Quod tamen intelligendum est regulariter; nam aliquando ad plenam probationem sufficit confessio extrajudicialis etiam absente adversario facta, uti est : 1° si confessio ejusmodi sit recepta in scriptis, vel instrumento; 2° si fuerit jurata; 3° si fuerit repetita; 4° si facta fuerit pro causa pia ob hujus favorem...

« *Nihil probat,* si sit indiscreta, et fiat absente adversario. Excipiuntur quatuor supra relati casus, in quibus confessio etiam indiscreta aliquando plene, aliquando semiplene probat, prout scilicet major, vel minor deliberatio in confitente præsumi potest... »

In causis criminalibus distinguendum est, an confessio sit contra ipsum confitentem, an vero contra alium tertium. *Si contra ipsum confitentem* facta sit, non quidem vim probationis plenæ, et ad confessi condemnationem sufficientis habet, aliquando tamen indicium facit sufficiens ad torturam, prout sumitur ex c. *Olim.* 25, *De rescript...* Opus tamen est ut talis confessio non calore iracundiæ, aut alias temere effusa, sed verisimilis, et postea in judicio legitime probata sit. »

« Quod si autem confessio facta sit contra alium tertium, ne quidem judicium facit ad torturam sufficiens, imo aliquando vix sufficit ad purgationem canonicam inducendam... »

III. Quæritur qualem effectum habet confessio sacramentalis, si in judicio producatur?

Resp. Nullum omnino; quia fit Deo, non homini, et cons. extra commercium humanum est. (Ita theologi et canonistæ orthodoxi omnes.) Proceditque hoc non tantum de sacerdote apud quem deposita illa est, sed etiam de iis qui cum propius sacro tribunali astarent, peccata confitentis auscultarunt; quia hi, non minus ac confessarius, ad silentium obligantur, et universalis est regula scientiam, quæ ex confessione quomodocunque obtinetur, non esse applicabilem ad ullum usum humanum. »

IV. Quæritur an confessio qualificata noceat confitenti, ita ut ab adversario vel judice acceptari possit quoad substantiam, rejici quoad qualitatem?

Resp. distinguendo. Vel enim qualitati annexæ confessioni obstat aliqua præsumptio juris, vel non. — Si *prius,* confessio quoad substantiam admitti potest, quoad qualitatem rejici, donec qualitas probetur. — Si *posterius,* plurimum refert, an qualitas talis sit a negotio principali penitus separata, ac cum novo facto conjuncta, vel non. Si *hoc secundum,* ut si reus confiteatur se promisisse sub conditione, vel se recepisse 100, quæ sibi debebantur ex causa mutui, eo casu confessio acceptari tota, vel tota repudiari. — Si *primum,* ut si reus dicat : *Verum est quod mutuos dedisti mihi* 100, *sed pactus es de non petendo;* in eo casu confessio acceptari potest quoad debitum de mutuo, rejici quoad pactum de non petendo, donec probetur... »

V. Quæritur quid operetur confessio facta in testamento vel alia ultima voluntate.

Resp. cum distinctione. Vel enim testamentum est revocatum, vel non est revocatum. — Si *primum*, revocato testamento, censetur etiam confessio revocata, nisi acceptata fuerit a parte præsente, vel notario pro ea stipulante; nam tunc transit in contractum, nec potest revocari. Si *secundum*, altera distinctio adhibenda, et videndum an hujusmodi confessio tendat in præjudicium tertii, an vero in nullius cedat præjudicium, præterquam confessi. — Si *prius*, adversus istum etiam a testatore in extremis constituto facta non probat. » Et hinc etsi pater in testamento confessus sit filium commisisse ingratitudinem, et propterea se eum exhæredasse, vel mater in vitæ exitu dicat filium ex adulterio susceptum esse, utrumque probandum est ab hærede, priusquam hujusmodi filii a successione excludi possint.

Si posterius contingat, satis convenit inter doctores ejusmodi confessionem, si in testamento, vel a constituto in articulo mortis coram duobus testibus legitimis facta, et horum attestationibus probata sit, in præjudicium confessi plene probare in judicio casu, quo illa ad liberationem tendit.

« Dubium est, an etiam plene adversus confessum et ejus hæredes probet confessio testatoris, si illa obligationem spectet, ex. gr. si dicat se debere Caio 1,000 fl.....

« Sed distinguendum est, hujusmodi confessio simplex duntaxat sit, an vero adminiculata. — *Si primum*, debitum quidem contra hæredes probandi vim nullam habet, in vim tamen legati, si persona cui testator obligatum se confitetur talis sit, ut testamento aliquid ei relinquere non sit jure prohibitum, confessio talis valet, ita ut si defunctus circa debitum errasse non comprobetur, 1,000 illi floreni peti tanquam legatum aut fideicommissum possint...—Addidi, *Si persona talis sit, ut defunctus relinquere ipsi aliquid testamento possit;* secus enim, debiti causa non apparente, ad solvendum hæredes non obligat talis confessio, quod in fraudem legis videatur facta esse. — *Si secundum*, plenam vim probandi, et hæredibus præjudicandi habet, idque in triplici casu: 1° si causa debiti certa expressa sit, et probari non possit, quod istius expressio sit errore facta; 2° si juramento sit confirmata; 3° si defunctus quædam injuste possessa, vel male, ex. gr. fœnerando parta confiteatur, et in exonerationem conscientiæ suæ restitui jubeat... »

VI. « Quæritur quando judex ex denuntiatione sociorum criminis a reo facta procedere possit ex officio ad specialiter inquirendum, citandum, capiendum vel etiam torquendum personas denuntiatas?

Resp. aliter discurrendum, quando crimen est exceptum; et aliter, quando non exceptum. *Si exceptum est*, videndum an hujusmodi depositio sit adminiculata alio indicio verisimili criminis; nam tunc inquisitio specialis contra sic denuntiatum institui potest a judice, et assumi aliæ probationes. At si aliis adminiculis suffulta non fuerit, denuntiatio hujusmodi etiam in crimine excepto non sufficit... — *Si vero exceptum non sit* ejusmodi crimen, cujus reos denuntiavit socios criminis socius, iterum distinguendum, an reus sponte sua denuntiationem fecerit, an vero ad interrogationem judicis. — *Si hoc secundum*, nullo alio indicio concurrente adversus personam sic denuntiatam ad specialem inquisitionem judex non potest procedere... — *Si vero primum contingat*, et reus sponte, et non interrogatus denuntiet socium in judicio, ejusmodi denuntiatio, modo iis circumstantiis fiat ut aliquale indicium præbere possit, ad inquisitionem specialem de denuntiato faciendam sufficit, et aliquando, si ita gravia sint indicia, etiam ad capturam, imo etiam ad subjiciendum illum torturæ... »

VII. « Quæritur quando confessio procuratoris noceat domino, antecessoris successori prælati ejusdem ecclesiæ?

Resp. Hujusmodi confessio *successori singulari*, non autem universali nocet, et item domino quando procurator habet speciale ad hoc mandatum, aut generale quidem, sed cum libera, ac proinde æquivalens speciali... »

VIII. « Quæritur an litigans pro confesso habeatur, quando positionibus adversarii sui respondere recusat?

Resp. distinguendo inter causas criminales, et civiles. — *In causis criminalibus* ex communi doctorum sensu non habetur pro confesso, quia in illis, ob maximum præjudicium quod afferunt, omnino liquidæ et luce meridiana clariores probationes exiguntur. — « *In civilibus*, si post litem contesta-

tam, et juramentum *dandorum* adversarii sui positionibus respondere jussus litigans absque rationabili causa respondere recuset, habetur pro confesso quoad ea, quæ in positionibus, sive articulis continentur, prout statuit Bonifacius VIII c. fin., *De confessis* in 6; tum ob contumaciam, tum quia taciturnitas in loco, et tempore, quo interrogatus respondere tenetur, juris præsumptione, et interpretatione pro consensu habetur regul. *Qui tacet* 43, in 6. »

« Dixi *absque causa rationabili;* nam si causam rationabilem habeat, pro confesso non habetur. (C. fin., *De confess.* in 6.) Talis est : 1° si articulis contenta essent superflua, et causam, de qua agitur, nullo modo concernerent; 2° si positio sit incerta, dubia et obscura : nam sicut responsio, ita et positio clara et certa esse debet; 3° si esset calumniosa, impossibilis, vel captiosa ; 4° si attingeret crimen rei omnino occultum : tale enim, etsi ad rem faceret, prodere, seque ipsum infamare non obligatur, sed potest denegare responsionem ; 5° si esset non de facto proprio ipsius rei, sed de jure tantum... »

« In cæteris casibus, ubi recusans respondere pro confesso habetur, opus est sententia judicis declaratoria, per quam pronuntiet reum sine legitima causa non respondisse, vel contumacem esse. » Si vero postea reus se purgaverit judici, et taciturnitatem excusaverit, adversus eam præsumptionem juris absolvi debet ; quia præsumptio cedit veritati.

IX. Quæritur qua pœna affici possit ille, qui crimen in judicio confessus est incidenter?

Resp. non ordinaria, sed arbitraria mitiori. »

X. Quæritur an confessio facta in judicio a parte litigante revocari possit ?

Resp. distinguendo. Vel enim in continenti pars litigans suam confessionem revocat, vel solum ex intervallo. — *Si primum*, revocatio confessionis admittitur, tametsi nullus error probatus fuerit, maxime si confessio illa a parte adversa nondum est acceptata, colligitur arg. c. *Præterea* 7, *De testib. cogend.*, ubi habetur, quod testis errorem suum corrigere in continenti possit..... — *Si secundum*, videndum an quis revocare velit errorem commissum a procuratore, administratore, œconomo, syndico, an vero revocare velit confessionem propriam. — *Si prius*, sufficit ad revocandam illius confessionem, probare quod res non ita se habeat..... — *Si posterius*, ante litem contestatam sufficit probare rem aliter se habere ; post contestationem litis autem necesse erit probare errorem, vel saltem pars confessionem suam revocatura circumstantias afferre debet, ex quibus errorem suum probabilem reddat.... Nam hoc si fiat, admittitur revocatio confessionis in judicio factæ etiam ex intervallo et post contestationem litis, modo fiat ante sententiam, ut habetur, cap. fin. *De confessis*, et confirmatur, quia etiam testis corrigere errorem ex intervallo potest.

Excipitur : 1° Si quis sponte et sciens falsum confiteatur. — 2° Si non in facto sit error, sed in jure ipso. 3° Si in proprio facto erraret confessus. 4° Si error facti procederet ex culpa lata versutiæ.. » (*Vid.* SCHMALZGR. Ex quo hucusque, tit. XVIII, *De confessis*, per totum.)

§ III. — De probationibus.

Inter positiones actoris reus aliquas confitetur, alias negat : quas confitetur, probare non debet actor, sed rei confessione a probatione earum relevatur ; quas negat, probare oportet ; nam inanis est actio, nisi indubitata probationis fide liqueat vera esse, quæ adducuntur. Potest autem illas probare vel per testes, vel per instrumenta, vel ex præsumptionibus, aut juramento suppletorio probationis, ad quas probationum species antequam descendatur, non inconvenienter de *probationibus* in genere præmittendum est. Unde sit

§ IV. — De probationis natura, varietate, effectu.

I. Quid sit probatio ?

Probatio, prout huc pertinet, communiter definiri solet, quod *sit rei dubiæ, seu controversæ per legitima argumenta facta ostensio ;* vel magis extensis terminis : ***Probatio est actus judicialis, quo per instrumenta, aut testes, aut idonea argumenta judici de re, aut facto dubio et controverso fit fides.***

Dicitur : 1. *Actus judicialis ;* quia probationes fiunt post litem contestatam, a qua proprie judicium incipit.

2. *Judici ;* nam huic, non parti, nec notario facienda est probatio ; quamvis in præsentia adversarii quidem, ut respondere objectis possit, notarii autem ut in acta eamdem referat. (C. *Ex litteris* 13, *De probationibus.*)

3. *Per argumenta idonea*; id est, quæ necessario concludant seu inferant id, quod ad probationem intenditur; nam finis probationis est ut judici fidem faciant, ut is intelligere possit qualem sententiam ferre debeat.

4. *De re aut facto*; nam ea quæ sunt juris, quia jam antecedenter judici censentur nota, idcirco probatione non indigent. Excipitur, nisi sint juris specialis aut consuetudinarii; hæc enim, quia peritissimos latere possunt, ab allegante probanda sunt.

5. *Dubio et controverso*; quia manifesta et evidentia probatione non indigent. (Can. *Manifesta* 15, causa 2, quæst. 1; et c. *Evidentia* 9, *De accusation.*) Excipe si tantum sint manifesta parti ea alleganti, vel judici privatim; quia cum judex gerat personam publicam, secundum scientiam publicam, quæ per allegata et probata obtinetur, ferre debet sententiam.

II. Quæ sit forma probationis?

Resp. 1. Debet esse clara, perspicua et certa, quæ judicem de assertione, atque intentione litigantium plene instruat. (C. *In præsentia* 8, tit. XIX, *De probationibus.*)

2. Fieri debet secundum formam libelli.

3. Non debet fieri in transcursu, sed citata ad ejus receptionem adversa parte.

4. Institui debet post litem contestatam; nisi valetudo, senium, aut instans longa absentia testium suadeat depositiones testium ante litem contestatam recipi, et nisi probandæ sint exceptiones dilatoriæ

5. « Fieri debet intra terminum a judice assignatum. »

6. « Post publicata testimonia, et conclusionem in causa non est admittenda alia probatio super iisdem articulis, sed sententia ferenda est secundum priorum testium depositiones. Sumitur ex c. *Juravit* 6, *De probation.* Ratio est quia per conclusionem in causa censentur partes renuntiasse probationibus.

7. « In probando servandus est ordo: primo enim intentionem suam probat actor, tum reus in sua exceptione auditur.

8. « Denique acta judicii, et sententia lata in causa scripto debet excipi a notario, vel aliis duobus viris idoneis, qui notarii locum subeant; alias fides non habetur processui et judicii actis. (C. *Quoniam* 11, *De probationibus.*) Proceditque hoc non tantum in judicio plenario, sed etiam summario; neque refert an causa agitetur coram judice ordinario, an coram delegato: imo et quando agitur coram arbitris compromissariis, constitutio hæc locum habet; quia arbitria ad formam judiciorum redacta sunt. « Excipiuntur causæ exiguæ, et leviores, quæ necessario scribendæ non sunt. »

III. Quotuplex sit probatio?

Tres potissimum divisiones assignantur: 1. *artificialis* est, quæ arte et industria probantis conficitur per argumenta, ex ipsis rei visceribus, ac locis intrinsecis petita, unde et *insitam* vocant. Huc præcipue præsumptiones spectant. — *Inartificialis* est, quæ extrinseca assumitur a testibus, instrumentis, confessione, juramento, etc.

2. « *In judicialem*, quæ in judicio post contestationem litis: et in *extrajudicialem*, quæ extra litem; et ante litis contestationem fit.

3. « *In plenam*, quæ plenam fidem facit judici de re in judicium deducta et ita eumdem in causa instruit, ut nullo alio ulterius requisito, sententiam ferre, et controversiam definire possit. — *In semiplenam*, ex qua judex valde probabiliter veritatem de re controversa introspicit, non tamen certo notam habet.

Plenæ probationis sex præcipuæ sunt species: 1°, depositio duorum testium omni exceptione majorum super uno, eodemque articulo; 2°, instrumentum publicum, vel alia scriptura authentica huic quoad probandi vim æquiparata; 3°, præsumptio juris, et de jure; 4°, juramentum, quod a parte litigante sibi delatum pars adversa præstat; 5°, confessio ipsius rei; 6°, evidentia seu notorietas facti.

« *Effectus* plenæ probationis triplex est maxime:

1° Quod juxta illam sit ferenda sententia. Hinc condemnare judex reum debet, si actor intentionem suam plene probaverit; absolvere autem, si actor nihil aut reus contra plene probaverit.... Alioquin judex litem faciet suam, et ad id, quod litigatores interest, condemnabitur.... Quod si uterque, actor et reus, plene probaverit, is vincet, qui pro se habet præsumptionem. (C. *Ex litteris* 3, *De probation.*) Aloquin in pari

causa, et probationum æquilibrio reus absolvitur. C. *Ex litteris* cit. c. *Inter dilectos* 6, in fin. *De fid. instrum.*) Nam hujus in jure melior est conditio.

2° « Quod actor, qui plene probavit intentionem suam, non teneatur juramento eam confirmare, sed oblatum a judice recusare possit, ut statuitur (c. *Sicut consuetudo, De probat*, et ratio est quia, cum juramentum sit species quædam probationis, adhibetur tantum quando causa nondum est probata sufficienter.

3° « Quod is, contra quem plene probatum est, non amplius admittitur ad purgationem canonicam. (C. *Ad nostram* 12, *De probat.*) Ratio est, quia purgatio canonica tantum conceditur suspecto, et non convicto....

Semiplenæ probationis species sunt : 1, Depositio unius testis, vel plurium singularium aut duorum etiam concordantium, sed non legitimorum, sed omni exceptione majorum; 2°, instrumentum, seu scriptura privata; 3°, comparatio litterarum, quando de scripto dubitatur; 4°, juramentum, quod *suppletorium* nuncupatur; 5°, præsumptio verisimilis, sive probabilis; 6°, fama.

« *Effectus* semiplenæ probationis plures enumerantur :

« 1° Dat locum juramento suppletorio. (C. *Sicut consuetudo* 2, *De probat.*)

« 2° Liberat aliquando ab ulteriori onere probandi, et illud in adversarium rejicit.

« 3° Conjuncta alteri semiplenæ, conficit plenam probationem.

« *Minus quam semiplena* facit adminiculum, et aliis juncta aliquando plenam, aliquando semiplenam, nonnunquam plus quam semiplenam probationem efficit...

« *Probatio plusquam semiplena* denique id speciale habet, quod aliquando in causis civilibus sit idonea ad ferendam sententiam, etiamsi adminiculum nullum accedat; in aliis autem casibus, si adminiculo quocunque minus vehementi suffulciatur, redintegretur, et fiat plena probatio.... »

IV. An et quando duæ semiplenæ probationes faciant unam plenam?

Resp. 1. Duas semiplenas probationes haberi pro una plena et eumdem effectum sortiri in causis tantum civilibus minus arduis, colligunt plurimi canonistæ. (Ex c. *Cum causam* 13, *De probat.*; c. *Veniens* 10; et c. *Præterea* 27, *De testibus*; et c. fin., *De success. ab intestat.*)

2. Sed duæ pluresve semiplenæ probationes non sufficiunt 1° in *causis criminalibus*; quia ut *leg. fin.* c. *De probat.* habetur, in iis causis requiruntur probationes luce meridiana clariores. 2° *in causis matrimonialibus;* nam quia ubi vertitur periculum animæ, plena probatio requiritur; 3° in *causis civilibus arduis*, si tales sint ut, quoad pondus et gravitatem, criminalibus æquiparentur. (Communis doctorum.)

V. Quid sit *inspectio ocularis?*

Resp. Est probatio saltem latius accepta qua judici de re dubia, vel facto controverso per ipsam rei in vel extra judicii locum oculis subjectæ, intuitionem fides conciliatur. Ut ad causæ definitionem proficiat peragenda est : 1° a judice competente per se, vel per aliam personam, quæ ipsius vices gerat, adhibito judicii notario, qui acta in ipsa inspectione fideliter conscribat. — 2° Præcedere debet aliqua causæ cognitio... — 3° Citari ad eam debent partes, nisi forte judex ex officio clam ad suam tantum informationem suscipere illam velit. — 4° Ad illam ducendi sunt testes ab alterutro litigantium producti. — 5° Adhibendæ plerumque sunt aliæ personæ rei, de qua agitur, peritæ. — 6° His de eo, quod verum esse cognoverint, sincere edicendo deferendum est juramentum. — 7° Pro ea facienda dandum est tempus.

Si cum his requisitis peracta sit, probationum omnium validissima est.

VI. Quid sit *fama* et quæ illius vis ad probandum?

Resp. Fama alia hominis, alia inter homines dicitur. — *Fama hominis* est ipsius existimatio, seu *dignitatis illæsæ status, legibus ac moribus comprobatus, qui ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur aut consumitur.* — *Fama inter homines* est populi sive alicujus provinciæ, vel loci hominum commune, constans et publicum judicium, et assertio de aliqua re. Huic affinis est *rumor*, qui definiri potest, quod sit de aliqua re opinio, et sermo non communis, sed particularis, sive paucorum; quo a fama distinguitur.

« Ut fama in judicio fidem faciat, non allegari, sed probari debet. Probari autem potest per privilegia, et instrumenta authen-

tica, per scripturas et litteras, per testes sufficientes. »

Effectus famæ pro diversitate causæ diversus est.

In criminalibus, quamvis legitime probata, in ordine tamen ad pœnam infligendam probationis nec plenæ, nec semiplenæ vim habet; quia ad hunc effectum requiruntur probationes liquidæ, et luce clariores. — Tantum procedi potest ex ea ad inquisitionem specialem in personam diffamatam. (C. *Qualiter* 17, c. *Cum oporteat* 19, et c. *Qualiter* 24, *De accusat.*) Aliquando dat locum incarcerationi, quando persona de fuga suspecta nec adeo propter ante aetam vitam honesta est. — Indici sic diffamato purgatio canonica potest. (C. *Presbyter*. 5, causa 2, quæst. 4.)

In civilibus plerumque obtinet vim semiplenæ probationis, aliquando plenam efficit fidem,—aliquando semiplena minorem.

§ V. — De personis ad probandum obstrictis.

I. Generaliter is probare debet, qui dicit, seu affirmat rem dubiam in judicio in alterius præjudicium, nec habet pro se præsumptionem juris... Quod adeo verum est ut actore non probante reus absolvi debeat, etsi nihil præstiterit, id est, nullam defensionem, vel probationem pro se attulerit, ut decernitur, c. fin. *De jurejur.*; c. unic. *Ut Eccles. benef.* Extenditur hoc : 1° ad omnes causas civiles, criminales, profanas, spirituales et beneficiales. — Extenditur 2° etiam ad casum quo judex ex officio inquirit; tum enim ipse probare debet contenta, et asserta in inquisitione, quia succedit loco actoris seu accusatoris. Extenditur 3° etiamsi constet, quod reus nullum jus in causa, vel re habeat, ut quia res aliena est, quam possidet....

II. Quæritur quando onus probandi incumbat non actori, sed reo?

Resp. his præcipue casibus istud ex communi doctorum sententia reo incumbere : 1° Si opponat exceptionem affirmativam, hoc est, si excipiendo aliquid asserat... Tunc enim suscipit in se onus actoris quoad oppositas a se exceptiones. Si reus autem excipiendo neget, actor probare debet. — 2° Si præsumptio juris stet pro actore; tunc enim non actori affirmanti, sed reo neganti incumbit probatio. Ratio est, quia universim hæc vis et potestas præsumptionis est, ut ab onere probandi relevet, et illud in adversarium, contra quem præsumitur, transferat. (C. unic. *Ut Eccles. benef.* sine *Dimin. confer.*) — 3° Si actor sit persona privilegiata, ex. gr. pupillus, minor, mulier, etc. — 4° Si reus negans juris sui fiducia onus probandi ultro subeat. — 5° Si judex ex justa causa onus probandi in reum transferat, ut si deferat reo juramentum in judicio; debet enim tunc reus parere, et onus illud suscipere, ac præstitum loco probationis habebitur.

III. Quæritur an et quando negans teneatur probare?

Resp. Fusius hanc quæstionem tractant canonistæ; at breviter dicendum videtur neganti incumbere probationem, quando negat qualitatem naturalem omnibus communem, vel jus; et quando negatio facti includit affirmationem.

Alia de probationibus, vide apud Schmalzgr. tit. XIX, *De probationibus*.

§ VI. — De testibus et attestationibus.

I. Quæritur quinam ad ferendum in judicio testimonium apti sint?

1. Est certa et ab omnibus recepta generalis regula, testificari posse omnes qui non sunt a jure prohibiti. (SCHMALZGR. tit. XX, lib. II *Decretal.* n. 2.)

2. A jure naturali prohibentur furiosi.

3. A jure prohibentur impuberes; in causis tamen criminalibus examinari solent; sed tunc depositio impuberis per se solum non facit semiplenam probationem.

4. Cæci, surdi-muti, de quibus dicendum est sicut de impuberibus.

5. Pecunia corrupti.

6. Infames, tum infamia juris, tum infamia facti. Potest tamen eorum testimonium in causis criminalibus recipi ; ita tamen ut fidem non faciat, quia tales testes non sunt omni exceptione majores.

7. Criminosi; quibus nempe grave crimen a parte adversa objicitur, et in judicio probatur.

8. Qui hic et nunc est accusatus, vel inquisitus de crimine gravi, et cujus causa adhuc pendet.

9. Perjuri.

10. Excommunicati excommunicatione majore : cum hoc discrimine, quod *non toleratum* debet judex omnino repellere; *tole-*

ratum vero non nisi adversa pars excommunicationis exceptionem opponat.

11. Personæ valde pauperes, quia de his potest esse suspicio quod pecunia facile corrumpantur.

12. Non admittuntur ad testificandum parentes in favorem liberorum, nec liberi in favorem parentum.

13. Idem dicendum est de fratribus, consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum, necnon de amicis et familiaribus.

14. Ac de conjugibus in invicem.

15. Nec famuli recipiuntur ad testificandum in favorem suorum dominorum.

16. Socius criminis non admittitur ad testificandum contra socium.

17. Qui confessus est crimen, nequit pariter contra socium criminis esse testis; quia nempe ex confessione sua jam evasit infamis.

18. Testificari nequit inimicus contra inimicum, si gravis inter eos inimicitia exsistat; e contra autem bonum est testimonium in favorem inimici.

19. Laicus contra clericum in causa criminali criminaliter intentata nequit esse testis. (C. *De cætero* 14, *De testibus*; c. *Quis dubitet* 9; et c. seq. dist. 96; c. *Laici* 14, causa 2, quæst. 7.) — Laicus tamen accusare clericum potest casu, quo ille suam vel suorum injuriam ulciscitur.

Dixi autem *criminaliter intentata*; nam in causis civilibus, et si civiliter agatur de crimine, laicus testificari adversus clericum potest. (C. *Tam litteris* 33, *De testibus*.) Imo etiam in causa criminaliter intentata in certis casibus, et quidem 1° in criminibus exceptis. (Gloss. in c. *De cætero* cit. v. *Suum*. [Ut *læsæ majestatis, hæresis, simoniæ*, etc.) 2° In delictis scandalosis et notoriis. (C. fin. *De purgat. can.* 3° In subsidium, quando clerici haberi non possunt, qui facti notitiam habeant, ut si clericus in solitaria villa habitans delinquat, idque ne crimina maneant impunita. 4° Si agatur de crimine per modum denuntiationis, aut inquisitionis ad depositionem, aut privationem beneficii, ut colligitur ex c. *Ex parte* 7, *De test.* — 5° Si ipsius laici intersit, ut quando patronus, vel parochianus est; nam horum interest habere bonum rectorem. — 6° Si clericus jam sit traditus curiæ sæculari; quia tunc amisit privilegium clericale. — Item ex textu c. *Quoniam* 3, *De testibus*, ubi in causa criminali adversus clericum admittitur testimonium feminæ, casu, quo propter defectum testium non potest delictum probari, nisi per mulieres, cum quibus commissum est.

« Porro si in his casibus admittatur testimonium laici contra clericum bonæ famæ, non erit testis integer, et omni exceptione major, nisi cum eo simul testificetur, et examinetur clericus bonæ famæ; tunc enim per hunc supplebitur defectus, et inhabilitas laici, et amborum testimonia facient plenam fidem. » (SCHMALZGR. tit. XX, *De test.* lib. II *Decret.* n. 49 et 50.)

20. Testes esse nequeunt parentes contra liberos, et vice versa; frater adversus fratrem; socer contra generum; uxor contra maritum; vitricus contra privignum, et vice versa.

21. Item nec patroni causarum adversus suos clientes; tutores vel curatores contra pupillum vel minorem, administratores, syndici et actores respectu negotiorum quæ tractarunt.

22. In causa criminali testis esse nequit minor viginti annis.

23. Nec clerici et religiosi in causa sanguinis.

24. Femina regulariter de jure canonico testis esse nequit in causa criminali. (C. *Mulieres* 17, causa 33, quæst. 5; c. *Forus* 10, *De verb. signif.* « Ratio est quia mulier suapte natura est inconstans et mutabilis, atque hinc minus idonea reputata a sanctis canonibus ad ferendum testimonium in causis criminalibus, in quibus, quia de gravissimo præjudicio agitur, desiderantur probationes perfectissimæ.

« Dixi *regulariter*; nam in nonnullis casibus non minus quam cæteri inhabiles ad testificandum admittuntur etiam ipsæ in causa criminali, uti est 1° in criminibus exceptis : ubi femina pro teste admittitur etiam de jure canonico. — 2° Si virorum testimonium haberi nequeat; nam ob defectum testium idoneorum admitti possunt testes alioquin inhabiles. — 3° Si judex ex officio procedat ad inquisitionem de crimine. — 4° Ad defensionem rei et innocentiam ejus ostendendam. — 5° Si civiliter agatur de crimine, et etiam in causis civilibus. SCHMALZGR. *ibid.* n. 56 ad 58.)

25. Denique nemo potest esse testis in propria causa. Et sic excluditur : 1° qui habet causam consimilem; 2° judex quoad

causam quam judicat vel judicavit; 3° actor quoad causam quam agit; et similes.

II. Quæritur, quot requirantur testes ad probandum.

Resp. Ordinarie requiruntur et sufficiunt duo contestes idonei, et omni exceptione majores. Constat ex sacra Scriptura. *Deut.* XVII, 6, et XIX, 16; *Math.* XVIII, 17. Consonat utrumque jus canonicum et civile.

Dixi 1°, *ordinarie sufficere*, sunt enim casus, in quibus sanctissimi canones et jura Cæsarea ad quamdam solemnitatem requirunt majorem numerum: in testamento solemni; in causa matrimonii dissolvendi, etc. Sed non amplius observantur antiqui canones quibus contra episcopos et alios clericos major testium numerus requirebatur, præterquam quod etiam nunc perfectiores et pleniores probationes requirantur tam adversus clericos, quam sæculares, præsertim ubi agitur de illorum fama. »

Dixi 2°, *ordinarie requiri duos testes;* nam regulariter unius testimonium non sufficit; nec facit plenam fidem, ut inde ferri sententia possit, prout sumitur ex *Deut.* XIX, 15, et deciditur c. *Veniens* 10; c. *Licet* 23; c. *Cum a nobis* 28, *De testibus*, etc. Et propterea regula apud jurisconsultos est: *Dictum unius dictum nullius.* Et extenditur ad testem quemlibet, etiamsi non agatur de illius commodo vel incommodo: ita ut neque statuto, vel consuetudine aut constitutione principis, vel ipsius papæ generaliter induci possit, ut in quibuscunque controversiis ad alteram partem convincendam sufficiat unius testimonium; quia videtur repugnare juri divino, et aperire occasionem liberam calumniandi, pejerandi, et innoxios opprimendi. Sunt tamen casus in quibus unicus et singularis testis admittitur, v. gr. in causis quæ in nullius præjudicium, sed in alicujus vel aliquorum favorem cedunt..... »

Dixi 3°. *Quod debeant esse idonei, et omni exceptione majores.* Hoc est tales, quibus nec ratione personæ, nec ratione dicti quidquam ad minuendam fidem opponi possit... Porro quid ratione personæ opponi eisdem possit, supra declaratum est. Ratione dicti opponi eisdem potest, quod sufficientem dicti causam non reddant, præsertim ubi hoc ab ipsis exigit judex, item quod sint singulares, sibi contrarii, vacillantes, vel de auditu tantum, ubi requiruntur testes de visu, aut deponentes de credulitate, ubi opus est, ut deponant de scientia, etc.

III. Quæritur quomodo productio testium fieri debeat, parte adversa citata, et quomodo juramentum ab eis emittendum sit?

1. Ad receptionem testium pars adversa citari debet. Nam si hujusmodi omitteretur citatio, attestationes forent ipso jure nullæ. Constat ex cap. *In nomine* 2, tit. XX *De testibus*, lib. II *Decretal.* ibi: *Admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes veniat: quod quia hic* (in causa scilicet de qua in hoc decretali agitur) *omissum est, necesse est ut quod contra legem actum est, non habeat firmitatem.*

« Excipitur 1° Si periculum sit in mora; ut quia debitor de fuga suspectus sit, vel testes in remotas partes discessuri, vel si senes aut ægroti sint, nec pars adversa interea citari vel interesse possit. — 2° Si partes consentiant; quia juri suo renuntiare possunt. — 3° Si agatur de crimine hæresis; nam in hoc partis citationem supplet præsentia honestarum personarum. (C. fin. *De hæreticis*, in 6.) — 4° Si agatur de peccato vitando, uti factum est cap. *Præterea* 12, *Desponsalibus*, ubi ad depositionem unius testis secreto et occulte deponentis, sine citatione alterius partis, impeditur matrimonium contrahendum. — 5° Denique in omnibus illis casibus in quibus litis contestatio necessaria non est. » (SCHMALZGR. in tit. XX, lib. II, *Decretal.* n. 82.)

2. Citatæ partes admitti debent ut videant testes recipi et jurare, non vero ut audiant eorumdem testimonia. (Sequitur ex c. *Inquisitionis* 21, lib. V, tit. I *Decretal.*, et c. *Venerabili* 52, tit. XX, lib. II *Decretal.*, et ex lege *Nullum*, 14; c. *De testibus*.) Hinc canonistæ unanimiter docent testes secreto a judice esse examinandos. (Vide SCHMALZGR. *ibid.* n. 83.)

3. Astantibus testibus, nec non citatis et præsentibus partibus, solet judex, cum quadam gravitate ac severitate, apertoque capite, testem monere de dicenda veritate, et ne illam favore vel odio celet, memor quam grave sit perjurii scelus.

4. Omnino requiritur a testibus quibuscunque juramentum præstari. (C. *Fraternitatis* 17, et *Nuper* 51, tit. XX, lib. II *Decretal.*) Adeo necessarium est præstari a testibus juramentum, ut etiam id in causis summariis requiratur; et etiamsi duo integerrimi

testes deponant, omisso juramento, ne semiplenam quidem probationem faciunt, sed præsumptionem tantum. Neque posse per consuetudinem induci, ut testibus licet non juratis habeatur fides, tradunt communiter doctores. (SCHMALZGR. in tit. xx, lib. II *Decretal.* n. 88.)

5. Potest tamen ex consensu partium cessare juramenti a testibus præstandi necessitas; neque tunc requiritur insuper assensus judicis, nisi in nonnullis quibusdam casibus, quos vide apud SCHMALZGR. *Ibid.* n. 90 et 91.

6. Ut legitimum sit juramentum testium, observanda sunt sequentia. 1° Ut præstetur in præsentia utriusque partis.— 2° Coram judice causæ vel instantiæ, aut hujus commissario; nam potest judex examen testium alteri delegare; qui autem examinat juramentum etiam recipit.— 3° Ut præstetur in loco judicii, a qua tamen conditione eximuntur ægroti, aliive simili ex causa impediti. Hi enim domi suæ, coram commissario ad hoc deputato jurare et deponere possunt. — 4° Ut præstetur tactis Evangeliis; sed clerici in sacris constituti, de jure communi et universali consuetudine, jurant propositis duntaxat Evangeliis, et manu pectori admota. (*Vide* evoluta apud SCHMALZGR. *ibid.* n. 86.)

7. Testes « jurare debent, quod nec odio nec amicitia aut favore, vel aliquo commodo habito aut habendo inducti sunt ad testificandum, sed moti amore solius veritatis; quod veritatem, sicut secundum conscientiam suam noverint, ad articulos et interrogatoria sibi proponenda fideliter sint dicturi; et denique quod depositiones suas ante legitimam earum publicationem neutri parti velint manifestare. »

8. « Hoc juramentum repetendum est, si idem testis in eadem causa et instantia examinetur super diversis et novis articulis, ut constat ex cap. *Fraternitatis* 17, tit. xx, lib. II *Decretal.* Secus est si testis repetatur solum ad declarandum testimonium suum; tunc enim novo juramento opus non est. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 87 et 88.)

IV. Quæritur an et quid probent testes singulares?

Valde ardua est hæc quæstio, et in qua doctores non parum desudant. Dicuntur autem *singulares* ii testes qui varia atque inter sese diversa deponunt. Ejusmodi testium depositionibus nullam vim inesse concludendum videretur ex cap. *Cum dilectus* 32, *De elect.*, ubi decernit pontifex, *eorum probationem esse insufficientem, eo quod singuli essent in suis testimoniis singulares.*

Nihilominus communiter existimant canonistæ distinguendum esse inter varias testium singularium species. At nunquam plenam probationem faciunt in criminalibus; in civilibus autem aliquando semiplenam, aliquando etiam plenam. (*Vide* apud SCHMALZGRUEBER, *ibid.* n. 105.)

V. Quæritur quam vim probandi habeant testes sibi ipsis contrarii?

Duplex distinguenda est contrarietas: testium ad invicem, et testis cum seipso.

1. *Casus contrarietatis testium ad invicem.* — Si quod affirmant aliqui testes, negent alii, attendendum est an testes sic ad invicem contrarii producti sint ab eodem, an a diversis.— *Si prius*, debet judex numerum et qualitatem testium perpendere. In causis tamen criminalibus, cum requirantur probationes clarissimæ, eliditur testimonium deponentium contra reum, si alii, etsi numero pauciores, contrarium deponant. — *Si posterius*, id est, si ab actore seu promotore fiscali producti sint qui affirmant, et a reo qui negant, et quidem æquali numero, debet judex, cæteris paribus, credere deponentibus in favorem rei; quia nempe istius causa est de jure favorabilior. (C. *Ex litteris* 3, *De probat.*) Ea tamen regula exceptionem patitur quoad causas *specialiter favorabiles*, uti sunt causæ matrimonii, dotis, libertatis Ecclesiæ, pauperum, etc. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 107.)

2. *Casus testis sibi ipsi contrarii.* — Vel sibi contradicit testis antequam recedat a judice, vel postea. — *Si prius*, standum est posteriori testis depositioni; quia quod in contrarium dixit censendum est ipsi ex inadvertentia excidisse, cum illud statim corrigat. — *Si posterius*, subdistinguendum est : vel enim depositioni suæ contradicit *in judicio*, cum nempe ad judicem (notabili interjecto intervallo) redit, vel *extra judicium*. — Si *extra judicium*, adhibenda potius est fides depositioni testis in judicio prolatæ.—Si *in judicio* priorem suam depositionem mutet, videndum an probabilem hujus mutationis seu erroris sui causam assignet. (*Vide* de his SCHMALGR. *ibid.* n. 107.) Ex vitio autem hujusmodi contrarie-

tatis multum debilitatur vis testimonii, et propter ipsam potest semper contra testem excipi.

VI. Quæritur, quotuplicis generis exceptiones contra testes opponi valeant, et quid agere debeat judex quando opponuntur?

1. Excipi potest contra *personas* testium, quia forent de iis qui ad ferendum testimonium de jure sunt inhabiles.

2. Excipi potest contra examen testium; opponendo nempe ipsos examinatos fuisse, ante præstitum de dicenda veritate juramentum; eosdem simul, non autem secreto et unus post alium, deposuisse; eos receptos fuisse post dilationes ad probandum concessas; et alia istiusmodi vitia in examinandis testibus commissa.

3. Excipi potest contra *dicta* testium, nempe : 1° Quod testis deponens non reddiderit rationem sui dicti idoneam. — 2° Quod vacillet et variet. — 3° Quod dubitative, vel obscure et confuse testimonium dixerit.— 4° Quod dicta illius vel illorum inter se sint contraria vel diversa. — 5° Quod deponant sub eadem verborum forma; quia præmeditatum sermonem afferre videntur.--6° Quod depositio illorum sit negativa, non coarctata ad locum et tempus, licet facile sit coarctabilis; nam testis ita deponens suspectus est de falsitate. — 7° Quod contrarietur confessioni partis eum producentis. — 8° Quod non habeat scientiam rei, sed deponat tantum de credulitate, vel de auditu eosque auctores habeat, quibus, si ipsi deponerent, non crederetur. Quod deponat et dicat inverisimilia, quæ vel ita — 9° Se habere, vel testis moraliter cognoscere vix potest; verbi gratia, si homicidium in tenebris factum sit, et testis dicat quod ex visu homicidium optime noverit; 10° quod testis sit nimis verbosus, et deponat extra articulum... —11° Quod sit testis singularis. — 12° Quod se referat ad depositionem invalidam. — 13° Quod in uno articulo deposuerit falsum. — 14° Quod deposuerit in scriptis, etc. » (Schmalzgr. in tit. xx, lib. ii *Decret.* n. 134.)

4. Exceptiones contra testes propositæ *ordinarie* non impediunt eorum receptionem et examen; sed judex quæstionem de ejusmodi exceptionibus ad finem litis reservare potest; quia fortasse in progressu litis patebit quod judex etiam sine eorum testium, de quorum inhabilitate opponitur, depositionibus, ex aliis probationibus sententiam ferre possit; adeoque frustra disputaretur de habilitate illorum testium

Diximus *ordinarie*. Nam ea regula locum non habet in sequentibus casibus : 1° Si testi objiciatur defectus notorius vel defectus qui incontinenti probari potest, ex cap *Ex parte* 7, tit. xx, lib. ii *Decretal.* — 2° Si objiciatur testem esse capitalem inimicum illius adversus quem producitur. (Ex authentica *Si testis*, c. *De testibus*.)—3° Si objiciatur testem esse excommunicatum. (C. *Pia* 2, *De exceptionibus* in 6.)

VII. Quæritur, quæ sit norma tenenda quoad reprobationem testium?

Reprobare testes, est per exceptiones eos a testimonio ferendo repellere, vel eorum testimonium elidere. Testes quos actor vel reus ad probandas suas assertiones adducit, vocantur *probatorii*. Si contra hos excipiatur, et ad probandam exceptionis legitimitatem alii testes adducantur, hi *reprobatorii* nuncupantur. Si vero contra *reprobatorios* ipsos excipiatur, novi testes ad probandam hanc exceptionem adducti *reprobatoriorum reprobatorii* vocari solent. — Quo prænotato, licet quidem reprobare testes *probatorios*, et insuper *probatoriorum reprobatorios*; non autem *reprobatoriorum reprobatorios*. (Constat ex cap. 49, tit. xx, lib. ii *Decretal.*

2. Pars quæ vult reprobare testes probatorios debet specifice exprimere, tum crimina seu defectus quos ipsis opponit, tum nomina eorumdem, tum etiam nomina testium per quos intendit has exceptiones probare. Ita concludunt auctores ex cap. *Præsentium* 2, tit. xx, lib. 2 *Decret.*

3. Qui autem vult reprobare probatoriorum reprobatorios, debet insuper antea juramentum *malitiæ* præstare; id est, jurare se ad hanc reprobationem non procedere malitiose, seu ad retardandam causæ expeditionem. (Ex cap. *Præsentium*, cit.) Ast ejusmodi juramentum, in curiis ecclesiasticis etiam obsolevit.

VIII. Est regula generalis aliquem non posse reprobare testes a se productos, nisi causa reprobandi de novo exsurgat.

§ VII. — De instrumentis.

I. Altera species probationis sunt *instrumenta*. Porro, instrumentum definitur, quod sit *scriptura ad probationem alicujus rei facta*.

Dividitur in *publicum* et *privatum*, hoc vero in *authenticum* et *non authenticum*.

— Instrumentum publicum dicitur, quod publica auctoritate factum, atque firmatum est. Duplex est : *protocollum*, quod est summaria quædam actus gesti annotatio, ex qua postea instrumentum in solemnem formam redigitur; unde etiam *imbreviatura* dicitur. Alterum vero *transsumptum*, estque instrumentum authenticum originale, ex protocollo desumptum, in quo cum debitis solemnitatibus res gesta plene exponitur. Originalis transcriptio vulgo copia dicitur.

II. A quo confici debeat instrumentum publicum?

Resp. Confici debet manu tabellionis, seu notarii, actuarii vel cancellarii publici. — 1. Scribendum est in carta munda, ne alioquin suspectum reddatur. — 2. Omittendæ sunt litterarum abbreviationes ac voces ambiguæ, suntque scribendi numeri integris vocabulis, non zifferis. — 3. In proloquio præmittenda invocatio divini nominis, verbi gratia : *In nomine Domini amen;* vel *in nomine SS. et individuæ Trinitatis*. — 4. Exprimenda tempus et locus. — 5. Factum integre et fideliter describendum. — 6. Inserenda nomina testium : non tamen necesse est, nisi in casibus a jure expressis, ut hi subscribant; sed satis est in eorum præsentia instrumentum confici. — 7. Subscribere debet notarius suum nomen et cognomen, soletque sigillum suum apponere. (*Vide* SCHMALZGR. in tit. 22, lib. II *Decretal.* n. 12 ad 15.)

III. Quantum probent instrumenta publica?

1. Originale transumptum, confectum a notario in forma debita, per se solum facit plenam fidem de eo quod *dispositive* continet, donec contrarium probetur. Non plenam fidem facit quoad ea quæ *enuntiative*, seu *narrative* et *incidenter* ponuntur. — Diximus *donec contrarium probetur*. Potest enim a personis etiam publicis fraus aut error committi. Si ergo fraus commissa sufficienter probetur, fides instrumenti cessabit.—2. Etiam protocollum plenam fidem facit. (Communis.) — 3. Copiæ ex originali transcriptæ ab eodem notario qui fecit originale, seu ab alio publico notario cum auctoritate judicis et solemnitatibus requisitis, fidem faciunt. —4. Copiæ vero manu et auctoritate privata, fidem non faciunt.

IV. Quantum probent instrumenta privata?

Instrumentum *privatum* dicitur quod, vel a persona non publica, vel sine debitis solemnitatibus, confectum sit. Est autem *authenticum* vel *non authenticum*. Privatum authenticum describi solet, *scriptura, privata quidem, testium tamen subscriptione aut sigillo, eoque recognito aut approbato, aut alio legitimo modo munita*. Quibus conditionibus si careat, instrumentum privatum, pro *non authentico* habetur.

Plures sunt instrumentorum privatorum *authenticorum* species. « Nam pro talibus habentur : 1° Acta publica et judicialia; 2° scripturæ ex archivio publico desumptæ; 3° scripturæ a privatis quidem confectæ, sed publico vel authentico sigillo episcopi, universitatis, vel alterius communitatis jus sigilli habentis munitæ; 4° scripturæ privati manu conscriptæ, sed trium et aliquando duorum testium adhuc viventium et suam manum recognoscentium subscriptione corroboratæ; 5° matriculæ et libri censuales; 6° libri officialicum publicorum ; parochiales baptizatorum , nuptorum , defunctorum; libri collegiorum; 7° denique omnes illæ scripturæ quæ secundum morem regionis confectæ vim anthenticorum obtinuerunt apud omnes a longo usu et tempore. » (SCHMALZGR. in tit. XXII, lib. II *Decretal.* n. 36.) His prænotatis, ad quæstionem respondetur :

1. Acta judicialia debito modo confecta plenam fidem faciunt. (*Ibid.* n. 37.)

2. Scripturæ ex archivio publico desumptæ faciunt pariter plenam fidem. Jus autem archivii publici competit tantum prælatis majoribus; episcopis nempe et horum superioribus.

3. Idem dicendum de scriptura privata, publico sigillo munita, modo simul requisitis a loci consuetudine satisfaciat. Si autem habeat tantum sigillum personæ privatæ, probabit solum contra hanc personam, si dictum sigillum pro suo agnoscat.

4. Item plenam fidem faciunt libri officialium publicorum, quoad ea quæ ad illorum officium pertinent. Et sic, v. gr. matrimonium plene probatur celebratum fuisse, si id consignatum a parocho vel alio ad id deputato reperiatur in libro matrimoniorum.

5. Libri ecclesiarum et monasteriorum,

quæ jus publici archivii non habent, fidem faciunt contra illas ecclesias et monasteria, quia ipsorum confessioni æquivalent; non autem contra alios.

6. Possunt certa instrumenta privata, quæ alias de jure communi *authenticorum* vim non haberent, eam vim per consuetudinem regionis acquirere. (Ex c. *Dilectus* 9, *De fide instrumentorum.*)

V. Quantum probent instrumenta privata non authentica, v. gr. cautiones parti a parte datæ, rationes et registra privatorum, epistolæ seu litteræ missivæ?

Resp. Regulariter probant contra scribentem qui scripturam pro sua agnoscit; non autem in favorem scribentis : multi tamen casus ab hac generali regula excipiuntur (quos vide apud Schmalzgr. in tit. xxii, lib. ii *Decretal.* n. 55).

VI. Quomodo impugnari possint instrumenta?

Contra instrumenta excipi potest : 1. ratione *causæ efficientis.* Quod scilicet conficiens instrumentum non fuerit notarius. — 2. Ratione *causæ materialis;* quod scilicet super tali negotio non potuerit legitime instrumentum confici. — 3. Ratione *causæ formalis;* quod scilicet non habent formam seu solemnitates requisitas. — 4. Ratione *ipsius instrumenti;* quod nempe sit falsum aut suspectum de falsitate.

Multiplici modo probari potest instrumenti falsitas : 1. Ex contrarietate contentorum in instrumento. — 2. Ex sigillo. — 3. Ex rasura vel cancellatione. — 4. Ex testibus contra instrumentum deponentibus. — 5. Ex variis conjecturis. (De quibus vide Schmalzgr. in tit. xxii, lib. ii *Decretal.* n. 96 ad 113.)

§ VIII. — De præsumptionibus.

I. Præsumptio est conjectura seu judicium ex aliquo signo vel indicio orta, et probationis loco allegata, aut a judice assumpta ad astruendam rei dubiæ fidem. (Schmalzgr. in tit. xxiii, lib. ii *Decretal.* n. 1 et communiter.)

II. Indicium est notabile signum alicujus delicti vel alterius rei de qua dubitatur, ad veritatem cognoscendam inserviens. Triplex est indiciorum divisio; nam 1. aliud est *semiplenum*, seu *dubitativum;* aliud *plenum* seu *indubitativum.* — 2. Aliud est *proximum*, aliud *remotum.* — 3. Indicia, alia sunt *levia*, alia *gravia*, alia *gravissima* seu *indubitata.*

III. Quid sit *fictio juris*, et quomodo distinguatur a præsumptione?

Resp. *Fictio juris est indubitatæ falsitatis assumptio in casu possibili, et ex justa causa ad inducendum aliquem effectum juris, æquitati naturali non repugnantem.* Sic enim jus fingit esse natum, qui adhuc exsistit in utero, quando agitur de illius commodo; fingit patrem et filium esse unam personam, cum sint duæ... religiosum quoad potestatem exercendi certos actus civiles esse mortuum, cum vere vivat, etc. Unde patet differre præsumptionem a fictione juris.

IV. Præsumptio distinguitur in *præsumptionem hominis* et *præsumptionem juris.* Præsumptio hominis est conjectura, nullo jure expressa, aut firmata, sed quam concipit homo, ex facti qualitate, et circumstantiis aliquid conjiciendo, et assumendo pro vero, donec aliud demonstretur, ac doceatur. — Triplex est sicut indicium : *Levis* seu temeraria, quæ nihil omnino probat, sed reprobatur utroque jure. *Probabilis*, vim habet semiplene probandi ex cap. *Inquisitioni* 44, *De sent. excom.*, et cap. *Tertio* 13, *De præsumptionibus*, unde illi, qui gravatus est hujusmodi præsumptione, inducitur purgatio canonica. (C. *Si quis* 4, *De purgat. can.* — Præsumptio *violenta* et *vehemens* plene probat, ut si contrarium non probetur, in civilibus causis ad sententiam ferendam procedi possit, prout doctores communiter desumunt ex cap. *Afferte* 2, *De præsumpt.*

V. *Præsumptio juris* est, quæ legibus est expressa, id est, quando suppositis certis circumstantiis lex, vel canon aliquid conjecit. Duplex et ipsa est, videlicet præsumptio juris tantum, et præsumptio juris et de jure. — *Præsumptio juris tantum est*, quando jus in dubio aliquid præsumit, et tandiu pro vero habet, donec vel contraria probatione, vel fortiori præsumptione elidatur. — *Præsumptio juris, et de jure*, cum lex, vel canon ita aliquid præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, eamque præsumptionem ita pro vero haberi vult, ut regulariter probationem in contrarium non admittat.

Exempla utriusque passim reperiuntur in *decretalibus.* Præsumptionis juris tantum exemplum est, quando præsumitur baptizatus, qui inter Christianos natus, et educatus

est. (C. fin. *De presbytero non baptizat.*, in 6, etc.) — Præsumptionis *juris et de jure* ubi cognoscens sibi desponsatam sub conditione præsumitur conditionem remisisse, et absolute in matrimonium consensisse. (C. *Per tuas* 6, *De condit. appos.*)

VI. Effectus *præsumptionis juris tantum* est quod eum, pro quo stat, liberat probandi necessitate, eamque transfert in adversarium, qui nisi contrarium probet, intentio alterius habetur pro veritate. (Arg. c. 2, et c. 4 *De probat.*) Et sententia secundum ipsam profertur saltem in civilibus. (C. *Ad decimas* 2, *De restit. spoliat.* 6.)

VII. *Præsumptio juris, et de jure* plures effectus habet. Nam 1° et principaliter ita habetur pro veritate, ut regulariter probationi contrariæ locus non sit ; hinc etiam *necessaria* appellatur. — 2° Impedit appellationem. — 3° Etiam non admittit juramentum ejus contra quem stat. — 4° Juxta eam ferri potest sententia.

Contra eam tamen admittitur *probatio indirecta*, scilicet ostendit non dari præsumptionem , sive non adesse qualitates , et circumstantias ad illam requisitas a lege contra præsumptionem juris et de jure admittitur etiam *allegatio notorii*, quia probatio, quæ fit per evidentiam facti, nunquam censetur exclusa. Admittitur *confessio judicialis* facta ab eo, pro quo stat præsumptio ; et etiam *confessio extrajudicialis*, probatio per testes et per instrumentum publicum. Denique præsumptio juris et de jure cessat, si contra ipsam admissa sit probatio, parte non opponente... (Super quibus omnibus vide Schmalzgr. in tit. xxiii, *De præsumptionibus*, lib. ii *Decretal.* n° 1 ad 14.)

VIII. Quæritur an ex nudis præsumptionibus in causa criminali sententia ferri, et reus condemnari possit ?

Tres omnino sunt doctorum sententiæ. Inter hæc *prima* contendit reum ob præsumptionem etiam violentam damnari non posse, sed absolvendum ; hancque sententiam doctores probant ex variis juris textibus, can. *Nos* 1 , causa 2, quæst. 1 ; c. *Litteras* 14, *De præsumptionibus* ; lib. ii *Decretal.*, ibi : *Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illam tam gravi crimine* (nempe hæresis) *condemnare.* — *Secunda* sententia priori directe opposita est. — *Tertia* sententia inter utramque media est. Schmalzgrueber plures distinctiones introducit ; at nobis sicut et D. Bouix vera videtur prima sententia et est in jure fundata.

IX. *Regulæ præsumptionum* traduntur a Schmalzgrueber, prout sequitur.

Regula 1. Præsumptiones violentæ non oriuntur nisi ex violentis et vehementibus conjecturis.

Regula 2. Præsumptiones non violentæ ducuntur ex communiter contingentibus.

Regula 3. Qualis res est, si talis manere possit, præsumitur adhuc talis esse, et talis mansura, nisi probetur mutatio.

Regula 4. Qualitas, quæ naturaliter inest homini, semper adesse præsumitur.

Regula 5. Facta, de quibus dubium est, quo animo facta sint, in meliorem partem interpretari debemus. (C. *Estote* 3, *De regul. jur.*)

Regula 6. Quilibet præsumitur bonus, nisi probetur malus. (Ex cap. fin. *De præsumptionibus*)

Regula 7. Concurrentibus pluribus præsumptionibus, quæ inter se pugnant, fortiores prævalent debilioribus. (Per textus cap. *Transmissæ* 3, *Qui fil. legit.*)

Quas regulas vide evolutas apud Schmalzgrueber in tit. xxiii, lib. ii *Decretal.* n. 23, ad 41.

§ IX. — De jurejurando.

« Sæpe contingit, ut non quidem jus, sed probatio in judicio litigantem destituat : quare ne ex probationum defectu , quod suum est, assequi aliquis prohibeatur, salubriter institutum est, ut juramentum vel a parte, vel a judice deferatur alteri litiganti, sicque decidatur lis, quæ aliter decidi nequit. Finis igitur juramenti in judicio delati est rei controversæ confirmatio, et litis decisio. Hinc Apostolus, Hebr. vi, 16 *Omnis controversiæ finis*, inquit, *ad confirmationem est juramentum*. Quare sit :

I. *Jusjurandum* a *jure* nomen accepit , quod instar juris sit observandum. Alio nomine appellatur *sacramentum*. Definitur, quod sit *invocatio divini nominis in testimonium*, vel ut alii loquuntur, *ad fidem faciendam dicto , aut promissionem firmandam.* (Communis.)

II. Multæ et variæ sunt juramenti formulæ juxta diversarum regionum consuetudines receptæ.

III. *Quis possit jurare ?* Jure positivo ad

jusjurandum non admittuntur : 1° Impuberes. (C. *Parvuli* 14, can. seq. causa 22, quæst. 5.) — 2° Perjuri, nisi ad jurandum ea quæ oneris sunt, ut calumniæ, malitiæ, et quæ feudorum dominis a vasallis præstantur. — 3° Clerici, præsertim sacerdotes ; nam hi ex levi causa jurare specialiter prohibentur. (Can. *Si quis presbyter* 4, causa 2, quæst. 5.) Quod illorum ordinem, et dignitatem non deceat dubitari facile de veritate eorum, quæ dicunt. Si necessitas, vel magna utilitas ita exigat, licite jurant coram judice suo ; coram laico voluntarium quidem ad roborandam promissionem, et contractum possunt edere, coactivum tamen, saltem sine papæ vel episcopi licentia, præstare nequeunt. (C. *Nullus* 22, junct. Gloss. v. *Laico*, causa 22, quæst. 5.)

IV. Juramentum dividitur in *assertorium*, quo asseritur veritas rei præsentis, vel præteritæ ; et *promissorium*, quo promittitur aliquid in futurum. — Duplex est juramentum assertorium ; primum vocatur *litis decisorium* et definiri potest, quod sit juramentum litis finiendæ causa a parte litigante præstitum ; subdividitur in voluntarium, judiciale et necessarium ; seu melius et accuratius in judiciale, et extrajudiciale; et judiciale subdividitur in voluntarium, et necessarium. — Alterum assertorium notatur *juramentum in litem*.

V. Quid sit *juramentum voluntarium* ? — Voluntarium inde dicitur, quia ex libera partium voluntate defertur, et ex libera earumdem voluntate suscipitur. « — Finis hujus juramenti est litem finire, et controversias dirimere absque judiciali strepitu : servit maxime iis, qui probationibus aliis destituuntur, et metu expensarum ad finem controversiæ sponte properant. Definiri potest, quod sit : « Juramentum, quod ex conventione pars parti extra judicium defert sub ea conditione, quod velit ab ulteriori processu abstinere, et juramento stare, si pars, cui delatum est, illud præstiterit. » (Communis.) Juramentum voluntarium deferre potest omnis ille, qui potest pacisci, et libere de re controversa disponere, quia ex conventione defertur. Sed nemo potest juramentum istud deferre alteri in re aliena, neque in sua, si liberam illius administrationem non habet. In specie illud deferre non potest pupillus, prodigus, furiosus, mente captus, et his similes.

Juramentum voluntarium deferri potest omnibus, qui ex conventione sibi, vel aliis actionem , aut exceptionem quærere possunt, neque in hoc discrimen est aut sexus, aut ætatis, aut conditionis.

Deferri potest in omni re controversa ; præterquam in matrimonio jam inito, nisi ut servetur hujusmodi matrimonium, idem dicendum est de professione religiosa. Quoad causas criminales, dissensio est, an reus illud deferre actori possit ? Negant alii ; sed probabilius tenetur sententia affirmativa. (Schmalzgr. in tit. xxiv, *De jurejurando*, lib. ii *Decretal.* n. 1 ad 17.)

Juramentum voluntarium præstari debet, alio deferente ; nam juramentum ultroneum, quod nullo deferente quis præstat, nullum operatur effectum, nec in judicio defenditur.

Hujusmodi juramentum revocari potest, usquedum is, cui delatum est, illud præstiterit.

Effectus juramenti voluntarii est duplex, alius proximus, alius remotus. *Proximus* est decisio rei, vel causæ inter partes controversæ. *Remotus* est *actio in actum*, *et exceptio juratoria*. (Quod vide apud Schmalzgrueber, *ibid.* n° 20 et 21.)

VI. Quid sit *juramentum judiciale* ? — « Juramentum judiciale est, quod, approbante judice, pars parti in judicio defert ea lege, ut, si jurare ausit, absque ulteriori processu victoriam obtineat. » (Communiter doctores.) — Deferre illud potest fere omnis ille, qui voluntarium juramentum deferre potest; nec actor duntaxat reo, sed etiam actori reus. — Controversia inter doctores est, an actor, si nihil omnino probaverit, deferre reo juramentum judiciale possit cum effectu, ut hic teneatur delatum præstare, vel referre, aut solvere. Affirmant alii ; negant alii. — Conciliari potest utraque sententia media distinctione : vel enim actor probationibus destitutus est, ita ut neque præsumptionem pro se aliquam habeat, vel etsi probationem proprie dictam, id est ex testimoniis , vel instrumentis desumptam nullam adducat, præsumptione tamen aliqua non levi juvatur. Si *primum*, deferri reo juramentum ab actore nequit, sed absolvi debet a judice ; si *secundum*, compelli ad jurandum , vel juramentum referendum potest. (Schmalzgr. *ibid.* n° 27.)

Si is cui juramentum defertur, absque

justa causa jurare recuset, vel juramentum alteri parti referre, tanquam convictus condemnandus est.

Effectus autem juramenti judicialis voluntarii semel præstiti est, ut vim plenæ probationis habeat; ita ut sententia juxta id quod juratum est ferri debeat ; nec possit ab ea appellari.

VII. Quid sit *juramentum necessarium?* — « Juramentum necessarium est, quod judex causa cognita, ob inopiam probationis plenæ uni ex litigantibus defert... — Duplex est : « suppletorium, et purgatorium. *Suppletorium* est, quod judex defert parti, quæ semiplene probavit, ut ejus adminiculo probatio compleatur; *purgatorium* vero, quod judex imponit ei qui suspicionibus oneratus est, ad inde se purgandum, et ostendendam innocentiam suam. »

Deferri potest ex officio a judice tam ordinario, quam delegato. — Potest judex illud deferre sive reo, sive actori quidquid dixerint in contrarium nonnulli jurisconsulti.

« Porro, ut facilius in hoc negotio judex ferre possit judicium, juvari potest sequentibus regulis. — 1. Si actor in probatione omnino defecit, reus, etsi nihil præstiterit, absolvi debet, etiam sine juramento. — 2. Si actor præsumptionem pro se habet, reo juramentum deferri potest ad sui purgationem; probabilius autem actori eo casu juramentum suppletorium judex deferre nequit... — 3. Si actor semiplene probavit intentionem suam, reus vero nihil probavit et pro sua defensione aliud nihil præstitit, quam quod negarit intentionem actoris, actori potius deferendum est juramentum quam reo. — 4. Si semiplena probatio allata est ab utroque, juramentum deferendum est...reo. — 5. Si actor plene probavit, reus contrarium probavit semiplene, sententia fertur pro actore, et juramentum reo non defertur, neque deferri potest. — 6. Si tam actor, quam reus plene probarunt intentionem, tunc iterum considerandum est an probationes sint contrariæ, vel compossibiles. Si *compossibiles* sint, probatio exceptionis enervat intentionem actoris, et consequenter non est opus juramento suppletorio, sed sine hoc ferenda est pro reo sententia. Si *contrariæ* sint... judex attendet ad qualitatem personarum, et alias circumstantias, et illi deferet juramentum, in quo major est probabilitas obtinendæ veritatis. Si omnia sint paria, posset quidem judex reum absolvere ; si tamen juramentum deferendum putet, potius reo deferet cujus melior et favorabilior est conditio. » (SCHMALZGR. in tit. XXIV, lib. II *Decretal.* n. 43 et seq.)

VIII. « Juramentum necessarium in supplementum probationis regulariter a judice deferri potest in quavis causa, quæ specialiter jure non excipitur. »

« Excipiuntur autem : 1 *Causæ criminales criminaliter intentatæ.* — 2. *Causæ omnes famosæ*, in quibus condemnatus fit infamis, ex. gr. causa furti, injuriarum, usurarum. — 3. *Causæ civiles* valde arduæ et magnæ, quæ criminalibus æquiparantur. — 4. *Causæ matrimoniales*, ubi agitur de matrimonio dissolvendo. — 5. Omnes illæ causæ, in quibus lex, vel statutum requirit legitimas, manifestas, liquidas, indubitatas, plenas et evidentes probationes.

IX. *Effectus* juramenti purgatorii est: 1 Ut reus, qui illud præstat, liber censeri debeat a suspicionibus, quæ ex semiprobationibus contra ipsum prolatis ortæ fuerunt. — 2. Semel delato a judice suppletorio juramento, incumbit illud præstandi necessitas ; ita ut recusans causa cedat, et pronuntiari contra ipsum a judice debeat. — 3. Postquam illud juramentum detulit judex, non potest id retractare et permittere ut non præstetur. — 4. Semel præstitum dictum juramentum, probationem imperfectam integrat; ita ut sententia ferri debeat pro eo qui juravit. — 5. At vero sententia hæc, *ob nova reperta documenta*, potest quocunque tempore, ac proinde elapso, etiam ad appellandum termino, retractari ac rescindi, etiam ab eodem judice, prout disponitur lege *Admonendi* 31, ff. *De jurejurando.*

X. *Juramentum in litem* nihil aliud est quam asserere cum juramento rem, de qua agitur in judicio, valere tanti, non tantum in se ipsa, sed etiam ratione affectionis erga eam, et ratione utilitatis quam afferebat.

XI. De juramento *promissorio* multæ moventur quæstiones a canonistis, in tit. XXIV, lib. II *Decretal.* quas etiam tractant theologi moralistæ, ad quos remittimus.

§ X. — De exceptionibus seu rei probationibus contra actorem.

Hactenus considerata sunt arma actoris

quibus ille munitus reum aggreditur, et intentionem suam probat. Nunc examinandum quæ sint defensiones rei; nam cum in judicio æqualitas observanda sit inter actorem et reum, æquum est ut sua etiam reo concedantur arma, quibus se contra actorem defendat, et hujus probationes elidat. Hæc arma exceptiones sunt, de quibus hic. Nomen exceptionis derivatur a verbo *excipere;* nam qui exceptiones opponit, quasi aliquid capit vel tollit ex actione proposita.

I. Exceptio definiri potest, *quod sit actionis exclusio, qua reus actionem contra se institutam vel retardat, vel penitus elidit.* — Dividitur in proprie dictam, et improprie dictam; in nominatam, cui nomen aliquod a jure inditum est, et innominatam quæ certo nomine in jure non designatur; in civiles, quæ a jure civili, et prætorias, quæ a prætore sunt introductæ; in reales, et personales; denique in delatorias et peremptorias.

II. « *Exceptiones peremptoriæ* vocantur, quæ jus actoris perimunt, et semper agentibus obstant. Hæc triplicis generis sunt. Nam 1° earum quædam ostendunt actionem nunquam fuisse ortam, ut sit quis excipiat, non donatum, non contractum, non legatum fuisse, etc., quod alter donatum legatum, etc., dicit. — 2° Aliæ contendunt actionem, quæ competebat, fuisse exstinctam, ut rei judicatæ, transactionis, jurisjurandi, compromissi, solutionis, pacti de non petendo, præscriptionis, similes exceptiones, quæ *litis finitæ* dicuntur. — 3° Aliæ opponunt actionem, seu jus agendi quidem competere adversario, sed illud elidi, ac perimi posse, ac proinde esse inefficax, cujusmodi sunt exceptiones doli, metus, erroris, etc. »

III. *Exceptiones dilatoriæ* dicuntur illæ, quæ actionem non omnino perimunt, vel tollunt, sed tantum differunt ad tempus. Etiam istæ diversi generis sunt. Nam 1° aliquæ respiciunt *personam judicis*, quod suspectus, juris imperitus, incompetens sit; quod ob alium defectum corporis, animi, vel natalium, judicis officio fungi nequeat; quod reus ab alio judice jam sit præventus, etc. — 2° Aliæ respiciunt *personam actoris* vel *procuratoris* ejusdem, et opponuntur ad repellendum illum ab agendo, ut si excipiatur, quod pupillus sine tutore compareat in judicio ad agendum, minor sine curatore, filiusfamilias sine consensu patris, procurator sine mandato, etc. 3° Aliæ respiciunt *personam rei conventi*. Hæc opponuntur actori, quærendo coram judice, quod ab actore sit spoliatus, ac propterea per hanc exceptionem reus petit restitui prius in integrum, antequam cogatur respondere. — 4° Aliquæ respiciunt *locum et tempus judicii*, quod videlicet locus non sit tutus, aut honestus, quod tempus sit feriatum, terminus nimis angustus, et brevis, quod dies solutioni præfixus nondum advenerit, etc. — 5° Denique aliquæ respiciunt ipsam *causam*, ut est exceptio libelli inepti, vel obscuri, litis pendentiæ, plus petitionis, ne causæ continentia dividatur, etc. »

IV. Jure tum naturali, tum civili et canonico exceptio competit.

V. Exceptioni contraria est *replicatio* actoris sic dicta, quia per eam replicatur, et resolvitur jus exceptionis. Si replicatio justa, aut efficax esse non videatur, ad eam elidendam a reo opponitur *duplicatio* : quæ etiam ipsa per *triplicationem* ab actore, et hæc per *quadruplicationem* a reo oppugnari potest, sicque porro multiplicatur defensionum nomina, quandiu vel actor, vel reus habet, quod objiciat ad se salvandum.

Ne vero sic objiciendo in infinitum procedatur, judicis partes erunt, hac in re, modum allegationibus ponere. Cautum est ut in exceptionibus dilatoriis ultra duplicam, et in peremptoriis ultra triplicam non procedatur. In praxi tamen etiam quadruplica admitti solet nisi judex circumstantiis facti permotus, vel partes conventione inter se facta, contrarium statuissent.

VI. Exceptio opponitur actori et ejus hæredibus. Exceptio omni reo competit.

VII. Exceptiones dilatoriæ opponendæ sunt ante contestationem litis : quinque tamen casus a doctoribus excipiuntur, in quibus opponi post litis contestationem possunt et primi tres auctoritate cap. *Pastoralis* 4, *De exceptionibus;* duo reliqui sic suadente æquitate. — 1. Quidem, si reus prius protestatus sit, quod salvas sibi vult esse alias exceptiones, exprimendas tamen in specie et quidem in scriptis. — 2. Si, post litem contestatam, exceptio de novo exorta fuerit, vel ex facto adversarii, vel aliunde. — 3. Si exceptio quidem competebat ante contestationem litis, sed post eam primum innotuit.

quod competeret. — 4. Si ignorata quidem non fuit exceptio ante contestationem litis, sed tum probari non poterat, cum tamen postea probandi facultas fuerit acquisita. — 5. Si exceptio, antea omissa, statim, in continenti post litem contestatam, aut lapsum terminum opponatur. »[1]

Præterea in genere post litis contestationem opponi possunt : 1. Exceptiones dilatoriæ, quæ processum retro nullum reddunt; qualis est exceptio falsi procuratoris, et judicis incompetentis; nam exceptio nullitatis omni tempore etiam, post sententiam opponi potest. — 2. Exceptiones, quæ gravamen successivum habent, uti est exceptio loci non tuti, vel suspecti, termini angusti, feriarum, etc. — 3. Exceptio excommunicationis majoris; nam hæc in quacunque parte judicii dilatorie opponi potest. (C. *Exceptionem* 12, *De except.*; et c. *Pia* 1, eod. in 6.) — 4. Opponi lite contestata, imo in ipsa exsecutione potest exceptio competentiæ. Post contestationem litis excipi potest de ineptitudine libelli. — 6. Sunt et aliæ exceptiones dilatoriæ, ipsam causam respicientes, quæ poterunt post litem contestatam objici et probari.... »

VIII. Exceptiones peremptoriæ regulariter post contestationem litis opponuntur; nonnullæ tamen opponi possunt etiam, antequam lis contestata sit, et aliquæ etiam post sententiam. *Antequam lis contestata sit*, opponi possunt : 1. Exceptiones improprie dictæ, videlicet solutionis factæ, præscriptionis, etc. — 2. Exceptiones, quarum veritas notoria est. — 3. Quæ ex speciali privilegio litis ingressum impediunt.

Post sententiam opponi possunt : 1. Exceptio nullitatis sententiæ ex quacunque causa. — 2. Exceptiones, quæ sententiam rescindunt, ut exceptio restitutionis in integrum. — 3. Exceptiones... quæ exsecutionem impediunt.

Regulariter autem opponi exceptiones peremptoriæ possunt, et debent a tempore contestatæ litis ad sententiam; post illam non recte opponuntur, sed ad appellationis beneficium est convolandum, vel si condemnatus sit minor, postulanda restitutio in integrum ad proponendam exceptionem.

IX. Judex potest, et aliquando etiam debet his exceptionibus opponendis statuere aliquem terminum, et ita quidem, ut si post apsum hujusmodi termini opponere exceptionem aliquam reus voluerit, regulariter amplius non audiatur.

X. Exceptiones, si a parte non opponuntur, judex attendere et supplere non potest. Excipiuntur : 1. Exceptio excommunicationis. — 2. Omnes illæ exceptiones, quæ ipso jure elidunt actionem; has enim, si ex actis notoriæ sint, etiamsi a parte non opponuntur, judex in judicando attendere debet.

XI. Hodie exceptiones proponi possunt quibuscunque verbis, scripto, vel absque scripto, viva voce, modo ad acta redigantur; nisi exceptio proponatur per modum actionis, quo casu rectius proponitur in scriptis.

XII. Probari a reo exceptiones debent plene et perfecte, in sua specie et forma; alias effectum suum non consequentur, neque elidunt, vel differunt actionem, seu intentionem actoris.

Quod si reus in probatione exceptionis defecerit, non idcirco actor obtinebit, sed probare intentionem suam debebit, ut obtineat. Ratio est quia non ex rei exceptionibus, sed ex actoris probationibus ferri debet sententia in causa principali. Alia vide apud (SCHMALZGR in tit. XXV, *De exceptionibus.*, l. II *Decretal.*)

§ XI. — De præscriptionibus.

De præscriptionibus, quæ sunt etiam aliquæ legales probationes, et de requisitis ad legitime præscribendum, vide canonistas et theologos moralistas.

CAPUT X.

De variis processus criminalis ordinarii formis.

Indiciis criminalibus normam multiplicem sacri canones sanxere. Nam dari processum criminalem : 1. Per viam accusationis ; — 2. per viam denuntiationis; — 3. per viam inquisitionis, constat ex celebri decretali *Qualiter et quando* 24, tit. I, lib. V *Decretal.*; — 4. per viam exceptionis ex cap. *Super his* 16, tit. I, lib. V *Decretal.* — 5. Processus ex notorio, in easibus notorii criminis adhibendus. — 6. Processus summarius in certis circumstantiis per canones permissus. — 7. Forma extrajudicialis sententiarum ex informata conscientia a synodo Tridentina introducta. — 8. Processus inquisitionis ex sancto officio seu contra hæreticam pravitatem, qui omnibus ad hæresim pertinentibus peculiaris est.

Ex his porro quatuor priores sub ordi-

narii processus criminalis denominatione comprehendi solent; cæteri *extraordinarii* denominantur. Hic dicemus de quatuor prioribus formis ordinariis processus criminalis.

§ I. — Norma procedendi per viam accusationis.

I. Accusare est declarare aliquem esse alicujus delicti auctorem. Ut autem ejusmodi declaratio in strictiori juris sensu *accusationis* nomine donari possit, requiritur : 1. Ut talis declaratio fiat judici; — 2. ut fiat in hunc scopum ut accusatus vindicta publica coerceatur, et non tantum ut damnum illatum *actori* resarciatur; — 3. ut accusator sese obliget ad probandam in judicio affirmationis suæ veritatem.

II. Plures a jure requiruntur conditiones in modo ipso accusationem proponendi.

Prima conditio. — Debet accusatio proponi in scriptis seu per *libellum*, ex can. *Accusatorum* 1, causa 2, quæst. 8. Attamen ex generali consuetudine potest accusatio fieri oretenus et sine scriptura, dummodo per notarium publicum in scriptis redigatur. In levioribus criminibus necesse non est scriptam proferri accusationem.

Secunda conditio. — Libellus accusatorius debet esse rite formatus. Debet nempe exprimere *nomen judicis* apud quem fit accusatio; *nomen accusatoris et accusati; speciem delicti, annum et mensem.* Quod si una ex memoratis circumstantiis omittatur, libellus tanquam vitiosus ex officio rejici debet. Dies commissi criminis tutius omittitur ob difficultatem probandi. Excipe, nisi accusatus petat sibi diem et horam nominari; tunc enim verius est accusatorem ad hoc cogi posse, ne alioquin reo tollatur defensio, quæ facilis ipsi est, si demonstret se eo die, vel hora, qua crimen commissum dicitur, non fuisse in loco, vel cum aliis conversatum fuisse.

Tertia conditio. — Apponi in libello debet subscriptio, qua se accusator ad subeundam talionis pœnam obliget, si falso accusasse deprehendatur. (Colligitur ex c. *Super his* 16, tit. I, lib. V *Decretal.*; c. *Qualiter et quando* 24, *De accusationibus*; c. *Calumniator* 2, causa 2, quæst. 3; c. *Nullus*, 2, causa 4, quæst. 4.)

III. *Quinam accusare possint?* — Regula generalis est illos omnes accusare posse, qui jure non prohibentur. — Prohibentur autem jure et sacris canonibus eosdem omnes qui nequeunt esse actores. Vide supra *De actore.*

IV. *Quinam accusari possint?* — « Accusari possunt generaliter delinquentes omnes, nulla ætatis vel sexus habita ratione, modo non careant usu rationis ad delinquendum requisito, et lege non prohibeantur. » — Prohibentur accusari infantes, furiosi, amentes, minor 25 annis, nisi dato ei a judice curatore, mortui. « Accusari nemo regulariter potest, si lapsum sit tempus quod actionibus criminalibus præscribitur, etiamsi reus post præscriptionem fateatur delictum. » — « Accusari *regulariter* nemo potest de crimine de quo fuit semel absolutus. (C. *De his* 6, *De accusat.*) Regula hæc nonnullas exceptiones patitur.

V. Ut accusari quis possit necesse non est ut præcesserit infamia, nec etiam secreta monitio.

VI. Effectus accusationis quoad judicem sunt : 1. Ut possit judex et debeat ex officio repellere accusatorem inhabilem seu non idoneum, etiamsi pars adversa contra illum exceptionem non opponat. — 2. Si accusatio est legitima, tenetur eam judex admittere, etsi accusatus infamia delicti non laboret. — 3. Posita accusatione legitima, potest judex accusatum citare ut personaliter compareat et etiam apprehendere, modo delictum sit atrox; secus apprehendi nequit accusatus. Vide Schmalzgrueber, in tit. I, lib. V *Decretal.*

VII. *Effectus accusationis quoad accusatorem.* — Accusator intentatum crimen probare tenetur : « In qua probatione si defecerit, et consequenter temere litigasse convictus fuerit, tenebitur ad reficiendas litis a se intentatæ expensas. » — At vero, ubi compererit judex accusatorem justa causa ductum processisse ad accusationem falsi criminis, eum non solum a pœna talionis, sed injuriarum etiam actione immunem pronuntiabit; quia hic locus non est, ubi dolus et animus pravus defuit. Quin aliqui etiam negant talem in expensam condemnari posse; quod verum est, si ratio qua ductus est ad accusandum eumdem non tantum a dolo, sed etiam a culpa excuset. SCHMALZGR. in tit. II, lib. V. (*Decretal.* n. 10.)

Si constet accusatorem scienter et ex malitia calumniatum esse, ei applicanda est pœna talionis, id est, eadem quam subire

debuisset reus, si crimen fuisset probatum, vel similis.

Accusator, quem constat ex malitia calumniasse, evadit de jure *infamis*.

Si nondum oblatus est accusationis libellus, potest quidem accusator ab accusatione desistere; sed tunc imponendum ei est perpetuum silentium. (C. *Licet* 14, tit. I, lib. V *Decretal.*)

Si accusator libellum jam protulit, non potest ab accusatione desistere, nisi approbata a judice justa desistendi causa.

Si oblato libello, et non approbata a judice desistendi causa, nihilominus accusator litem prosequi recuset; — 1. damnandus est ad expensas et resarcienda damna; — 2. repellendus est, si postea velit accusationem prosequi; — 3. pœna insuper extraordinaria, judicis arbitrio, plectendus est. (De quo *vid.* SCHMALZGR. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 103.)

VIII. *Effectus accusationis quoad accusatum.* — Pendente accusatione *regulariter* non potest accusatus ad novas dignitates promoveri. (Cap. *Omnipotens* 4, tit. I, lib. V *Decretal.*) — Finita causæ discussione, et crimine legitime probato, condemnandus est reus ad pœnam *ordinariam*, id est a jure pro tali crimine determinatam, si qua sit; si nulla sit, ad pœnam extraordinariam condignam ex prudenti judicis arbitrio. (SCHMALZGR. loc. cit. n. 120.)

IX. De jure canonico exstinguitur accusatio criminalis solummodo per mortem accusatoris vel accusati ante latam sententiam. Jure autem cæsareo per præscriptionem quinque annorum pro delicto carnis, viginti vero annorum pro crimine raptus et adulterii, etc.

X. Quamvis nullatenus sublata quoad substantiam censenda sit accusationis via; hodie tamen in foro ecclesiastico, fere nunquam proceditur per hancce accusationis normam; sed per solam viam inquisitionis, sive ex mero judicis officio, sive ad partis denuntiantis instantiam; ita ut accusatoris partes jam a multo tempore agere soleat fiscalis seu promotor.

§ II. — Norma procedendi per denuntiationis viam.

I. Denuntiare idem significat ac notitiam dare. Sed in jurisprudentia, denuntiatio recte definiri potest : *Alicujus delicti manifestatio superiori facta, non assumpto probandi onere*, in quo differt ab accusatione, qua assumitur probandi onus.

Dividi solet denuntiatio in *evangelicam*, et *judicialem*. Judicialis denuntiatio subdividitur : 1. In denuntiationem *delicti patrandi*, quando alicujus, vel matrimonium inituri, vel ad sacros ordines aut dignitatem promovendi, denuntiatur impedimentum, etc. Et in denuntiationem *delicti patrati*, quando commissum jam ab aliquo delictum judici declaratur. — 2. In denuntiationem *interesse privati* quæ vocatur etiam *querela* vel *civilis*, quando denuntians petit sibi resarciri damnum quod passus est per delicti denuntiati patrationem; et in denuntiationem *interesse publici*, quæ etiam vocatur *criminalis*, quando denuntians de damno sibi a delinquente illato non queritur, sed ex solo boni publici motivo criminis coercitionem prosequitur. Hinc apud pragmaticos, seu fori practicos, frequens mentio *de crimine* contra quod agitur *civiliter*, et de crimine contra quod agitur *criminaliter*. (*Vide* SCHMALZGR. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 168, etc.)

II. *Evangelicæ denuntiationis norma.* — Evangelica denuntiatio, quæ etiam paterna, fraterna et charitativa nuncupatur, ea est quæ fit superiori tanquam *patri*, non ad publicam vindictam, sed ad paternam correctionem et emendationem denuntiati. Evangelica vocatur eo quod a Christo Domino tradita et præscripta reperiatur in Evangelio sancti Matthæi c. XVIII, v. 15, hujusmodi regulæ sunt sequentes.

Regula prima. — « Non licet cuiquam delinquentem evangelice denuntiare, quin prius eum bis monuerit : privatim nempe prima vice, et dein coram uno vel duobus testibus. » Constat ex divino præcepto Matth. XVIII, 15, ut communiter doctores existimant; et insuper expresse decisum est, c. *Novit* 13, *De judiciis*; c. *Licet Heli* 31, *De Simon.*; c. *Cum ex injuncto* 12, *De hæreticis*. Et est etiam juris naturalis præceptum juxta communem doctorum sententiam. — Ad dictam regulam sunt exceptiones; omitti potest prævia monitio, 1° si crimen non sit occultum, sed manifestum, notorium, vel fama publica vulgatum; 2° si vergat in damnum rei publicæ vel tertii; 3° si prævia correctio nihil profutura prævideatur; 4° si monitio prævia monenti damnosa futura esset; 5° si in aliquo religioso

ordine, ex instituto, possint aut debeant delicta sine ulla prævia monitione superioribus manifestari; quia hujusmodi ordinis religiosus ordinem ingrediendo, renuntiat juri suo et famæ...

Regula secunda. — « Si delictum sit occultum et nemini noxium, superior in corrigendo excedere nequit modum, a denuntiatore postulatum. » Si denuntians, v. gr. postulet, ut superior delinquentem secreto et nemine præsente moneat, et paterne corrigat, id omnino observari debet. Adeo ut graviter tunc peccaret superior, si denuntiatum publice confunderet aut puniret; « nec paternus corrector, sed injustus proditor esset. » (Ita tenent doctores communiter, ex canone *Si peccaverit* 19, causa 2, quæst. 1.)

Regula tertia. — « Si delictum majori parti communitatis notum sit, non tenetur superior juxta denuntiantis petitionem agere, sed potest et quandoque tenetur in denuntiatum tanquam judex inquirere et procedere. » — « Quo casu potest etiam denuntiantem pro teste adhibere, aut ei mandare ut *judicialiter* denuntiet. » (Reiffenstuel, in tit. I, lib. IV *Decretal.* n. 73.)

Regula quarta. — « Si delictum, etsi occultum, vergat in præjudicium communitatis vel tertii, non tenetur judex evangelice denuntianti morem gerere; sed statim ex officio inquirere potest, et denuntianti præcipere ut judicialiter denuntiet. » (Ita doctores communiter.)

Regula quinta. — « Evangelice denuntiare possunt quilibet rationis capaces, etsi alias ad accusandum inhabiles forent. »

Regula sexta. — « Evangelice denuntiari potest quodlibet delictum, etsi omnino occultum, et soli peccanti nocivum. »

Regula septima. — « Ad denuntiandum, saltem evangelice, quodcunque proximi delictum, regulariter omnes tenentur; » ex jure divino et naturali. Excipitur 1° si nihil profutura sit evangelica denuntiatio; 2° si majus damnum allatura; 3° si nociva denuntianti prævideatur.

III. *De judiciali denuntiatione.* — 1. A quo fieri possit judicialis denuntiatio? Resp. *primo.* Ad denuntiationem interesse privati, seu civilem, quoslibet esse admittendos communiter doctores concedunt. — *Secundo.* At vero, quoad denuntiationem interesse publici seu criminalem, pro regula ponunt doctores eos esse ad denuntiandum inhabiles, quos jus ad accusandum non admittit. (Reiffenst. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 85.) Sed eliditur hæc sententia, ex facto, quod pariter a doctoribus tanquam certum admittitur; « ex communi tribunalium praxi ac recepta consuetudine, hodie quemvis, licet alias inhabilem admitti ad denuntiationem judicialem, etiam publicam seu criminalem; eo quod per denuntiationem solum sternatur via ad inquirendum. » (Lud. Ameno, *Praxis criminalis*, tit. IX, § 3, n. 15.) — Attamen ex decretali Innocentii III *Cum dilectus*, c. 20, tit. I, lib. V *Decretal.* Non omnes admitti possunt ad denuntiandum, et præmonitio facta a denuntiantibus denuntiato exigitur. Quod confirmatur c. *Si quis* 2, tit. I, lib. V *Decretal.*

2. Contra quos, seu de quibus delictis, fieri possit judicialis denuntiatio? Resolvitur per sequentes regulas.

Regula prima. — « Denuntiari potest quodlibet delictum, de quo jam fama exsistit, etiamsi denuntians exhibere judici nequeat ulla alia ad delictum probandum media. »

Regula secunda. — « Delictum occultum, etiamsi probare possit, denuntiari nequit judicialiter seu ad vindictam publicam. » Excipitur, si ex delicto occulto grave damnum communitati seu proximo immineret, in quo casu judex ad instantiam denuntiatoris, imo ex mero suo officio posset judicialiter procedere.

Regula tertia. — « Si crimen occultum remanserit, et probari nequeat, denuntiari judicialiter non potest. » Unde sequitur non posse delictum judicialiter denuntiari, si, præter denuntiantem, unus tantum illud noscat. Quia ad probationem judicialem non sufficit unius testimonium, et denuntians testis esse non potest in causa denuntiata ex multis doctoribus. In casu igitur quo duo duntaxat delictum testari possint, et velint illud denuntiare, debent curare ut denuntiatio per tertium fiat, qui duos hujusmodi testes judici nominabit.

Ad præfatam regulam dantur exceptiones : 1° Si delictum occultum, quamvis probari nequeat, communitati vel privato grave damnum illaturum sit, potest et sæpe debet denuntiari, ut judex invigilet, et sic damnum imminens præcaveat. — 2° Excipiendum pariter delictum hæreseos, cujus de-

nuntiandi obligatio exsistere potest, etiamsi probari nequeat. Constat ex quinta propositionum ab Alexandro VII damnatarum, tenoris hujusmodi : ***Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.***

3. Quibus solemnitatibus vestiri debeat judicialis denuntiatio?

1° Requiritur ut denuntiatio fiat per libellum, id est, ut in scriptis offeratur, vel oretenus a denuntiatore proposita, saltem per notarium publicum scribatur, et in acta redigatur; — 2° ut exprimatur nomen judicis, denuntiantis et denuntiati; — 3° ut exprimatur delicti qualitas seu species; — 4° locus in quo patratum est; — 5° tempus, indicato saltem anno et mense. « Et quidem hæc omnia sunt de forma substantiali, et ita necessaria, ut si aliquid horum omitteretur, processus esset nullus, et reus absolvendus, etsi nemo quidpiam opponeret. » (REIFFENSTUEL, in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 94.)— 6° Requiritur insuper ut denuntiator denominet testes; et judici suggerat probationes, media ac instrumenta quæ scit, vel habet.— 7° Aliqui doctores inter quos Azorius, part. III, lib. XIII, cap. 21, dub. 5; et Pirhing in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 9, etc., sustinuerunt in foro ecclesiastico nunquam licere judicialem denuntiationem facere absque prævia evangelica monitione. Hæcque sententia conformior videtur textibus, cap. *Si quis* 2, cap. *Cum dilectus* 20, tit. I, lib. V *Decretal.*; et cap. *Novit. De judiciis.* Communior tamen est contraria sententia. Unde dicendum videtur, denuntiationem judicialem absque prævia monitione charitativa esse validam, quamvis non semper licitam.

4. Quibus in casibus, non tantum possit, sed et teneatur quis judicialiter denuntiare?

Valde difficilis et intricata materia hæc de obligatione judicialiter denuntiandi. Eam fusius tractavit Bonacina. Brevius expositam reperies apud sanctum Ligorium, lib. IV, cap. 3; apud canonistas in tit. I, lib. V *Decretal.* Unde sit brevius :

1° *Denuntiationes obligatoriæ ex jure naturali.* — Præmittendum imprimis est principium generale ab omnibus admissum : *Teneri scilicet quemque ad avertendum grave communitatis damnum, etiam cum proprio suo incommodo : item teneri quemque ad advertendum grave damnum proximi, si id possit absque proprio suo detrimento, secus si non possit absque notabili proprio incommodo.* — Unde resolvitur *primo*, si delictum sit nocivum communitati, et qui novit non possit alio modo detrimentum arcere, tenetur judicialiter denuntiare, etiam cum proprio incommodo. — *Secundo*, si delictum sit nocivum tertiæ personæ, et qui novit non possit alio modo illud arcere, tenetur judicialiter denuntiare; non tamen cum proprio suo incommodo.—*Tertio*, si delictum soli delinquenti nocivum sit, qui novit non tenetur illud judicialiter denuntiare, quia hoc casu delictum est occultum.

2° *Denuntiationes obligatoriæ ex jure positivo communi.* — Ex præcepto ecclesiastico judicialiter denuntiari debent. *Primo*, impedimenta celebrandi matrimonii; *secundo*, indignitatem promovendi ad sacros ordines; *tertio*, hæreticos, tum manifestos, tum occultos, tum consanguinitate quolibet gradu nobis junctos, tum jam emendatos; tum a fortiori apostatas, et sortilegos ac maleficos, quoties initum fuit pactum cum dæmone, aut prævia fuit apostasia a fide. Constat cap. 2, *De hæreticis*; cap. *Quapropter*, causa 2, quæst. 7; bulla *Noverit universitas* Innocentii IV, an. 1254; et bulla 2 Nicolai IV, an. 1280; decreto Alexandri VII, an. 1660; et aliis documentis. — Vide probatum a Bonacina, disputat. 6, *De onere denuntiandi*, tom. II, p. 1109 edit. Lugduni 1629.

Excusari tamen a denuntiandorum hæreticorum obligatione tradit citatus auctor; *Primo*, eum qui gravis damni metu a denuntiando retrahitur. — *Secundo*, eum qui non certo scit, sed suspicatur tantum aliquem esse hæreticum. — *Tertio*, socium criminis. — *Quarto*, eum qui versatur in iis regionibus in quibus, scientibus inquisitoribus et episcopis, hæretici cum catholicis permisti vivunt. — *Quinto*, item ex lege ecclesiastica judicialiter denuntiandi sunt suspecti de hæresi. Constat ex decreto Alexandri VII, an. 1660, *De suspectis de hæresi.* De quo, et quænam crimina suspicionem de hæresi involvunt, vide sanctum Ligorium, lib. IV, cap. 3, n. 251 et 254. —*Sexto*, item certum est præceptum ecclesiasticum de denuntiandis confessariis ad turpia sollicitantibus. Ut alibi demonstravimus. — *Septimo*, item denuntiandos esse confessarios qui exigunt a pœnitente sibi revelari nomen complicis; sed tantum ad hanc denuntiationem non teneri pœnitentem in propria causa, decrevit Be-

nedictus XIV pro regno Portugalliæ, bulla *Apostolici*, Bullar. ejus tom. III, p. 102. — *Octavo*, denuntiandos esse qui societatibus secretis Muratorum (*des francs-maçons*), et similium nomen dedere, injunxerunt plurium pontificum, recentiorum etiam, constitutiones.

3° Sunt tandem *denuntiationes obligatoriæ ex jure positivo particulari, id est, ex decretis et monitoriis ordinariorum illas præcipientium.*

5. *Effectus denuntiationis judicialis quoad judicem, et denuntiantem.* — *Primo.* « Judex, facta sibi denuntiatione vere judiciali, non tantum potest, sed tenetur ex officio inquirere, et processum incipere, citando et examinando testes, et alia probationis media per denuntiatorem contra delinquentem suggesta; adeo ut, si omittat, peccet ob denegatam seu neglectam justitiam, teneaturque ad syndicatum, et amittat jurisdictionem quoad illam causam. » (Reiffenstuel, in tit. i, lib. v *Decret.* cum communi doctorum.) — *Secundo.* « Si facta denuntiatione reus est suspectus de fuga, vel ne testes subornet, impediat, terreat, etc., potest conjici in carcerem custodiæ causa, etiam ante citationem; dummodo delictum sit grave, et adsint sufficientia indicia delicti a carcerando commissi, aut semiplena probatio, v. gr. per unum testem omni exceptione majorem. (Reiffenst. loc. cit. n. 127, ex cap. *Si clericos* 8, tit. ii, lib. v, in 6.)

Tertio. Denuntians tenetur testes denominare et probationis media suggerere, ut dictum est.

Quarto. Quilibet denuntiator, a denuntiante *ex officio* diversus, si convincatur scienter seu ex malitia falso denuntiasse, habetur tanquam *verus calumniator*, et pœnas calumniatorum subire debet. (Ita doctores communiter, in tit. ii, lib. v *Decretal.*

Si deficiat in criminis intentati probatione, hoc est, si verum non reperiatur delictum quod denuntiavit, habetur jam ex hoc solo tanquam *præsumptus calumniator* : et ab officio ac beneficio suspendi potest, donec innocentiam purgaverit, id est, donec probaverit se bona fide sufficientes reputasse quas suggessit probationes. (Constat. ex decret. *Cum dilectus* 2, tit. ii, lib. v. *Decretal.*)

Quinto. Denuntians *ex officio*, qualis est fiscalis promotor, etsi in probando deficiat, non evadit *præsumptus calumniator.* Si tamen reperiatur *scienter* seu malitiose falsa intentasse crimina, *pro vero calumniatore habetur*, et calumniæ pœnas incurrit. « Ratio est quia obligatio officii eos excusat a præsumpta, non item a vera calumnia. » (Reiffenstuel, in tit. ii, lib. v *Decretal.* n. 5.)

6. *Effectus denuntiationis judicialis quoad denuntiatum.* — *Regula prima.* — « Pendente denuntiatione, non potest denuntiatus ad dignitates ecclesiasticas, nec ad sacros ordines promoveri. » (Constat. ex cap. *Omnipotens* 4, tit. i, lib. v *Decret.* ex decretali *Tantis* 3, distinct. 81.)

Regula secunda. « Extenditur præmissa regula, ita ut reus, pendente denuntiatione, neque ad officia, neque ad beneficia promoveri valeat : item ut non possit esse procurator alterius, nec accusator, nec testis in causa criminali. » (Constat, ex iisdem juribus; et cap. *Non debet* 56, tit. xx, lib. ii *Decretal.*)

Regula tertia. — « Dantur ad duas præcedentes regulas exceptiones nonnullæ. » — 1° Si delictum sit leve. (C. *Omnipotens* 4 tit. i, lib. v *Decretal.*) Quænam autem peccata gravia sint vel levia, exponit can. *Unum* 5, distinct. 25. — 2° Si ex conjecturis appareat, aliquem ex calumnia denuntiari eum in scopum, ut ab honoribus, dignitatibus, officiisve, aut beneficiis arceatur. (Ita doctores.)—3° Si denuntiatio non sit legitima ex defectu formæ. — 4° Si denuntiatio non intentetur *criminaliter*, sed duntaxat *civiliter*. — 5° « Si elapsus fuerit annus a tempore factæ denuntiationis, et reus causa non fuerit cur lis adhuc pendeat et non sit terminata ; tunc scilicet potest denuntiatus, pendente denuntiatione, ad dignitates, ordines, officia et beneficia promoveri....

Regula quarta. — « Denuntiatio non impedit honoris, dignitatis aut officii administrationem seu exercitium. » (Communis.)

Regula quinta. — « Præcedenti regulæ datur exceptio hæc : Superior a subditis denuntiatus, non potest, pendente denuntiatione exercere jurisdictionem suam quoad negotium, circa quod versatur denuntiatio : item si denuntietur dilapidationis reus, ab administratione bonorum removetur. » Constat prior pars ex decret. *Olim* 26, tit. i, lib. v *Decretal.*, in qua agitur de quodam

prælato a subditis suis denuntiato : annulantur nempe excommunicationes, suspensiones et alia decreta, ab illo prælato contra denuntiatores suos, post denuntiationem prolata. — Secunda pars constat cap. *Prælatorum* 27, tit. I, lib. V *Decretal.*, in quo de Frisigiensi episcopo, a canonicis denuntiato quod bona Ecclesiæ dilapidaret, sic inter alia decernitur : ***Potestate vendendi, dandi, infeudandi, seu quomodolibet alienandi bona ipsius Ecclesiæ, interim eidem penitus interdicta.***

§ III. — Norma procedendi per inquisitionis (*enquête*) viam.

I. « Hodie processu accusatorio inquisitorius multo frequentior est, et adeo invaluit, ut qui olim erat remedium extraordinarium, jam transierit in ordinarium. » (Schmalzgr. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 172.)

« Notandum esse triplicem inquisitionem. — Prima est *omnino generalis*, quo in genere inquiritur, an subditi servent leges, annon committantur crimina, an de nullo sit fama vel suspicio alicujus criminis. Hac utuntur prælati et superiores in visitatione provinciæ et locorum subjectorum. — Secunda est *omnino specialis*, qua de certa persona et de certo crimine quæritur ; verbi gratia, an Petrus commiserit simoniam, furtum, etc. — Tertia est *mista*, quando vel solum crimen est speciale, vel sola persona ; ut, quis fecerit istud homicidium ; an Petrus servet statuta vel ordinationes synodales. » (Lessius, *De jure et justitia*, lib. II, c. 23, n. 107.)

Quælibet vero ex tribus formis inquirendi, iterum distingui potest in paternam et judicialem.

Unde inquisitio definiri potest : ***Actus judicis, ad detegendum an aliqua persona aliquod delictum patraverit.***

II. Fundamentalis quæstio est, utrum absque prævia infamia possit in quempiam inquisitorie procedi. Ad quam resolvendam quæstionem multiplex casus distinguendus est.

Primus casus *inquisitionis judicialis specialis et ex mero officio*. — « Figurari potest casus hoc modo : Titius clericus grave delictum patravit, quod sufficientibus testibus aliisve documentis in judicio probari potest. Fama tamen ejus illæsa remansit, cum in publicum res adhuc sparsa non sit, sed a paucis duntaxat noscatur. Quæritur an episcopus hoc resciens, possit, nullo accusante vel denuntiante, contra Titium judicialiter per inquisitionis viam procedere. » D. (Bouix, *De judiciis*, tom. II, p. 62.) Ad quod enucleandum sit :

PROPOSITIO PRIMA.

« Est omnino certa juris canonici regula, non posse superiorem judicialiter contra quemquam, nondum diffamatum, per viam specialis inquisitionis procedere. » Id est si agatur de tali determinata persona, et de tali determinato ipsius delicto.

Rem omnino evincunt percelebre in hac materia cap. *Inquisitionis* 21, et celebre cap. *Qualiter et quando* 24, tit. I, lib. V *Decretal.* juncta glossa. Id etiam constat ex cap. *Postquam* 1 in 6 ; cap. *Si is* 2, cap. *Cum oporteat* 19, tit. I, lib. V *Decretal.* Et est communis omnium doctorum, tam antiquorum quam modernorum sententia ; et ejusmodi sententiam tum ex jure naturali, tum ex jure positivo deducunt.

PROPOSITIO SECUNDA.

« Præmissa generalis regula, qua nempe ad inquisitorium processum prævia infamia requiratur, aliquot admittit limitationes. »

1. Excipitur, si quis crimen occultum directe vel incidenter confessus sit in judicio, etiamsi coram paucis ; ut coram solo judice et notario. (Ex c. *Postquam* 1, tit. I, lib. V in 6.)

2. Excipitur, quando judici per generalem inquisitionem procedenti, patefactus est auctor : tunc enim potest contra eum procedere. (Est sententia communis.

3. Quando delictum commissum est in judicio ; ut si testis falsum deponat in judicio, si accusator calumnietur.

4. In crimine hæresis et apostasiæ : in his enim sine accusatore, etiam sine infamia inquiri potest. (Ex c. *Excommunicamus*, *De hæreticis*.) Ratio est quia hæc crimina sunt maxime noxia reipublicæ : ab his enim semper impendet aliis periculum eversionis. Requiritur tamen aliqua suspicio orta ex indiciis non levibus. »

5. Quando inquisitio non fit ad publicam delicti vindictam, sed ad malum aliquod imminens impediendum. Et sic inquisitio fieri jubetur, ne contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente ; ne quis vitiosus aut indignus eligatur ad prælaturam...

6. « Juxta communem doctorum sententiam, sine præcedenti infamia fieri potest inquisitio specialis de delictis in damnum tertii, et a fortiori in damnum reipublicæ..., dummodo aliqua saltem indicia adsint ; quia ad inquirendum contra hæc crimina suffi-

ciunt minora ac leviora indicia. (REIFFENST. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 189.)

PROPOSITIO TERTIA.

« Expresso juri canonico de præviæ infamiæ necessitate, derogatum non fuit : neque ut derogatio habenda est potestas episcopis a Tridentina synodo concessa, ex informata conscientia procedendi. »

Quia in sententiis ex informata conscientia episcopi *extrajudicialiter* procedunt; præterea vi prædictæ concessionis Tridentinæ possunt duntaxat episcopi ex informata conscientia *prohibere ascensum ad ordines*, et a receptis ordinibus *suspendere;* non autem quidquam aliud; ut alibi demonstravimus.

SECUNDUS CASUS *inquisitionis specialis, ad instantiam alicujus denuntiatoris judicialiter institutæ.* — « Hic solvenda venit difficilior quæstio, an etiam necessaria sit prævia infamia, dum judex procedit ad instantiam alicujus personæ crimen denuntiantis.

In jure canonico omnino distinguendæ sunt *denuntiatio ad pœnitentiam*, et *denuntiatio ad pœnam;* ita ut sola posterior intelligatur aperire viam inquisitionis. Hujusmodi distinctio probatur a D. Bouix, *De judiciis*, t. II, p. 73 et seq. ex c. *Super his* 2; c. *Cum oporteat* 19; c. *Qualiter et quando* 24; c. *Prælatorum* 27, tit. I, lib. V *Decretal.* Et ex glossa et canonistis. Unde statuitur :

Regula prima. — « Etiam in casu denuntiatoris inquisitionem ad vindictam publicam postulantis, infamia regulariter ex jure canonico prærequiritur. » Hæc propositio controvertitur ab auctoribus, quia non satis distinxerunt inter denuntiationem ad pœnam et denuntiationem ad pœnitentiam. Sed hic agitur tantum de denuntiatione ad pœnam, unde veritas præfatæ regulæ probatur 1° ratione generali. « Est nempe certa et ab omnibus ut talis admissa regula generalis, prærequiri infamiam quando *per viam inquisitionis* proceditur. *Sicut accusationem legitima debet præcedere inscriptio, sic inquisitionem clamosa insinuatio prævenire.* (C. *Qualiter et quando* 24, tit. I, lib. V *Decret.*) Quod etiam expressissime statuitur in c. *Cum oporteat* 19; c. *Inquisitionis* 21, tit. I, lib. V *Decretal.* et confirmatur Glossa.

Regula secunda. — « Præviæ infamiæ necessitas, in præcedenti regula asserta, videtur etiam admittenda, quando denuntiator est officialis publicus, verbi gratia, fiscalis promotor. » Id quidem rejicit communior doctorum sententia; sed opinionem suam juris sacri textibus non fundant, et non satis distinxerunt inter utramque denuntiationem, ad pœnitentiam scilicet et ad pœnam. Atqui ubi agitur de denuntiatione ad pœnam jura citata clarioribus clariora sunt, et nullam inter denuntiatorem privatum et publicum distinctionem faciunt. (*Vide* D. BOUIX, *De judiciis*, tom. II, p. 81 et seq.)

TERTIUS CASUS *inquisitionis mistæ.* — Mista dicitur inquisitio, quando vel de persona determinata *generaliter quæritur* an aliqua delicta commiserit; vel de aliquo determinato delicto *generaliter investigatur* quis illud patraverit. Unde inquisitio hujusmodi est semper, vel generalis quoad delictum et specialis quoad delinquentem, vel vice versa, quoad delictum specialis et quoad auctorem generalis. Atque inde *mista* dicta est... An absque prævia infamia institui queat, hic expendendum.

Regula prima. — « Inquisitio generalis quoad personam, specialis autem quoad delictum, potest et debet fieri, etiam nulla præcedente contra aliquem infamia vel suspicione. » — Casus nempe est hujusmodi : patratum est aliquod homicidium, vel furtum, aliudve delictum; sed nescitur a quo, et fama publica suspicionesve nullum designant tanquam probabilem sceleris auctorem. Quæritur an tunc superior possit generalem inquisitionem judicialiter in reum incognitum instituere, interrogando subditos *quis delictum patraverit*, et præcipiendo, ut, si noverint, manifestent. »

Contra veteres quosdam canonistas affirmativa sententia tanquam certa et tenenda habetur a multis doctoribus, prout probat D. Bouix, *De judiciis*, t. II, p. 85 et seq.

Regula secunda. — « Inquisitio mista, specialis quoad personam, hujus scilicet formæ, *an Titius aliqua crimina patraverit*, paterne quidem fieri potest, non autem judicialiter. » (ID. *ibid.* p. 87.)

QUARTUS CASUS *inquisitionis generalis.* — 1° « Certum est ad inquisitionem generalem *paternam* non prærequiri infamiam, et sic unanimiter tenent doctores. Ratio est quia tenentur ordinarii regulariter suis temporibus visitationem instituere; visitatio autem inquisitionem generalem, saltem paternam involvit... etc.

2° « An ad inquisitionem generalem judicialem prærequiratur infamia? Alii docent

universaliter in inquisitione generali necessariam non esse præviam infamiam. Alii vero qui distinguunt inter paternam et judicialem inquisitionem, etiam pro *judicialiter* instituta inquisitione generali non requirunt proprie dictam præcise infamiam ; sed dicunt requiri tamen aliquam judicis fundatam suspicionem vel præsumptionem de commissis delictis.

III. Qualis esse debeat prærequisita infamia ad inquisitionem?

1° Requisita a jure infamia, intelligenda est infamia orta ab honestis, non a malevolis, et quæ ad aures superioris, non semel, sed sæpe pervenerit. (C. *Qualiter et quando* 24, tit. I, lib. V *Decret.*) — 1. Præterea, requiritur infamia quæ per majorem viciniæ seu communitatis partem divulgata fuit. (Glossa in c. *Inquisitionis* 21, tit. I, lib. V *Decretal.*) — 3. Necesse non est infamiam probari, quando judex ex mero officio procedit. Consultius tamen est ut judex etiam dum ex mero officio ad inquisitionem procedit, probationem infamiæ præmittat. Nam poterit reus appellare, ex eo capite quod infamia non præcesserit. « Tunc coram judice appellationis teneretur primus judex de infamia facere plenam fidem. » (FAGNAN. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 64.) — 4. « Quando superior procedit ad instantiam alicujus inquisitionem postulantis, debet præmitti probatio infamiæ. » (Id post Glossam tenent communiter doctores, ad cap. 24, tit. I lib. V *Decretal.*, verb. *Ad inquirendum.*)

IV. Quomodo probanda sit prævia infamia?

Sic cum Innocentio IV respondit Fagnanus, in tit. I, lib. V *Decretal.*, n. 85 : « Testis deponere debet, eum de quo agitur, de tali crimine diffamatum esse ; et interrogatus apud quos sit diffamatus, respondere tenetur apud tales ; et nisi eos nominet, non videtur reddere bonam causam dicti sui. Et ratio est, quia aliter sciri non potest an illi sint viles et malevoli, an vero fide digni ; de quo ante omnia judici constare debet... Debet ergo dicere : Apud tales et tales est suspectus, quia hæc ab eis audivi, et vidi eos vitare ipsius familiaritatem. Et subdit Innocentius sufficere si dicatur a duobus se audivisse, quia textus noster loquitur in plurali, ibi *providis et honestis*. Ergo sufficiunt duo. Adverte tamen quia non sufficit si testis dicat apud duos esse suspectum ; quia ex hoc non esset probata fama ; sed oportet eum addere in suo testimonio, quod hoc ipsum quod audivit ab illis duobus, clamat major pars viciniæ... Quidam tamen ut subjicit Innocentius, non improbabiliter dicunt satis esse, ut testes, etiam nullis personis expressis, dicant : Rumor et infamia est per viciniam. Reservatur enim alteri parti facultas probandi infamiam hanc esse tantum apud viles aut malevolos, vel ab iosis ortum habuisse. »

V. Generalis inquisitionis norma. — 1. Possunt, et etiam debent ordinarii locorum prælati de criminibus *generalem aliquam* inquisitionem facere. In his terminis hæc conclusio certa est apud omnes ex pluribus juris textibus. (C. *Perniciosa* 1, *De offic. judicis ordinarii ;* c. *Romana* 1, *De censibus* in 6 ; et præsertim textus visitationem præscribentes, c. 10 et 11, causa 10, quæst. 1 ; et *Concil. Trident.* sess. 24, c. 3, *De reform.*)

2. « Inquisitio generalis potest esse, non tantum paterna, sed etiam judicialis. » In *judiciali* autem superiores præmonere debent subditos quos interrogant, *judicialiter* et non tantum paterne procedi ; præterea tunc requiritur ut aliqua saltem indicia præcesserint de patratis delictis.

3. « Prælatus, sive paterne, sive judicialiter generalem instituens inquisitionem, exigere nequit a subditis ut sibi occulta delicta manifestent. » (Est communis sententia doctorum, et colligitur ex c. *Qualiter et quando* 24, tit. I, lib. V *Decretal.*)

4. « Sed superiori generalem inquisitionem *paterne* instituenti, possunt subditi manifestare delicta occulta. » Quia manifestatio hæc non tendit ad vindictam publicam, sed ad solum delinquentis emendationem et paternam correctionem.

5. « Juxta communem doctorum sententiam, quæ vera et tenenda videtur, occulta delicta, sive in judicio probari possint, sive non, superiori generalem inquisitionem *judicialiter* instituenti licite nequeunt a subditis, etiam interrogatis, denuntiari ; sed tenentur duntaxat manifestare delinquentes, de quibus exsistit fama publica. »

VI. « Quomodo superior ex generali inquisitione ad specialem transire possit?

« Multiplex casus distinguendus est. — 1. « Si denuntientur delinquentes de quorum delictis jam exsistit fama publica, potest superior sive paterne, sive judicialiter in-

quirat contra tales *specialem* inquisitionem incipere; quia adest fama publica, quæ sufficit in utroque casu. Imo in tali casu exigere potest superior, ut delinquentes ejusmodi, qui nempe infamia laborant, sibi *judicialiter* denuntientur.

2. « Si, dum *paterna* est generalis inquisitio, superiori ut patri manifestentur occulti delinquentes, non potest superior in tales delinquentes nisi *paterne* procedere : excepto casu quo ex occulto delicto immineret grave damnum communitati, vel tertiæ personæ.

3. « Si, dum judicialis est generalis inquisitio, superiori manifestentur ut judici occulti delinquentes, quorum delicta in judicio probari nequeunt, peccant qui ita denuntiant, et judex nequit ad specialem inquisitionem contra tales delinquentes transire. Cum enim nequeant condemnari, ob deficientes ex hypothesi probationes, in meram eorum et inutilem infamiam et vexationem vergeret inquisitionis processus. »

4. « Si, dum pariter *judicialis* est generalis inquisitio, superiori manifestentur occulti delinquentes, quorum delicta in judicio probari possunt, illicite quidem agunt sic denuntiantes; judex tamen potest in denuntiatos ejusmodi specialem inquisitionis processum instruere, juxta sententiam sat communem, non tamen juri canonico consentaneam, ut dictum est supra.

VII. *Inquisitionis mistæ norma.* — Diximus supra non posse absque præcedente fama, judicialiter institui inquisitionem mistam hujus formæ : *An Titius aliqua delicta patraverit*; bene vero istius formæ : *Quis tale delictum patraverit.* — Duæ remanent circa inquisitionem mistam subjiciendæ regulæ.

Regula prima. — « In inquisitione mista, generali circa personam, et speciali quoad delictum, certum est subditos ad manifestandum occultum delicti auctorem regulariter non teneri. » Est communis sententia doctorum, ex canonibus supra dictis. Diximus autem *regulariter* : nam « si crimen adhuc esset perpetrandum vel continuandum; vel si ex eo grave damnum alicui impenderet, quod alia ratione non posset commode averti, interrogatus posset et etiam deberet auctorem patefacere, etsi omnino occultum. (Lessius, *De jur. et just.* lib. II, c. 29, n. 119.)

Regula secunda. — « Prædicta inquisitio mista, generalis scilicet circa personam, legitime viam aperit inquisitioni speciali. »

VIII. — *Inquisitionis specialis, seu strictæ sumptæ, norma.* — Ad hujusmodi inquisitionem requiritur, ut dictum est, infamia quæ possit probari. *Specialem* autem *inquisitionem* hic intelligimus, tum eam quæ ex mero officio, tum eam quæ ad denuntiationem alicujus instantiam a judice instituitur. Atqui ad talem inquisitionem necessaria sunt sequentia :

1. Ante omnia constare debet de corpore delicti in quolibet casu, etiam casu quo reus delictum a se commissum fatetur. — Dicitur autem constare *de corpore delicti*, quando constat delictum, pro quo quis in judicium adducitur, revera patratum ab aliquo fuisse. — Delictum autem est, vel *facti permanentis*, id est, vestigia post se relinquens, ut homicidium, incendium; vel *facti transeuntis*, id est, nullum post se indicium relinquens, ut blasphemia, fornicatio et similia. Unde

2. « Si delictum sit facti permanentis, debet judex ante aliam inquisitionem, per se, vel per notarium, aut delegatum, informationem de corpore delicti sumere. » Probatur ex jure, ex universali praxi, et consensione doctorum. (Schmalzgr. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 215.) Excipitur casus quo delictum occultum fuisset; tunc pro informatione de corpore delicti sufficit depositio testium, qui dicunt se delictum, v. gr. homicidium vidisse; seu, ut ait Schmalzgrueber *ibid.* n. 217. Sufficit de eo constare per conjecturas.

3. « Si delictum sit facti transeuntis, sufficit habere conjecturas de commisso delicto. » Ita communiter doctores ex universali consuetudine.

4. « Quomodo citandus sit reus, et ei tradenda sint capitula cum testium nomine, dicetur infra.

5. « Omissa aliqua necessaria formalitate, si reus præsens non reclamet, vel si crimen in judicio sit confessus, valebit processus. (Ex cap. 1 et 2, tit. I, lib. V *Decretal.* in 6, et communi doctorum.)

6. « Qui reum denuntiavit evangelice potest esse testis. Denuntiator autem publicus seu ex officio, de jure nequit esse testis in ea causa, quidquid dicant aliqui auctores. — Denuntiator privatus, *voluntarie* denun-

tians nequit esse testis; qui autem ex *obligatione* charitatis aut justitiæ, potest juxta quosdam esse testis; sed hæc opinio rejicienda est iisdem rationibus ac pro denuntiatore ex officio. Unde nullus denuntiator judicialis potest esse testis.

IX. *Discrimen inter modum inquirendi ex mero officio, et modum inquirendi ad instantiam alterius.* (Ex glossa in c. *Qualiter et quando* 24, tit. I, lib. V *Decretal.*)

« 1. Quando ex officio suo procedit judex ad inquisitionem specialem, tunc recipit juramentum ab iis contra quos facienda est inquisitio : non item quando procedit ad instantiam seu petitionem alterius, ne instruat adversarium; sed tunc ipse adversarius probare debet quæ denuntiavit.

« 2. Quando procedit ex officio, non tenetur recipere probationem super fama; satis enim est quod ea sibi constet; sed de veritate inquirit postquam ipsi constat de infamia, licet inquisitus neget se infamatum : neque tenetur ipse judex fidem facere de infamia; cui enim faceret, cum ipse sit judex? Contra est si procedat ad instantiam alterius; tunc enim tenetur probationes assumere et fidem facere super infamia. »

« 3. Si judex procedit ad petitionem vel querelam alterius, admittit probationes contrarias super bona fama : non item quando procedit ex officio. »

« 4. Quando proceditur ad instantiam, fit litis contestatio cum eo qui petit inquisitionem. (C. *Cum dilectis* 15, *De purgat. canonica.*) Secus est quando proceditur ex officio; quia tunc non est cum quo fiat litis contestatio; fit tamen quasi litis contestatio inter infamiam, quæ tenet locum accusatoris, ex una, et responsionem inquisiti ex altera parte. »

« Quando proceditur ex officio, possunt recipi testes etiam post publicatas attestationes. Cum enim dicta testium, semper sint nota judici, cessat tunc timor subornationis eorum, secus est quando proceditur ad petitionem partis. » (SCHMALZGR. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 180.)

X. *Necessario servanda in inquisitione speciali, ne processus nullitate laboret.* — Ex jam dictis facile patet ordo requisitus; attamen ad faciliorem praxim sit.

1. Ante omnia debet judici constare de corpore delicti.

2. Si ex mero officio procedat, debet de prævia infamia informationem habere; si ad instantiam, informationem simul et judicialem probationem; exceptis certis casibus supra memoratis.

3. « Debet citare reum; et postquam examinavit illum, eidem proponere capitula, super quibus exigente fama aut instantia partis, fuit inquisitus: necnon depositiones testium. »

4. « Debet reo subinde communicare etiam nomina testium. »

5. « Recipere, audire, ac examinare ejus exceptiones ac defensiones. »

« Et hæc cuncta, ordoque eorum omnino necessaria sunt. Nam si unum prædictorum omitteretur (salvis limitationibus appositis), aut ordo eorum debitus non servaretur, et reus reclamaret, seu exciperet et protestaretur, processus esset nullus : communis et certa doctorum sententia; patetque ex c. *Ad petitionem* 22; c. *Qualiter* 17, tit. I, lib. V *Decretal.*, et arguitur c. *Cum post petita* 46, *De elect.* (REIFFENST. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 212.)

§ IV. — Norma procedendi per exceptionis viam.

Hac via reus sese defendere potest. Jam de exceptionibus diximus, prout sunt in favorem rei probationes. — Quoad præsentem scopum exceptiones dividi possunt in *criminales* et *civiles;* et iterum criminalis exceptio dupliciter fieri potest, *civiliter* nempe, et *criminaliter.*

I. *In exceptione criminali civiliter facta.* — 1. Reus hoc modo excipiens non tenetur sese in pœnam inscribere constat ex cap. *Super his* 16, tit. I, lib. V *Decretal.*)

2. Quando reus exceptionem criminis civiliter factam sive contra actorem, sive contra testem, probare non potuit; tunc judex debet, per sententiam interlocutoriam, talem exceptionem, utpote injustam et frustratoriam rejicere, rejectamque declarare, et ea non obstante in processu pergere. (Ita communiter, ex c. *Intelleximus* 1, tit. X, lib. II *Decretal.*) Neque in hoc casu reus potest a judice aliqua pœna plecti. (Ex c. *Super his* 16, tit. I, lib. V *Decretal.*)

3. Quando reus, civiliter excipiens, objectum delictum probavit, judex debet tantum de delicto convictum ab accusando repellere, si sit accusator; vel a testificando, si sit testis, sed nulla alia pœna sic convictum plectere potest. (Ex c. *Qualiter* 24, tit. I, lib.

v *Decretal.* et cap. *Licet* 30. *De simonia*; cap. *Cum dilectus* 2, tit. x, lib. II *Decretal.*)

4. Potest tamen judex, separato processu, procedere contra eum, cujus delictum probatum fuit a reo, illud criminaliter objiciente. Quia tunc in judicio criminis convictus, est diffamatus, imo et notorius ; ideoque hoc modo convictum judex inquisitorio processu discutere, et condigna pœna plectere potest et debet.

II. *In exceptione criminali criminaliter facta*, procedit regula generalis, a doctoribus communiter admissa, exceptionem accusationi æquiparari, atque eosdem fere effectus sortiri. Hinc, — 1. Exprimi debet criminis commissi locus et tempus.—2. Nequit intervenire procurator. — 3. Si excipiens probet crimen, accusator vel testis convictus, non tantum removeri debet, sed etiam puniri pœna a jure statuta, vel si non sit, ad arbitrariam condignam condemnari.— 4. Si e contra excipiens crimen non probet, debet a judice per specialem sententiam absolvi ille, contra quem delictum objiciebatur ; et quidem ita ut super eo crimine denuo accusari, etiam ab alio, non amplius possit. — 5. Nequit tamen puniri excipiens qui crimen non potuit probare. (*Vide* Schmalzgrueber. in tit. I, lib. v *Decretal.* n. 250.)

III. *Quasi-exceptio* ea est quæ proponitur a qualibet persona, ad impediendum ne indignus ad prælaturam dignitatemve aut beneficium promoveatur. De ea autem sic decrevit Innocentius III, cap. 16, tit. I, lib. v *Decret.* : *Cum opponitur ut quis a promotione officii vel beneficii excludatur, si ante confirmationem objicitur, non cogitur quisquam inscribere* (scilicet *in talionis pœnam*) ; *quia crimen hoc modo probatum, impedit promovendum, sed non dejicit jam promotum. Post confirmationem vero, cum scilicet ordinandus fuerit aliquis aut etiam consecrandus* (*quia etiam ab obtinendo repellit et dejecit ab obtento*), *ad extraordinariam pœnam secundum arbitrium judicis discreti, citra vinculum inscriptionis, est excipiens distringendus, si defecerit in probando.*

CAPUT XI.

Tela processus criminalis ordinarii ab inchoatione causæ usque ad contestatam litem exclusive.

In quacunque processus criminalis forma, prima operatio est *libelli* porrectio. Excipitur casu quo judex procederet per inquisitionem *ex mero suo officio*. Sed in praxi hoc ultimo modo fere nunquam proceditur ; nam deficiente denuntiatore privato, promotor fiscalis supplere solet, et tunc ipse fisci nomine libellum denuntiatorium componit, subscribit et judici exhibet.

Accusator et denuntiator debent etiam subscribere libellum et judici porrigere tanquam judici, et ad publicam delicti vindictam. Hæc tamen libelli oblatio potest fieri privatim, et non tantum quando judex pro tribunali sedet.

Accusator debet onus probandi sibi assumere, et in pœnam calumniatorum, si forte de calumnia convincatur, subscribere ; non tenetur tamen media probationum indicare.

Denuntiator autem, quia onus probandi non assumit, nec in pœnam calumniatorum subscribit, tenetur media probationum indicare judici.

Judex examinare debet utrum accusator seu denuntiator sit legitimus ; deinde an libellus sit forma legitima conscriptus, et media probationum gravia sint, vel frivola. Utraque stante legitimitate, et si media probationum sint sufficienter gravia, omnino tenetur judex ecclesiasticus, utpote ad reddendam justitiam publice constitutus, accusationem recipere, et ad ulteriora procedere. Id facere si recuset, poterit contra ipsum, utpote prævaricatorem et denegatæ justitiæ reum, coram ipsius superiore actio intentari ; tum ab ipso accusatore, tum etiam a promotore fiscali superioris curiæ ecclesiasticæ.

Si e contra deficiat accusatoris, vel denuntiatoris, aut libelli legitimitas, vel si levia sint criminis indicia, accusationem vel denuntiationem rejicere debet judex. (Igitur dicendum est *de libello.*)

§ I. — Quid sit libellus.

« I. Libellus judicialis est scriptura brevis (rejectis superfluis), clara, sine æquivocatione vel generalitate, continens rem quæ in judicio petitur, et causam petendi, ac nomen actoris, quod in calce libelli scribendum est; nomen judicis quod exterius libello inscribitur, et nomen rei qui convenitur. » — Dividitur 1° in *simplicem* seu *summarium* qui summatim et continua quadam orationis serie, actoris intentionem pertexit ; et in *articulatum* seu *positionarium*, in quo merita causæ per articulos proponuntur ; — 2° in *civilem* seu *conven-*

tionalem, qui pro objecto habet causam civilem;—3° et in *criminalem* seu *querimonialem*, qui pro objecto habet causam criminalem. (SCHMALZGR. in tit. III, lib. II *Decretal.*, n. 1.)

II. Offerri debet libellus cum judicium (tam criminale quam civile) est plenarium et ordinarium : et ibi oblatio libelli est de substantia ; ita quidem ut absque ea judicium non subsistat, neque etiam a partibus remitti possit. Ratio est quia solemnitates actuum, quæ ob publicam utilitatem introductæ sunt, partium conventione tolli aut remitti non possunt, ut docent doctores, ex cap, 1, tit. III, lib. II *Decretal.* (ID. *ibid.*) n. 11.

III. In summario judicio (vel ex notorio, aut ex informata conscientia), et brevioribus ac levioribus causis, etiam de jure communi non est necesse libellum scripto tradi ; sed sufficit actoris petitionem coram judice nudis verbis proponi, eamque actis continuo inseri, ut re postea exigente, ejus copia haberi possit ; quod invicte probatur ex Clementina *Sæpe* 2, *De verborum significatione.* (ID. *ibid.*)

IV. *Qualis esse debeat libellus?* — « Libellus communiter tribus partibus constituitur : narratione facti, medio concludendi, et ipsa conclusione. »

Quæritur, qualis esse debeat libellus quoad narrationem facti? — « Resp. Ita construendum, ut 1° exprimatur in eo nomen judicis coram quo agenda est causa, ut sciatur an sit competens vel non. — 2° Inserendum libello est nomen proprium actoris, ut judex sciat quis agat, et reus a quo conveniatur. » — 3° Designandum est nomen rei, ut intelligat se, non alium, actione impeti. — 4° Subnectenda ipsa narratio, ubi recensebitur factum cum necessariis circumstantiis. Et in civili quidem libello exhibendum, quid, quale, et quantum debeatur. — 5° In criminali libello, præter dicta apponi debent delicti locus, annus, mensis ; adeo ut his omissis libellus ipso jure sit nullus, etiam parte non opponente. Dies commissi criminis tutius omittitur ob difficultatem probandi : excipe nisi accusatus petat sibi diem et horam nominari; tunc enim verius est accusatorem ad hoc cogi posse. In libello civili ordinarie non requiritur designatio temporis et loci ; excipe libellum injuriarum... quia hujusmodi famosæ actiones criminalibus comparantur. » (SCHMALZGR. in tit. III, lib. II *Decretal.* n. 1.)

Non autem opus est in libello nomen actionis exprimi. (Claro textu c. *Dilecti* 6, *De judiciis.*)

V. *De medio concludendi, et ipsa conclusione.* — Concludere in libello, nihil aliud est quam judici determinate exprimere, quid petatur ab eo contra reum pronuntiari. — In libello criminali necesse non est conclusionem apponere, nec proinde media conclusionis exprimere. — In libello civili, omnino necessaria est conclusio, ac proinde necesse est exprimi concludendi medium, seu causam petitionis.

VI. Quinque designari solent vitia libelli: contradictio, obscuritas, incertitudo, generalitas, et alternativa locutio, et in certis casibus libelli nullitatem inducunt. (*Vide* SCHMALZGR. *ibid.* n. 6 et seq.)

VII. Libellum oblatum judici *emendari* potest usque ad sententiam; *mutari*, ante contestationem litis; sed in utroque casu actor tenetur reo expensas compensare — An etiam post contestatam jam litem mutare libellum liceat, controversum est inter doctores. (SCHMALGRZ. *ibid.* n. 13.)

§ II. — De corporis delicti visitatione

Post delictum ad judicem delatum sive per libellum oblatum, sive per famam publicam, ante cætera omnia, occurrit facienda *corporis delecti visitatio*. Procedit hoc etiam casu quo reus ejusmodi delictum a se commissum fatetur... Quia reus etiam confessus nequit condemnari antequam constet de crimine; non est enim in arbitrio hominis de sua vita disponere. Hanc *visitationem* facere debet judex per se aut delegatum ab ipso. — Si delictum vestigia non reliquerit, non requiritur corporis delicti visitatio. — Hæc visitatio debet cum narratione facti et testium subscriptione in scriptis redigi.

§ III. — De informatione summaria.

Deinde informatio summaria, in processu criminali institui debet, antequam citetur et constituatur reus. Hujusmodi informatio summaria fit per examen testium et instrumentorum, si habeantur, ut dicernat judex, num legitime possit reum citare, et per citationem coram tribunali suo constitutum

examinare. Dicitur etiam processus informativus, et instructio præparatoria.

Duplex est summaria informatio: alia est quæ fit ad dignoscendum utrum constet de fama publica; et alia ad dignoscendum an exsistat contra reum saltem semiplena probatio. Unde dicitur informatio de fama, et informatio de semiplena probatione.

I. Quando proceditur per accusationis viam, judex non tenetur nec etiam potest absque accusatoris consensu ullam informationem præmittere; quia omnia in se assumit accusator.

II. Quando proceditur ex mero officio per inquisitionis viam, non tenetur judex informationem juridicam de fama præmittere. In praxi tamen expedit præmitti semper dictam de fama informationem juridicam. Nam reus potest ad superiorem appellare ex hujusmodi informationis omissione.

Quando judex informationem juridicam sumpsit de fama publica, non tenetur, sed in praxi expedit alteram de semiprobatione instituere.

III. Quando per viam denuntiationis proceditur, tenetur de jure naturali et canonico judex ad præmittendum informativum processum.

§ IV. — De citatione et examine testium et scripturarum.

Duplex distinguenda est testium citatio: 1. Ea quæ fieri solet pro informatione curiæ, antequam citetur reus et lis sit contestata. — 2. Aliæ quæ fiunt jam citato et constituto reo et lite contestata.

I. Porro in priori casu, testibus, dum citantur, non dicitur in qua causa deponere debeant, licet plerumque ex circumstantiis hoc suspicentur. In posteriori autem, cum jam reus sit constitutus, exprimi potest eos vocari ad deponendum in causa contra N. vertente.

Quando judex præsumit testem absque difficultate copiam sui facturum, potest, si velit eum vocare per privatas litteras.

Sed citatio juridica intimari debet per nuntium publicum, et ter intimanda est, assignato competenti spatio, antequam testis tanquam contumax puniri possit; nisi tamen judex expresse diceret se intendere ut unica citatio vim triplicis monitionis habeat.

Nuntius publicus sedulo exsequi debet mandatum de citatione testis, et relationem exsecutionis fideliter actuario testari; is hanc attestationem sibi factam actis inserere. (Super quibus vide Monacelli. *Formulare*, vel D. Bouix. *De judiciis*, t. II, ubi retulit Monacelli formulas, etc.) — Potest vicarius generalis citationem per curiæ suæ cursorem intimare testi, etiam in aliena diœcesi exsistenti. Plerumque tamen in tali casu recurritur ad curiam episcopalem territorii in quo reperitur testis, per litteras remissoriales, et judex ad quem missæ sunt litteræ remissoriales testem examinat. Examen autem sigillatum transmittatur ad judicem qui remissoriales dedit.

Si testis fuerit contumax et comparere recusaverit, tunc judex poterit citationem monitorialem, tribus æquivalentem ei intimare, ad effectum procedendi in eum ut contumacem. Si autem testis non comparuerit in tempore assignato, tunc judex potest contra eum ferre sententiam excommunicationis majoris, vel suspensionis a divinis, si sit in sacris. Si vero hujusmodi testis se pœnituerit de contumacia sua, judex eumdem absolvere et examinare debet.

Si testis fuerit irreverens et pertinax, dum examinatur, puniri poterit per censuras.

Tum citationes, tum monitoria, tum sententiæ contra contumaces et irreverentes consignari debent in actis processus.

Citati et comparentes testes separatim, unus post alium, examinari debent. Et primo unicuique deferendum est juramentum de dicenda veritate. Postea interrogatur de nomine, ætate, habitatione et conditione et de aliis, ut pateat an alicui exceptioni obnoxius sit, aut etiam omnino rejici debeat.

Tandem interrogatur de specialibus causæ.

Finito examine, debet actuarius testi perlegere factam suam depositionem, ad hoc ut addere, minuere vel mutare valeat. Et casu quo quid mutetur, id inserit actuarius in actis. Dein perlectam depositionem jubetur testis subscribere. Et si examen testis fiat tantum pro informatione curiæ, eidem testi præcipitur silentium circa depositionem ab eo factam in examine. De quo mentio inseri debet in actis.

II. Finito singulorum testium examine, proceditur ad recognitionem scripturarum, si quæ haberi potuerint, quæ dicantur a

reo manu propria exaratæ, et quæ ipsius delictum probare posse videntur. Quod fit per testes qui rei scripturam cognoscere possunt.

Finita informatione summaria pronuntiat constare de fama, vel non constare. Si non constat, pronuntiat ex fama ulterius non esse procedendum. Si e contra, decernit contra reum N., tanquam diffamatum ulterius prout juris procedere.

§ V. — De citatione rei.

I. Hic adnotandum est contingere posse, ut reus, antequam citetur, resciat formari contra se informativum processum. Tunc autem potest judicem adire et *compositionem* petere : quæ si ipsi concedatur, processui finis imponitur. « Consistit compositio in eo quod episcopus silentium imponat fisco, et ultra procedi prohibeat, modo reus solvat certam pecuniæ summam, in pauperum levamen, vel alios pios usus erogandam, et ad *depositarium pœnarum* consignandam. Fieri nequit compositio, nisi reo postulante et consentiente. Atque insuper, si quis per delictum læsus sit, necessarius etiam est partis læsæ consensus: alioquin compositio foret nulla. — Compositio non admittitur ante completum processum informativum, ac datis defensionibus ; eo completo, tunc admittitur compositio, si delictum non est plene et concludenter probatum, et reus ex actis non potest in pœnam ordinariam condemnari. Item non est admittenda in criminibus gravibus, nec etiam quoties ex processu non appareat quid substantiale criminis, et non adsint saltem indicia et præsumptiones... » (MONACELLI, part. II, tit. XV, form. 5, n. 1.)

II. Absoluto informativo processu, si judex existimet haberi plenam aut saltem semiplenam probationem, facere debet decretum de constituendo reo, et consequenter jubere ut reus citetur.

Quæritur 1. *Quid sit citatio?* — « Citatio est actus legitimus, quo quis mandato judicis vocatur in judicium juris experiundi causa... (SCHMALZGR. in tit. III, lib. II *Decretal.* n. 16.)

Quæritur 2. *Quotuplex distinguatur citatio?* — Dividitur triplici modo.

1° Alia est *citatio juris*, quando jus, vel lex statuit certum terminum intra quem debet quis judicio se sistere. — Alia *hominis*, cum quis judicis mandato in jus vocatur. Utraque subdividitur in *generalem* et *specialem*. Per illam vocatur in jus quicunque sua interesse putaverit; per specialem vero certa persona.

2° Alia est *verbalis*, quando judex apparitorem ad reum mittit, eique oretenus vel in scriptis significari facit, ut ad certum diem appareat in judicio. *Realis*, qua personæ apprehenduntur et arrestantur. — *Verbalis* citatio iterum duplex est : *privata*, quando quis privatim ad faciem, vel, si ipsius copia haberi nequeat, ad domum citatur; *publica*, quæ publice per proclama seu vocem præconis, vel per tubam aut campanam, vel per edictum in publicis locis affixum fieri solet. Si per edictum fiat, *edictalis* dicitur; quæ adhibenda non est, quando potest verbalis fieri. Et ideo antequam decernatur, expedit ut judex summariam informationem instituat, ex qua constet de morali impossibilitate adeundi personam ipsam vel domum rei.

3° Denique alia citatio est *simplex*, quæ absque præcisa comparationis intimatione et ulterioris termini denegatione concipitur; qualis est si judex simpliciter alicui mandet ut tali vel tali die in judicio compareat. *Peremptoria* alia, quæ ita concipitur ut præcisam comparendi necessitatem imponat, omni ulteriori termino seu citatione denegata : et talis est illa quæ, vel tribus distinctis citationibus simplicibus fit, vel in qua tres distincti termini ad certa temporis intervalla sunt assignati, vel in qua unicus terminus (tantumdem temporis quantum aliæ tres simplices continens) præfixus est, addita voce *peremptoria*, aut alia clausula æquivalente. *Peremptoriæ* nomen accepit, quia simplices citationes perimit, et citati tergiversationem ita excludit, ut in jus vocatum, si præfinita die non comparuerit, contumacem constituat, etiamsi nulla alia citatio simplex præcesserit. (SCHMALZGR. in tit. III, lib. II *Decretal.* n. 16.)

Regulariter concedendi sunt decem dies post unamquamque citationem, quando tres citationes adhibentur, vel triginta dies quando adhibetur unica tanquam peremptoria. Certum tamen est dictum terminum citato assignandum variare posse, pro variis curiarum ecclesiasticarum consuetudinibus; quia si conveniens tempus de jure naturali concedendum sit, temporis tamen intervallum non est a jure naturali, sed a positivo duntaxat determinatum.

Quæritur 3. *An citatio rei sit semper necessaria?* — « Ita necessaria est quoad absentem, ut nullatenus omitti, per se loquendo, possit; et, si omittatur, omnis alius actus judicialis ipso jure irritus et nullus est. Advertitque Conig. ne quidem summum pontificem ex plenitudine potestatis eam posse omittere, et dare sententiam partibus non citatis. Ratio est quia, cum ad defensionem spectet, juris est naturalis : et in iis quæ sunt juris naturalis, etiam summi principes jure privatorum censentur. » (Schmalzgr. *ibid.* n. 15.)

Quæritur 4. *Quænam necessario debeant in citatione exprimi?* — 1° Nomen citati; — 2° nomen ejus ad cujus instantiam fit citatio; — 3° causam citationis saltem in genere; — 4° locum judicii; — 5° competentem terminum; — 6° certum diem : non tamen requiritur ut exprimatur hora; sed si designetur, observanda est. (Id. *ibid.*)

Quæritur 5. *Quomodo citandus qui extra citantis territorium moratur?* — Citatio in hoc casu tripliciter fieri potest : 1° Per nuntium a citante missum. — 2° Per litteras *remissoriales*, quæ et *subsidiales* vocantur. Scribit nempe judex qui citat, ad judicem loci in quo moratur citandus; et requirit ut is posterior judex citationem ipse per ministros suos exsequatur, ad quod compelli potest per magistratum superiorem. — 3° Per edictum affixum in locis finitimis. Non tamen videtur hunc tertium modum adhiberi posse, nisi deficientibus duobus prioribus.

Judex non tenetur reo libellum accusatorium aut denuntiatorium simul cum citatione transmittere; hoc tamen potest fieri et expedire.

Quæritur 6. *Quomodo facienda sit executio seu intimatio citationis?* — 1° Posset fieri per judicem ipsum, vel quemlibet ab ipso ad id deputatum, talis vero deputatus tenetur simul cum litteris citationis, etiam commissionis sibi factæ litteras exhibere; sed ordinarie citatio fit per aliquem curiæ nuntium seu cursorem. — 2° Potest fieri quovis tempore, modo de die. — 3° Si judex citans sit duntaxat delegatus, debet citationi inseri tenor ipsi factæ delegationis; alioquin citatus non tenetur credere ipsius jurisdictioni. — 4° Nisi quid obstet, citationis intimatio facienda est in faciem, id est, ipsimet personæ citandi. — 5° Si reum inquisitum nuntius non repererit, potest, vel procuratori, vel ad unum e domesticis (adultiori tamen non infanti); vel si nemo adsit, vicinis denuntiationem exponere, relicto ibidem commissionis suæ exemplo, ut ad reum citatio perveniat. (C. *Causam* 3, *De dolo.*) Vel si neque hoc modo fieri possit, aut expediat, potest citatio affigi ad domum in qua citandus habitare consuevit. — 6° Si domum certam non habeat, nec sciri possit ubi sit, citari potest per edictum vel per præconem. — 7° Exsecutione facta, incumbit nuntio facere relationem, quæ in acta referri debet, ut appareat de legitime facta exsecutione. Et hæc relatio pars substantialis est; nec sine ea aut citatio, aut sententia, aut totus processus in contumaciam valet. (Schmalzgruebber, in tit. iii, lib. ii *Decretal.* n. 25.)

Quæritur 7. *Quinam sint citationis effectus?* — 1° Astringit citatum ad comparendum, nisi justa exceptione se tueatur; alias redditur contumax. (C. *Ex litteris* 2, *De dolo.*) — 2° Inducit litis pendentiam, ad eum finem ut lite pendente innovari nil possit. — 3° Prorogat jurisdictionem judicis, adeo ut, etsi quis, postquam citatus est, esse cœperit alieni fori, in ea tamen causa debeat comparere coram judice qui eum citavit. — 4° Perpetuat judicis delegati jurisdictionem; ita ut morte delegantis non expiret. Et dictos quidem effectus citatio producit, tum in criminalibus, tum in civilibus causis. At vero in civilibus habet insuper effectus sequentes : *Primo*, facit rem (quæ ab actore controvertitur actione reali) litigiosam; ita ut, dum litis pendet, alienari per emptionem aliumve contractum (quibusdam exceptis) nequeat. — *Secundo*, constituit citatum legitimum contradictorem; adeo ut, quamvis ex aliqua causa repelli posset, citans tamen sibi præjudicet, et illum non possit dein amplius repellere. — *Tertio*, tollit potestatem actori eligendi inter plures judices, si forte super eadem causa potuissent diversi judices judicare. — *Quarto*, interrumpit præscriptionem, saltem odiosam, id est, quæ tantum ob negligentiam domini inducitur, scilicet 30 vel 40 annorum. (Schmalzgr. *ibid.*)

Quæritur 8. *Quomodo sanetur citationis nullitas?* — Sanatur 1° per comparitionem citati, vel ejus procuratoris; — 2° per rescriptum principis. (Id. *ibid.* n. 30.)

§ VI. — De contumacia.

Citatus reus, si intra peremptorium terminum comparere negligat, contumax efficitur. Unde exponendum quid sit contumacia generatim pro omnibus casibus et personis rei, testium et actoris.

I. Contumacia, a contemnendo dicta, quod judicem videatur contemnere qui vocatus non obtemperat, prout hic accipitur definiri potest : *Inobedientia a legitime vocato erga judicem, in iis quæ ad judicem pertinent, commissa.* (Colligitur ex c. *Causam* 3, et c. *Cum dilecti* 6, tit. XIV, lib. II *Decretal.*)

II. Contumacia dividitur in *veram*, cum quis peremptorie citatus, et citationis notitiam habens, comparere renuit, nullo ipsum excusante impedimento; et in *præsumptam*, quando dubium est an ad citatum et non comparentem citationis notitia pervenerit. Vere contumax non auditur amplius, aut restituitur contra ea quæ interim acta sunt, ipso contumaciter absente; auditur autem, et contra sententiam etiam restituitur præsumptive contumax, si venerit, suamque absentiam excusaverit. (C. *Cum Bertholdus* 18, *De sententia et re judicata.*)

III. Pluribus modis committitur contumacia : 1. « Quando reus tribus edictis, aut uno (vice trium) peremptorie citatus, et nulla justa causa impeditus, non comparet. — 2 Quando reus malitiose se absentat, aut procurat per se vel per alium, ne citatio ad ipsum pervenire possit.—3. Quando comparuit quidem, sed postea sine licentia judicis recedit, non confecto negotio, nec revertitur. — 4. Quando actor veniens ad judicium, actionem seu libellum non edit, aut edita actione et lite contestata, eamdem non prosequitur; nam primo casu reus absolvitur a citatione, secundo ab observatione judicii. — 5. Quando reus non respondet libello actoris, aut positionibus seu articulis illius; vel si obscure respondeat, non categorice : ob quam contumaciam articuli et positiones, actoris habentur pro confessatis; quia jus ex hac tergiversatione præsumit tacitam quamdam confessionem. — 6. Quando litigantes non parent mandatis judicis, jubentis, verbi gratia, ut præstetur juramentum calumniæ, ut exhibeantur instrumenta et alia ad causam deservientia. — 7. Denique quando parere recusant exsecutioni sententiæ. » (SCHMALZGR. in tit. XIV, lib. II *Decretal.* n. 40.)

IV. *Causæ a contumacia excusantes.* — « 1. Excusat adversa valetudo. — 2. Majoris causæ occupatio. — 3. Absentia reipublicæ causa. — 4. Ætas pupillaris vel minorennis. — 5. Citatio ad tribunale superius. — 6. Puerperium vel graviditas mulieris. — 7. Tempestas aut vis fluminis.—8. Prohibitio vel retentio proprii magistratus, — 9. Rusticitas. — 10. Incompetentia notoria judicis citantis. — 11. Tempus feriatum, ad quod fit citatio. — 12. Locus non tutus, ad quem fit. — 13. Bellorum motus, captivitas, carentia advocati. — 14. Universim a contumacia excusat quævis causa, quæ excusat ne citatus comparere debeat. » — « Et hoc adeo verum est, ut si contra ejusmodi, quem justa remanendi causa defendit, judex sententiam pronuntiet, si quidem illi de ejusmodi impedimento constet, sententia sit ipso jure nulla: sin vero impedimentum hoc ignoraverit judex, per in integrum restitutionem rescindatur; vel alias causa in pristinum statum reponatur. An vero hujusmodi impedimentum, quod objicitur ad excusandam absentiam, revera subsit, cognoscere et decernere ad judicem pertinet. » (Ita SCHMALZGR. ex lege Romana in tit. XIV, lib. II *Decretal.* n. 42.)

V. *Quomodo procedendum contra actorem contumacem?* — Id definitum est c. *Causam* 2, tit. XIV; et c. 1, tit. VI, lib. II *Decretal.* Unde, 1. Supponitur actorem libellum judici porrexisse; alioquin enim, cum res sit adhuc integra, comparere non tenetur, et ipsi applicatur generalis regula, *Nemo ad agendum in judicio compelli potest.* — 2. Si, postquam libellum obtulit, non comparet eo die quo reum citari fecit, ipse est a judice citandus. — 3. Si neque compareat in primo et secundo termino ei assignato : 1° damnandus est ad solvendas reo expensas; 2° si postea in tertio termino sese sistat, et petat iterum citari reum, non est audiendus, nisi det cautionem, quod in termino statuto parebit. — 4. Si neque in termino peremptorio compareat, et nesciatur ubi sit, si habeat et possit habere procuratorem in causa, citari debet procurator et cum eo litem suam prosequetur reus. Si neque is in judicium veniat, aut actor nullum procuratorem reliquerit, adhuc tribus vicibus per trina dierum decem intervalla dictus actor citandus est. Tandem si neque tunc ante elapsum terminum peremptorium compareat, judex audire debet testes

et probationes rei et juxta probata sententiam definitivam pronuntiare. Curare tamen debet ut per se, vel per alium, ea non negligantur quæ forent in favorem actoris absentis, ut sic veritas melius ipsi innotescat. (SCHMALZGR. in tit. XIV, lib. II *Decretal.* n. 48.)

VI. *Quomodo procedendum sit contra reum contumacem in causa criminali?* — Quando reus, peremptorie citatus, per monitorium non comparuit, nec per procuratorem suum absentiam excusavit infra peremptorium terminum, tunc, 1. accusanda est ejus contumacia per unicam accusationem, vel plures secundum stylum uniuscujusque curiæ. — 2. Eadem contumacia a judice declaranda est. — 3. Citandus est reus ad audiendam sententiam definitivam infra terminum a judice præfigendum. — 4. Pronuntianda est dicta definitiva sententia contra reum tanquam confessum, et per suam confessionem convictum de accusatione ob suam contumaciam.

§ VII. — De exceptionibus.

Citato reo, et in judicium venienti statim a jure conceditur defensionis medium per exceptiones; et quamvis in reliquo etiam processus decursu proponendis novis exceptionibus locus esse possit, præcipuæ tamen statim ab initio ante contestatam litem exerendæ sunt. Porro in cap. 9. *De probationibus*, diximus de exceptionibus, quæ sunt in favorem rei probationes, vide ibi.

§ VIII. — De recusatione judicis, tanquam suspecti, et dirimenda per arbitros recusationis causa.

I. Exceptiones dilatoriæ contra judicem, quæ et *declinandi fori* dicuntur, ad duplicem speciem referri possunt : vel enim excipiens contendit jurisdictionem judici non competere, aut jurisdictionem illam esse ex aliquo defectu, v. g. ex imperitia, impeditam; vel fatendo jurisdictionem, opponit tantum quod judex sit sibi suspectus.

Si prius, ad judicem pertinet, audita exceptione, de ejus valore pronuntiare; quia ad judicem pertinet pronuntiare quæ sit jurisdictio sua. Unde si, exceptione ejusmodi proposita, judex, per interlocutoriam sententiam, eam inanem pronuntiet, et decernat ulterius esse procedendum, reo excipienti non aliud patet remedium quam appellatio. Et quidem appellare semper poterit a sententia definitiva : a dicta vero interlocutoria appellare nequit, prohibente Tridentina synodo, nisi vim definitivæ habeat, aut gravamen inferat per definitivam irreparabile; quia nempe, extra hos casus, appellationes ab interlocutoria concil. Trident. abolevit. » (D. BOUIX, *De judiciis*, tom. II, p. 178 et seq.)

Si posterius, id est, si excipiens opponat judicem esse sibi merito suspectum, tunc adest *recusatio*, de qua in sequenti.

II. *Recusatio* est judicis declinatio, ex eo quod suspecta sit ipsius in reddenda justitia integritas. Certum est posse judicem, alias legitimum, ex dicta suspicione recusari. (Constat ex c. *Secundo requirit* 41; c. *Cum speciali* 61, tit. XXVIII, lib. II *Decretal.*) — Imo id etiam ex jure naturali deducitur, prout in c. *Secundo* cit. innuitur his verbis : *Ipsa namque ratio dictat, quod suspecti et inimici judices esse non debent.* Solus supremus judex, papa, nequit recusari; sed omnes alii judices ecclesiastici, etiam episcopi, atque archiepiscopi et patriarchæ, sive in prima, sive in secunda, vel tertia, etc., appellatione, ex causa suspicionis recusari possunt.

III. Ex capitibus 41 et 61 cit. tit. XXVIII, lib. II *Decretal.* 1. Tenetur recusans coram ipsomet recusato judice causam suspicionis exponere. Judex vero nequit hoc ipso ulterius procedere; sed debet judicium de tali exceptione committi arbitris.

2. Ideoque, recusatione facta, debent eligi arbitri, qui de sola causa recusationis cognoscant et judicent, nullo autem modo de causa principali cognoscant.

3. Si adsit aliquis actor, debet electio arbitrorum ab actore et reo communi consensu fieri, si concordare in hoc possint : secus, reus unum arbitrum eliget, et adversarius alterum.

4. Si judex ex officio procedat, ita ut non sit adversarius qui in judicio contra reum agat, debet prædicto modo arbitrorum electio fieri a reo et a judice recusato.

5. Si duo arbitri sic electi concordare in ferenda sententia nequeant, debent ipsi sibi adjungere tertium; et quod duo ex istis pronuntiabunt, firmum erit.

6. Si ab arbitris suspicionis causa pronuntietur non legitima, judex recusatus, post habita recusatione, in judicio procedet.

7. Si vero arbitri allegatam suspicionis causam pronuntient legitimam, jam nequit judex recusatus recusantem judicare; sed debet, vel ad tribunal superius causam remittere, vel eam alicui, de consensu recu-

santis, delegare. Quæ omnia aperte constant ex supra citatis decretalibus.

IV. Quæritur *quomodo arbitri officium suum explere possint, aut debeant?* — 1. Eorum potestas versatur duntaxat circa causam suspicionis; de qua postquam pronuntiaverint, officio suo functi sunt. — 2. « Omnia quæ spectant ad articulum suspicionis possunt arbitri peragere; veluti citare testes, et compellere ad testificandum; eos, si delinquant, punire, examinare, exceptiones contra personas, aut dicta admittere.» —3. Omnibus perpensis, pronuntiare debent utrum suspicionis causa, a reo allegata, legitima sit necne. Duplex autem ab ipsis expendenda est legitimitas: juris scilicet, et facti. — *Legitimitas juris* tunc adest, quando causa allegata est de eorum numero, quæ ex jure expresso, vel ex prudentum æstimatione, merito judicem suspectum reddunt. — Adest *legitimitas facti*, quando causa quæ, si exsisteret, merito judicem suspectum redderet, probatur *de facto* exsistere. Unde legitimitas juris prius ab arbitris est exploranda, deinde factum est probandum. — 4. Ad acta authentice conficienda arbitri adhibere possunt actuarium curiæ episcopalis. — Pronuntiata sententia, debent arbitri acta omnia ad judicem recusatum transmittere; quibus acceptis, is, prout supra dictum fuit, se geret.

V. Quæritur *Quænam sint recusandi judicis legitimæ causæ?* — Hoc certo definiri nequit, sed arbitris plerumque ad id electis examinandum relinquitur... Justa interim et indubitata reputatur causa illa, quam canon vel lex pro tali habent. Tales autem variæ recensentur... 1. Quando judex recusatus est recusatoris inimicus... — 2. Quando habet specialem affectionem aut relationem ad adversarium recusantis; ut si judex sit alterius partis consanguineus vel affinis; dominus, socius vel collega; familiaris, patronus vel cliens. — 3. Quando judex recusatus habet specialem affectionem erga causam quæ proponitur in judicio, etc. Quæ supra evoluta sunt, et videnda apud Schmalzgr. in tit. XXVIII, lib. II *Decretal.*

§ IX. — De reconventionibus seu mutuis petitionibus. Tit. IV De mutuis petitionibus, lib. II *Decretal.*

Reus cum actoris libellum viderit, alium et ipse libellum conficere et judici porrigere potest contra ipsummet actorem, a quo aliquid petit. Tunc reus conventus *reconvenire* dicitur; quæ reconventio in jure canonico *mutua petitio* nuncupatur.

I. « Definiri reconventio potest : Actus quo reus post oblatum et visum actoris libellum, vicissim aliquid ab eo petit coram eodem judice, ac in eodem judicio, etiamsi alias judex ille non esset actoris competens... Ut rite intentetur et peragatur, duo debent concurrere: *unum* est, ut coram eodem judice, quem actor, forum rei sequens, elegit, instruatur; alias simplex conventio potius quam reconventio erit; *alterum* est, ut mutua petitio ac reconventio proponatur durante eodem judicio; alias effectus sibi proprios non operabitur. »

II. Unde durante judicio conventionis, nequit reus actorem reconvenire coram alio judice; nisi causa sit de iis de quibus judex nunquam cognoscere possit, vel dictus judex sit reo suspectus.

III. Actor reconventus nequit declinare judicem quem ipse adivit, sub prætextu quod ipsius jurisdictioni non subjaceat.

IV. Reconventio habet locum in omnibus causis civilibus quæ specialiter in jure non sunt exceptæ. Excipiuntur autem *causæ exsecutivæ; causa depositi; causa appellationis; causa spolii*, nisi reus vicissim contenderet rem aliam quam possidebat sibi ab actore fuisse ablatam, et super hoc reconventionem faceret. (Vide SCHMALZGR. in tit. IV, lib. II *Decretal.* et quæ supra diximus de reconventione.)

V. Quoad causas criminales distinguendum est : — 1. Si civiliter conventus velit criminaliter accusare, locus est reaccusationi. — 2. Si accusatus criminaliter velit accusatorem civiliter convenire, reconventio non admittitur. — 3. Si accusatus civiliter velit etiam civiliter accusare, locum habet reconventio. — 4. Denique, si criminaliter accusatus velit accusatorem suum etiam criminaliter reaccusare, non potest accusatus reaccusare accusatorem suum. (C. *Neganda* 2 et seq. causa 3, quæst. 11.) Excipe 1° quando accusatus prosequitur suam vel suorum injuriam. — 2° Non excluditur recriminatio quæ reum relevat; et crimen quo premitur exuit. — 3° Potest accusare de majori crimine. — 4° De quocunque crimine potest reus reaccusare, si crimina sint connexa. — 5° Denique de quovis crimine reaccusatio fieri potest coram judice, qui sit

competens respectu utriusque. (Schmalzgr. in tit. iv, lib. ii *Decretal.* n. 11.)

VI. *Effectus* ex reconventione oritur duplex. « *Primus* est prorogatio jurisdictionis; quia per reconventionem actor reconventus ita subjicitur judici coram quo causam agit, ut in causa reconventionis, licet alias sibi incompetentem, recusare non possit... *Secundus* effectus est processus simultaneus; quia causa reconventionis simul cum causa conventionis tractanda est. — Modus autem hic observandus : 1° Cum actor libellum conventionis et reus libellum reconventionis obtulerit, prius respondere debet reus libello actoris, et dein actor libello rei. — 2° Sequitur contestatio litis, et post hanc actus judiciales; qui de utraque causa vicissim, et si fieri potest eadem die expediri debent. (C. *Intelleximus*, et c. seq. *De ordine cognitionum;* juncta Clement. 2, vers. *Nos usum, De verborum significatione.* — 3° Si de utraque simul liqueat, utramque judex terminabit una sententia. (C. 1, *De mutuis petition.*) Si alterutra majorem indaginem exigat, altera de qua jam liquet, suspendi debet, usque dum etiam de altera liqueat, ut sic demum una sententia utraque terminari possit.. —4° Sententia sic concipitur, ut in ea primo scribatur caput conventionis, deinde caput reconventionis. Ita ut semper prærogativa detur actori. » (Schmalzgr. in tit. iv, lib. ii *Decretal.* n. 12.)

VII. *Quo tempore proponi debeat reconventio ut prædictos effectus operetur?* — « Ut utrumque effectum operetur reconventio (simultanei processus et prorogationis), necesse est eam proponi ipso litis exordio. (C. *Ex litteris* 1, *De mutuis petitionibus;* Clem. 2, *De verb. signif.*) ; aut saltem *statim* post litis contestationem; nam ea quæ incontinenti fiunt, inesse creduntur. Si post litem contestatam moveatur recouventio, solum effectum prorogationis habet... (Potest autem reconventio, ad effectum prorogationis solum impetrandum, proponi toto tempore quo durat idem judicium. » (Schmalzgr. *ibid.* n. 13.)

CAPUT XII.

Tela processus criminalis a contestatione litis usque ad sententiam definitivam exclusive.

In præcedenti capite, processus criminalis telam quasi præparatoriam exposuimus, id est, usque ad litis contestationem, per quam *judicium proprie dictum* incipere, solemne est apud jurisperitos effatum. Nunc ejusdem processus telam prosequi habemus usque ad sententiam definitivam.

§ I. — De litis contestatione.

I. Litis contestatio est fundamentum judicii, per petitionem actoris in jure propositam, et congruam rei responsionem secutam, animo litigandi. Unde in his tribus constat : 1. Ut fiat petitio ab actore et responsio a reo. — 2. Ut utraque fiat in jure, id est coram judice. — 3. Ut responsio fiat cum animo litigandi.

II. *Regula generalis.* — Litis contestatio requiritur ad substantiam judicii, et quidem adeo ut, ea prætermissa, regulariter loquendo, totus processus sit irritus et consequenter etiam sententia... et receptum est passim apud doctores, ex decret. *Olim* cap. unic. tit. v, lib. ii *Decretal.;* et ex ipsamet inscriptione tituli vi, lib. ii *Decretal.* quæ sic habet : *Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem, vel ad sententiam definitivam.*

III. Ad præfatam regulam dantur exceptiones. « Dixi *regulariter loquendo ;* nam in aliquibus casibus judicium subsistit etiam sine contestatione litis. Et quidem 1. In judiciis summariis. — 2. In causis appellationis. — 3. In causis notoriis. — 4. In causa coram papa. — 5. Universim in omnibus casibus in quibus non requiritur libellus; cum enim libellus sit origo litis, remisso libello, remittitur etiam litis contestatio. » (Schmalzgruber. in tit. v, lib. ii *Decretal.* n. 4.)

IV. In processu criminali fit etiam litis contestatio, non autem eodem modo ac in lite civili; nam per interrogationem judicis et responsionem rei inducitur litis contestatio, etiamsi procedatur per accusationem et accusator non sit præsens. Si accusator fuerit præsens, accusatum inter et accusatorem jure communi litis contestatio necessaria censenda est.

V. Ex litis contestatione plures sequuntur effectus quos enumerat et juris textibus firmat Schmalzgr.; in tit. v, lib. ii *Decretal.* n. 8. « 1. Per contestationem litis incipit judicium, quod ante eam, proprie et simpliciter loquendo, inchoatum dici nequit. — 2. A tempore litis contestatæ incipit currere instantia. — 3. Actio personalis per contestationem litis fit litigiosa. — 4. Lite non

contestata, sententia definitiva ferri non potest. — 5. Lite contestata, judex amplius recusari non potest, nisi supervenerit nova suspicionis causa. — 6. Litis contestatio præcludit viam opponendi exceptiones dilatorias, nisi de iis antea fuerit interjecta protestatio, aut ex nova causa emerserint, vel novissime emerserint. — 7. Litis contestatio interrumpit præscriptionem *longi temporis* (scilicet 10 vel 20 annorum), quam inchoavit reus... — 8. Per contestationem litis, temporalis actio perpetuatur ad 40 annos, a tempore contestatæ litis computandos. — 9. Lite contestata, actiones pœnales, quæ ex delictis vel quasi-delictis descendunt, ad hæredes, et in hæredes in solidum transeunt. — 10. Per litis contestationem quasi contrahitur inter litigantes, ut neuter, adversario suo invito, possit discedere, nisi tanquam temerarius litigator ad damna et expensas adversario suo resarciendas condemnari velit. — 11. Post litem contestatam possessor bonæ fidei constituitur in mala fide quoad fructuum perceptionem; ita ut illos a die contestatæ litis non amplius lucretur, sed conservare illos et actori, si litem obtineat, restituere teneatur. — 12. Lite contestata, non amplius currit præscriptio, sed interrumpitur, etsi tempus legitimum ante sententiam latam absolvatur. — 13. Missus in possessionem in reali actione, post litem contestatam fit verus possessor... »

VI. Modus faciendi contestationem litis describit Schmalzgrueber, qui etiam probat eam non induci, nec consequenter suos habere effectus, dum reus suas exceptiones opponit, nec etiam dum respondet petitioni actoris, si expresse protestetur se respondere sine intentione contestandi litem. (*Vide* laudatum auctorem, in tit. v, lib. II *Decretal.* n. 6.)

§ II. — De juramento calumniæ.

I. Juramentum calumniæ *est juramentum quo partes litigantes jurant, quod in judicio, tam agendo, quam excipiendo et defendendo absque fraude et calumnia versari, omniaque bona fide peragere velint*. Vel, ut alii brevius : *est juramentum a litigantibus super causa bona fide suscepta et deinceps prosequenda præstandum.*» (SCHMALZGR. in tit. VII, lib. II *Decretal.* n. 2.) Ex qua definitione sequitur juramentum calumniæ versari circa totam litem : item ad illud non esse necessario concedendas dilationes; quia litigans statim dicere potest, utrum credat necne suam causam esse justam : non enim jurat suam causam esse bonam, sed se credere eam esse bonam

II. Decretales quæ de juramentis statuunt reperies sub titulo VII, lib. II *Decretal.*, et sub tit. IV, lib. II, in 6. Ex quibus jus commune determinari solet a canonistis ut sequitur.

Quæritur 1. « *An juramentum calumniæ necessario præstari debeat?* Resp. Si ab alterutra parte litigantium petitum fuerit, necessario præstari debet, ita ut eo casu omissum vitiet totum processum, et sententiam latam reddat nullam, licet etiam cum juramento fuerit responsum positionibus..... Excipitur, nisi causa justa allegetur a parte recusante jurare; nam hoc casu, si judex cogat, insuper habita recusatione, gravamen infert recusanti, et consequenter huic appellatio permissa erit. »

« Addidi, *vitiari processum, et sententiam ex omissione juramenti calumniæ :* quod intellige, non omnino, sed solum in quantum est ad favorem ejus, qui jurare recusavit... Imo aliquando nec huic recusatio juramenti nocet, et hoc præcipue in quadruplici casu : 1° Quando sententia justa est. — 2° Quando ex actis constat de bono jure illius, pro quo lata est sententia. — 3° Quando pars negat præstare juramentum calumniæ petitum modo, aut tempore indebito, ex. gr. ante contestationem litis; quia ante contestationem litis non possunt partes cogi ad jurandum super tota causa. — 4° Quando non repetitur protestatio ad singulos actus judiciales post petitionem juramenti secutos; censetur enim pars, quæ prius juramentum calumniæ præstari petiit, ab hac sua petitione recessisse. »

Quæritur 2. *An per rescriptum principis, renuntiationem partium, aut consuetudinem induci possit, ut partes de calumnia vitanda non jurent?* — Tria membra quæstio præsens continet. Ad 1. Dico per rescriptum principis tolli juramentum calumniæ posse. — Ad 2. Juramentum istud remitti posse per renuntiationem partium *tacitam*. (C. *Si de calumnia* 1, tit. IV, lib. II *Decretal.* in 6.) Sed non remitti potest per pactum expressum. — Ad 3. An istud juramentum consuetudine contraria tolli possit? Controver-

titur. (*Vide* apud SCHMALZGR. in tit. VII, lib. II *Decretal.* n. 5.)

Quæritur 3. ***Quisnam præstare debeat juramentum calumniæ?*** — Resp. Regulariter loquendo juramentum istud præstare debent ipsæ personæ litigantes, scilicet actor et reus, modo personam standi in judicio habeant; et actor quidem prius, quam reus; quia ad litem provocavit.... Extenditur 1° etiam ad casum, quo actor, et reus non per se et personaliter, sed per procuratores causam agunt, nisi procurator mandatum habeat ad jurandum de calumnia. — Extenditur 2°, etiam ad hæredes actoris, et rei, si in hos instantia transit. (C. *In appellationis* 2, *De juramento calumniæ*, in 6.)

Regulariter loquendo debent omnes jurare de calumnia. — Excipiuntur tamen 1° principes; 2° procurator fisci, de consuetudine; 3° parentes, et patroni, si in causis permissis litigent in judicio cum liberis et libertis; 4° clerici coram judice laico, sine speciali licentia sui ordinarii, et etiam coram judice ecclesiastico, si de causa ecclesiæ agatur, non autem in causa propria ipsius clerici; nam tunc jurare debet per se vel per procuratorem coram judice suo.

Episcopus, si per seipsum litigare velit in judicio, et hoc gravitas causæ petat, etiam ipse personaliter juramentum calumniæ debet edere, prout statuitur, c. fin. tit. VII, lib. II *Decretal.* Sed regulariter magis decet et conveniens est, ut episcopus per syndicum agat in judicio, et per eum juret.

Quæritur 4. ***Quis jurare debeat, quando actor, vel reus est universitas, vel ecclesiastica, vel sæcularis, ut civitas, aut alia communitas?*** — Si talis communitas syndicum, œconomum, aut procuratorem generaliter ad negotia constitutum habet; is jurare debet. Si autem talem syndicum, etc., non habet communitas, prælati vel ii per quos regitur communitas jurare debent per se vel per procuratorem.... Idem dicendum est de tutoribus, curatoribus, procuratoribus....

Quæritur 5. — ***In quibus causis præstandum sit juramentum calumniæ?*** — Resp. Præstandum est in causis omnibus, quæ in judicium adducuntur, per textum expressum l. *In omnibus* 1, c. *De juramento calum.* — Proceditque hoc 1°, etiam in causis criminalibus, præterquam in causis capitalibus, in quibus cogi reus ad calumniæ juramentum non potest, sed bene accusator. — Procedit 2°, etiam in causis spiritualibus, ut habetur c. *Si de calumnia* 1, *De juram. calum.* in 6. — Procedit 3°, in causa appellationis, cap. *In appellationis* 2, eod. tit. in 6. — Procedit 4°, in causis summariis, et in causis cæteris, sive parvis, sive magnis, sive ordinariis, sive de legatis, sive compromissariis, quæ coram arbitris tractantur. Nam in his omnibus opus est juramento calumniæ. Duo solum excipiuntur causarum genera : *Primo*, causæ inquisitionum, et quando imploratur officium judicis... *Secundo*, causæ notoriæ, et ubi non est opus probatione.

Quæritur 6. ***Quando proponendum sit juramentum calumniæ?*** — Juramentum calumniæ (idem dic de juramento veritatis), per se loquendo præstandum est in principio litis, videlicet statim post litis contestationem, antequam positiones ab actore offerantur. (C. *Cum causam* 6, tit. VII, lib. II *Decretal.*) — Juramentum calumniæ exigi etiam ante litis contestationem potest, casu quo reus exceptionem dilatoriam opponit... — Præterea in qualibet litis parte præstari potest, ut decernitur c. *Si de calumnia* 1, tit. IV, lib. II, in 6. Donec in causa conclusum sit : imo etiam post conclusionem in causa, si ita necesse videatur, et antea præstitum illud non sit, exigere id judex ex officio potest, usque dum feratur sententia.

Quæritur 7. ***Quomodo præstari debeat?*** — Hoc juramentum defertur a judice, et coram eodem judice, præsente adversario, vel ejus procuratore præstatur tactis Evangeliis.

Quæritur 8. ***Quæ sit pœna nolentis jurare de calumnia?*** — Regulariter loquendo, si detrectans jurare de calumnia, sit actor, instituta actione cadit; si vero reus, pro confesso habetur, prout dicitur c. fin. tit. VII, lib. II *Decretal.*

§ III. De juramento veritatis et malitiæ.

I. Juramentum veritatis dicendæ, illud est quo quis jurat se velle veritatem dicere. Implicite continetur in juramento calumniæ, quia qui juravit se omnem fraudem vitaturum, juravit hoc ipso implicite de dicenda veritate. Nihilominus post præstitum initio litis calumniæ juramentum, locum habere potest circa speciales articulos juramentum veritatis.

II. Juramentum malitiæ, est illud quo litigans jurat se, per tale suum dictum aut factum, nequaquam fraudem adversario moliri;

sed bona fide, ad jus suum prosequendum agere.

III. Judex potest exigere juramentum de veritate dicenda, non tantum in principio litis, sed etiam post conclusionem in causa, si antea omissum sit.

« Major adhuc est amplitudo juramenti malitiæ; hoc enim in omnibus causis tam ante quam post contestatam litem, sive præstitum sit juramentum de veritate, aut calumnia, sive non, exigere judex potest a partibus, nec semel tantum, sed quoties suspicio est, quod actor, vel reus malitiose agat, aliquid proponat vel excipiat, aut dilationem petat. (C. *Litteras* 13, *De restit. spoliat.*; et c. *In appellationis* 2, *De jurament.* in 6; SCHMALZGR. in tit. VII, lib. II. *Decretal.*, p. 13.) »

§ IV. De hodierna praxi generali circa juramenta.

I. Ex decretis concilii Romani, an. 1725, sub Benedicto XIII, tit. XIII, cap. 2, juramentum de veritate dicenda exigendum non est a reo principali criminaliter examinato.

II. « Hodie omnes generaliter ecclesiasticæ curiæ præfata decreta sequuntur; ita ut generalis ea praxis pro jure communi jam haberi possit. »

III. Existimant recentiores canonistæ non pauci, extendendam prædictam dispositionem ad causas etiam civiles famosas, arduas seu notabiles.

IV. « Juramenta *calumniæ* et *malitiæ* in foro ecclesiastico obsolevisse, ita ut in nullo jam casu adhiberi soleant, pro certo haberi potest. »

V. « Unde tandem juramento *veritatis* duntaxat hodie locus remanet, et duntaxat sub dictis limitibus: ita nempe ut exigi nequeat a reo, nec in causa criminali, nec in causa civili famosa aut ardua. In cæteris autem causis civilibus poterit judex ad illud recurrere in supplementum probationum, tum auctoritate propria illud actori vel reo proponendo, tum ex instantia alterius partis alteri deferendo. » (D. BOUIX, *De judiciis*, t. II, pag. 200 et seq.)

§ V. — De examine rei.

I. In causis criminalibus contestatio litis non differt ab examine rei. — Porro ad reorum delinquentium examen summa maturitate procedendum est, « cum fundamentum judicii criminalis in examine reorum consistat; nam ex responsionibus ipsorum plerumque oritur vel absolutio, vel condemnatio, super delictis de quibus per judices inquiritur. » (PELLEGRIN. part. IV. sect. 9.)

II. Extra controversiam est non teneri reum ad respondendum judici *illegitime* interroganti. Atqui requisitæ conditiones ut judex legitime interroget ad quatuor sequentes reduci possunt; 1. Ut judex sit competens. — 2. Ut servetur juris ordo. — 3. Ut jam exstent contra reum vel infamia, vel gravia indicia, vel semiplena probatio. — 4. Ut reo jam declaraverit judex quænam contra ipsum exstet infamia, vel gravia indicia, vel semiplena probatio. — Non tamen tenetur judex, antequam reum interroget, ei copiam tradere processus informativi. (Hæc vide probata apud D. BOUIX, *De judiciis*, t. II, p. 201 et seq.)

III. Cum forma in interrogando reo tenenda varia esse necessario debeat pro variis causis, prudentiæ judicis totum id negotium relinquitur.

IV. Ad quid teneatur reus. *Vide* quæ diximus *De confessione*, cap. 9, *De probationibus*, etc.

§ VI. De positionibus, articulis et capitulis.

I. « *Positiones* dicuntur breves quædam narrationes seu assertiones alicujus facti, ad causam controversam pertinentis, super quo petitur ab adversario responderi; idque ideo ut ponens, sive actor, ab onere probandi, per confessionem adversarii, relevetur. Ex his positionibus, *articuli* appellantur eæ positiones quas reus negat, et consequenter actor probare debet: cæteræ simpliciter nomen positionum obtinent. » (SCHMALZGR. in tit. V, lib. II *Decretal.* n. 5.)

II. « Articuli sunt ea asserta, quorum veritatem se velle probare, per testes aut instrumenta, judici declarat actor, aut reus. » Unde positiones dantur ad obtinendam rei confessionem; articuli debent probari ab articulante. Ideoque positiones a reo negatæ evadunt articuli probandi.

III. Formula scribendi positiones est hujusmodi : *Titius actor* (vel reus) *ponit* 1... 2...— etc. *et postulat interrogari partem adversam, an confiteatur necne, vera esse præmissa asserta.* Respondendum autem est singulis positionibus per verbum *credo* vel *non credo*. Si respondetur *non credo*, positio evadit articulus.

Formula scribendi articulos est hujus-

modi : *Titius... probare intendit* 1... — 2... etc. *et producet quoad* 1° *testes N. et N.; quoad* 2° *testes N. et N. necnon tria instrumenta*, etc.

Jungi in unum possunt articuli et positiones, quod fieri solet hac formula : *Titius... ponit, et quatenus negetur, probare intendit*, 1... — 2... etc.

IV. In criminali processu, articuli, positionibus præfato modo juncti, peculiare *capitulorum* nomen ex frequentiori usu sibi vindicant.

V. Usus positionum, articulorum et capitulorum, vim juris communis habet. (Constat ex Clementina *Sæpe* 2, *De verbor. signif.* et cap. *Qualiter et quando* 24, *De accusat.*) In multis tamen curiis ecclesiasticis invaluit legitima consuetudo ut post contestatam litem, omissis ejusmodi positionibus et articulis, producantur et examinentur testes super contentis in libello. (D. Bouix, *ibid.* p. 210.)

VI. « In processu civili, jus proponendi positiones et articulos, non tantum ad actorem, sed etiam ad reum pertinet. »

« In processu criminali, si procedatur accusationis via, videtur posse capitula dari ab utraque parte ; si vero procedatur inquisitionis via, debebit promotor dare capitula, sed inquisitus non videtur dare posse nisi articulos defensorios. »

« Jus proponendi positiones et capitula, secum trahit, quoad partem adversam, obligationem respondendi. » (Ex cap. *Præsentium* 2, *De testibus*, in 6.) — Tam ponens quam respondens juramentum de veritate dicenda præstare debent. Illud tamen juramentum non exigitur a promotore fiscali, quia gerit personam publicam, et sufficit juramentum ab eo semel præstitum de fideliter explendo officio suo.

VII. Lite contestata, judex assignare debet terminum ad producendas petitiones, et dandos articulos, deinde alium terminum ad respondendum. — « Est regula generaliter recepta, tempus terminorum dilatoriorum esse penes judicis arbitrium ; ita tamen ut, si nimis arctum concederetur, prorogatio peti posset, et si injuste denegaretur, locus fieret appellationi. »

VIII. *De termino probatorio.* — Terminus probatorius, ut ipsa vox satis indicat, ille est qui assignatur partibus, ad probandum quod ipsis probandum incumbit. Ac proinde intra hunc terminum, regulariter loquendo, produci et examinari debent testes et instrumenta, cum per testes et instrumenta probatio fiat. Hinc satis patet positiones et articulos esse dandos, et citationem testium esse faciendam, intra tempus probatorii termini, atque intra idem tempus comprehendi terminos ad ponendum, articulandum sive capitulandum. De jure communi omnis terminus est peremptorius et dari non potest nisi semel in causa. (C. *Consuluit*, *De offic. delegat.* Sed ex æquitate canonica, si testes citati intra terminum nondum examinati fuerint quando finitur terminus, solet in curiis ecclesiasticis dari alius terminus, ut examen eorum perfici possit.

In processu criminali terminus prius assignatur accusatori vel promotori, ad probandam intentionem suam, et postea reo ad sese defendendum. In processu civili terminus probatorius est communis utrique parti.

§ VII. De publicatione processus offensivi.

I. Dicitur processus offensivus tota ea pars processus criminalis, quæ huc usque descripta fuit; id est examen rei, seu litis contestatio, emissio positionum, articulorum et capitulorum, atque eorumdem probatio per testes et instrumenta : deinde responsiones rei et ejusdem defensoriorum articulorum propositio intra terminum assignatum, horum rei articulorum receptio et admissio per judicem. Hæc omnia vocantur processus *offensivus*, quia huc usque omnia peraguntur contra reum, ad detegendum nempe ipsius delictum; et nondum ad sese defendendum admissus est.

II. Receptis et admissis rei articulis, judex decernit publicari, et publicat processum huc usque peractum. Si vero in stylo curiæ non sit ut fiant prædicti articuli, statim post absolutum rei examen, judex ad processus publicationem transit.

III. Fit autem *publicatio*, legendo totam seriem processus huc usque habiti. « Rotulus examinis, seu dicta et attestationes testium prælegguntur et publicantur. Hac publicatione facta, petunt partes copiam... Neque hoc illis a judice negari potest. Originalis autem scriptura manet, vel apud judicem, vel (quod magis habet consuetudo et juri conformius est, apud notarium, tanquam scriptorem. » (Schmalzgr. in tit. xx. lib. ii *Decretal.* n. 116.

IV. Necessaria est de jure canonico dicta

publicatio, saltem quoad concedendam reo copiam actuum, ut sese defendere possit. Neque condemnari posset nisi decerneretur ei copia processus, cum termino competenti ad faciendum suas defensiones. Quæ omnia eodem decreto judicis juxta consuetum fiunt.

Copia vero processus informativi tradenda est sumptibus ipsius rei, præterquam pauperibus quibus gratis tradenda est.

V. Publicatio processus duplicem trahit valde notabilem effectum : 1°. Nempe ut jam nequeat, juxta probabiliorem saltem doctorum sententiam, ullus alius testis pro informatione curiæ admitti et examinari. — 2. Ut reo incipiat jus habendæ processus copiæ. Non tamen tenetur judex ad manifestanda reo testium nomina antequam testes repetantur; nisi reus velit processum huc usque habitum legitimare, id est, nisi declaret se habere testes in informativo processu receptos *pro rite et recte citatis et examinatis.*

§ VIII. De termino defensionum.

I. Publicato processu offensivo, et concessa reo ejusdem copia, cum aut sine nominibus testium, ut dictum est, debet judex reo, etiam non petenti, et etiam confesso convenientem assignare terminum ad faciendas defensiones suas, id est ad porrigendos articulos suos defensorios, producendos testes et instrumenta in horum articulorum probationem. Si arctior sit assignatus terminus, prorogationem reus petere poterit, et appellare, si injuste denegetur.

II. Elapso autem defensionum termino, si reus qui sese delicti auctorem spontanee confessus est, defensionibus renuntiet, potest judex statim ad sententiam condemnatoriam procedere.

§ IX. De repetitione testium pro legitimatione processus.

I. Si reus noluerit declarare se habere testes pro legitime citatis et examinatis, omnino necesse est fieri ipsorum repetitionem, id est, eos denuo examinari, citato prius reo, ad videndum eosdem juramentum de dicenda veritate præstantes. Alias illi testes nihil contra reum probarent, etiamsi mille essent omni exceptione majores ; nec posset judex ex eorum depositionibus reum condemnare. Imo nec vim indicii contra reum tunc haberent ejusmodi testimonia. Quæ vide auctoritatibus firmata apud Pellegrinum part. IV, sect. 11.

II. Ad legitimam testium repetitionem requiritur : 1. Ut per ipsummet judicem fiat cap. 1. *De testibus cogendis.* Nisi fuerit infirmus vel alio serio impedimento detentus; vel testes repetendi alterius jurisdictionis sint, vel senes aut ægroti, vel magnæ dignitatis.

2. Ut serventur omnia quæ in examinandis testibus servari debent; id est testes jurant de veritate dicenda coram reo, qui dat interrogatoria ipsis facienda. Et toties jurare tenentur, quoties repeti necesse erit. Præstito juramento, quilibet testis separatim interrogatur. Prius super interrogatoriis per reum datis, juxta quæ respondere debet, deinde super examine alias de ipso teste facto.

3. Debet repetitio fieri post publicationem processus informativi et ante conclusionem in causa.

4. Debent testes ita peti ut affirment vera esse quæ deposuerunt in priori examine; si dicerent duntaxat se non recordari an vera sint primum deposita, nullam vim haberet ad probandum contra reum eorum depositio.

5. Debet unusquisque testis repeti per extensum ; nec sufficit eum sese referre ad dicta in primo examine, sed debet ad repetitas interrogationes expresse respondere.

6. Si testes repetendi absentes sint, vel extra diœcesim exsistunt; debet citari reus ad videndum destinari commissarium ad partes, vel litteras remissoriales.

§ X. De confrontatione testium.

I. Dicitur fieri confrontatio testium, quando judex eos in faciem rei adducit, atque ipso audiente primam depositionem iterari jubet.

Confrontatio locum repetitionis testium tenet; hujusmodi confrontatio non est necessaria, sed adhibetur tanquam remedium extraordinarium, quando dicta testium repetitio judici prudenti non videretur sufficere.

II. Confrontatio autem testium fit hoc modo : 1. « Petitus a reo an cognoscat N. (testem), et eum habeat pro viro probo. — 2. Adducitur dictus testis, et postquam juramentum de veritate dicenda præstitit, ab eo petitur an cognoscat reum, et vicissim a reo an cognoscat testem. — 3. Interrogatur testis an deposita ab ipso in primo examine, vera sint et adhuc tanquam vera deponat. Postquam autem ab actuario lecta fuit prima testis depositio, et is eam confirmavit, petitur a reo an adhuc deposita contra ipsum falsa esse contendat. — 4. Datur interim

reo facultas testem interpellandi et interrogandi, et vice versa. Et utrinque dicta ab actuario notantur. — 5. Dimisso teste, vocantur successive alii et pari modo examinantur. » (D. Bouix, *De judiciis*, tom. II, p. 221.)

§ XI. De articulis defensoriis, seu de processu defensivo.

I. Jus sese defendendi, non humana tantum lex, sed naturalis etiam et divina reo tribuunt.

II. Hinc jus habet reus ut judex procedat ad examen eorum omnium, quæ in sui defensionem afferre voluerit. Ideoque reus per se vel patronum suum scripturam concinnat, in qua enuntiat varia capita, ex quibus suam innocentiam ostendi contendit, et in quorum singulorum probationem idoneos testes aut documenta se producturum promittit. Quæ scriptura judici tradita fit totius defensivi processus basis et norma, unde et articuli quibus constat *defensorii* vocari solent.

III. Judex assignat reo diem ad producendos testes aliave documenta, quibus articulos defensorios probare intendit.—Testes vel sponte veniunt, rogante reo, vel auctoritate judicis citandi sunt. Jurant et examinantur eodem modo ac alii testes. Potest promotor fiscalis vel accusator, contra testes ad defensionem rei productos excipere, nec non *interrogatoria* judici porrigere, ut secundum ea dicti testes interrogentur.

IV. Finito testium et instrumentorum pro parte rei productorum examine, nec non pariter examinatis iis omnibus quæ ex utraque parte adducuntur, fieri potest processus defensivi publicatio, quæ tamen necessaria non est.

V. In causis civilibus fit *conclusio in causa:* non autem in criminalibus; quia in his ante prolatam sententiam, remanet semper reo novas defensiones producendi facultas. Quæ quidem defensiones semper eodem modo tractantur sive recipiendo, examinando, sive excipiendo et interrogatoria proponendo.

VI. Quando reus nihil novum habet ad sui defensionem producendum, citantur partes ad sententiam definitivam; quo citationis decreto simul monentur ut veniant cum suis patronis seu advocatis, qui merita causæ, ante sententiæ prolationem discutiant.

VII. Die ergo ad sententiam definitivam assignato, auditur primo advocatus rei, vel ipse reus, si sese ipsum defendere velit. Postea auditur advocatus fisci; deinde veniunt diversæ replicationes horum advocatorum juxta stylum uniuscujusque curiæ, ut dictum est alibi.

Denique perorare desinentibus advocatis, judex definitivam sententiam pronuntiat.

§ XII. De sententiis interlocutoriis.

I. Interlocutoria sententia illa est, quo judex, non de causa ipsa principali, sed duntaxat de causa aliqua incidente pronuntiat. Dicitur *interlocutoria*, quia eam judex *loquitur*, in quacunque parte litis *inter* principium et sententiam definitivam.

II. Dividitur in *simplicem*, quæ per se non est causæ principalis decisiva, ut quando judex dilationem concedit, vel partes ad certum diem citat; et in *vim definitivæ habentem*, ut quando juramentum defert purgatorium parti, vel pronuntiat actorem sufficienter intentum suum probasse, aut se esse incompetentem vel contra, aut exceptionem aliquam peremptoriam admittit vel rejicit.

III. Sententia interlocutoria non infert infamiam, non requirit scripturam, nec citationem partis; eam regulariter judex corrigere et revocare potest. Excipitur tamen 1° si sit jam executioni mandata; —2° si pronuntians rogatus ut revocaret, e contra illam confirmavit;—3. si judex appellationis eamdem confirmaverit; — 4. si lata sit de consensu utriusque partis;—5. si judex appellationem a sua interlocutoria admisit; 6° si interlocutoria vim habeat definitivæ.

IV. Ex post. Trident. sess. 13, cap. 1, et sess. 24, c. 20 *De reform.*, a sententiis interlocutoriis appellari nequit, nisi in tribus casibus : 1. Si interlocutoria habeat vim definitivæ ;— 2. si talis sit postquam non speretur definitiva ; — 3. si contineat gravamen, quod per definitivam, aut appellationem ab ista, nequeat reparari.

Vide plura apud D. Bouix, *De judiciis*, t. II, quem secuti sumus super tela processus omni, et sequemur in reliquis et etiam Schmalzgrueber, quem sæpius transcripsimus aut abbreviavimus, sicut et optime fecit D. Bouix multos tamen alios auctores afferendo.

CAPUT XIII.

Tela processus criminalis a sententia definitiva usque ad finem.

§ I. De sententia definitiva.

Sententia generatim sumpta definiri solet

Pronuntiatio judicis super causa in judicio deducta. Duplex est; *interlocutoria* de qua in fine superioris capitis, et *definitiva*, de qua nunc.

Definitiva est, quæ negotio, seu causæ, principaliter in judicium deductæ, finem imponit vel absolvendo, vel condemnando. Triplex maxime est, videlicet *absolutoria*, quæ reum absolvit; *condemnatoria*, quæ reum damnat; et infligit ei pœnam, quæ ante inflicta non erat, quamvis forte lex jussisset eam infligere; et *declaratoria criminis*, quæ reum non damnat, sed solum declarat commissum esse crimen, et eamdem rationem prius per legem factam ostendit : unde fit ut ea sententia quoad effectum retrotrahatur ad momentum, quo crimen patratum est. » (SCHMALZGR., tit. XXVII, *De sententia*, etc., lib. II *Decret*. n. 17 et 18.)

Quæritur I. « *Quid requiratur ex parte judicis, ut legitime ferre sententiam possit?* — Resp. 1. Requiritur ut sit competens ;— 2. ut non sit excommunicatus publice notus; — 3. ut sit prudens, et juris peritus ;— 4. ut in formanda sententia nullo ducatur odio, offensione, aut levitate, sed merita causæ diligenter examinet, plena cognitione habita; nam suspectus recusari potest. — 5. Ipsemet judex concipere debet sententiam; nec enim potest aliorum arbitrio illam committere, nisi ipsemet in calce scribat : *Nos judex pronuntiamus, prout supra continetur*. » (Hæc omnia legibus et sacris canonibus firmat SCHMALZGR. *ibid*. n. 26 et 27.)

Dub. 1. « *Quid faciendum sit judici, cum uterque litigans causam probabilem favet?* — Resp. cum distinctione : vel enim unius causa est probabilior, vel utraque, spectatis omnibus, est æqualiter probabilis. — *Si primum* (in civilibus), ferre judex sententiam debet pro illa parte, quæ probabiliorem causam pro se fovet. Ita doctores est que contraria sententia die 2 Martis 1679 ab Innocentio XI inter prohibitas relata. Et ex regul. 12, in 6.— *Si secundum*, et uterque litigans æque probabilem causam fovere videtur, quidquid aliqui dicant, dicendum est tali casu judici regulariter abstinendum a sententia pro alterutra parte ferenda, et vel causam ad superiorem referendam, vel litigantibus suggerenda media, quibus ex ipsarum consensu controversia terminetur.

Dixi *regulariter*, nam meritis in causæ paribus, judex tamen pro alterutro pronuntiare debet in sequentibus casibus : 1° Cum litigantium alter est in possessione; nam in hoc defendendus est, donec de adversæ partis jure constet. C. *Ex litteris* 3, *De prob*.; c. *In pari* 65, *De regul. jur*. in 6, ubi dicitur, *in pari causa potiorem esse conditionem possidentis*. — 2° Si causa sit favorabilis, v. g. matrimonii, dotis, libertatis, alimentorum, viduarum, pupillorum, et aliæ causæ piæ; nam tunc cæteris paribus favor causæ illius prævalet, estque pronuntiandum etiam contra reum, si favor ejusmodi pro actore stet. (Cap. fin. *De sententia*, etc.) — 3° « Si causa sit criminalis; nam in his reo quamtumvis ejus innocentia minus probabilius argumentis defendatur, favendum est, ut communis sensus doctorum habet, et aperte constat ex reg. 11 in 6, ibi : *Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori*; quod juxta omnes interpretes in criminalibus procedit. Et ad condemnationem in criminalibus leges exigunt probationes luce meridiana clariores : (L. fin. *De prob. conf*. ex vulgata regula : *Quandiu quis non est probatus nocens, tandiu censendus est innocens*. »

Quæritur II. « *Qualis debeat esse sententia ut sit legitima?* —Resp. 1. Debet esse *certa*, quatenus res in judicium deducta patitur.— 2. Debet esse *pura et absoluta et non sub conditione lata*. Quævis tamen conditio non obest valori sententiæ, sed tantum de futuro extrinseca. — 3. Debet esse *conformis libello*. (Ex c. *Qualiter* 24, *De accusat*., et Clement. *Sæpe* 2, *De verbor. signif*.) Id est juxta petita in libello et deducta in judicio, nam de his petitur a judice pronuntiari, non de aliis; attamen si hoc necessitas vel æquitas suadeat, potest et debet judex ultra vel citra in libello petita pronuntiare. Sed certum est quod sententia non semper debeat esse conformis conclusioni actoris, alioquin omnis sententia deberet esse condemnatoria; sed intelligendum est quod debeat esse conformis libello quoad modum decidendi. — 4. Debet esse *conformis juri*, in quo tamen distinguendum est : nam dupliciter sententia aliqua esse potest contra jus, nimirum vel contra *jus constitutionis*, quando judex aliter judicat quam lege definitum, vel moribus receptum sit; vel contra *jus partis litigantis*, quando judex male ne

gat per sententiam, quoad litigans suum satis probarit, aut deduxerit. Sententia lata contra jus constitutionis respiciens aliquid extrinsecum et diversum a meritis causæ, ex. gr. quod lata sit a judice non habente jurisdictionem, quod ab excommunicato notorie, quod contra pupillum, vel minorem stantem in judicio sine auctoritate tutoris, vel curatoris, quod die festo lata sit, vel in ecclesia a judice sæculari, etc. : tunc sententia est ipso jure irrita, sive error in ipsa sit expressus, sive non.

Sententia contra jus constitutionis, quod respicit merita causæ tantum, si error juris in sententia exprimatur, ut si judex pronuntiet minorem 14 an. posse testari, aut electionem esse validam, quia suspensi possunt eligere, etc. : tunc sententia ipso jure est irrita, potestque usque ad 30 annos etiam sine appellatione impugnari. (C. *Sententia, De sententia*, etc.)

Quod si vero sententia contra jus constitutionis quidem, merita causæ concernens, lata sit, sed error juris in ipsa sententia non exprimatur, dicendum regulariter esse validam ipso jure, et nisi appelletur intra decendium, transire in rem judicatam. (C. *Cum inter* 13, tit. XXVII, lib. II *Decretal.*) — Excipitur nisi injustitia sententiæ notoria sit; tunc enim etsi juris errorem expressum non habeat, ipso tamen jure invalida est sententia, prout sumitur ex c. *Inter cæteras* 9, eod. tit. et lib.

Tandem est communis doctorum sensus, quod sententia, lata contra jus litigantis, etsi iniqua sit, modo iniquitas et injustitia ejusdem non sit notoria, ipso jure sustinetur, et nisi condemnatus intra decem dies appellet, in rem judicatam transit.

Dubium est an aliquando judex contra jus strictum ex æquitate, vel alia causa pronuntiare possit? — Dicendum quod judex inferior contra jus clarum neque ex æquitate, neque ex alia causa pronuntiare valeat. Superior vero judex, seu qui ipse est legislator, sicut legem a se latam tollere omnino potest, ita etiam, si æquitas ita postulet, contra eam pronuntiare.

Quæritur III. *Quomodo ferri debeat sententia, seu quæ aliæ circumstantiæ requirantur, ut legitima sit sententia.* — Resp. 1. Ferri debet partibus litigantibus legitime, hoc est, trina, vel una peremptoria citatione ad eam audiendam vocatis. Sumitur ex Clement. *Pastoralis* 2, *De sentent.*, etc. — Si pars legitime citata non compareat, distinguendum est. Nam si per contumaciam comparere nolit, recte et valide pronuntiari sententiam constat ex legibus. At si absque contumacia ex causa justa in termino constituto non adest pars, et causa illa sit nota judici, et tamen ille pronuntiavit sententiam, sententia nulla est ipso jure. — Si autem hujusmodi causa sit judici ignorata, sententia valet, sed retractatur, si quidem is, qui absens fuit, causam absentiæ legitime probet judici. At si legitimum impedimentum absentiæ non plene probet, non retractatur sentientia nisi prius probet eam iniquam esse. (C. *Cum Bertholdus* 18, *De sententia*, etc. — Excipitur causa matrimonii, in cujus favorem conceditur restitutio contra sententiam, tametsi justa causa absentiæ sufficienter probata non fuerit. » (C. *Ex litteris* 4, *De integr. restit.*)

2. « Ferri debet cum causæ cognitione, et servato juris ordine, sive cum præscriptis processus solemnitatibus. » (C. *Ad probandum* 24, tit. XXVII, lib. II *Decretal.*) — Solus papa ad ordinem juris mere positivi servandum non obligatur, cum *ex plenitudine potestatis de jure possit supra jus dispensare*. Papa tamen ea, quæ descendunt ex jure naturali, vel gentium, in causis decidendis, et sententiis ferendis ordinem juris servare debet. » (C. *In causis* 19, *De sentent.*, etc.)

3. « Ferri debet a judice sedente pro tribunali. — (C. fin. *De sentent.*, etc., in 6.) Estque sententia aliter pronuntiata, si causa sit ordinaria, omnino invalida, et *nullius penitus momenti*, ut dicitur cap. fin. cit. — Dixi autem *si causa sit ordinaria;* nam in causis summariis, ubi de plano, et sine strepitu judiciali proceditur, sententia etiam a non sedente prolata valet, » per Clement. *Sæpe* 2, *De verbor. signif.*

4. « Ferri debet ex scripto. (C. fin. *De sent.* in 6.) Unde nulla est sententia, quæ dicta fuit, cum scripta non esset. — Excipitur 1° si sit lata a papa ; 2° si causa sit levis; 3° si causa sit notoria; 4° si sententia sit interlocutoria; 5° si aliud permittat consuetudo. »

5. « Judex proprio ore illam pronuntiet, necesse est; alias neque nomen sententiæ merebitur, nec ab ea appellare necesse erit. (C. fin. *De sentent.* in 6.) Excipiuntur personæ,

illustrem aliquam administrationem gerentes, cæterique illustres judices, qui propter dignitatis suæ prærogativas sententias per alios recitare, et publicare possunt. »

6. « Ferri debet in loco publico : et quidem si judex sit *ordinarius*, et certum tribunal habeat, regulariter loquendo in eo ferre sententiam debet; alias sententia non valet. — Si vero sit *delegatus* ad unam solum, vel aliquas causas particulares, potest sibi eligere locum congruum, tutum ac honestum, in quo judicat; si vero sit *delegatus* ad universitatem causarum, debet jus dicere in loco delegantis. » — Dixi autem, *regulariter loquendo* ; nam, 1° hac lege excipitur episcopus, qui de causis, ad forum suum pertinentibus, per se, vel per alium sententias ferre potest in quolibet loco non exempto suæ diœcesis. (C. *Cum episcopus* 7, *De offic. ordin.* in 6.) — 2° Si partes litigantes consentiant, sententiam quilibet judex ferre potest in alio loco non solito, modo non egrediatur territorium suum. — 3° Si ob vim hostilem, grassantem luem epidemicam, etc., in proprio judicio jus dicere nequeat. — 4° Si procedatur de plano, sine strepitu judiciario. — 5° In causis voluntariæ jurisdictionis. »

7. « Ferri debet, antequam triennii in civili, et biennii lapsu in causa criminali instantia sit perempta. »

8. « Ferenda est sententia eo die, et hora, ad quam facta est citatio; alias si feratur ante vel post terminum citationis, non valet, tanquam lata parte non citata; nisi citatus fuerit contumax, tunc enim judex potest ferre sententiam post terminum. »

9. « Ferenda est die non feriato. (C. *Omnes* 1, *De feriis.*) Et quidem interdiu, et non de nocte. (C. *Consuluit* 24, *De off. deleg.*) Excipe, nisi judicium de nocte peragi exigat necessitas, vel permittat consuetudo, aut partium consensus saltem tacitus, ut si præsentes, non contradicant.

10. « Ferri debet in eum qui litem contestando suscepit judicium ; et hinc si dominus ipse contestatus est litem, sententia feretur in dominum ; si procurator regulariter in hunc feretur. Excipe 1° si syndicus, etc., nomine Ecclesiæ, vel alterius communitatis agat, tunc sententia poterit ferri contra ecclesiam vel communitatem. — 2° Si tutor nomine pupilli, vel curator nomine minoris 20 annis; nam pupillus, et minor ipse judicium suscipere tenetur. — 3° In judiciis summariis. — 4° In causis matrimonialibus et beneficialibus, aut similibus spiritualibus. — 5° In causa criminali intentata criminaliter. — 6° In foro canonico, etc. »

11. « Sententia debet continere condemnationem, vel absolutionem. (C. *Illa* 3, *De accusat.*) Sed causam, qua judex motus ad absolutionis, vel condemnationis sententiam est, regulariter non est necesse exprimere... imo nec consultum est eam exprimi.

« Dixi *regulariter;* excipiuntur enim complures casus, in quibus expressio causæ est necessaria : 1° In causis criminalibus, præsertim excommunicationis. — 2° In causis appellationis, quando sententia, in prima instantia lata, revocatur. (C. *Cum Bertholdus* 18, *De sentent.*) — 3° Quando ab observatione judicii, propter ineptam petitionem actoris in libello factam, reus absolvitur. — 4° Quando quis absolvitur ab instantia judicii, et per patronos causæ stetit, quominus causa potuerit definiri. — 5° Quando in pronuntiando a jure communi, speciali ordinatione, vel statuto, aut consuetudine recepta receditur. » (Hucusque SCHMALZGR. in tit. XXVII, *De sententia*, etc., lib. II *Decretal.* § 2.)

§ II. De re judicata.

Quæritur I. *Quando sententia transeat in rem judicatam?* — 1. Tunc sententia dicitur in rem judicatam transiisse, quando ejus effectus non suspensus est, nec potest amplius suspendi. Hoc autem regulariter evenit, quando condemnatus sententiæ acquievit, sive *expresse*, v. gr., dilationem petendo ad solvendum quod debet; vel *tacite*, appellationem intra decem dies non opponendo. (C. *Quod ad consultationem* 15, *De sentent. et re judicata.*) Nam utrovis modo si in rem judicatam transierit sententia, ita efficitur firma, ut accipiatur pro veritate; estque præsumptio juris, et de jure, ita ut postea non admittatur probatio in contrarium, etiam per instrumenta de novo reperta. (C. *Suborta* 21, *De sentent. et re judicata.*) Quod statutum est propter rerum judicatarum auctoritatem, quæ facit, ut quod jus non est, jus sit, et fiat, ut aliquis sit litium finis.

2. Sunt tamen varii casus, et causæ, quibus, etsi intra decendium appellatum non sit, sententia tamen in rem judicatam non transit, ac proinde in iis casibus etiam transactio

10 dierum spatio, allegata probabili causa, peti potest, ut de causa iterato cognoscatur, et pronuntietur : imo potest judex ex officio, etiam invita parte, procedere ad retractanda hujusmodi sententiam, postquam de errore commisso ipsi constiterit, ut præcipitur c. *Lator* 7, *De sent. et re judic.* in 6.

Quæritur II. *Quibus casibus sententia non transeat in rem judicatam?* — Resp. Viginti quatuor recenset Marantus... Præcipuos hic enumero.

1. « Igitur non transit in rem judicatam sententia quæ est irritata ipso jure... Nam talis sententia nequidem decennio, multo minus decendio elapso auctoritatem rei judicatæ consequitur, cum de nullitate agi, et sententia retractari secundum communem doctrinam usque ad 30 annos possit. Neque appellatio eo casu est necessaria... quia appellatio tantum interponitur, quando sententia valet. »

2. « Sententia lata in causa matrimonii, sive contra matrimonium quod revera est validum, sive pro matrimonio, revera invalido, quia sententia nec validum invalidare, nec invalidum revalidare potest. »

3. « Sententia lata in causa beneficiali, argumento ducto a matrimonio carnali ad spirituale; nam etsi vi istius ille, qui per eam in causa succubuit, et intra decendium a sententia non appellavit, eo elapso opponere valens non audiatur, et sic quoad ipsum eatenus sententia transeat in rem judicatam, non tamen decendii lapsus victorem ita securum efficit, ut non eo lapso de nullitate tituli adversus illum opponi a quocunque, vel inquiri ex officio possit a judice. (C. *Constitutis* 46, *De appell.*)

4. « Sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti; nam etsi hoc modo censuratus post decendium a sententia in se lata appellare nequeat, petere tamen absolutionem, et per simplicem querelam de talis sententiæ injustitia quæri potest. Sumitur ex c. *Cum contingat.* 36, *De offic. jud. deleg.*; c. fin. *De pœnis*; c. *Sacro* 48, *De sent. excomm.*, ex quibus constat quod petens absolutionem, et probare volens sententiam esse injustam semper audiatur. Eodem modo probari postea potest aliquem esse ligatum censura, contra sententiam, quæ illum pronuntiavit ea esse immunem; quia pronuntiatio judicis, quod quis non sit excommunicatus, non mutat rei veritatem, si vere sit excommunicatus. »

5. « Sententia lata ex falsis instrumentis, vel testimoniis, præsertim si testes pecunia corrupti fuerint; nam hæc etiam post decendium retractatur, si ea condemnatus probet adversarium hujusmodi instrumentis, vel testimoniis usum, et judicem in pronuntiando eorum fidem secutum esse. (Cap. 22, *De sentent.*) Secus si judex sententiando alia vera instrumenta vel testimonia secutus esset, relinquendo falsa, *eod. cap.* et quod utile per inutile vitiari non debeat, ut habet *Reg. jur.* 36, in 6.

6. « Sententia lata ex juramento necessario, quod in supplementum probationum a judice delatum est parti : hæc enim ex repertis postea instrumentis, etiam elapso decendio, impugnari, et postquam falsitas, et injustitia juramenti sufficienter probata fuerit, retractari potest ac debet...Aliter res se habet in sententia lata ex juramento judiciali, a parte scilicet parti delato coram judice; hæc enim propter instrumenta de novo reperta non retractatur... »

7. « Lata ex consilio alicujus doctoris, sive peritorum in certa aliqua arte, vel negotio; semper enim retractari potest, quando apparebit consilium alterius rectius sentientis.

8. « Lata ex depositionibus testium de credulitate, aut aliis probationibus mere præsumptivis, nisi præsumptiones illæ fuissent juris simul, et de jure; talis enim sententia retractari potest, quandocunque manifestum evadit credulitatem illam, vel præsumptionem fuisse falsam..

9. « Lata ex probationibus a jure reprobatis, v. gr. per duellum, aut experientiam ferri candentis, etc. Nam tali casu sententia est ipso jure nulla.

10. « Denique quævis sententia, quando causa, ex qua aliquis condemnatus est, ad non causam transit : hinc revocanda, et pretium restituendum sartori, vel fulloni est, quod solvere per sententiam debuit ob pannum, aut vestimentum, sua culpa amissum, si hoc soluto pretio repertum fuit. »

Quæritur III. *An res judicata vim habeat etiam in foro conscientiæ?* — Satis convenit inter doctores rem judicatam non prodesse in foro animæ illi, qui mala fide litigavit, et sententiam pro se tulit... Dubium itaque solum est de casu, quo quis bona fide litem

contestatus, et prosecutus sententiam pro se tulit, et ex postea repertis documentis rescit, se, ex. gr., debitorem esse? Quo casu negativam defendunt plurimi... sed non minus probabilis est etiam affirmativa.» (SCHMALZGR. in tit. XXVII, lib. II *Decretal*. n. 69 et seq.)

§ III. De effectu sententiæ, et rei judicatæ.

Effectus sententiæ reduci possunt ad tria capita, prout respiciunt judicem, litigantes et causam.

Quæritur I. *Quem effectum sententia producat ex parte judicis?* — Facit ut judex officio suo censeatur functus, sic, ut sententiam a se latam revocare aut corrigere nequeat, quamvis illam iniquam esse manifeste agnoscat, nisi vel interlocutoria simplex, vel omnino fuerit nulla. Proceditque hoc ut revocari non possit ejusmodi sententia: 1. Etiam consensu partium.— 2. In quacunque causa sive civili, sive criminali. — 3. Etiam prætextu erroris, modo iste sententiam non reddat invalidam. — 4. Etiamsi in melius reformare judex eamdem vellet. — 5. Neque hoc locum duntaxat habet quoad negotium principale, sed etiam quoad accessoria, v. gr., quoad expensarum, aut fructuum condemnationem, vel absolutionem.—6. Nec tantum procedit istud in judice, quia sententiam illam tulit, sed etiam in successore ejusdem.

Excipitur papa, qui et suam, et antecessorum suorum sententiam corrigere, emendare, et revocare potest ad nutum suum. — Item quilibet judex revocare potest suam sententiam, jure nullam et irritam.

Dixi autem *revocare aut corrigere;* nam declarare eamdem potest, et eodem die supplere, si aliqua omisit, quæ in consequentiam rei, et condemnationis principalis veniunt, ut si omisit imponere restitutionem fructuum, et expensarum, etc.

« Quæritur II. *Quem effectum producat sententia ex parte partium?* — Si valet, inter ipsos jus facit, et ad parendum obligat, nisi ab ea intra decem dies fuerit appellatum. (C. *Cum inter* 13, *De sent. et re judic.*) Ratio est, quia tunc pro veritate habetur, et pro se habet præsumptionem juris, et de jure, quod sit justa : estque præsumptio hæc adeo fortis, ut ejusmodi sententiæ standum sit, nec instaurari postea lis ita finita possit. » (SCHMALZGR. *ibid.*)

Quæritur III. *Quosnam effectus alios producat sententia ex parte causæ, et accidentium causæ?*

Resp. 1. Per sententiam definitivam finitur lis, seu controversia. (C. *Jurgantium*, *De sent. et re judic.*)

Resp. 2. Ex sententia lata pro actore, competit ei *actio in factum* ad præstandum id, in quo reus condemnatus est.

Resp. 3. Reo autem absoluto per sententiam datur *exceptio rei judicatæ* contra actorem, ejusque hæredem.

Resp. 4. Quandoque irrogat infamiam reo condemnato : quod fit 1° in omnibus judiciis, et delictis publicis, ut si quis condemnetur de adulterio, veneficio, etc.—2° In nonnullis privatis, quorum quatuor recensentur, videlicet furtum, rapina, injuria, dolus. — 3° In quatuor contractibus, deposito, mandato, tutela, et societate, quando condemnatur ob dolum seu fidem non servatam.—4° Si rescriptum a papa impetratum est contra sententiam prius ab eo latam, in quo illius non fit mentio, ipsum, et collatio beneficii per illud facta invalida est. — 5° Sententia definitiva rite ac juste lata a superiore confirmanda est, si id petatur. Si iniqua esset, judex appellationis non confirmare, sed retractare eamdem debet. — Si dubia sit, præsumptio est pro priore sententia; quia semper pro hac standum est, donec ejus injustitia constet. » (SCHMALZGR. in tit. XXVII, lib. II *Decretal.* § 4.)

§ IV. De exsecutione sententiæ.

Postquam sententia transiit in rem judicatam, fieri debet ejusdem exsecutio; quæ ultima illius, et usque adeo necessaria perfectio est, ut vires ullas non habeat, si exsecutione sit destituta.

I. *Exsecutio* describi potest, quod sit *actus judicialis, quo vere, et naturaliter victori præstatur, quod per sententiam obtentum est.* — Per sententiam res victori verbis, et ore tantum adducitur; at in exsecutione ipso facto præstatur.

II. Exsecutio fieri debet a judice, qui sententiam tulit, siquidem ordinarius sit, vel delegatus a papa. Si judex sit ab inferiore judice delegatus, vel arbiter, exsecutio sententiæ devolvitur ordinario judici. In judicio appellationis, si judex ad quem appellatum est primi judicis sententiam confirmet, vel reformet judex ad quem sententiam suam sive confirmatoriam, sive reformato-

riam exsequi ipse potest; si vero pronuntiet fatalia appellationis esse lapsa, aut appellationem desertam, exsecutio penes judicem *a quo* remanet, non secus, ac si appellatum non esset.

III. *Quando exsecutioni mandanda sit sententia lata?*—1. In causis et actionibus criminalibus, si reus sit condemnatus ad pœnam, saltem corporalem, exsecutio statim fieri potest, neque necesse est ut lapsus decendii, quod jure communi ad appellandum concessus est, exspectetur.

2. In actionibus realibus exsecutioni mandari sententia debet, quamprimum illa transierit in rem judicatam, scilicet post decendium; nisi possessor statim restituere nequeat, tunc enim assignabitur ipsi terminus, etc.

3. In actionibus, et debitis personalibus tempus a jure definitum est quadrimestre, quod condemnato ad solvendum conceditur. Si tamen condemnatus est ad præstationem speciei, ex. gr., ut rem emptam, donatam, etc., tradat, intervallum quatuor mensium non conceditur.

4. Exsecutio decernitur in personam, aut res illius, qui per sententiam victus est, si non alieno, sed proprio nomine litigavit. — Hinc exsecutionem in propriis bonis non formident procurator, aut defensor, tutor, curator, syndicus, etc. E contra, actione judicati conveniri potest *hæres, fidejussor, emptor*

5. Exsecutio fieri debet in ea re, ad quam tradendam, vel restituendam condemnatus est.

6. Exsecutor sententiæ, cui non mera exsecutio, sed etiam cognitio de facienda exsecutione committitur, admittere potest exceptiones, quæ solum tendunt ad impediendam, aut retardandam exsecutionem, et de his pronuntiare; alios vero ad superiorem remittere debet. *Merus* exsecutor nullas exceptiones potest admittere, nec de illis cognoscere. Excipitur: 1° Si sententia lata sit in causa criminali, in qua agitur de occisione vel mutilatione innocentis; quia occidere innocentem est intrinsece malum, adeoque nec exsecutori permissum. — 2° Si lata sit in causa civili, sed nulliter et hoc sit certum; quia tunc non transiit in rem judicatam. — 3° Si sit injusta quidem, sed tamen valida, ubi tamen non omnino conveniunt doctores.

7. An is, contra quem in aliqua causa tres sententiæ conformes sunt latæ, admitti debeat ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex illis, antequam sententiæ hujusmodi plene fuerint exsecutioni mandatæ?— Resp. *negative;* sed prius exsecutio fieri debet, postquam integrum erit condemnato agere de nullitate sententiarum. — Limitatur 1° Si tertius apponat pro interesse suo de nullitate sententiæ, et exsecutionem trium sententiarum conformium velit impedire. —2° Si victor est passus, ut per victum probetur nullitas.—3° Si nullitas sit notoria.

8. Ab exsecutione appellari non potest, nisi forte excedatur modus in exsequendo.

IV. *De pœna judicis male judicantis.* — Jure canonico, si judex ecclesiasticus, ordinarius, vel delegatus, contra propriam conscientiam, et justitiam, in gravamen alterius partis, favore, vel per sordes aliquid egerit, ad æstimationem litis parti, quam læserit, condemnatur (in quo convenit cum jure civili), et insuper per annum ab officii exsecutione suspenditur. Si vero durante hac suspensione se officiis divinis ingesserit, irregularitatem contrahit, a qua nonnisi per summum pontificem liberari potest. (Ita statuitur c. *Cum æterni* 1, *De sent. et re judic.* in 6.)

V. *De pœnis temerarii litigatoris.* — Temerarius litigator coercetur juramento calumniæ de quo dictum est; mulcta pecuniaria, et infamia, quæ etiam non incurritur nisi in judiciis famosis et turpibus et causis specialibus de quibus supra dictum est. —Temerarius litigator condemnandus est ad expensas necessarias victori resarciendas.

§ V. — De appellatione.

Sententiæ effectus ne in rem judicatam transeat, potissimum suspenditur appellatione ad superius tribunal.

I. *Appellatio*, prout huc pertinet, *est ab inferiore ad superiorem judicem facta provocatio ratione gravaminis illati, vel inferendi.*

Duplex est, *judicialis* et *extrajudicialis*, prout ab aliquo actu in judicio vel extra judicium peracto appellatur. Sed extrajudicialis non est proprie dicta appellatio, et potius *provocatio ad causam* dicenda est, prout habetur cap. *Cum sit Romana* 5, tit. XXVIII, lib. II *Decretal.*

« Utraque hæc appellatio subdividitur in justam et rationabilem, frustratoriam et frivolam.

II. *Ob quas causas remedium appellationis est introductum?* — Resp. 1. Et principaliter, ut removeatur gravamen, inique oppressis illatum. (C. *Suggestum* 5, tit. XXVIII, *De appellationibus*, lib. II *Decretal.*) — 2. Ut iniquitas judicantium, aut imperitia eorumdem corrigatur. — 3. Ut litigator, qui vel ex ignorantia, vel ex negligentia jus suum non satis deduxit, vel probavit, et sic per sententiam primæ instantiæ læsus est, in secunda instantia reparare defectum possit. » (SCHMALZGR. in tit. XXVIII, *De appellat.* lib. II *Decretal.* § 1.)

III. *Quis appellare possit?* — Regulariter appellare permissum est omnibus, qui gravamen aliquod extra, vel intra judicium patiuntur, aut se passuros timent. (C. *Id eo* 10, causa 2, quæst. 6.) In specie appellare potest, 1° condemnatus per sententiam, modo aliud nihil obstet. — 2° Cæteri, quorum interest nomine proprio, seu quibus ex sententia præjudicium, vel damnum pervenire posset, quamvis contra ipsos directe non sit lata sententia. (C. *Non solent* 30, causa 2, quæst. 6; c. *Cum super* 17, *De sent. et re judic.*) — 3° Ii etiam quorum interest nomine alieno; ut procurator, tutor, syndicus, etc. — 4° Ipse judex contra propriam sententiam casu, quo contingat eum condemnato succedere. — 5° Utraque pars litigans. (C. *Si duobus* 7, *De appel.*)

IV. *Quibus appellare non sit permissum?* — 1. Qui sententiam contra se latam expresse, vel tacite et ipso facto approbavit. (C. *Gratum* 20, *De offic. deleg.*)

2. Qui ob veram contumaciam damnatus est.

3. Qui in eadem causa non detulit legitimæ appellationi sui adversarii.

4. Qui notorii criminis reus, vel de eo, sponte et ore proprio in judicio confessus, simulque non dubia, ac plena probatione convictus est.

5. Qui eadem causa, et super eodem articulo tres conformes sententias contra se tulit; nam ab horum ultima appellare non potest. (C. *Suas nobis* 65, *De appel.*)

6. Excommunicatus: ubi tamen distinguendum est inter appellationem judicialem, et extrajudicialem. — *Prior* ipsi permittitur; quia est species defensionis, quam ne diabolo quidem denegandam scripsit Speculator. — *Posterior* ei negatur: quia habet vim conventionis; atqui excommunicatus convenire alterum nequit.

7. Qui juravit se non appellaturum, potest tamen appellare, modo appellatio non sit frivola.

8. Si in causa pluribus communi, a sententia contra omnes lata unus tantum appellavit, et in judicio appellationis vicit, etiam ad reliquos, qui non appellarunt, victoriæ emolumentum extenditur. (C. *Una* 72, *De appel.*) Sub certis tamen conditionibus (*Vide* apud SCHMALZGR. *De appell.* n. 15.)

V. « *In quibus causis liceat appellare?* — Regulariter loquendo, saltem de jure canonico antiquo, appellari potest in omnibus causis, et ab omni sententia valida, imo a quocunque alio gravamine illato, vel inferendo, etsi extrajudiciale hoc solum sit. »

Dixi 1: *In omnibus causis*, videlicet tam civilibus quam criminalibus. (C. *Liceat* 20, causa 2, quæst. 6; c. *Cum sit* 5, *De appellat.*)

Dixi 2: *Et ab omni sententia valida.* Nam ab invalida, et notorie irrita frustra appellatur; quia per talem sententiam læsus remedium ordinarium ad manus habet, videlicet querelam nullitatis, quam coram judice *a quo* proponere potest.

Dixi 3: *Imo a quocunque gravamine.* Ubi distinguendum est inter appellationem in judicio, et extrajudicium; nam extrajudicium appellari potest etiam a gravamine futuro, et nondum illato, nec comminato. (Clement. 3, *De appellat.*) At in judicio appellari solum potest a gravamine jam inflicto, et a comminatione gravaminis inferendi injuste facta per judicem. (C. *Cum cessante* 60, *De appell.*)

Dixi 4: *Saltem de jure canonico antiquo.* Nam novissimo Tridentini, sess. 13, c. 1, et sess. 24, c. 20, *De reform.*, prohibentur appellationes ab interlocutoriis, nisi in tribus casibus jam supra expressis.

Dixi 5: *Regulariter loquendo.* Nam plures sunt casus, quibus non defertur appellationi.

VI. Quæritur *in quibus causis non liceat appellare.* — 1. Non admittitur appellatio a sententia, qua crimen confessus, et convictus condemnatur ad pœnam lege definitam. — Si vero pœna a lege statuta non sit, sed ipse judex pœnam decernat, et modum excedat, appellari potest. Item appellari potest a declaratione pœnæ jure latæ.

2. In *causis*, aut *delictis notoriis*. (Ex c. *Cum sit* 5; c. *Pervenit* 13; c. *Consuluit* 14, *De appellat.*) Nisi in appellatione exprimatur legitima causa, per quam delictum notorium aliquo modo defendatur.

3. In *causa exsecutionis*, seu *a mero exsecutore*. Nisi is excedat formam et limites mandati. (C. *Quoad consultationem* 15, *De sent. et re judicata.*)

4. In *causa correctionis* regularis vel ecclesiasticæ disciplinæ causa, si correctio *paterne* fiat; nisi tamen superior excedat limites a sacris canonibus, regula, vel constitutionibus ordinis correctioni præscriptas. (C. *Irrefragabili* 13; c. *Ad nostram* 3, et c. *De priore* 31, *De appell.*)

5. In *causa censurarum*, *excommunicationis*, *suspensionis*, *et interdicti*. Ubi tamen videndum, an censura hujusmodi jam sit lata ante appellationem, vel primum post illam. — *Si hoc secundum*, non obstat appellanti; nam cum talis excommunicatio nulla sit, nullum habet effectum, nec impedire potest, quominus is, contra quem hujusmodi sententia lata est, cum aliis fidelibus communicare etiam in divinis possit, ut desumitur ex c. *Ad præsentiam* 16, *De appell.* — *Si primum*, appellari quidem ad superiorem potest, ut hic de justitia censuræ cognoscat, effectus tamen illius per hujusmodi appellationem non suspenditur, prout de interdicto constat ex c. *Ad hæc* 37, *De appell.* De excommunicatione, et suspensione. (C. *Is cui* 20, *De sent. excomm.* in 6.)

6. In *causa electionis* ad impediendam exsecutionem illius, vel confirmationis istam secutæ; nam nisi appellans alleget causam valde rationabilem, appellatio ejus non-admittitur, sed electus, ipsa non obstante, investiri, sive in pacificam possessionem mitti debet. (C. *Constitutis* 46, *De appell.*)

7. In *causa possessionis* a sententia ibidem lata, solum in momentaneo possessorio. Nam si lata sit in possessorio ordinario, appellari potest.

8. In *causa testamenti* a sententia, qua judex mandat testamentum aperiri, vel jubet hæredem institutum mitti in possessionem bonorum hæreditatis. Disputant tamen doctores, ut videre est apud Schmalzgr. in tit. XXVIII, lib. II *Decretal.* n. 27.)

9. In *aliis causis non admittentibus dilationem*, ut cum pronuntiatur pro alimentis futuris inopia laboranti debitis, pro stipendiis, salariis, mercedibus famulorum præstandis, etc.

10. In *crimine* falsæ monetæ, læsæ majestatis, hæresis (c. *Ut inquisitionis* 18, *De hæreticis*, in 6), raptis.

11. Non appellat officialis, v. gr. notarius, nuntius, exsecutor a suo judice condemnatus ob male gestum officium.

12. Non appellatur in causa decimarum. (C. *Tua nobis* 26, *De decimis.*)

13. Appellatio censetur esse prohibita quando papa causam delegat cum clausula, *appellatione remota*; nisi appellationes specialiter sint expressæ et permissæ a jure. Hæc clausula tollit solam appellationem, non supplicationem, petitionem restitutionis in integrum, et alia remedia.

VII. *De judice, a quo, et ad quem appellatur, vel non appellatur.* — 1. Regulariter appellari potest ab omni judice, qui sententiam tulit; nec tantum a delegato, sed etiam ab ordinario. (C. *Omnis* 3, et c. *Ad Romanam* 8, causa 2, quæst. 6.) — Dixi autem *regulariter*: nam 1° ab ipso papa ad neminem datur appellatio, ne quidem ad concilium generale futurum; sed ita appellantes, et ii, quorum auxilio, et favore ad hoc provocatur ipso facto incurrunt excommunicationem latam a Pio II, constit. *Exsecrabilis*, edita Kalend. Febr. 1459, confirmata a Julio II, const. *Suscepti*, Kalend. Jul. 1509 et reservatam sedi apostolicæ in bulla *Cœnæ* et fundatur in eo solum, quod sic appellans videatur profiteri concilium esse superius papa, et sic sedi apostolicæ injuriam faciat. — 2° Appellari non potest a sententia concilii generalis legitime congregati, et capiti suo uniti. — 3° Item a sententia totius collegii cardinalium, et ultima Rotæ Romanæ. — 4° Ab episcopo, cujus jurisdictio fuit prorogata. — 5° Ab arbitro compromissario, bene autem ab arbitro juris.

2. *Coram quo judice sit appellandum?* — Regulariter appellatio interponi debet coram judice, qui tulit sententiam; alioquin invalida est, et nec effectum suspensivum, nec devolutivum habet. Si appellatio coram judice *a quo* fieri nequeat, eo quod ejusdem copia haberi non possit, tunc appellandum est coram judice *ad quem*; si vero nec hujus copia haberi potest, appellari potest coram viris honestis, vel etiam uno honesto, adhibitis ei testibus, vel coram notario, qui

testibus adhibitis, conficiet super eo instrumentum, quod nimirum coram ipso appellatum fuerit in præsentia talium testium. Sumitur ex can. *Biduum* 26, causa 2, quæst. 6. Reliqua vide apud SCHMALZGR. *De appell.* n. 43 et seq.

3. *Ad quem judicem sit appellandum?* — Appellandum est a judice inferiore ad superiorem, et regulariter quidem ad proximum, et immediatum, non, isto prætcrito, ad mediatum. (C. *Dilecti* 66, *De appell.*; c. *Romana* 3, eod. in 6.)

Qualis ordo in appellando servari debeat in foro ecclesiastico? 1. Ab archidiaconis, archipresbyteris, et similibus judicibus episcopo subjectis appellari debet ad episcopum, et sede vacante ad capitulum, vel utriusque vicarium generalem. (C. *Romana* 3, *De appell.* in 6.)

2. Ab episcopo, et sede vacante a capitulo, atque amborum vicario generali appellatur ad archiepiscopum. (C. *Pastoralis* 11, *De offic. ordin.*; c. *Dilecti*, et c. *Romana* 3, citatis.)

3. Ab archiepiscopis appellatur ad proprium primatem, vel patriarcham, cui illi parent; ab hoc ad sedis apostolicæ legatum, qui immediate ipsi præest; ab isto demum ad ipsam sedem apostolicam, seu Romanum pontificem, qui solus ejusdem superior est. Appellare ad congregationem aliquam Romanam, idem est ac appellare ad papam, quia ejusmodi congregationes unum et idem tribunal cum papa efficiunt.

4. A delegato appellandum est ad delegantem; a subdelegato, si ei tota jurisdictio quoad causam commissa sit, appellandum est ad primum delegantem, non autem ad delegatum : secus si delegatus aliquam tantum jurisdictionis partem subdelegaverit.

5. An a delegato episcopi appellari possit ad vicarium generalem ejusdem episcopi, controvertitur; sed probabilius respondendum affirmative.

6. Ab episcopo exempto et sedi apostolicæ immediate subjecto, appellandum est ad papam, non autem ad archiepiscopum.

7. Ab episcopo etiam non exempto, sed judicante tanquam sedis apostolicæ delegato, appellandum est ad sanctam sedem.

Notandum quod a quolibet judice inferiore in causis fori ecclesiastici, immediate, omissis intermediis judicibus, appellari possit ad summum pontificem. (C. *Si quis vestrum* 3, et quatuor seq.; item c. *Quoties* 16, etc., causa 2, quæst. 6; c. *Si duobus* 7; c. *De priore* 31; c. *Ad audientiam* 34, etc., *De appellat.*) — Nisi tamen Papa ipse contrarium alicui regioni indulserit. — Prætermissis judicibus intermediis appellari immediate potest ad legatum pontificium, exsistentem in provincia sibi decreta, ut ex c. *Cum non* 1, *De offic. legat.*

VIII. *De forma et modo appellandi.* — 1. Interest an appellatio statim, et in continenti fiat, an vero post intervallum; nam *si fiat in continenti*, hoc est, judice adhuc pro tribunali sedente, vel eo nondum ad actus extraneos divertente, fieri potest viva voce, et stante pede, ut loquuntur; sufficitque tunc dicere *appello*, vel *provoco...* quod mox in acta a notario referri debet. (C. *Quoniam* 11, *De probat.*) — Si vero *ex intervallo fiat appellatio*, debet fieri in scriptis, porrecto libello appellatorio. Excipiuntur causæ breviores, aut levis momenti, nam in his etiam ex intervallo viva voce appellari potest. »

2. In libello appellatorio exprimi debet, quis appellet, contra quem, et a qua sententia. (C. *Post appellationem* 31, causa 2, quæst. 6.) Omitti in eo possunt 1° nomen judicis *ad quem*; 2° nomen judicis *a quo*, quamvis in usu sit illud exprimere; 3° allegatio causæ appellandi in specie. Sed sufficit, si appellans in genere dicat se gravatum esse, vel sententiam esse injustam, vel si dicat *appello*, vel alia verba æquipollentia.

3. Qui apppellat a sententia definitiva aut ab interlocutoria vim definitivæ habente, tametsi aliquam appellandi causam exprimat, tamen alias etiam causas non expressas coram judice appellationis prosequi potest, imo etiam nova instrumenta, vel novos testes producere, et prius non allegata allegare, et non probata probare, dummodo dependentia sint, seu intervenientia ad causæ decisionem. (C. *Joannes* 10, *de fid. instrum.*) — Si appelletur a sententia interlocutoria simplici, debet 1° fieri in scriptis: 2° exprimi causa appellationis; 3° appellatio ab interlocutoria justificari nequit ex novis, et de novo probandis, sed solummodo ex causis, quæ in ipsa appellatione nominatim expressæ sunt. (C. *Cum causam* 62, *De appell.* et Clem. 5, eod.)

IX. De *fatalibus appellationum.* — *Fatalium* nomine hic veniunt tempora, quibus

exactis appellatio vel non conceditur, vel concessa, et interposita, aut jam introducta exstinguitur, et quasi emoritur. Hujusmodi quatuor sunt. 1. Appellationis interponendæ. — 2. Petendi et concedendi apostolos. — 3. Appellationis introducendæ, sive apostolos judici *ad quem* præsentandi. — 4. Appellationis prosequendæ, et finiendæ.

1. *Quando et intra quod tempus appellatio interponi debet?* — Hodie jure canonico, appellationi interponendæ statutum est decendium, ut patet c. *Quod ad consultationem* 15, *De sent. et re judic.*; C. *Significaverunt* 36, *De testibus*; C. *Cum dilectus* 32, *De elect.*; c. *Concertationi* 8, *De appell.* in 6. Proceditque hoc, sive per se, sive per alium, sive a sententia definitiva, sive abinterlocutoria, sive ab alio gravamine, etiam extrajudiciali appelletur, ut patet ex textibus *citat.*

Hoc tempus decem dierum incipit currere a momento latæ sententiæ si adversus præsentem pronuntiatum sit, vel cognitionis de hoc obtentæ si contra absentem, et completur in ultimo momento diei decimæ. (Ex text. cit.) — Quorum proinde dierum ultimus fatalis est, ita ut, eo elapso, volens appellare non audiatur, quamvis aliis juris remediis se defendere propterea, non prohibeatur, ut constat ex c. *Concertationi*, cit.

2. *Quid sint apostoli, et quando petendi sint?* — *Apostoli* hoc loco dicuntur litteræ dimissoriæ, quas judex, a quo appellatum est, ad instantiam appellantis transmittit ad judicem, ad quem appellatum est, in testimonium, et fidem appellationis interpositæ. Plures sunt horum species : dicuntur 1° aliqui, *dimissorii*; 2° alii, *reverentiales*; 3° alii, *refutatorii*; 4° alii, *testimoniales*; 5° alii, *conventionales*; de quibus *vide* Schmalzgr. in tit. XXVIII; lib. II *Decretal.* n. 74.

3. Hodie petendis et recipiendis apostolis triginta dies concessi sunt. (C. *Ab eo.* 6, *De appell.* in 6.) Estque hoc tempus ita necessarium, ut si intra 30 dies prædictos non petantur, vel non recipiantur, appellationi censeatur renuntiatum. (C. *Ab eo* 24, causa 2, quæst. 6; Clem. *Quamvis* 2, *De appell.*) Estque præsumptio hæc juris, et de jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium, posito, quod appellans neglexerit eos petere : secus, si non potuit petere, vel petiit quidem, sed per judicem *a quo* stetit, quominus illos reciperet : nam eo casu protestari de eo debet, et lapso tempore de apostolis negatis judicem *a quo* coram judice, ad quem provocavit, convenire potest.

Tempus 30 dierum apostolis petendis concessum incipit currere a die sententiæ latæ vel cognitæ.

« Apostoli debent peti *instanter*, ut dicitur c. *Ab eo* 6, *De appellat.* in 6, ab ipso appellante et hujus expensis. Perinde autem est ; sive petantur viva voce, sive in scriptis, quamvis istud consultius sit, ut postea facilius probari possit fuisse petitos. Semper tamen a judice *a quo* peti debent, cui etiam tempus 30 dierum præscriptum commune est cum appellante ; sicut enim appellans petere, sic judex intra illud apostolos exhibere tenetur. Estque hoc ita verum, ut si judex requisitus ab appellante non tradat apostolos, sed in ipsa causa procedat, processus non valeat, sed retractandus sit per judicem appellationis. (C. *Ut super* 4, *De appell.* in 6.)

« Judex *a quo*, dum petuntur ab eo apostoli, si deferat appellationi, dicere debet : *Appellationi defero, et apostolos reverentiales concedo.* Si vero appellationi non deferat, dicere debet : *Appellationi non defero, et apostolos refutatorios concedo.* » (LEURENIUS, in tit. XXVIII, lib. II *Decret.* quæst. 1031, n. 2.)

4. Jure canonico non determinatur tempus judici *ad quem* præsentandi apostolos et introducendæ appellationis, sed judicis *a quo* arbitrio hæc determinatio relinqui videtur. (C. *Personas* 4, *De appell.* ibi : *Tu ei diem assignes.*) Quod si autem judex *a quo* terminum non assignaverit, satis erit inchoare et finire appellationem intra tempus eidem finiendæ præscriptum.

X. « *Intra quod tempus appellans prosequi appellationem, eamque finire debeat?* — Ad appellationem prosequendam, et finiendam, a quocunque gravamine, etiam extrajudiciali, appellatum fuerit, utroque jure conceditur annus, et ex justa causa biennium, intra quod tempus, si appellans, vel provocans, justo impedimento cessante, appellationem suam non fuerit prosecutus, illa deserta censebitur. (C. *Cum sit* 5; c. *Ex ratione* 8, et Clement. *Sicut* 3, *De appellat.*) Ita tamen, ut de appellatione introducta, sed non continuata pronuntiet judex *ad quem*; de illa vero, quæ ante introductio-

nem deserta fuit, pronuntiet judex *a quo*. — Tempus annale, vel biennale appellanti incipit currere a die interpositæ appellationis. Ob quas causas ad appellationis prosecutionem, et terminationem biennium concedi ex juris permissione possit? Vide fusius discussum apud SCHMALZGR., *De appellationibus*, n. 81 et seqq.

XI. *De officio utriusque judicis, a quo, et ad quem appellatur?* — 1. Judex *a quo* « regulariter tenetur deferre cuilibet appellationi. Alioquin, si non deferat, quando ex justa causa est interposita, appellans nihilominus adire superiorem, et coram eo appellationem perinde ac si recepta esset, prosequi potest : adversus ipsum autem judicem proceditur ad pœnam jure taxatam, non tamen antequam finita sit causa ; nám forte appellans causa cadet, et sic ex ipso exitu litis colligetur, judicem juste appellationi non detulisse. »

Jure canonico appellationi, saltem ad papam, non deferens deponitur (C. *Decreto* 11, § *Si autem*, junct. Gloss. v. *Submotus*, causa 2, quæst. 6.) Vel arbitraria pœna in eum proceditur a superiore, ad quem est remittendus. (C. *De priore* 31, *De appell.*)

Excipiuntur tamen casus illi, quibus appellatio est jure prohibita.... Cum tali appellationi deferre non teneatur judex. (C. *Suggestum* 15, *De appell.*; et c. *Cum appellationibus* 5, eod. in 6.)

2. Judex *a quo* debet appellanti petenti exhibere et tradere apostolos; secus, si in ipsa causa procedat, processus non valet, et retractandus est per judicem appellationis. Si appellatio sit acceptata ab appellato seu adversario, et ipse velit, ac petat, ut tota causa instructa ad judicem appellationis mittatur, judex *a quo* appellanti acta judicii, seu copiam eorum judiciali suo sigillo obsignatam exhibebit, quæ ad judicem appellationis deferantur. Quod si vero judex *a quo* illa edere recuset, mandatis pœnalibus per judicem *ad quem* compelli ad istud potest.... Si vero acceptata non est, aut non petitum, ut causa in curia judicis appellationis agatur, tunc satis est, si appellans sine actis veniat.. (C. *Nicolao* 64; c. *Interposita* 70, *De appell.*)

3. Si appellans moras trahat in prosequenda appellatione, potest judex *a quo* eumdem compellere, ut intra terminum ipsi præfixum vel appellationem prosequatur, vel coram se juri pareat. (C. *Ad hæc* 27, *De appell.*)

4. *Quid sit officium judicis* AD QUEM? — Ante omnia debet cognoscere, an justa fuerit causa appellandi : de quo priusquam cognoscat per se, vel per alium non suspectum, non debet, nec potest causam appellationis examinandam remittere ad judicem, a quo est appellatum, nisi pars, quæ appellavit, consentiat. (C. *Accepta* 35, *De appell.*)

- Devolutionis articulo discusso, interest, an bene appellatum, male judicatum superior pronuntiavit, an contra pronuntiavit male appellatum, bene judicatum. — *Si primum*, de causæ tanquam per appellationis viam ad se legitime devolutæ, meritis ipse cognoscet, eamque secundum ista terminabit per sententiam definitivam... Quam etiam, nisi illa per appellationem denuo interpositam suspendatur, mandabit executioni.... — *Si secundum*, et judex *ad quem* pronuntiet male appellatum, bene judicatum, sententiam definitivam et interlocutoriam vim definitivæ habentem confirmabit, atque etiam exsequetur; interlocutoriam vero simplicem, appellante in expensis condemnato, remittere debet ad judicem priorem, præcipiendo appellanti, ut non obstante tali appellatione, ipsi obtemperet, ut deciditur c. *Cum in Ecclesia* 38; c. *Ut debitus* 59, *De appel.*, et c. *Romana* 3, eod. in 6.

Ut judex *ad quem* inhibere judici *a quo* possit, ne procedat in causa, et ne sententiam exsequatur, debet 1° Constare, quod appellatum sit, et quidem legitime, intra debitum tempus, et cum cæteris requisitis. 2° Quod appellatio ex legitima et vera causa sit interposita. 3° Quod appellatio facta non sit in casu a jure prohibito. Quæ omnia probanda sunt ab ipso appellante.

Si episcopus in appellantem promulgaverit sententiam excommunicationis, et aliarum censurarum, judex *ad quem* revocare illas non potest, aut irritas declarare, nisi vocatis partibus, prius cognoverit, num appellatio sit legitima, vel non. (C. *Romana* cit.)

XII. *De effectibus appellationis, et attentatis post illam.* — 1. Appellatio a sententia definitiva legitime interposita, duos cele-

bres effectus habet, quorum unus *devolutivus*, alter *suspensivus* dicitur.

Devolutivi effectus vi id operatur appellatio, quod causa, super qua appellatum est, ejusque cognitio cum omnibus accessoriis ab inferiore judice devolvatur ad superiorem, ad quem est provocatum, et huic tribuat jus, ac potestatem de causa cognoscendi. (C. *Dilectis* 55; c. *Ut debitus* 59, *De appel.*; c. *Romana* 3, eod. in 6.)

Suspensivi vis in eo consistit, quod per eam suspendatur jurisdictio judicis *a quo*, ita ut sententiam a se latam, pendente appellatione, exsecutioni mandare non possit, sed in eo statu omnia relinquere debeat, in quo statu fuerunt tempore appellationis interpositæ. (C. *Directa* 39, *De appel.*; c. *Venientes* 19, *De jurejur.*)

2. Addi his potest effectus tertius, *remedium attentatorum* quo revocari debent non tantum ea, quæ pendente appellatione innovata sunt, sed etiam illa, quæ attentata sunt ante interpositionem appellationis post sententiam latam in tempore decendii. (C. *Non solum* 7, *De appell.*)

3. Appellatio aliquando non habet effectum suspensivum, sed devolutivum tantum : idque in duplici maxime casu. *Unus* est, si appelletur a sententia nulla; quia talis sententia nullum habet effectum ; devolvitur tamen causa ad judicem superiorem, ad quem appellatum est; et hoc sensu dicitur appellari posse a sententia nulla. — *Alter*, quando appellatur a sententia censuræ ecclesiasticæ ; nam hæc per appellationem subsequentem non suspenditur (bene autem per antecedentem); si sit absolute inflicta, quia statim ligat, cum trahat secum exsecutionem. (C. *Ad hæc* 37; c. *Pastoralis* 53, *De appell.*, et c. *Is cui* 20, *De sent. excom.* in 6.) Causam tamen transfert ad superiorem, ad quem est provocatum. »

« Dixi, *si sit absolute inflicta;* nam si lata sit solum sub conditione, multum refert, an lata sit ante conditionis eventum, an vero ea impleta. *Si hoc secundum,* censura effectum suum statim consequitur... — *Excipitur*, nisi censura lata sit sub conditione ipsius appellationis, et judex dicat : *Si appellaverit, sit excommunicatus.* Tunc enim, cum ante appellationem non incurratur excommunicatio, post appellationem autem suspensa sit jurisdictio judicis, qui sententiam ita conditionatam tulit, etsi appellet, excommunicationem non incurret. » — « *Si primum*, sententia censuræ per appellationem sic interpositam suspenditur, ita, ut non contrahatur, sive conditio, sub qua lata est, servetur, sive non servetur, prout deciditur c. *Præterea* 40, *De appell.*

4. Per appellationem suspenditur jurisdictio judicis *a quo* in ea solum causa in qua appellatum est ; nam in aliis ab ea diversis tam criminalibus , quam civilibus causis judex *a quo* contra appellantem procedere permittitur. (C. *Præterea* 22, et c. *Proposuit* 24, *De appellat.*) — Quænam judex *a quo* possit circa ipsam causam, a qua appellatum est, quin vitium attentati incurrat, *vide* evoluta apud Schmalzgr. *De appellat.* n. 115 et seqq. — Sed dicendum hic regulam generalem esse, quod judici *a quo* circa causam, in qua appellatum est, liceant omnia, quæ appellationem juvant, et ad faciliorem illius exitum tendunt, vel saltem non tendunt in illius præjudicium. (*Ibid.*)

5. Ut attentata post appellationem revocari possint et debeant : « *Si appellatum sit a sententia definitiva, vel interlocutoria vim definitivæ habente,* sufficit, si fuerit appellatum legitime; unde si petens attentata revocari tria hæc probaverit , scilicet esse definitive pronuntiatum, esse appellatum, et postea attentatum, vel innovatum aliquid, audiri debet a judice *ad quem*, et ante omnia revocari, quæ interim acta sunt : neque necesse est appellationem esse justificatam, vel ut constet, aut probetur causam appellandi veram, et legitimam esse. » — *At si appellatum sit ab interlocutoria simplici*, requiritur, ut judici *a quo* a judice superiore canonice inhibitum sit, ne ulterius in causa procederet; ut vero inhibitio hæc canonica sit, præmittenda est (justificatio appellationis, seu ostendendum, quod appellandi causa justa, et rationabilis fuerit, et sic causa ipsa per appellationem devoluta ad superiorem. (C. *Non solum* 7, *De appellat.* in 6.)

Attentatorum remedium locum habet etiam in extrajudiciali appellatione, ut colligitur ex c. *Bonæ* 51, *De appell.*)

Revocatio attentatorum peti potest in quacunque parte judicii usque ad conclusionem in causa, non ultra. Cognitio de revocatione attentatorum post appellationem pertinet ad judicem appellationis. (Colligitur ex c. *Sollicitudinem* 51, *De appell.*)

Huc usque ex SCHMALZGRUEBER, toto tit. XXVIII *De appell.*, lib. II *Decretal.*

CAPUT XIV.

De processu criminali extraordinario.

« Per processum criminalem *extraordinarium*, illum intelligimus, in quo necesse non est omnes superioribus capitibus descriptas solemnitates observare; permittente scilicet jure canonico, ut in certis causarum criminalium speciebus, ab ordinaria forma recedi possit, et breviori peculiarique norma procedi.

« Porro hujusmodi processus criminalis *extraordinarii* species quatuor distinguuntur : 1. Processus criminalis *ex notorio*. — 2. Processus *summarius*. — 3. Sententiæ ex informata conscientia. — 4. Processus inquisitorius contra hæreticam pravitatem.

« Horum autem processuum criminalium quænam sit peculiaris norma, et quando adhiberi possit aut debeat, nisi quis apprime exploratum habeat, in re forensi ecclesiastica aut plane cæcutiet, aut altero saltem oculo caligabit. » (D. BOUIX, *De judiciis*, t. II, pag. 294.)

§ I. — Processus ex notorio norma.

I. Dupliciter notorium esse potest aliquod delictum : notorietate juris et facti.

II. *Notorietate juris* delictum notorium dicitur, quando ex ipso judicio notorietas de eo delicto oritur; quod fit tripliciter : 1. Per spontaneam confessionem rei in judicio factam, et non revocatam. (C. *Vestra* 7, et cap. finali, *De cohab. cler. et mul.*, et c. *Cum olim.* 24, *De verbor. signif.*) — 2. Per plenas probationes judiciales. — 3. Per sententiam definitivam condemnatoriam ad pœnam, vel declaratoriam criminis, quæ transiit in rem judicatam.

III. *Facti notorietate* notorium, est quod perpetratum est in oculis hominum, puta totius vel majoris partis alicujus viciniæ, parochiæ, collegii, etc., ut ulla tergiversatione celari vel negari nequeat.—Hoc facti notorium triplex est : permanentis, transeuntis et interpolati seu quod publice fit, et sæpius iteratur, non tamen continue.

IV. Unde « *Notorium* in genere illud delictum dicitur, quod vel in jure, vel ex facto suo ita certum habetur, ut nulla amplius discussione egeat, neque ulla tergiversatione celari possit. *Occultum* vero in genere dicitur illud quod non ita certum est. »

V. Ut aliquod delictum dici possit notorium notorietate facti, tria communiter requiruntur : 1. Ut sit factum in loco publico, non privato, ut domus, villula, etc. — 2. Ut non sit commissum de nocte; nisi tanta hominum multitudo fuerit præsens, ut ab his notitia ejus ad aures majoris partis de communitate perveniat. — 3. Requiritur astantium multitudo; super qua multitudine determinanda multum variant juris interpretes. Communior sententia id reponit in arbitrio judicis. (SCHMALZGR. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 1 ad 4.)

§ II. — De modo procedendi legitimo in casu delicti notorii.

I. Est certa et omnino tenenda regula, tunc non astringi ecclesiasticum judicem ad observandum ordinem judiciarium. Quam regulam doctores deducunt ex juris textibus, c. *Prohibentur* 14; c. *Quæ Lotharius* 16, causa 2, quæst: 1; c. *Ad nostram* 21, *De jurejurando*. Et ex ratione : nam « ordo judicarius solum introductus est ad criminis aut juris dubii veritatem investigandam; qui finis cessat in casu ubi hæc est notoria. Et in hac discedit judicium criminale a judicio civili, ubi notorium non excusat ab observatione ordinis judiciarii. » (SCHMALZGR. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 7.)

II. Hinc in notoriis opus non est *accusatione* nec *denuntiatione*. (C. *Evidentia* 9, tit. I, lib. V *Decretal.*) Non requiritur *libellus*, nec *contestatio litis*, nec *juramentum calumniæ*, nec aliæ solemnitates pertinentes ad judicii ordinationem. (Ita communiter apud SCHMALZGR. *ibid.* n. 9.) — Proceditque hoc, sive agatur contra absentem, sive contra præsentem; et sive sit notorium facti interpolati, sive momentanei, sive continui. (ID. *ibid.*)

Item in causa notorii opus non est *citatione*, nisi quando aliqua potest reo competere defensio, vel dubium fit annon competat, vel competere possit; tunc enim omnino necessaria foret citatio. Et hinc non facile contra reum absentem, etiam in notorio delicto, citatione non præmissa, est procedendum; quia forte exceptio aliqua causam ejusdem relevans ipsi competit.

Certum est apud omnes non posse judicem in notorio *citationem ad sententiam* prætermittere. — *Excipitur* tamen quando mora cederet in præjudicium reipublicæ, propter futurum scandalum in populo;

quia tunc ratione scandali vitandi potest reus condemnari, etiam sine citatione. — Etiam non opus est in notorio delicto, ut judex ferat sententiam condemnatoriam *solemniter et in scriptis.*

III. « Non est in casu notorii locus appellationi; sed ista non obstante, judex ad executionem potest procedere, dummodo tamen decernatur pœna tanquam in reum notorii criminis. Nam si ad hanc simpliciter, et notorietate non expressa, condemnaretur, locus appellationi foret. » (C. *Cum sit* 5, tit. XXVIII, lib. II *Decret.*) — Non potest reus judicem tanquam suspectum recusare, si judex decernat pœnam jure, statuto aut consuetudine determinatam; si vero judex pronuntiet pœnam arbitrariam, recusatio admittitur, quia in taxatione pœnæ judex posset excedere. (C. *Proposuit* 24, tit. XXVIII, lib. II *Decretal.*; SCHMALGR. in tit. I, lib. V *Decretal.* n. 12.)

IV. Ut judex tuto possit per viam notorii procedere, debet ipsum factum, quod in delictum cadit, esse notorium : tute erit quando crimen patratum est coram decem aut saltem sex hominibus, qui illud certo et per sensum cognoverint; quia, ut ex hactenus dictis constat, ad notorium facti requiritur ut illud patratum sit coram populo, vel majore illius parte. Ad populum autem constituendum requiruntur decem saltem homines. (SCHMALZGR. in tit. 1, lib. V *Decretal.* n. 14, ex c. *Unio* 3, causa 10, quæst. 3.) — Debet notorium esse factum, non tantum in se, sed etiam in ratione delicti, ut non sit locus tergiversationi et excusationi. (C. *Tua* 8, tit. XXVIII, lib. II *Decretal.*) — Debet constare etiam de ipsa notorietate. (ID. *ibid.*)

V. In illa notorii specie, quam constituit deprehensio delinquentis in flagranti delicto : 1. Si reus delinquit in conspectu ipsius judicis pro tribunali sedentis, aut alias jurisdictionem exercentis, procedere judex ordine juris non observato potest; ita ut nec processu, nec probatione opus sit; ne tamen, si postea in syndicatu negaretur condemnatum commisisse delictum in ejus præsentia, judex periculum pœnæ incurrat, tutius aget si, etiam hoc casu recipiat probationes delicti vel confessionem rei ; ut sic ex actis probare possit commissum in sua præsentia esse delictum.

Si vero reus in flagranti deprehensus et apprehensus, ducatur ad judicem, imprimis a notario in actis judicialibus describenda est relatio eorum qui reum judici sistunt, et recipiendi testes super delicto et deprehensione in flagranti. Deinde examinandus est reus : et si simplicier confiteatur, pœna ipsi secundum facti et personæ qualitatem est decernenda. Si vero confiteatur cum excusatione quæ pœnam excludat vel diminuet, ei statuendus est terminus ad allegationis seu exceptionis suæ probationem. Si tandem delictum omnino negel, repetendi sunt testes super delicto et deprehensione in flagranti jam recepti; nec est reus condemnandus nisi convictus fuerit. (SCHMALZGR. *ibid.*)

§ III. — De judicio summario.

I. Judicium summarium est *illud in quo omitti possunt, et de facto omittuntur, ad citius expediendum causam, certæ quædam, a jure determinatæ, ordinarii judicii solemnitates.*

Tota fere judiciorum summariorum regula determinata fuit atque sancita per Clement. *Sæpe* 2, *De verb. signific.* tenoris hujuscemodi: *Sæpe contingit quod causas committimus*, et in earum aliquibus *simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii procedi mandamus. De quorum significatione verborum a multis contenditur, et qualiter procedi debeat dubitatur. Nos autem dubitationem hujusmodi, quantum nobis est possibile, decidere cupientes, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus, ut judex cui taliter causam committimus, necessario libellum non exigat; litis contestationem non postulet; in tempore etiam feriarum (ob necessitates hominum indultarum a jure) procedere valeat; amputet dilationum materiam: litem, quanto poterit, faciat breviorem, exceptiones, appellationes dilatorias et frustratorias repellendo; partium, advocatorum et procuratorum contentiones et jurgia, testiumque superfluam multitudinem refrenando.*

Non sic tamen judex litem abbreviet quin probationes necessariæ et defensiones legitimæ admittantur. Citationem vero, ac præstationem juramenti de calumnia vel malitia, sive de veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissiones hujusmodi intelligimus non excludi. Verum quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet,

pro parte agentis, et etiam rei, si quid petere voluerit est in ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis, sive verbo; actis tamen continuo (ut super quibus positiones et articuli formari debeant possit haberi plenior certitudo, et fiat definitio clarior) inserenda. Et quia positiones ad faciliorem expeditionem litium, propter partium confessiones, et articulos ad clariorem probationem usus longævus in causis admisit; nos, usum hujusmodi observari volentes, statuimus ut judex sic deputatus a nobis (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utrosque terminum dare possit; et ad exhibendum omnia acta et monumenta, quibus partes uti volunt in causa, post dationem articulorum diem certum (quandoque sibi videbitur) valeat assignare: eo salvo quod. ubi remissionem fieri contingeret pro testibus producendis, possint etiam instrumenta produci, assignatione hujusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes, sive ad eorum instantiam, sive ex officio, ubicunque hoc æquitas suadebit. Sententiam vero definitivam (citatis ad id, licet non peremptorie partibus) in scriptis, et (prout magis sibi placuerit) stans vel sedens proferat: etiam (si ei videbitur) conclusione non facta.

Quæ omnia, etiam in illis casibus in quibus per aliam constitutionem nostram vel alias, procedi potest simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii, volumus observari. Si tamen in præmissis casibus solemnis ordo judiciarius in toto vel in parte contradicentibus partibus observetur, non erit processus propter hoc irritus, nec etiam irritandus. Datum Avenione, XIII *Kalendas Decembris, pontificatus nostri anno* 2.

De eadem materia, altera constitutio est, Clement. *Dispendiosam* 2, *De judiciis*, in qua sic decrevit idem Clemens V : *Dispendiosam prorogationem litium (quam interdum ex subtili ordinis judiciarii observatione causarum docet experientia provenire) restringere in subscriptis casibus cupientes, statuimus, ut in causis super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, vel præbendis, seu quibusvis beneficiis ecclesiasticis, aut super decimis, necnon matrimoniis et usuris, et eas quoquomodo tangentibus, ventilandis, procedi valeat de cætero simpliciter et de plano ac sine strepitu judicii et figura.*

II. Certum est igitur in jurisprudentia canonica dari *Summarium* judicium, in quo proceditur *simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura judicii.*

III. Ex decretali *Sæpe* supra transcripta, constat, in summario judicio recedi posse a forma ordinariorum judiciorum in sequentibus : 1. Non requiritur libellus. — 2. Nec litis contestatio. — 3. Etiam diebus feriatis valide in causa procedi potest.—4. Necesse non est partes peremptorie citari ad sententiam definitivam, sed sufficit citatio simplex. — 5. Non tenetur judex sedendo pronuntiare sententiam; sed hæc valet etiamsi a judice stante pronuntietur. — 6. Item necessarium non est fieri conclusionem in causa.

IV. Ex eadem Clement. *Sæpe*, remanent in judicio summario observanda sequentia : 1. Admittendæ sunt probationes necessariæ et defensiones legitimæ. — 2. Citatio omitti nequit. — 3. De præstatione juramenti sive calumniæ et malitiæ, sive dicendæ veritatis, idem currit jus ac in ordinario judicio. — 4. Si actor vel reus initio aliquid petat, continuo actis inserenda petitio est. — 5. Remanet, sicut in ordinario processu, facultas fabricandi positiones et articulos.— 6. Debet proinde judex ad has petitiones et articulos præstandos concedere terminum; sed potest assignare unicum terminum ad præsentandum *simul* et positiones et articulos.—7. Quoad exceptiones et appellationes, idem remanet jus ac in judicio ordinario. » (D. Bouix, *De judiciis*, t. II, p. 307.)

V. Quando judici commissa est causa *summarie* judicanda, potest nihilominus adhibere processum ordinarium, *modo partes consentiant.* (Clement. *Sæpe.*)

VI. Si de facto instituatur processus ordinarius, *in toto vel in parte*, quando poterat summarie procedi, processus non est propterea nullus. (Clem. *Sæpe.*)

VII. Summarie procedere tenetur delegatus a papa, cui *summarie* terminanda aliqua causa commissa est; nisi tamen partes consentiant ut tunc ordinarius instituatur processus.

VIII. Præter causas super quibus summarie procedi potest ex Clementina *Dispendiosam* supra transcriptam, summarie expediri possunt, 1. Causæ pauperum, viduarum,

pupillorum, et miserabilium personarum.— 2. Causæ alimentorum. — 3. Causæ spolii, depositi, mercedis et peregrinorum. *Vide* REIFFENST. in tit. I, lib. II *Decretal.*, n. 48.)— 4. Causæ religiosorum. (C. *Olim* 26, *De accusat.*) — 5. Causæ levioris momenti. — 6. His addunt communiter auctores causas quæ, ob aliquod imminens periculum, moram non patiuntur.

§ IV. — De sententiis ex informata conscientia.

Satis diximus in lib. III, *De eviscopis*, cap. VIII, ubi vide.

§ V. — Norma processus criminalis contra hæreticam pravitatem, Inquisitionis seu Sancti officii tribunalibus propria.

Quam quidem normam sequi debent episcopi, qui ex ipsa sua ordinaria jurisdictione sunt inquisitores nati in suis diœcesibus.

I. Congregatio SS. Inquisitionis seu tribunal S. Officii Romæ de causis fidei et hæretica pravitate cognoscit.

II. Episcopi in suis diœcesibus, ordinaria jurisdictione, de iisdem causis cognoscunt. (Clement. *Multorum* 1, tit. III, lib. V.) Certum est etiam episcopum esse judicem competentem quoad exemptos, quando in jus vocantur ob crimen pravitatis hæreticæ. (C. *Ad abolendum* 9, tit. VII, lib. V *Decretal.*) An vero episcopus quoad exemptos sit *ordinarius delegatusve* inquisitor, aliquatenus inter doctores controvertitur. Communius tamen existimant eum esse delegatum duntaxat.

III. Sede vacante, capitulum tanquam ordinarius inquisitor habendum est, sed per vicarium capitularem expedire debet hasce causas. (Colligitur ex Clement. *Ad abolendam* 1, *De hæreticis.*)

IV. « Posse quoque prælatos quosdam, jurisdictionem quasi episcopalem habentes, esse judices ordinarios in causis fidei, cum Molina tradit Castropalao. » (LEUREN. *Forum eccles.* in tit. VII, lib. V *Decretal.* quæst. 183, n. 3.)

V. « Modus vero procedendi, quem in crimine hæresis observare debet episcopus, idem est cum eo quem servant inquisitores (delegati a sede Apostolica); idque sive ordinaria, sive delegata episcopi potestate procedant. » (LEURENIUS, loc. cit. n. 2.) Constat ex c. *Statuta* 20, tit. II, lib. V, in 6; et expressius c. *Per hoc* 17, eod. tit. et lib. in 6, in qua decretali determinatur quomodo sese haberent ad invicem jurisdictio inquisitoris ordinarii, et jurisdictio inquisitoris a sancta sede delegati in eadem diœcesi; quod etiam determinatur ex Clement. *Multorum* 1, tit. III, lib. V; et ex c. *Ut officium*, *De hæreticis*, in 6.

VI. *Quænam causæ criminales processu inquisitionis tribunalibus proprio expediri debeant?* — « Jurisdictioni inquisitorum subjiciuntur : 1° hæretici ; 2° apostatæ a fide; 3° hæreticorum *credentes*, id est, qui, vel credunt hæreticorum erroribus (suntque proinde et ipsi proprie hæretici) vel credentes hæreticos esse in bona fide, vel qui frequens commercium cum iis habent, eorum conciones audiendo, eorum libros legendo, eorum conventicula adeundo, etc.; 4° receptatores hæreticorum ; 5° eorumdem defensores et fautores ; 6° suspecti de hæresi.

Sub ea vero *suspectorum* denominatione intelligendi in jure veniunt : 1° qui impediunt sacræ Inquisitionis Officium ; 2° qui postquam de se, vel de aliis hæresim confessi sunt, postea negant ; 3° qui hæreticorum conciones audiunt et cum eis frequens commercium habent; 4° religiosi professi, et clerici in sacris, qui matrimonium contrahunt ; 5° qui fidem oretenus negant, propositiones hæreticas proferendo; 6° qui libros hæreticorum legunt vel retinent; 7° qui singulis annis peccata confiteri et sacram Eucharistiam recipere omittunt; 8° sacerdotes sollicitantes ad inhonesta in sacramento pœnitentiæ ; 9° qui non ordinati presbyteri missam celebrant; 10° exercentes astrologiæ judiciariæ artem aliasve divinationes; 11° sortilegi, aliique ejusmodi, qui pactum cum dæmone expressum vel tacitum inierunt; 12° qui hostiam consecratam apud se retinent; 13° qui cruces vel sanctorum imagines conculcant; 14° appellantes a papa ad futurum concilium. Vide Pignatelli *novissimæ consultationes*, consult. 126. » (D. BOUIX, *De judiciis*, t. II, p. 380.

VII. « *Quænam personæ inquisitorum jurisdictioni subjaceant ?* — 1. *Regula generalis.* Inquisitores regulariter inquirere et procedere possunt contra omnes hæreticos, eorumque credentes, receptatores, fautores, defensores, necnon contra infamatos vel suspectos de hæresi, exsistentes in provincia, diœcesi, civitate, aliove loco, in quo ipsis officium inquisitionis est commissum. Sic

itaque exercere possunt hanc suam potestatem, tam circa personas laicas quam ecclesiasticas, tam sæculares quam religiosas, hasque etiam exemptas quoad alia a jurisdictione ordinariorum.» (LEURENIUS, in tit. VII, lib. V *Decret.*, quæst. 184. Et constat ex c. *Accusatus*, et c. *Ad abolendam*, tit. VII, lib. V *Decretal.* et c. *Ut officium, De hæreticis*, in 6.)

2. *Exceptiones ad præmissam regulam.* — 1° Nullus inquisitor delegatus potest procedere contra episcopum, nisi specialiter hoc ei a sede apostolica fuisset commissum. Tenentur tamen inquisitores episcopum hæreticum, vel de hæresi suspectum, summo Pontifici denuntiare; et in ordine ad hanc denuntiationem, possunt depositiones testium recipere et sedi Apostolicæ transmittere. (Ita communiter doctores deducunt ex c. *Inquisitores, De hæreticis* in 6; et ex cap. 5, sess. 24 *De reform. Trident. concil.*) Diximus *Nullus inquisitor delegatus*; nam ordinarius, id est, episcopus, si in ipsius diœcesi exstet alius episcopus, qui in hæresim labatur, vel de ea sit suspectus, potest contra eum procedere, ex potestate ei quoad hoc delegata per cap. *Ad abolendum, De hæreticis.* 2° « Nec ordinarii, nec delegati inquisitores procedere possunt contra sedis apostolicæ legatos, nuntios, aut officiales. » (Extravag. *Matthæus*, inter communes, *De hæreticis.*) 3° Contra inquisitores delegatos procedi nequit ab aliis inquisitoribus delegatis, neque ab episcopis. Arguitur ex modo citata extravaganti. » (D. BOUIX, *De judiciis*, t. II, p. 380 et seq.)

VIII. *De forma processus in causa hæresis.*) — **1.** Certum est, in judicandis criminibus ad hæresim pertinentibus, omnes sive ordinarios, sive delegatos inquisitores posse *summarie* procedere. (Constat ex c. *Statutum, De hæreticis*, in 6; ex constit. *Cupientes Alexandr. V*; constit. *Licet ex omnibus Urbani IV.*) Non tamen tenentur summarie procedere, sed etiam ordinarium processum instituere possunt.

2. Sicut in aliis causis criminalibus, procedi potest tum via accusationis, tum via denuntiationis, tum via inquisitionis. At vero si quis nihilominus accusatorem agere vellet, admittendus esset; et tunc ejusmodi accusator libellum suum subscribere in pœnam talionis non teneretur. Si tamen falso accusasse deprehenderetur, puniendus esset.

3. Sicut in cæteris criminalibus causis, ita in processibus sancti Officii necessaria omnino est rei citatio, ut possit sese defendere. Atque iterum citari debet reus ad audiendam sententiam. Omissisque ejusmodi citationibus, processus nullitate laboraret. » (LEURENIUS, in tit. VII, lib. V *Decretal.* quæst. 188.)

4. « Pariter ut possit condemnari reus, requiritur *probatio plena.* »

5. « Nemini potest esse dubium defensiones, exceptiones legitimas, et tempus aptum ad illas probandas esse reo concedendum; quia jure naturali debetur. (Colligitur ex Clement. *Pastoralis, De sent. et re jud.*; Clement. *Sæpe* 2, *De verbor signif.*) Quod adeo verum est, ut reo non petenti debeant supradictæ defensiones ex officio judicis concedi... »

« Ex his fit primo, concedendam esse indiciorum et probationum adversantium copiam...

« Secundo fit, reo dandum esse advocatum... nisi constet inquisitum hæreticum esse; nam tunc nullus advocatus ejus patrocinium subire posset, quia esset hæreticorum fautor et defensor, et perpetuæ infamiæ subjaceret. (C. *Si adversus, De hæreticis.*)

« Fit tertio, reo inquisito minori 25 annis dandum esse curatorem, ut ejus auctoritate accusationi respondeat.

IX. *De appellatione in causa hæreseos.* — **1.** Certum est a jure canonico denegari appellationis beneficium iis, qui per sententiam definitivam declarati sunt hæretici, et ut tales condemnati. (Constat ex c. *Uni inquisitioni, De hæreticis*, in 6.)

Non tamen denegari condemnato ut hæretico recursum ad superiorem, per viam *querelæ et supplicationis*, est communior apud canonistas doctrina. »

2. Posse autem, in causa hæreseos, appellari a sententiis et actibus *interlocutoriis*, communiter tradunt canonistæ.

X. *De testibus in causa hæreseos.* — **1.** Est regula generalis, in causa hæresis admitti etiam testes alios de jure inhabiles; prout excommunicati, perjuri, Judæi, hæretici, mulieres, domestici, consanguinei.

2. « Non tamen admittuntur inimic..

3. « Hinc reus excipere nequit contra *personam* ipsam ejusmodi testium, objiciendo eos esse de jure inhabiles.

4. « Potest tamen excipere contra eorum

dicta, objiciendo ea esse contradictoria, varia, vacillantia.

5. « Quamvis ejusmodi alias inhabiles testes admittantur ad inquirendum, non tamen *sufficiunt ad condemnandum.* Ut enim reus condemnari possit, requiritur plena probatio : hæc autem non habetur per testes ejusmodi, sed duntaxat per testes integros, seu omni exceptione majores.

6. « Possunt in crimine hæreseos examinari testes lite non contestata, et reo non citato ; et valet eorum testimonium quin repetantur parte citata. Sequitur ex eo quod in hujusmodi causis summarie procedi possit.

7. «Si tamen reus aliquid opponit depositionibus, vel interrogatoria dedit, repeti debent testes.

8. « Facta depositione testium, ea reo notificanda est.

9. « Nunquam tamen tenetur judex nomina testium reo manifestare, prout constat ex constitutione Pii IV, *Cum sicut.* — Ita ex Leurenio, D. Bouix, *De judiciis,* t. II, p. 385 et seq.

10. « Inquisitores procedunt contra testes falsum in causis fidei deponentes eosque curiæ sæculari tradere possunt. (Leo X, constit. 29, *Intelleximus.*)

XI. *De sententia in causa hæreseos.*—«Sententia proferri debet ex *consilio peritorum;* constat ex cap. *Ut commissi,De hæreticis* in 6. Alioquin irrita est.

« Periti autem dicuntur theologi vel canonistæ ad hoc vocati, qui ex mandato inquisitoris tenentur, etiam sine ullo salario, consilium præstare.

« Juxta communiorem doctorum sententiam, non tenetur inquisitor eorum consilium sequi.

« Debet totus processus eis exhiberi, indicatis qualitatibus testium, non tamen eorum nominibus.

« Hæc et nonnulla alia ad sententiam relativa, vide apud Leurenium, in tit. VII, lib. V *Decret.* quæst. 196. » (D. Bouix, *De judiciis,* t. II, p. 386.)

CAPUT XV.

De processu civili fori ecclesiastici.

Civilis dicitur quilibet processus, qui non est criminalis; ac proinde quoties non agitur ad publicam alicujus delicti vindictam, sed ad obtinendum aliquid aliud, processus civilis est, sive agatur de re spirituali, vel temporali ecclesiastica.

§ I. — Communis processuum civilium tela.

Quæ jam dicta sunt de processu criminali, hic applicanda veniunt, præter ea quæ sunt unicuique processui specialia.

I. *De libello.* — « Judicium civile principium sumit a libello, seu comparitione actoris, qui judici porrigit libellum, in quo petit se debere consequi aliquid ab aliquo, vel instat aliquid aliud sibi fieri. » Iste libellus debet esse clarus, ad hoc ut reus conventus deliberare valeat, an liti cedere, vel contendere voluerit. Alioquin judex illum admittere non debet, sed potius rejicere.

II. *De citatione rei.* — « Post libelli porrectionem fit citatio rei per judicem super eodem, ad hoc ut reus conventus illius petitionis ab actore factæ notitiam habeat; sine appositione alicujus pœnæ. — Ista citatio fieri debet eodem modo ac in processu criminali. »

III. *De contumacia rei conventi.* — Si reus non comparuerit post terminum a judice determinatum, accusantur contra ipsum contumaciæ; prima contumacia accusari debet crastina die termini elapsi ad comparendum, dummodo non sit dies festiva; nam tunc accusabitur die sequenti.— Ultima contumacia incusanda est post lapsum trium dierum primæ contumaciæ accusatæ, si reus conventus præsens fuerit in loco judicii: si extra territorium judicis, infra duos menses; si in territorio sed non in loco judicii, infra mensem ; qui numerandi sunt a die primæ contumaciæ.

Si reus in ultima contumacia comparuerit per se vel per procuratorem, cum illo proceditur ad ulteriora ; at si nemo comparuerit, condemnandus erit in contumacia.

IV. *De copia libelli.*—Si reus comparuerit, habere debet copiam libelli, ut deliberare possit an cedere vel contendere voluerit.

V. *De exceptionibus declinatoriis et dilatoriis.* — Ex illo autem tempore allegare poterit reus sua jura, et opponere exceptiones quas habere prætendet, ante tamen litis contestationem. Istæ exceptiones opponi possunt vel contra judicem, vel contra reum, vel contra causam, vel sunt peremptoriæ.

VI. *De litis contestatione.* — Postquam oppositæ et discussæ fuerunt prædictæ ex-

ceptiones, et admissæ aut rejectæ, vel forsan reservatæ ad merita causæ, id est, ad decisionem litis, fit litis contestatio, ut dictum est.

VII. Deinde præstari solet juramentum calumniæ tam per actorem quam per reum.

VIII. *De termino probatorio.* — Successive datur terminus in causa ad probandum incumbentia, qui est utrique parti communis.

IX. *De positionibus.* — « Dato termino prædicto, fieri solent aliquando probationes, super quibus respondendum est per adversam partem, ad effectum ut releventur ad invicem ab onere probandi. »

X. *De articulis.* — Si per positiones non fuit satis probatum, partes producere solent articulos, super quibus examinantur testes in vim probationum, et in eodem termino per aliam partem producuntur interrogatoria testibus facienda.

XI. *De testium productione et examine.* — Post articulorum et interrogatoriorum productionem, fit citatio ad testes, ut accedant ad curiam ad se examinandum super illis; et eodem contextu citatur pars adversa ad videndum ipsorum testium juramenta de veritate dicenda super contentis in articulis.

XII. *Testes absentes* examinantur ex litteris remissorialibus, ut dictum est.

XIII. *De publicatione testium.* — « Completis deinde probationibus, absolutisque testium examinibus, fit publicatio in causa; per quam manifestantur utrique parti omnia dicta testium. »

XIV. *De repulsa et reprobatione testium.* — « Peracta publicatione in causa, et visis per partes collitigantes testium examinibus, peti solet ab altera ex ipsis repulsatio seu reprobatio ipsorum testium examinatorum. Qua per judicem concessa, repulsantur intra terminum assignatum testes pro parte adversa examinati, et approbantur alii examinati pro se. Terminus autem repulsæ est medietas termini probatorii..., et currit de momento ad momentum. Expleto examine testium reprobatoriorum, fit publicatio in causa repulsæ. »

XV. *De repulsa repulsæ.* — « Deinde si altera pars adversa reprobare voluerit testes reprobatorios, petere potest repulsam repulsæ, id est, alium terminum ad repulsandum examinatos pro repulsa testium examinatorum in termino probatorio. Iste autem terminus concedendus est brevissimus... Peracto postea examine, fit etiam publicatio in hac secunda repulsa; et tunc regulariter non datur alius terminus. »

XVI. *De conclusione in causa.* — « Peractis omnibus probationibus..., fit conclusio in causa. Quæ conclusio operatur ne amplius fieri possint aliæ probationes, cum videatur renuntiatum ulterioribus, quia alias causæ fierent immortales. »

XVII. *De monitione ad allegandum in jure et in facto.* — « Quibus expletis omnibus, monentur ac citantur ambæ partes, ad dicendum et allegandum coram judice oretenus et in scriptis, in jure et in facto, cum advocatis et procuratoribus, ad effectum discutiendi probationes factas, ut possit tandem judex ad sententiam devenire. »

XVIII. *De modo videndi processum.* — « Deinde judex produci sibi per notarium causæ facit acta omnia, ad effectum illa diligenter perscrutandi, ut ex his rectam sententiam proferre valeat. »

XIX. *De citatione ad sententiam.* — « Successive postquam omnia bene perpenderit ac rimatus fuerit, citare ac monere tandem faciat ambas partes, ad audiendam sententiam definitive proferendam. »

XX. *De sententia.* — « Postremo debet judex sententiam definitivam secundum sacros canones... proferre; quæ condemnationem vel absolutionem continere debet rei conventi; alias non valet. »

XXI. *De executione sententiæ.* « Post sententiam consequitur necessario, ut si valida fuerit, et ab ea per reum condemnatum non fuerit infra decem dies appellatum, debitæ executioni demandetur; quod quidem in quibusdam causis succedere solet, non obstante appellatione. » (PELLEGRINI, *Praxis vicariorum* sub initium partis II, apud D. BOUIX, *De judiciis*, tom. II, p. 398 et seqq.)

§ II. — Remedia contra injustam sententiam in processu civili.

« Triplex remedium a jure datum est contra judicem inique pronuntiantem : querela nempe nullitatis, appellatio, et restitutio in integrum. Duo priora remedia ordinaria vocantur; tertium autem, eo quod regulariter nonnisi deficientibus duobus prioribus concedatur, extraordinarium seu subsidiarium dici solet. »

1. *Quoad appellationem*, eadem est civilis et criminalis processus norma.

II. Idem dicendum de *querela nullitatis.* Multis modis contingere potest sententiæ nullitas; ratione judicis et jurisdictionis; ratione litigantium, ratione loci, temporis; ratione causæ, quantitatis, modi; ratione processus; ratione manifestæ iniquitatis; quos ex Pellegrini evolutos, vide apud D. Bouix, *De judiciis*, tom. II, p. 405 et seqq. — « Attento juris rigore, dicendum est, et communiter doctores tenent posse querelam nullitatis sententiæ proponi, tum coram judice ordinario qui sententiam tulit, tum coram judice appellationis. » — « Nihilominus hodie, ob contrariam generalem consuetudinem, causa nullitatis sententiæ a solo judice appellationis judicanda est. »

« Potest dici de nullitate usque ad triginta annos; sed non ultra; cum omnis actio dicto tempore præscribatur. »

Nota posse cumulari querelam nullitatis cum appellatione ab injusta sententia; hac verbi gratia formula : *Dico sententiam esse nullam; et, si forte talis non sit, appello.* — Quæ omnia vide probata apud D. Bouix, *De judiciis*, tom. II, pag. 405 et seqq.

§ III. — De restitutione in integrum.

Restitutio in integrum est « actus quo, qui læsum se contendit, per officium judicis reducitur in eum statum in quo foret si asserta læsio non contigisset. » Ita quoad sensum, communiter.

I. Restitutio in integrum est remedium extraordinarium et subsidiarium, quod regulariter non datur, nisi ordinario deficiente; sic tamen hanc regulam limitant doctores : *Nisi extraordinarium sit pinguius*, quæ limitatio intelligenda est duntaxat de minoribus et aliis jure minorum gaudentibus.

II. Restitutio in integrum solummodo conceditur in causis civilibus, non autem in criminalibus. (SCHMALZGR. in tit. XLI, lib. I *Decret.* n. 2.)

III. Hujusmodi restitutio concedi potest et debet : 1. Minoribus, seu iis qui 25 annos ætatis nondum impleverunt (C. *Constitutus* 8, *De restitut. in integr.*), et iis qui jure minorum gaudent, quo nomine veniunt ecclesiæ, monasteria, hospitalia, et alia loca pia; nec non et *universitates.*

2. Etiam *majoribus* concedi potest et debet, si constet ipsos læsos fuisse; et probent læsionem ex ipsorum culpa non contigisse; et tertio jam non pateat ipsis remediorum ordinariorum via ad repellendam læsionem.

3. Restitutio in integrum locum habet contra quoslibet actus civiles, validos et rescindibiles, quibus læsus est, qui ejusmodi remedii privilegio gaudet, sive judiciales sint sive extrajudiciales et ex quocunque contractu orti.

Excipiuntur nonnulli actus, contra quos non datur etiam minoribus restitutio in integrum : 1° Matrimonium. — 2° Si minor veniam ætatis impetraverit, contra actus postea gestos non habere poterit restitutionem in integrum, nisi in iis casibus et cum eis conditionibus, quibus illam habere posset, si foret major. — 3° Idem est si, major factus, actum ratum habuerit. — 4° Item si, licet minor, actum juramento firmaverit, vel beneficio restitutionis renuntiaverit. — 5° Si minor simulaverit se esse majorem, ut alium ad contrahendum induceret. — 6° Si læsio non sit notabilis, non datur restitutio in integrum.

IV. *Quomodo minores a majoribus differant quoad restitutionem in integrum.* — 1. Minoribus, et cæteris qui jure minorum gaudent, ut hoc remedio succurratur, sufficit si constet quod læsi sint, vel hoc legitime sit probatum. At majores, ut restitui possint, præter læsionem, opus est accedere justam causam, ob quam læsio ipsis imputari nequeat.

2. Minor, vel Ecclesia, si graviter læsa sit, ex officio judicis in integrum restitui debet, etsi nemo sit qui petat : at majoris restitutio ad instantiam potius quam ex officio judicis datur.

3. Majoribus non succurritur per beneficium restitutionis in integrum, quando suppetit remedium ordinarium; at minoribus et iis qui jure minorum gaudent, beneficium hoc indulgetur, etiam cum aliud remedium habent.

4. Minor restituitur, quamvis tutore vel curatore interveniente læsus sit... At major, si absens procuratorem ad sua negotia et lites reliquit, non restituitur. (SCHMALZGR. in tit. XLI, lib. I *Decretal.* n. 13.)

V. *Quinam judices restitutionem in inte-*

grum possint concedere? — Resp. Ex cap. 9, tit. xli, lib. i *Decretal.*, et ex communi interpretum doctrina, restitutionem in integrum possunt concedere episcopi, prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentes, et probabilius etiam vicarii generales; item judices delegati cum speciali mandato, vel quando in negotio ipsis commisso incidenter contingit quæstio restitutionis in integrum. Item delegatus ad universalitatem causarum, et territorium habens cum administratione.

Alii præter memoratos judices nequeunt restitutionem in integrum concedere.

« Regulariter loquendo restitutio in integrum petenda est a judice illius, contra quem, seu in cujus præjudicium petitur restitutio; eo quod actor forum rei sequi debeat. »

Quamvis ex jure scripto judices ordinarii possint concedere restitutionem in integrum etiam contra suam definitivam sententiam, prævaluit jamdudum consuetudo, ut nonnisi a sede Apostolica, vel a judice appellationis concedatur.

Conceditur a jure quadriennium ad petendam restitutionem in integrum.

Restitutio in integrum contra sententiam judicis, regulariter suspendit ejus executionem, nisi ex conjecturis præsumi posset, quod ea tantum ad protelationem litis peteretur. (Schmalzgr. passim, in tit. xli, lib. i *Decretal.*)

CAPUT XVI.

Norma procedendi in causis matrimonii et professionis religiosæ.

§ I. — De causis matrimonialibus generatim.

« Proprie hoc nomine veniunt illæ, quibus controversia et quæstio est, de matrimonii et sponsalium natura, qualitatibus, contractu et benedictionibus nuptialibus; de conjugum et sponsorum juribus et obligationibus, ortis ex contractu sponsalitio vel matrimoniali; de sponsalium et matrimonii valore, et legitimitate prolium ex isto orta : de ipsorum impedimentis; dispensationibus in hujusmodi impedimentis : ipsius matrimonii vel sponsalium ob ista (impedimenta) dissolutione aut redintegratione, etc. Nam de his et similibus, sicut leges condere, ita et controversias super illis exortas decidere ecclesiasticæ est potestatis. Contra ad forum sæculare et judices sæculares pertinent causæ, quibus de dote, et propter nuptias donatione, de hæreditaria successione, alimentis, et similibus agitur; ut ex communi sensu docet Bellarminus, etc.... Excipitur, nisi hujusmodi quæstio incidat in causam matrimonialem proprie dictam, quæ principaliter agitatur; hoc enim casu, cognoscere de hujusmodi causis et pronuntiare judex ecclesiasticus potest. » (Schmalzgr. in tit. xviii, lib. iv *Decretal.* n. 6 et 7.)

§ II. — De causa restitutionis quoad matrimonium.

I. « Spolium in causa matrimoniali contingit, non tantum per alium tertium qui vi aufert conjugem a conjuge, sed etiam fieri potest ab ipsis conjugibus inter se, et hoc tripliciter maxime. 1. Quando conjux propria auctoritate recedit a conjuge :... — 2. Quando uxor propria auctoritate discessit a marito; sed facti pœnitens ad illum redire vult; nam si ita revertentem maritus non recipiat, spoliasse illam censebitur; eo quod nulla temeritas aut culpa conjugis (excepto adulterio) per se directe et perpetuo deroget juri matrimoniali. — 3. Quando uxor expulsa quidem est a marito, sed ab hoc postea revocatur, revocata autem redire non vult. » (Schmalzgr. in tit. xiii, lib. ii *Decretal.* n. 57.)

II. « Si maritus uxorem expulerit, et postea revocet; hæc autem redire nolit; et maritus petat se restitui in possessione uxoris suæ; judex ecclesiasticus debet hanc restitutionem decernere. Idem dicendum est de uxore expellente et postea revocante maritum, cum æquale sit jus utriusque conjugis. »

III. « Si alter conjugum temere fugiens, et postea rediens, ab altero non recipiatur, et petat judicialiter se restitui in possessione conjugis, debet judex ecclesiasticus eam restitutionem decernere. »

IV. « *Quando unus conjugum propria auctoritate discessit, quid faciendum, si alter se in possessione restitui judicialiter petat?* — Triplex casus distinguendus est.

Primus casus : *Quo sola sponsalia fuerunt inita.* — In hoc casu non debet judex ullam restitutionem decernere; quia ubi non præcessit possessio, non potest habere locum spoliatio..... Atqui per sponsalia nondum acquiritur possessio sponsæ, sed tantum juris ad complendum contractum sponsalitium; cujus propterea ad impletionem pe-

tere ille potest; et tenebitur sponsa eum implere, si nullam justam exceptionem allegare possit. »

SECUNDUS CASUS : *Quo præcessit matrimonium ratum non consummatum.* — Non concordant doctores. Alii negant tunc decernendam esse restitutionem; ex eo quod ante matrimonii consummationem, utrique conjugi permittatur recessus et ingressus in religionem. (C. *Verum* 2, et c. *Ex publico* 7, *De convers. conjug.* etc.) — Communius tamen sustinent alii doctores, decernendam esse in hoc casu restitutionem, sed *quoad habitationem* duntaxat et *alia obsequia* conjugalia, non autem quoad torum. (SCHMALZGR. in tit. XIII, lib. II *Decretal.* n. 60.)

TERTIUS CASUS : *Quo præcessit matrimonium consummatum.* — In hoc casu, nisi recedens justam allegare possit recedendi causam, decernenda est a judice restitutio, etiam quoad torum.

Causa vero justa discedendi erit : 1° si discedens prætendat inter se et conjugem intercedere impedimentum dirimens, 2° si opponat exceptionem sævitiæ; 3° si uxor a marito divertit propter aliud grave corporis et animæ periculum... quod alia via averti facile non possit. Hoc enim casu maritus possessorium recuperandæ intentans, non audietur, antequam hujusmodi periculum cesset.

V. In casu rati sed nondum consummati matrimonii, quo conjux discedens prætendit exsistere impedimentum dirimens, distinguendum est.

PRIMUS CASUS : *Quo impedimentum est notorium.* — Tunc audiendus non est conjux restitutionem petens : sed judex ecclesiasticus, uxorem interea relinquendo a marito separatam, debet statim ad causam nullitatis cognoscendam et dirimendam procedere.

SECUNDUS CASUS *Impedimenti non notorii.* — In quo iterum duplex casus distinguendus est :

1. *Si impedimentum sit dubium*, « restitui debet conjux conjugi quoad habitationem et alia obsequia conjugalia. Ad usum vero matrimonii (etsi, casu quo bona fide contractum est matrimonium, nec veritas post diligentem inquisitionem deprehendi possit, licitus sit), unus tamen alterum non potest cogere, præsertim vir feminam, quandiu lis pendet super valore matrimonii; exponeretur enim valde gravi periculo, si postea contra matrimonii valorem pronuntiari contingeret, et ipsa corrupta sit, ita ut neque aliud honestum matrimonium facile inire, neque inter sacras virgines in monasterio velari possit. »

2. *Si impedimentum sit certum.* — Videndum est an recedens habeat paratas probationes, vel non.

« Si paratas habeat et in continenti offerat probationes, audienda est pars recedens : et si probaverit impedimentum, absolvenda ab obligatione matrimonii.

« Si recedens non habeat paratas probationes, decernenda est restitutio, interea dum pronuntietur in causa nullitatis; sed quoad habitationem duntaxat, non quoad torum. » (SCHMALZGR. in tit. XIII, lib. II *Decretal.* n. 62.)

VI. In casu consummati matrimonii, quo conjux discedens prætendit impedimentum dirimens; eodem fere modo distinguendum est, ac in casu præcedenti.

PRIMUS CASUS : *Quo impedimentum sit notorium.* — Debet judex causam nullitatis cognoscere et dirimere.

SECUNDUS CASUS *Impedimenti non notorii.* — Si pars allegans impedimentum, probationes in continenti habeat et exhibet, restituenda quidem est uxor viro quoad habitationem, non vero quoad torum.

2. Si allegans impedimentum nequeat statim probationes exhibere, restitutio facienda est etiam quoad torum. (C. *Litteras* 13, tit. XIII, lib. II *Decretal.*)

3. Si vero, decreta a judice prædicta restitutione etiam quoad torum, pars quæ discessit certa sit de matrimonii nullitate, debet parere conscientiæ et non judici, id est debet denegare debitum, et a fortiori ab eo petendo abstinere : quod si sub censura decreta fuit restitutio plenaria, debet hanc censuram patienter tolerare, usquedum probationes præparatas offerat; et tunc a censura absolvetur. (C. *Litteras*, cit.)

VII. « *Si, consummato matrimonio, uxor propria auctoritate recedat, objiciens mariti adulterium, et maritus petat se restitui in possessione conjugis, an judex hanc restitutionem decernere debeat?* — Resp. 1. Si adulterium notorium sit, non est decernenda restitutio, nisi adulterium commisisset etiam uxor. (C. *Significasti* 4; c. *Ex litteris* 5, *De divort.*; c. *Intelleximus* 6, *De adult.*) —

2. Si adulterium non sit notorium, statim plene decernenda est restitutio, etiam quoad torum, priusquam probationes de adulterio audiantur, etiamsi uxor paratas haberet probationes.

VIII. « *Si uxor recesserit, votum perpetuæ continentiæ mutuo consensu emissum objiciens, et maritus restitutionem petat, an sit decernenda restitutio?* Nonnulli putant hoc casu uxorem, si religionem ingressa sit, non esse restituendam. Sed communius ita distinguitur : restitui nequit quoad torum, antequam probatum sit emissum mutuo consensu votum; restituenda tamen est quoad habitationem et alia conjugalia obsequia...» (SCHMALZGR. in tit. XIII, lib. II *Decret.* n. 66.) — (*Vide* hæc omnia huc usque dicta c. *Litteras* 13, tit. XIII, lib. II *Decretal.* et apud SCHMALZGR. in eodem titulo, et ex eodem auctore, apud D. Bouix, *De judiciis*, t. II, p. 421 ad 429.)

IX. Quæritur, *quinam actores et testes admittendi vel rejiciendi sint in causis matrimonialibus.* — 1. *Ad impediendum matrimonium nondum initum,* illi agere valent, et etiam ad denuntiandum impedimentum ecclesiastico judici sub gravi tenentur quicunque norunt impedimentum aliquod exsistere, et alias suspecti non sunt de malitiosa et falsa denuntiatione.

2. *Ad petendum divortium quoad cohabitationem et torum duntaxat,* admittendus est tantum conjux innocens, cujus nempe interest divortium obtinere.

3. *Quinam in judicio petere possint ut matrimonium declaretur nullum?* — 1° In impedimento impotentiæ admittendi sunt soli conjuges. — 2° Idem dicendum est quoad impedimentum erroris et metus. 3° Si impedimentum allegatum sit consanguinitas, affinitasve ex copula conjugali orta, aut publica honestas, ii præ cæteris ad proponendam matrimonii nullitatem, qui meliorem hujusmodi impedimenti notitiam habere solent, quales sunt parentes, consanguinei, et vicini... 4° Si allegatum sit aliud impedimentum, admitti possunt quicunque impedimenti notitiam habent, modo aliunde repellendi non sint. (C. *Perlatum* 1, *De his quæ vi, metusve causa.*)

4. *Quinam ab accusanda matrimonii nullitate repellendi sint?* — 1° Qui accusat turpis lucri causa.—2° Qui, cum proclamationes matrimonii fierent, impedimentum non manifestarunt; nisi cum juramento vel probationibus affirment se impedimentum nescivisse quando proclamationes factæ sunt, aut ipsas proclamationes fieri ignorasse. (C. fin. tit. XVIII, lib. IV *Decretal.*) — 3° Item repellenda est conjux, quæ initio quidem invita et gravi metu coacta contraxit, postea tamen carnalem copulam admisit. (C. *Insuper* 4, tit. XVIII, lib. II *Decretal.*) — 4° Repellendi etiam sunt qui nullitatem matrimonii per litteras accusant. (C. *Per scripta* 5, causa 2, quæst. 8; c. *A nobis* 2, tit. XVIII, lib. II *Decretal.*)

5. *Quinam testes admittantur ad deponendum de nullitate matrimonii, in facie Ecclesiæ contracti?* — « Illi præ aliis, qui impedimenti, quod ab accusatore objicitur, notitiam certiorem habent, et non sunt suspectæ fidei. (C. *Licet* 47, *De test. et attest.*) Et hinc pater, consanguinei cæteri. (C. *Quoniam* 5, *De test. et attest.*) Proceditque hoc, etsi deponant pro matrimonio sustinendo.

« Repelluntur autem 1° qui ad id faciendum vel omittendum pecunia inducuntur. (C. *Sicut* 29, *De test. et attest.*) — 2° Qui testimonium per litteras perhibent. (C. *A nobis* 2, tit. XVIII, lib. IV *Decretal.* c. *Testes* 15, causa 3 quæst. 9.) Excipitur si sint personæ nobiles et illustres. — 3° Qui matrimonium accusat et actor est, nisi judex ex officio inquirat.» (SCHMALZGR. in tit. XVIII, lib. IV *Decretal.* n. 13 et seqq.)

6. *Quodnam sit tempus intra quod, qui matrimonii nullitatem accusat, audiri debeat?* — « Auditur etiam post 30 vel 40 annos, modo paratas probationes offerat, vel alias suspicionem purget. Neque enim matrimonium ab initio invalidum tractu temporis convalescit, aut mediante præscriptione impedimentum tollitur. Imo datur accusatio contra illud, etsi pro valore illius sententia lata jam esset; quia in matrimonio sententia nunquam transit in rem judicatam. (C. *Lator* 7, *De sent. et re jud.*) Excipitur si mortui jam sint conjuges, et post 30 vel 40 annos moveatur lis filiis super legitimitate, quod matrimonium nullum fuerit.... Nam hoc casu nihil obstat dispositioni juris communis, juxta quod actiones civiles quæcunque post 30 vel 40 annos, accusationes autem criminum 20 annorum spatio exstinguuntur. » (SCHMALZGR. in tit. XVIII, lib. IV *Decret.* n. 26 et seqq.)

X. *De norma procedendi a Benedicto XIV*

in causis nullitatis matrimonii. — Celebris est constitutio Benedicti XIV, quæ incipit : *Dei miseratione*, 3 Novembris 1741, in Bullar. dicti pontificis t. I, n. 33. Utpote qua commune jus antea vigens quoad modum procedendi in causis matrimonialibus multipliciter immutatum est. Quod igitur exponendum est.

1. *Defensor matrimonii in unaquaque diœcesi constituendus est*, qui ex officio in causis matrimonialibus matrimonii valorem defendat; ita præscripsit Benedictus XIV; et præterea ut iste defensor, si fieri possit, clericus sit, et tum vitæ probitate, tum juris scientia idoneus; ut justa de causa ab ordinario revocari possit; ut eo deficiente, vel impedito, dum aliqua matrimonialis causa ventilanda occurrit, aliquis alius similiter idoneus quoad hanc causam deputetur.

In causa secundæ instantiæ, extra Romam, defensor matrimonii debet esse ille idem quem metropolitanus, vel nuntius apostolicus, vel episcopus vicinior *ad quem* deputarunt.

Si judex secundæ instantiæ ordinariam jurisdictionem non habeat, sed sit duntaxat commissarius S. Sedis, defensor matrimonii erit ille, qui constitutus est ab ordinario diœcesis, in qua causa judicanda est.

Romæ, cardinalis vicarius, quoad causas matrimoniales sibi in prima instantia delatas, debet deputare defensorem matrimonii sicut quilibet episcopus.

Cæteræ causæ ad sedem apostolicam delatæ judicandæ committi solent vel sacr. congr. Concilii, vel auditorio palatii, vel alicui particulari congregationi ad hoc deputatæ. Atqui in his casibus præfectus congr. Concilii, vel decanus auditorii palatii, vel dignior congregationis particularis, deputant defensorem matrimonii.

Officium defensoris matrimonii determinat Benedictus XIV, his verbis : *Ad officium autem defensoris matrimoniorum ut supra electi spectabit, in judicium venire, quotiescunque contigerit matrimoniales causas super validitate vel nullitate coram legitimo judice disceptari, eumque oportebit in quolibet actu judiciali citari, adesse examini testium, voce et scriptis matrimonii validitatem tueri, eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium sustinendum necessaria censebit.*

Insuper decernit pontifex, ut defensor matrimonii non appellet, si matrimonium pronuntietur validum ; e contra ut appellet, si in prima instantia pronuntietur invalidum; idque sive ambæ partes, sive una tantum, sive neutra, a sententia nullitatis appellent; vel si pars, interjecta appellatione, ab ea desistat.

Si vero pronuntietur nullitas in secunda instantia, poterit quidem defensor sententiæ acquiescere, si justa ipsi videatur; sed debebit etiam ab ea appellare, si male pronuntiatum existimet.

Imo, si pronuntiata sit validitas in secunda instantia, et postea (parte appellante) nullitas pronuntietur in tertia, poterit defensor matrimonii, sive solus, sive adhærens alteri parti, ab hac tertia sententia appellare. Quæ omnia constant ex citata constitutione.

Insuper debet matrimonii defensor juramentum præstare de fideliter explendo officio suo, non tantum quando prima vice constituitur, sed etiam in singulis causis in quibus matrimonii validitatem tuendam suscipit.

Nota. Citari et adesse omnibus actibus judicialibus dictum defensorem adeo requiritur, ut alias iidem actus prorsus nulli sint atque irriti. (Ead. const.)

2. *Ut liberum sit conjugibus ad novas nuptias convolare.* —1° Nunquam sufficit unica sententia etiamsi a sacris congregationibus pronuntietur. Conjuges qui post unicam sententiam de nullitate novum celebrare matrimonium audent, non tantum interdictarum nuptiarum pœnis subjacent et cohabitare prohibentur, sed insuper latas contra polygamos a sacris canonibus pœnas incurrunt. — 2° Post secundam sententiam de nullitate matrimonii, si ab ea non appelletur vel appellatio deseratur, possunt conjuges novum matrimonium inire, modo aliunde id eis non sit interdictum. —3° Sed *salvo semper et firmo remanente jure seu privilegio causarum matrimonialium, quæ ab cujuscunque temporis lapsu nunquam transeunt in rem judicatam: sed si nova res quæ non deducta vel ignorata fuerit detegatur, resumi possunt et rursus in judicialem controversiam revocari.* Hinc si post pronuntiatam bis nullitatem primi

matrimonii et novas celebratas nuptias, detegatur validum fuisse primum matrimonium, pronuntianda erit posterioris nullitas, et conjuges ad standum priori cogendi erunt.

3. *Salarium defensori matrimoniorum solvendum* est ab ea parte, quæ pro validitate matrimonii agit, si ipsi facultas sit; sin minus, a judice subministrabitur ex mulctis suorum tribunalium, vel ex pecunia mulctarum illius episcopi in cujus diœcesi judex quilibet judicium exercebit.

4. Solæ causæ matrimoniales in quibus de valore vel nullitate contracti matrimonii agitur, attinguntur constit. Bened. XIV *Dei miseratione.* Cæteræ causæ matrimoniales juxta normam juris communis, ante Benedictum XIV vigentis, hodiedum expediendæ sunt.

De causa nullitatis ex impedimento impotentiæ specialia vide apud Schmalzgr. in tit. xv, lib. iv *Decretal.* n. 69 et seq., et etiam D. Bouix, *De judiciis*, p. 446 et seq.

Cætera de matrimonio tractavimus in suis locis, ubi vide.

§ III. — Norma procedendi in causis nullitatis professionis religiosæ.

In hujusmodi causis præscripta fuit specialis procedendi forma quam exposuit et sancivit Benedictus XIV, constit. *Si datam hominibus*, tom. II Bullarii sui, n. 47. Unde sic statuitur :

I. Quoties aliquis religiosus vel religiosa intra quinquennium a die professionis suæ prætendit ejusdem professionis nullitatem, causa judicanda est *a superiore suo et ordinario.* (C. 19, sess. 25 *Trident.*)

II. Idem dicendum est, quando ab ipso ordine religioso contenditur nullam fuisse alicujus sui membri professionem.

III. Quinquennium numerandum est a die emissæ professionis, etiamsi prætenderetur metum durasse ultra illud quinquennium, et defuisse libertatem reclamandi.

IV. Si actio nullitatis intentata fuerit intra dictum quinquennium, licet postea deserta fuerit, si reassumatur elapso quinquennio, admittenda est et judicanda a superiori regulari et ordinario.

V Certum est *regularem superiorem*, de quo in decreto Tridentino, intelligendum esse quoad virorum ordines, *superiorem localem*...illius monasterii in quo reclamans professionem emisit.

VI. Quoad feminarum ordines, si agatur de monialibus ordinario loci subjectis, tunc solus ordinarius judicat de professione reclamantium intra quinquennium : si vero moniales regularium regimini subsint, tunc hujusmodi causæ judicandæ sunt ab ordinario loci simul et a superiore regulari: ab eo nimirum, cui concreditum est universum monasterii regimen, non autem a confessario regulari monialium. (Bull. cit. *Si datam.*)

VII. Regularis, qui simul cum episcopo est de jure judex in causa nullitatis professionis, nequit jus suum cedere episcopo seu permittere ut is solus judicet; potest tamen alterum regularem sibi substituere seu delegare. (*Ibid.*)

VIII. Si ordinarius et superior regularis in judicando dissentiant, ex facto ipso hujus dissensus, causa remanet sedi apostolicæ devoluta. (*Ibid.*)

IX. Si professio nulla prætendatur, ex eo quod facta fuerit extra cœnobium instituendis novitiis destinatum (prout in hoc casu nullam fore decrevit Clemens VIII quoad nonnullas regiones), ad sacram congr. Concil. causa tunc privative pertinet. (*Ibid.*)

X. Regularis nullitatem professionis suæ prætendens audiendus non est, nisi constet eum morari in religionis suæ claustris, et habitum regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit. (C. 19, sess. 25 *Trident.* et cit. bul. *Si datam.*)

XI. In hujusmodi expediendis causis conficiendus est verus et judicialis processus. (Bul. *Si datam.*)

XII. Citari debent, tum defensores monasterii; tum professi ipsius consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit aut cessit; tum cæteri omnes, quorum interest illius professionem validam sustineri.

XIII. Deputandus est ab unoquoque ordinario in diœcesi sua *defensor professionum*, ad instar defensoris matrimonii. (Bul. *Si datam.*)

XIV. Quæcunque statuta sunt quoad defensorem matrimonii, valent respective quoad *professionum defensores.* (*Ibid.*)

XV. Expensæ pro honorario defensoris professionum solvendæ sunt ab iis quibus religiosus professus bona sua cessit. Si tales non exsistant, solvere debet religio,

si possideat. Si ordo bona non possideat, satisfiat ex mulctis illius tribunalis in quo causa agitata fuerit, prout de defensore matrimonii statutum fuit. (Bul. *Si datam.*)

XVI. Si a judicibus in prima instantia professio pronuntietur nulla, defensor professionum appellare debet. (*Ibid.*)

XVII. Ut religiosus a religione discedere possit, requiritur ut duplici conformi sententia professio declarata sit nulla, et ut a secunda sententia appellatum non fuerit: alioquin a religione discedens pœnis apostatarum subjacet. (*Ibid.*)

XVIII. Judices secundæ instantiæ duo sunt, nempe ille ordinarius ad quem appellandum est a sententia ordinarii qui judicavit in prima instantia, v. gr. archiepiscopus, *una cum superiore regulari*, *non quidem illius monasterii in quo reclamans professus est*, *sed alterius monasterii* (*ejusdem ordinis*) *in civitate aut diœcesi prædicti ordinarii secundæ instantiæ exsistentis ; vel, tali monasterio non exsistente, una cum superiore vicini monasterii.* (*Ibid.*)

XIX. Si causa ad sedem apostolicam devolvatur, sive committatur sacr. congr. Concil., sive sacr. congr. Episc. et Regul., sive Romanæ Rotæ, prædictus *regularis superior* tanquam judex non admittitur. (*Ibid.*)

XX. Prædicta omnia procedunt etiam quoad curiam cardinalis vicarii. (*Ibid.*)

XXI. Attentis duntaxat supra citati decreti Tridentini verbis, nulla actio nullitatis post elapsum a die professionis quinquennium admitti deberet; siquidem ibi expresse decernitur : *Non audiatur*, *nisi intra quinquennium a die professionis.*

XXII. Sed invaluit et hodiedum viget alia praxis qua post quinquennium conceditur reclamanti restitutio in integrum, modo sequenti :

Directa ad sedem apostolicam petitio restitutionis in integrum, ad aliquam Romanam congregationem aut tribunal remittitur. Sacr. autem congr. *ordinario et superiori regulari* expendendum committit dubium, *an concedenda sit restitutio in integrum.* In quo solvendo dubio, hi non minus accurate procedere debent, quam si super ipsa professionis validitate vel nullitate sententiam laturi essent. Quod si pronuntient concedendam videri restitutionem in integrum, tunc ipsis committit sacr. congr. ipsum de nullitate professionis judicium.

XXIII. Prædictam praxim Benedictus XIV in jus commune sancivit, eamque simul moderavit ac determinavit in hunc modum :

Accuratum hujusmodi examen causarum restitutionis in integrum, apud Romanæ curiæ judices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione nostra singulis ad quos pertinet magnopere commendatum, ab ipsis in posterum observari volumus ac jubemus ; hoc tamen addito, ut in commissionibus, quæ diriguntur a superioribus regularibus et ordinariis locorum, pro conficiendis processibus, iisdem sub pœna nullitatis actuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu defensoris professionis ; ad quem nimirum pertinebit interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt testes, aliaque ad officium sibi impositum pertinentia diligentissime præstare. Item volumus ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in præfatis cardinalium congregationibus concilii Tridentini interpretationi, et episcoporum et regularium consultationibus præpositis, quam in auditorio Rotæ, aut in quacunque congregatione particulariter forsan deputata, sub simili nullitatis pœna, defensor professionis, ab eo qui tribunalis caput est, deputatus, expensis eorum de quibus supra, semper et in omnibus actibus in judicio stare debeat ; neque solum in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato causæ examine, auditoque semper defensore professionis, confirmata fuerit ; quemadmodum in altera constitutione nostra, de causis super nullitate matrimonii constituimus. » Bulla, *Si datam.*

(*Vide* plura apud D. Bouix, *De judiciis*, tom. II, p. 466 et seq.)

PARS SEXTA.

DE DELICTIS, CENSURIS ET PŒNIS.

—

LIBER XIV. — DE DELICTIS.

Delicta sunt objectum judiciorum criminalium. Itaque ordine hujusmodi judiciorum exposito, devenimus ad eorumdem objectum.

CAPUT I.

De delictis in genere.

§ I. — Quid sit delictum.

Delictum est actio externa, vel omissio voluntaria, contra legem, coercenda in foro externo Ecclesiæ.

I. Dicitur *actio externa*, quo delictum distinguitur a mero peccato, quod est violatio legis, actu sive externo, sive interno consummata. In judiciis inquiritur tantum de externis, unde axioma : *De internis non judicat Ecclesia.*

II. Vel dicitur *omissio voluntaria*, quæ æquiparatur actioni. Ex c. *Quantæ* 47, *De sent. excom.* ibi : *Eos autem delinquentibus favere interpretamur, qui cum possint, manifesto facinori desinunt obviare.*

III. *Contra legem*, quod communiter intelligendum est de lege ecclesiastica positiva. Attamen violator legis naturalis seu divinæ positivæ, quæ est omnibus certo nota, a judice puniri potest, etiamsi eadem lex declarata non fuerit in sacris canonibus.

IV. *Coercenda in foro Ecclesiæ.* Judices non debent ultra legislatoris intentionem punire, ne punire videantur arbitrarie, præter casus jure præfinitos.

§ II. — De delictorum distinctione.

I. « Crimina vel mere ecclesiastica, vel civilia, vel mixta dicuntur. Ecclesiastica sunt, quæ directe contra fidem et religionem, resque omnes divinas et sacras admittuntur. Hujusmodi sunt apostasia, hæresis, schisma, simonia, profanatio sacramentorum, fractio sigilli sacramentalis, omissio paschalis communionis, aliaque præterea, si quæ sunt generis ejusdem. Omnia hæc crimina subsunt Ecclesiæ coercitioni, sive a clericis, sive a laicis patrata fuerint.

II. « Civilia sunt, quæ lædunt civilem rempublicam, neque aliquid habent spirituale, præter criminis in foro interno absolutionem et pœnitentiam, qualia sunt homicidium, furtum, rapina, falsum, calumnia, cætera similia. Horum facinorum coercitio pertinet ad civilem rempublicam, eaque tantum cum a clericis admissa sunt, propter jus, quod Ecclesia habet in personas, ad ecclesiasticum forum deferuntur.

III. « Mixta demum crimina sunt, quæ simul et religionem lædunt, et civili reipublicæ damnum atque injuriam inferunt. Huc spectant sacrilegium, perjurium, blasphemia non hæreticalis, sortilegium, delicta veneres, crimen usurarum, similia. Obnoxia sunt hæc crimina tum Ecclesiæ, tum civilis reipublicæ coercitioni, quoniam jura utriusque violant et utraque in his criminibus partem suam curare et tueri debet. Quare Ecclesia pœnas sumit de iis, quæ ad religionem, civilis respublica de iis, quæ ad læsam hominum societatem pertinent. Ita sane hæc crimina mixta dicenda sunt, quia subsunt utriusque animadversioni ; non quod sine discrimine ad alterutrum forum deferri possint, ab eoque noscantur, cui primum res omnis commissa fuit. Nam si tantum alterutra potestas in hæc crimina inquireret, jus alienum invaderet, eaque cognosceret, quæ suæ potestati et imperio subjecta non sunt.

« Sed alicubi in hæc crimina animadversio committitur mixtis tribunalibus, quæ scilicet ex magistratibus ecclesiasticis laicisque constant, et alicubi mos est, ut mixtas has causas definiat unus judex, sive ille laicus, sive ecclesiasticus sit, qui scilicet prior negotium occupavit. Verum id factum fuit tacito aut expresso convento et cum legitima auctoritate ; ne qua rerum confusio oriretur, si reus unius criminis duplex judicium et

duplicem pœnam perferre cogeretur. Ecclesia igitur sibi uni reservavit interioris fori judicium, potestatem autem fori exterioris etiam civili reipublicæ permisit, si ipsa primum de his criminibus judicium instituerit, modo tamen non sint admissa a personis ecclesiasticis, quæ semper judicari debent ab ecclesiastico judice.» (Ita Devoti, lib. iv, tit. ii.) — Nunc dicendum est de delictis in specie.

CAPUT II.

De apostasia et hæresi.

§ I. — De apostasia.

I. « *Apostasia* Græcum est nomen, quod Latine significat *defectionem;* et apostatæ sunt qui penitus a Christiana religione per baptismum suscepta defecerunt. Ut vero quis apostata habeatur, sufficit quod Christianam religionem deseruerit, quanquam ad aliam non transierit. Nam et ii qui abjecta Christiana religione Athei (vel Deisti) facti sunt, apostatæ habentur, quanquam nulla ipsis religio sit, quam sequantur. Latiore sensu inter apostatas recensebantur etiam catechumeni, qui catechesim deserentes ad deorum templa transibant, quanquam baptizatorum apostasia deterior, quam catechumenorum haberetur. » (Devoti, lib. iv, tit. iii.)

II. Tribus modis potest quis esse apostata: 1. « Quando quis mente sola recedit a fide catholica : quo casu quidem aliquis apostata constituitur coram Deo, pœnas tamen juris non contrahit; quia est peccatum interne tantum patratum, de quo Ecclesia non potest cognoscere. — 2. Quando quis mente simul, et verbis, vel factis fidem catholicam deserit; quod fieri potest vel omnino occulte, ita ut nemo delictum illius noverit; vel manifeste, et ita ut plures alii compertum habeant. Utroque modo commissum hoc crimen auctorem suum ipso jure excommunicatione, et aliis pœnis a jure constitutis afficit. — 3. Quando quis verbis tantum, aut factis, non tamen animo desciscit a fide catholica et hic probabilius in foro conscientiæ non afficitur excommunicatione, aut aliis apostatarum pœnis; quia hæreticus, aut apostata nemo est, nisi qui scienter et sponte animo a fide, et religione catholica discedit. In foro tamen exteriori censetur apostata, ac proinde, tanquam hæreticus, et apostata punitur ab Ecclesia, utpote quæ probabiliter credit eum mente et animo recessisse a fide.» (Schmalzgr. *De apostatis*, n. 4.)

Hinc Benedictus XIV, bulla, *Inter omnigenas*, an. 1744, prohibuit sacramenta administrare Christianis in Turcarum imperio commorantibus, qui religionem simulant, atque ut Mahumetæ videantur, eorumque juribus ac privilegiis perfrui possint, eorum templa frequentant, nomen assumunt quod proprium est Mahumetarum, aliave peragunt, quibus infideles distinguuntur, tametsi fides animo retineatur.

III. Apostatæ fidei, horumque fautores, receptatores, etc., incurrunt excommunicationem, et cæteras pœnas, quas incurrunt hæretici, et horum fautores, etc. (Ex c. *Contra* 13, *De hæret.* in 6.)

IV. *De apostatis* a religione dictum est in lib. VIII, *De regularibus*, cap. XXII.

V. Clerici etiam (in sacris), qui, suo relicto ordine et habitu, a clericalis vitæ instituto deficiunt et quod laicorum est proprium, vitæ genus suscipiunt, inter apostatas recensentur. Hi plectuntur pœna excommunicationis, quæ latæ sententiæ est si clericus apostata matrimonium contraxerit (Clement. unic. *De consanguinit.*); fiunt infames (can. 23, causa 2, quæst. 7, can. 2, causa 3, quæst. 4); et irregulares (ex infamia) amittunt privilegia clericatus. (C. 23 et 25 *De sent. excomm.*) Et frustra moniti ab episcopo in carceres conjiciendi sunt. (C. 5, *De apostat.*)

§ II. — De hæreticis generatim.

I. *Hæresis* Græcum nomen, quod Latinis *electionem* significat, in communi Ecclesiæ acceptione in deterius sonat, et electionem non quamcunque, sed malam et erroneam circa fidei doctrinam indicat. Duplex autem dividitur hæresis, alia materialis, alia formalis. — *Materialis* est, quando quis non malo animo, aut ex pertinacia, sed ex simplicitate, aut defectu debitæ informationis, vel expositive sinistra informatione, errat circa fidem. Hæc hæresis *materialis* non est de se peccatum, nec consequenter incurrit pœnas contra hæresim formalem latas. — *Formalis* est voluntarius et pertinax error contra aliquam veritatem fidei Christianæ in eo, qui hanc suscepit. (Ita ad mentem S. August. et omnes doctores.)

« Hæresis *materialis* tantum est error intellectus; *formalis* præter errorem intellectus ob pertinaciam dicitur etiam peccatum in

voluntate; et subdividitur in *internam*, seu *mentalem*, et *externam*. — *Illa* est, quæ in mente retinetur, et nec verbis, nec facto externe manifestatur. — *Ista*, quæ externe vigens, verbis, vel facto aliquo externo sufficienter exprimitur. — *Ex quo sequitur* externam hæresim sola expressione, per signum externum facta, a mentali differre; nam in substantiali malitia cum illa convenit. »

In duobus copulative consistit formalis malitia hæresis, nimirum error in intellectu, et pertinacia in voluntate. — « *Error intellectus* quidem; quia hæresis est species infidelitatis, quæ errorem intellectus contra veram fidem importat. — *Pertinacia* vero ex parte voluntatis; quia sine voluntate non est peccatum. Hinc dicitur in definitione *error voluntarius*. Neque sufficit voluntarietas qualiscunque; sed juncta hæc esse debet cum pertinacia, prout affirmant doctores omnes cum sancto Hieronymo, c. *Dixit* 29, et sancto Augustino, c. *Qui in Ecclesia* 31, causa 24, quæst. 3; et concil. Vienn. Clem. 1. Porro *pertinacia* hæc, ad constituendam hæresim requisita, non respicit, aut requirit formaliter durationem temporis, aut firmam persistentiam in errore, quidquid sit de foro externo; sed satis est, quod errans sciat, vel cognoscat contrarium teneri a vera universali Ecclesia; judicium suum hujus judicio præferat, et non obstante definitione fidei, errorem suum retineat, quamvis in hoc non persistat per tempus: talis enim jam pertinax esse censendus est, cum resistat definitioni Ecclesiæ, et per illam non corrigatur. » (Communis doctorum.)

Ex quo sequitur quod dicendi sint formales hæretici, nempe illi, qui cum pertinacia modo descripta tuentur errorem. Neque ad hoc necessarium est, ut quis novæ sectæ moliatur initium, ut hæresiarchæ vel ut sectam aliquam, ab Ecclesia damnatam sequatur; sed pro hæretico etiam habendus ille est, qui privatim in aliquo etiam minimo, et unico articulo fidei a veritate catholica deviat, pertinaciter negando aliquid, quod vel in sacris Litteris expressum, vel a summo pontifice aut conciliis generalibus definitum est, quantumvis de cætero se ut catholicum gerat, et hunc ipsum suum errorem inter alios disseminare non attentet. Ratio est, quia cujusvis hæresis tantum est pondus, ac momentum, ut quamvis minima sit, et unius tantum articuli, vel minimæ etiam partis articuli, firmum assensum tollat, aut in dubium revocet, universam fidem subvertat, propterea quod tolli quoad partem nequeat, nisi tollatur formalis ratio credendi, quæ cum in indivisibili posita sit, tota tollitur, quoties tota non est, aut aliquid illi deest, adeoque ut veridice dici possit, quod reus in uno, factus sit omnium reus.

« Imo pro hæretico habendus est non tantum ille, qui aliquem catholicæ fidei articulum absolute negat, sed etiam, qui de aliquo sibi sufficienter proposito, dubitat positive, pertinaciter affirmando dubium esse, ut cum sancto Thoma 2-2, quæst. 10, art. 5, docent omnes; et patet ex c. *Dubius* 1, *De hæret.*, c. *Firmiter* 1, *De Sum. Trinit.*, Clement. 1, *Porro*, eod., et definitum est in concil. Lateran. sub Leone X, sess. 8. Consentiunt S. Athanasius in *Symbolo fidei*; ibi: *Nisi fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit*. Et aperte sanctus Jacobus, in Epist. cath. c. I, vers. 6 : *In fide nihil hæsitans*.» (Schmalzgrueber *De hæreticis*, n. 1 ad 8.

II. Qui non est baptizatus reus esse potest hæresis coram Deo, sed non est punibilis ab Ecclesia.

III. Hæreticus formalis censendus non est ille, qui errat in fide per ignorantiam invincibilem; quia tali casu abest voluntas, quæ sicut ad omne peccatum, ita vel maxime ad hæresim est requisita. Præterea « dicendum baptizatum, qui errat in fide per ignorantiam etiam vincibilem et crassam, per hoc non effici hæreticum... Quia ad incurrendam hæresim, ut dictum est, requiritur pertinacia. (C. *dixit* 29, cit.; c. *Damnamus*, 2, Clement. 2, *Porro de Sum. Trinit.* ibi : *Qui asserere, defendere seu tenere pertinaciter præsumpserit*, etc.)

« Quinimo, etsi quis etiam ex ignorantia affectata, erret contra fidem, propter tædium inquirendi veritatem, vel ob similem causam, non est proprie hæreticus.. Nisi affectate ignorare velit articulos fidei, aut inquirere circa eos intermittat, ob contemptum auctoritatis Ecclesiæ, et parvam ejus æstimationem; quia talis non est paratus judicium suum subjicere Ecclesiæ, etiam errore cognito, adeoque pertinaciter errat in fide... » (Schmalzgr. *De hæret*. n. 6 ad 15.)

IV. Plures causæ excusant a peccato hæresis : 1. Ignorantia ex parte intellectus, ut

dictum est. — 2. Deliberatio voluntatis; nam qui voluntarie et indeliberate errat circa res fidei, non est hæreticus, et multo minus, qui invitus patitur tentationes repugnantes articulis fidei; quia sicut actus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita etiam hæresis est assensus procedens ex libera voluntatis electione. — 3. Defectus veri dissensus ad objectum fidei, quia hæresis est peccatum fidei oppositum. Fides autem consistit in voluntario intellectus assensu circa objectum revelatum; ergo hæresis necessario debet consistere in voluntario dissensu circa tale objectum. — 4. Defectus pertinaciæ: et hinc hæreticus non est, qui tenet aliqua, quæ sunt contra fidem, dummodo paratus sit corrigi; quia, secundum dicta, hæresis est error cum pertinacia junctus; is autem, qui paratus est corrigi, non potest censeri pertinax. Non autem sufficit quæcunque pertinacia, sed insuper requiritur ut existimet se contravenire doctrinæ Ecclesiæ, et propterea pro hæretico haberi non potest, qui ab inquisitore fidei, vel a suo episcopo, vel a viro theologo, per inquisitores, vel episcopum ad docendum destinato, instructus de re fidei, illis non credit, asserens contrarium, modo existimet se non contravenire doctrinæ Ecclesiæ, vel definitioni pontificis, ut contra Bartol., Rebuff., Hugolin., et alios docent Carus, Valent., Vasquez, Sanch. Ratio est quia solius Ecclesiæ ac pontificis est res fide tenendas definire; cæteri autem et fallere et falli possunt. » (SCHMALZGR. *De hæreticis*, n. 24.)

V. *Cautelæ* per sacros canones inductæ ne hæresis spargatur per personas de hac suspectas, sunt: 1. prohibitio librorum hæreticorum, et pœnæ contra hujusmodi libros legentes, retinentes, vendentes, etc., latæ. — 2. Prohibentur occulta conventicula. —3. Et laicis prædicatio verbi divini; iisdem prohibetur etiam disputatio de mysteriis fidei —4. Episcopis injungitur visitatio annua.—5. Institutio S. Officii inquisitionis. De quibus omnibus dictum est in suis locis. (*Vide* SCHMALZGR. *De hæreticis*, § 2.)

§ III. — De pœnis hæreticorum, et præcipue de spiritualibus.

I. *Materialis* hæresis non subjacet censuris, et pœnis aliis in hæreticos latis, quia hæc non feruntur, nisi ob culpam conjunctam cum pertinacia; atqui in hæresi materiali vel nulla adest culpa, vel si adest, saltem pertinacia abest. Ex quo sequitur hæreticos materiales, si ad catholicam fidem convertantur, non debere absolvi ab excommunicatione, nisi ad cautelam; sed sufficiet si faciant professionem fidei, et suscipiant sacramentum pœnitentiæ.

II. « *In hæresi formali* distingui debet inter hæresim pure mentalem, sive mere internam, et inter eam, quæ manifestatur verbis, vel aliis signis externis, hæresim internam sufficienter exprimentibus.

« *Prior* iterum censuris et pœnis relatis obnoxia non est, prout docent communiter; *ex quo fit* hæreticum mentalem a quocunque confessore, qui a mortalibus absolvendi potestatem habet, posse absolvi.

« *Posterior* puniri hujusmodi pœnis potest... proceditque hoc etiamsi signa illa adeo occulte sint data, ut in judicio probari hæresis iis prodita nequeat; nam adhuc ab hujus reo incurruntur pœnæ hæreticorum, non quidem illæ, quæ requirunt sententiam, sed quæ sunt latæ sententiæ, et ab ipso jure inflictæ: nam hæ accusationem et judicialem sententiam non requirunt. » (*Communissima* theologorum et canonistarum.)

III. Pœnæ spirituales in hæreticos latæ sunt sequentes.

1. Incurritur ab ipsis excommunicatio major ipso jure. (C. *Cum Christus* 7, c. *Ad abolendam* 9, c. *Excommunicamus* 13 et 15, et c. *Noverit* 9, *De sent. excomm.*) Estque excommunicatio hæc reservata papæ per bullam *Cœnæ* cas. 1.

2. Privantur ipso jure sepultura ecclesiastica. (C. *Sicut* 8, *De hæret.* et cap. *Quicunque* 2, eod. in 6.)

3. Fiunt irregulares, ita ut nec ordines suscipere, nec in susceptis sine dispensatione ministrare possint, etiamsi ab hæresi sint absoluti. (C. *Saluberrimum* 21, causa 1, quæst. 7; c. *Quicunque* 2 cit., et c. *Statutum* 15, *De hæret.* in 6.)

4. Redduntur inhabiles ad dignitates et beneficia ecclesiastica, aliaque officia publica obtinenda; estque collatio talis ipso jure irrita per textus citatos.

5. Privantur dignitatibus, beneficiis et officiis, ante eorum in hæresim lapsum obtentis. (C. *Ad abolendum* 9, *De hæret.*; et c. *Ut commissi* 22, eod. in 6.)

6. Quicunque viri ecclesiastici, qui ad preces hujusmodi pestilentium personarum,

dignitates, personatus, et quæcunque alia beneficia ecclesiastica sunt adepti, iis privantur perpetuo, ita ut nec mortua persona intermedia possint ea consequi; et si receperunt ea scienter, ad alia, et similia nequaquam in posterum admittuntur. (C. *Quicunque* 2, *De hæret.* in 6.)

IV. *Has pœnas incurrunt* : 1. Ipsi hæretici; extenditur etiam ad suspectos de hæresi, nisi juxta considerationem suspicionis, et qualitatis personæ se debite purgaverint; nam et isti excommunicari et vitari debent, donec competenter satisfecerint : et si per annum contumaciter in excommunicatione perstiterint, tanquam hæretici sunt condemnandi : imo ipso jure pro hæreticis habentur, ita ut tantum opus sit sententia declaratoria criminis.

2. Eorum *credentes*, seu illi, qui erroribus ipsorum sive in particulari, sive in communi, sive expresse, sive confuse per signum aliquod externum assentiuntur, qualis esse censetur ille, qui sciens aliquem esse hæreticum, credit ipsum rectam fidem habere, etsi in particulari nesciat ipsius errores; item qui dicit se credere, quidquid ipse credit; qui animo assentiendi ipsius erroribus prædicationem vel lectionem ipsius audit; imo etiam ille, qui licet non habeat animum assentiendi absolutum, habet tamen illum sub conditione; si ipsi rationes, et motiva hæretici placuerint; nam talis jam credens est, saltem sub conventione; quod videtur sufficere ut talis sub credente comprehendatur; quia ratione illius animi dubii amittit fidem. (Communis.)

3. Eorum *receptatores*, seu illi, qui hæreticis ob causam hæresis fugientibus, seque occultantibus alicubi hospitium præbent. (C. *Sicut* 8, *De hæret.*)

4. *Fautores* seu qui hæreticis ob causam hæresis favorem præstant; quod fieri potest *omissione;* si qui tenetur eos capere, aut judicibus indicare, eos non capit, non indicat; si captos et curæ suæ commissos non custodit; si puniendos non punit, etc; et *commissione*, quod fieri potest *verbis*, laudando hæreticum, affirmando esse virum probum, injuste ipsum damnari, ipsi dando consilium, ut possit errores suos celare, et condemnationem effugere. *Factis*, qui hæreticos occultat in domo, auxilium illis præbet, ut effugiant, aut alia facit, ex quibus inquisitionis officium erga ipsos impeditur.

5. *Defensores;* quod dupliciter fieri potest, scilicet defendendo hæretici errores, et defendendo ejus personam ob causam hæresis. — Dixi *ob causam hæresis;* nam qui hæreticos recipiunt, defendunt, aut ipsis favent ob aliam causam, quam causam hæresis, non incurrunt excommunicationem, vel alias juris pœnas.

V. Ut quis ob hæresim incurrat excommunicationem, requiruntur hæ quatuor conditiones : 1. Ut sit hæreticus formalis.—2. Ut hæresim animo conceptam verbis, vel aliis signis externis, sufficienter prodat; nam hæresis mere interna excommunicationi non subest, neque absolutio ab illa est reservata. — Dixi *mere interna;* nam ob exteriorem, etiam penitus occultam, quia v. gr. aliquid contra fidem voluntarie et pertinaciter quis mente affirmat, et ore ac lingua exterius profert, etiam nemine præsente, et audiente, excommunicatio ipso jure incurritur. — 3. Ut externa actio, per quam hæresis interna proditur, sit ex se mortaliter peccaminosa, et non tantum, prout substat actui interno, et ab illo procedit. Hinc non est excommunicatus, qui hæresim internam manifestat alteri animo capiendi ab eo consilium aut instructionem. — 4. Ut actus externus ponatur, aut omittatur animo hæresim asserendi, profitendi; nam si alio animo, v. gr. legendi et disputandi, etc., fiat, hæresis peccatum non est.

VI. Qui contra prohibitionem Ecclesiæ sepeliunt hæreticos, horum credentes, etc. : — 1. Incurrunt excommunicationem, neque ab hac absolvuntur, antequam satisfactionem congruam præstiterint, et corpus hæretici ita tumulati exhumaverint. (C. *Quicunque* 2, *De hæret.* in 6.) — 2. Sunt suspecti de hæresi : et propterea inquisitor potest contra eos procedere. — 3. Clerici, dantes sepulturam hæreticis, vel eorum fautoribus, etc., suo privantur officio, ad quod nunquam restituuntur absque indulto sedis apostolicæ. (C. *Excommunicamus* 13, *De hæret.*)

Immunes autem ab istis pœnis sunt : 1. Qui hæreticum sepeliri curant, non ex causa hæresis, sed ne illius cadaver putredine aerem corrumpat, vel ob amicitiam, vel consanguinitatem, modo hoc fiat extra locum sacrum. — 2. Qui sepeliunt hæreticum ignorantes esse hæreticum. — 3. Qui metu

coacti hoc fecerunt, ut colligitur ex c. *Quicunque* 2, *De hæret.* in 6

VII. Disputatur inter doctores utrum irregularitas ad ordines suscipiendos, et ministrandum in susceptis, item inhabilitas ad dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica, per hæresim contracta, hac relicta, vel ejurata perseveret? Plures concedunt irregularitatem, et inhabilitatem istam, si fuerit orta ex hæresi occulta, non permanere, quod nullibi caveatur, hanc inhabilitatem ex hæresi occulta, ac per pœnitentiam deposita, manere. Imo, Henriq., Laym., Pirhing, etc., non improbabiliter putant, ab hæretico occulto irregularitatem, et inhabilitatem istam non contrahi, ac propterea, si is, qui in hæresim occultam incidit, resipiscat, valide eidem beneficium conferri posse. (Arg. c. *Ad abolendam* 9, *De hæret.*) Rationem dant, quia non propter hæresim solam, sed quatenus habet juris infamiam, irregularitas in hæreticos decreta est; atqui infamia juris non habet locum in hæretico occulto, etc. *Contrariam* sententiam probabiliorem et juri conformiorem putant Sylv. et alii... - Quidquid sit, licet irregularitas contrahatur ex delicto hæresis occulto, satis communis sententia est eorum qui docent, in hac irregularitate, virtute *Trident.*, dispensare posse episcopum.

Aliud est in irregularitate, contracta ob hæresim notoriam; nam in hac, ut clericus in eam lapsus ascendere ad superiores ordines, et laicus ad istas promoveri possit, dispensare solus pontifex potest.

VIII. Ut hæreticus facto ipso beneficium, a se ante obtentum, teneatur dimittere, requiritur sententia declaratoria criminis. — Suspecti et diffamati solum de hæresi non privantur ipso jure beneficiis obtentis, sed juxta criminis qualitatem per sententiam sunt privandi. (SCHMALZGR. *De hæreticis*, § 3.)

IX. *Pœnæ temporales*, quæ in hæreticos, horumque credentes, receptatores, defensores, fautores tum jure canonico, tum per leges civiles latæ sunt, etiam ipsæ complures sunt, et quidem : 1. Incurrunt infamiam. — 2. Non possunt exercere aliqua officia publica. — 3. Privantur omnibus privilegiis quibus fruebantur quando erant Catholici. — 4. Censentur privati omni actu legitimo, ut decrevit Leo X, constit. *Exsurge*, an. 1520. — 5. Fiunt intestabiles tam active, quam passive, ita ut neque testamentum condere neque succedere ex testamento, vel ab intestato possint. (C. *Excommunicamus* 13, *De hæret.* — 6. Confiscantur ipsorum bona. (C. *Vergentis* 10, c. *Excommunicamus* 13, *De hæret.*) — 7. Si in hæresim lapsus liberos habet, amittit in hos patriam potestatem; servi ejus liberi fiunt. — 8. Denique hæretici, si pœnis istis insuper habitis, errores suos pertinaciter abjurare noluerint, aut in eos abjuratos relapsi, sponte non redierint, curiæ sæculari, præmissa, si clerici fuerint, degradatione, sunt tradendi. (C. *Ad abolendam* 9, c. *Excommunicamus* 15, *De hæret.*)— (*Vide* SCHMALZGR. qui tit. *De hæret.* § 4, hæc omnia evoluta habet.)

§ IV. — De judice in crimine hæresis.

Judices competentes ordinarii in crimine hæresis, sunt :

I. *Summus pontifex*, nam hic est supremus judex in crimine hæresis, a quo omnis aliorum judicum jurisdictio spiritualis descendit, et dependet. Imo in quæstione, an aliquod dogma hæreticum sit, solus papa judicare et cognoscere potest.

II. *Legatus a latere*, jure communi spectato, et etiam supra inquisitores jurisdictionem habere videtur, ex const. *Seu litteris*, Urbani IV. De consuetudine autem legati sedis apostolicæ sine speciali commissione papæ, vel supremi tribunalis S. Inquisitionis non solent se intromittere.

III. *Episcopus* respectu omnium hæreticorum suæ diœcesis, sive clerici sint, sive laici; idque extenditur etiam ad exemptos a jurisdictione episcopali, contra quos potest procedere in crimine hæresis, non quidem ut judex ordinarius, sed ut judex delegatus papæ juxta cap. *Ad abolendam* 9, *De hæret.*

IV. *Capitulum*, sede vacante.

V. *Prælati inferiores episcopo*, habentes jurisdictionem quasi episcopalem in clerum, et populum independentem.

VI. Præter enumeratos judices, qui ordinaria potestate cognoscere possunt de crimine hæresis, alii de eo cognoscere possunt potestate delegata. Inter hos præcipuum locum obtinent inquisitores S. Officii. Potest autem potestas hæc etiam aliis delegari, præcipue vero ab episcopo vicario suo, independenter a qua delegatione vicarius generalis non est judex competens in crimine hæresis; quia ob gravitatem istius criminis

requiritur specialis commissio, ut colligitur ex Trident. sess. 24, cap. 6, *De reform.*, ibi: *Ipsis episcopis, et non eorum vicariis commissum.*

§ V. — Quis absolvere possit hæreticos.

I. Si crimen hæresis deductum fuerit coram tribunali episcopi, sive spontanea confessione rei, sive denuntiatione, episcopus dare potest absolutionem quæ suum effectum operetur in utroque foro, interno et externo. Ita communis, et confirmat Schmalzgrueber, *De hæreticis*, n. 200, ibi :

« *Quam ergo potestatem absolvendi ab hæresi nunc post bullam* Cœnæ *habeant episcopi?* — Resp. 1. *In foro externo*, non obstante hac bulla, possunt episcopi, præsertim Germaniæ , ubi alii inquisitores hæreticæ pravitatis non sunt, de jure communi absolvere hæreticos (dummodo non sint hæresiarchæ, seu novæ hæresis auctores, aut relapsi) ab excommunicatione papæ reservata, tanquam delegati sedis apostolicæ, abjurata prius hæresi, et injuncta illis pœnitentia, prout sumitur ex c. *Ut officium* 11, *De hæret.* in 6. Quæ absolutio illis prodest etiam in foro interno, ita ut ablata excommunicatione , a quovis confessario approbato, a peccato hæresis absolvi possint, cum e contrario absolutio, data in foro interno , non prosit pro foro externo : et hinc absolutus in foro interno, si postea de hæresi accusetur in foro externo, non evadit pœnas illius fori.... Quia utrumque judicium tendit ad diversos fines ; nam pœnitentia, in foro interno imposita, tendit ad hoc, ut satisfiat Deo, et imponitur tanquam medicina propriæ salutis ; at pœna fori judicialis externi tendit ad vindictam publicam, ut satisfiat reip. pravo hæretici exemplo læsæ. » (Ita etiam Bened. XIV, *De syn. diæc.* lib. IX, c. 9.)

II. Si crimen hæresis sive sit notorium sed nondum ad forum contentiosum deductum, sive occultum fuerit, solus pontifex cui absolutio illius reservata est ratione excommunicationis illi annexæ, ut omnes fatentur, potest ab eo absolvere. Nam facultas absolvendi ab hæresi episcopis tributa a concilio Trident. sess. 24, c. 16, ipsis fuit adempta per bullam *Cœnæ*. « S. Pius V, et Gregorius XV, de hac re interrogati, ut Benedictus XIV post Navarrum, indubitanter responderunt, nulli præter papam, hodie integrum esse quemquam absolvere ab hæresi, etiam occultissima, eo quod papa per bullam *Cœnæ* ejusmodi facultatem sibi reservet. » (*De syn. diæc.* lib. IX, n. 9. — Ita etiam Schmalzgr. *De hæreticis*, n. 195 et seqq. ; Ferrar. *passim*, et apud eos multi alii.) Hinc merito Alexander VII in decreto edito 1665, inter alias propositiones tanquam scandalosam damnavit sequentem : *Sententia asserens bullam* Cœnæ *solum prohibere absolutionem hæresis, et aliorum criminum, quando publica sunt, et id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629, die 18 Julii in consistorio S. cong. eminentissimorum card. visa et tolerata est.*

Sed in praxi in foro interno : 1. potest sacra Pœnitentiaria ab hæresi occulta absolvere , et hanc facultatem confessariis delegare. — 2. In foro etiam interno possunt episcopi ab hæresi absolvere jure ordinario, et secluso speciali privilegio eum, qui ob impedimentum perpetuum, vel ad longum tempus duraturum prohibetur adire pontificem ; debet tamen episcopus, in eo casu, ita absoluto sub juramento injungere, ut cessante impedimento Romam se conferat, ut notat Reiffenstuel, n. 375. » (Schmalzgr. *De hæres.* n. 201 et 203.)

III. In articulo mortis ab hæresi et excommunicatione per eam incursa absolvere potest quivis sacerdos. (C. *De his* 9 et seqq. causa 26, quæst. 6; et *Trident.* sess. 14; c. 7, *De sacram. pœnit.*

IV. Ab hæresi mere mentali seu interna, nullis verbis aut signis externata, potest absolvere quivis sacerdos ad confessiones approbatus.

III. Quando hæreticus ad Ecclesiam catholicam regreditur e secta in qua baptizatus fuit, post accuratam de valore sacramenti inquisitionem, si res dubia videtur, baptismum iterare oportet sub conditione; et peracto baptismo, neophytus debet sua peccata confiteri sacerdoti ad obtinendam sacramentalem absolutionem quæ necessaria est, si forte baptismus, in secta hæreticali collatus, validus fuerit.

Cætera observanda in reconciliando hæreticos ecclesiæ habentur in libris ritualibus.

§ VI. — De vitandis hæreticis, eorumque credentibus et fautoribus, etc.

1. Certum est, antiquo jure, nos omnes

fuisse vitandos, ut quoscunque alios excommunicatos, publice quidem, si notorii erant, privatim autem si occulti. Sed jus antiquum immutatum est extravag. *Ad evitanda* a Martino V in concilio Constantiensi edita. Unde dicendum non esse vitandos nisi nominatim denuntiati sint, quamvis sint manifesti, et notorii. Ita multi... Proceditque hoc probabilius, etiamsi aliquis ut hæreticus nominatim condemnatus, et declaratus sit; quia vigore extravag. *Ad evitanda*, nemo vitare tenetur excommunicatum, nisi censura a judice contra personam denuntiata sit specialiter, et expresse. Hoc autem non fit sola denuntiatione hæresis, vel alterius criminis, habentis excommunicationem sibi ipso jure annexam. Ergo. etc. Addit Sanch. lib. II *Moral.*, cap. 9, n. 3, idem dicendum, etsi quis declaretur per sententiam esse hæreticus, et incurrisse omnes illius pœnas, vel apertius, omnes censuras; quia nondum est specialiter, et expresse denuntiatus ut excommunicatus, et multi adhuc nescirent sub censuris comprehendi excommunicationem. (Scambog. hic, n. 20; Reiffenstuel. *ibid.* n. 22; — Schmalzgr. *De hæreticis.* n. 212.)

II. « *Ex quo sequitur* : 1. Licitum esse Catholicis, præsertim in locis, ubi permisti cum hæreticis vivunt, ut in Germania, Gallia, Anglia, cum hæreticis conversari, civilia cum iis commercia inire, etc. Quia quamvis sint publici hæretici, non tamen sunt expresse et nominatim denuntiati.

2. « Licitum est cum hæreticis nondum denuntiatis simul orare, et rem divinam, ac conciones cum eis audire, comitari funus, eosque ad sepulturam deducere; modo id non fiat : 1° animo favendi hæreticis ut hæretici sunt (quia hoc intrinsece malum est), sed solo affectu humanitatis, et amicitiæ; 2° dummodo id fiat sine scandalo, et offensione Catholicorum, et sine communicatione in ritibus et cæremoniis hæreticorum; 3° dummodo hæretici sepeliantur in loco profano; nam si comitarentur ad rem illicitam, cooperarentur peccato sepelientium. »

3. Licitum est Catholico adire templa hæreticorum et in eis preces fundere ritu catholico, vel conciones eorum audire, si ex justa causa fiat, v. gr. ut famulus dominum suum comitetur, vel ut errores ministri hæretici annotentur ad confutandum, modo absit scandalum, et periculum propriæ perversionis. »

4. « Licitum est Catholico in prædictis locis filium hæretici ex baptismo suscipere, si hic ritu, et modo catholico, non hæretico aut schismatico ministretur; quia id nullo jure prohibitum est : non tamen ordinarie, et sine gravi causa licebit vice versa, ut catholicus adhibeat hæreticum in patrinum filii sui; quia juxta canones Ecclesiæ patrini officium est susceptum e baptismo instruere in primis fidei rudimentis; ideoque hæreticus hoc munus obire non potest. »

5. « Possunt filii hæreticorum admitti ad scholas Catholicorum, etiamsi jam adulti sint, et erroribus hæreticorum imbuti; quia non sunt nominatim denuntiati; non tamen possunt filii Catholicorum adire scholas hæreticorum, ob periculum perversionis. »

III. « Contra, 1. Illicitum est Catholicis a parochis, et episcopis hæreticis sacramenta recipere, sive baptismi extra casum necessitatis, sive Eucharistiæ sive pœnitentiæ, sive alia, si inde oriatur scandalum, vel periculum perversionis, vel si sacramentum ritu hæretico ministretur; quamvis quantum præcise est ex vi hæresis, excommunicationis, id non sit directe prohibitum, si hæretici illi non sint nominatim denuntiati, vel notorii percussores clericorum, adeoque non sint vitandi. Et in extremo vitæ periculo etiam sacramentum pœnitentiæ ab hæretico presbytero rite ordinato percipere licitum est, quia tunc excommunicatus etiam denuntiatus non caret jurisdictione. »

2. « Generatim loquendo, illicitum est Catholicis contrahere matrimonium cum hæreticis, quamvis illud sit validum; et quia sacrilegium committitur, » nisi accesserit dispensatio pontificis. (Schmalzgr. *De hæret.* n. 211 et seqq. et Bened. XIV, *De synod. diœc.* lib. VI, cap. 5, n. 3.)

3. « Universim vitandi hæretici sunt in rebus divinis; et quidem jure divino in tribus sequentibus casibus : 1. Si ex communicatione cum illis in hujusmodi rebus apud Catholicos oriatur scandalum, et offensio, vel si ea suspicio nascatur, quod Catholici hæreticorum ritus, mores, et dogma, verbo, signo, vel facto profiteantur. — 2. Si ex communicatione in his rebus periculum animæ spirituale immineat, videlicet perversionis in fide, aut catholicæ religionis contemptus. — 3. Si catholicus cum hæretico ha-

beat commercium in crimine, ob quod fuit excommunicatus; extra hos casus non jure divino, sed canonico tantum hæretici in rebus sacris vitandi sunt. » (SCHMALZGR. *De hæret.* n. 220.)

§ VII. — De principibus catholicis quoad hæreticos.

An principes catholici recipere, vel tolerare in suis territoriis hæreticos, vel ritus eorum possint? An et qualiter principes catholici in bello, quod intenditur, vel actu jam geritur, sub certo fœdere auxilium præbere hæreticis, aut istos in auxilium vacare contra alios, præsertim catholicos, vel cum illis fœdus, ut vocant, defensivum, et offensivum inire possint de mutuo auxilio ferendo contra quoscunque? — *Vide* id fuse evolutum apud SCHMALZ. *De hæreticis*, n. 221 et seqq.)

CAPUT III.
De schismate.

Hæreticis affines sunt schismatici, imo non infrequenter etiam hæresis rei. Hæretici contra fidem, schismatici contra Ecclesiæ unitatem peccant.

§ I. — Schismatis definitio.

I. « *Schisma*, a quo *schismatici*, Græca vox, idem quod *scissura* significat. In præsenti sumitur pro scissione, vel divisione, qua se aliquis, vel aliqui dividunt ab unitate Ecclesiæ. Et hinc, quia unitas Ecclesiæ consistit in conversatione, seu communione membrorum inter se, tum in ordine ad unum caput, quod est Christus, cujus vices gerit summus pontifex, scilicet ut in una fidei doctrina, cultu religionis, et in spirituali regimine omnes fideles sint subjecti uni capiti Ecclesiæ, nempe Romano pontifici: hinc *schismaticus* dicetur ille, qui subesse summo pontifici, et membris Ecclesiæ illi subjectis communicare renuit. Ipsum vero *schisma* definiri poterit, quod sit divisio, sive discessio ab unitate Ecclesiæ, quatenus hæc est corpus mysticum, ex universis fidelibus tanquam membris et Romano pontifice tanquam capite constant.» (Ita doctores communiter cum sancto THOMA, 2-2, quæst. 39, art. 1.) —

II. « Schisma est via ad hæresim, sicut amissio charitatis ad amissionem fidei. »

§ II. — Quotuplex sit schisma.

Schisma aliud est purum, aliud conjunctum cum hæresi. — *Schisma purum* non opponitur fidei, sed charitati, et paci, quando scilicet aliquis ex sola malitia voluntatis non vult summo pontifici qua tali obedire, vel reliquis membris unitus esse, ut si certum aliquod regnum constituat sibi archiepiscopum, vel patriarcham, cui in spiritualibus obediat, aut alios speciales religionis cultus ab Ecclesia reprobatos adhibeat, et non obtemperet mandatis pontificis qua talis, quamvis de cætero non neget pontificatum Romanum, vel alios fidei articulos. — *Schisma conjunctum cum hæresi* est, quod præter separationem ab Ecclesia insuper in fide dissentit, ut quia negat pontificem Romanum esse Christi vicarium, et Ecclesiæ caput, vel Eucharistiam legitime distribui sub una specie, etc.

« Practice quidem vix unquam dari potest purum schisma.

§ III. — Quinam sint proprie schismatici.

« Tales sunt ii duntaxat, qui recedunt vel a summo pontifice, ei negando reverentiam, et obedientiam debitam, vel a cæteris Ecclesiæ membris seorsim orationes, jejunia, et alias functiones spirituales, tanquam si essent corpus a reliqua Ecclesia distinctum, exercendo. »

« Potest autem hoc fieri directe, vel indirecte. *Directe* se dividit ab unitate Ecclesiæ, qui expresse et formaliter intendit non recognoscere pontificem, ut superiorem : *indirecte*, qui facto ipso ostendit non recognoscere, dum ita se gerit, ac si subjectus non esset. Et tales censentur esse : 1. Qui præsumunt absque debita auctoritate congregare concilium universale, aut ipsum, postquam per legitimam auctoritatem est dissolutum, prosequuntur... »

2. Qui appellant a sententia summi pontificis ad concilium generale.

3. Qui regi alicui vel imperatori exhibent obedientiæ signa, quibus testantur eum esse Christi vicarium in spiritualibus, quamvis interius sic esse nullo modo credant.

§ IV. — Quid requiratur, ut aliquis dicatur vere schismaticus.

I. Requiritur, ut recedat ab obedientia summi pontificis, et communione cæterorum fidelium qua talium.

II. Ut hic recessus junctus sit cum pertinacia; quia schisma verum est quædam rebellio in summum pontificem, vel Ecclesiam.

III. Ut idem recessus fiat quoad illa, quæ

p rtinent ad unitatem Ecclesiæ. Nam verum schisma est separatio ab unitate Ecclesiæ inter se, et cum suo capite.

IV. Ut sic recedens agnoscat eum, cui obedire detrectat, esse caput Ecclesiæ, et verum Christi vicarium.

V. Ut exerceat actum formalis inobedientiæ, hoc est, ut obedire pontifici nolit, licet agnoscat eidem ex doctrina fidei esse obediendum.

« Et hinc : 1. Non est schismaticus, qui quomodocunque peccat mortaliter. — 2. Qui solummodo est excommunicatus. — 3. Qui recedit ab obedientia unius episcopi, et diœcesis communicatione, si perseveret in obedientia papæ, et in communicatione cum aliis ecclesiis. — Ratio est, quia vere, et proprie dictum schisma importat separationem ab Ecclesia catholica et universali, ejusque capite. Neque obstant can. *Scire* 7, causa 7, quæst. 1; et can. *Loquitur* 18, causa 24, quæst. 1, ubi dicitur schismaticus, qui a suo episcopo, et solis membris Ecclesiæ diœcesis particularis se separat. Nam textus isti, et similes intelligi possunt de summo pontifice, et Ecclesia universali; vel si urgeas, eos intelligendos etiam de episcopo inferiore, responderi potest, tales dici schismaticos late tantum, et improprie, non etiam stricte. — 4. Qui agit solummodo contra præceptum, vel prohibitionem papæ, eo quod ipsi videatur difficile, et arduum, vel extra pontificis potestatem.... non est proprie schismaticus, sed inobediens. — 5. Qui papæ recusat subesse, et obedire quod persona ipsius videatur suspecta, vel odiosa, in odium, et vindictam illius; quod multo magis procedit, quando credit talem non verum pontificem, vel an verus sit, probabiliter dubitat, ut fit, quando duo electi sunt, et non constat, quis ex illis rite electus sit, tunc enim schismaticus non erit, qui nulli adhæret, sed utrique obedientiam denegat, quantumvis a parte rei unus eorum sit verus pontifex, modo paratus sit obedire illi, quem concilium generale, ad quod eo casu recurrendum erit, declaravit esse verum, et legitimum pontificem. »

§ V. — Quale peccatum sit schisma, et quæ illius pœnæ statutæ a jure.

I. Est peccatum gravissimum, nec admittit parvitatem materiæ; quia malitia illius consistit in superbia, et contemptu Ecclesiæ, cujus unitatem, quantum est ex se, scindit; quæ malitia tota reperitur, in quacumque re fiat ab ea unitate recessus...

II. Hinc merito in ejus criminis reos gravissimæ per SS. canones constitutæ pœnæ sunt. — Et quidem : 1. Excommunicatio major (C. *Nulli* 5, dist. 19, et c. *De ligoribus* 43, causa 23, quæst. 5), quæ ipso jure lata, et sedis apostolicæ absolutioni reservata est per bullam *Cœnæ*, cas. 1. Tangit excommunicatio hæc solum schismaticos proprie dictos, non vero improprie tales... neque illa afficiuntur schismaticorum receptatores, fautores, et defensores; quia in supra dicta bulla non exprimuntur... Incurrunt tamen isti excommunicationem non reservatam, per textum c. unic. *De schismat.* in 6, et constit. Pauli IV *Cum apostolatus*, ubi excommunicantur, aliisque pœnis afficiuntur fautores schismaticorum.

2. Inhabilitas ad beneficia, et dignitates ecclesiasticas præsertim episcopalem, imposterum obtinendas. (C. *Quia diligentia* 5, *De elect.*) Manetque ista probabiliter etiam post peractam pœnitentiam, et schismatis abjurationem. In hac inhabilitate dispensat solus papa, si schisma publicum sit; si vero occultum, dispensare posset episcopus ex vi Trident. sess. 24, cap. 6, *De reform.*

3. «Bonorum confiscatio; item privatio beneficiorum, officiorum, honorum, ac dignitatum ecclesiasticarum prius obtentarum; dicendum tamen, si schisma hæresi conjunctum non sit, privationem beneficiorum, officiorum, etc., ipso facto non inducere... »

« 4. Infamia, et irregularitas, non quidem juris, sed facti tantum, quæ proinde, crimine per pœnitentiam sublato, cessat, imo non incurritur, nisi crimen notorium sit. »

5. Privatio ecclesiasticæ jurisdictionis. (C. *Novatianus* 6, causa 7, quæst. 1; c. *Didicimus* 31, causa 24, quæst. 1; c. *Quod a prædecessore, De schismat.*) Et hinc irriti sunt actus jurisdictionis.

6. Suspensio ab usu, et exercitio ordinum, a schismatico, qui publice et nominatim denuntiatus est, scienter receptorum. (C. *Ordinationes* 5, causa 9, quæst. 1; c. *Quod a prædecessore* 1, et c. fin. *De schismat.*) Huc usque SCHMALZGR. *De schismaticis.*

III. Hic aliqua relate ad Gallias addenda utile duximus, ex damnatione per Pium VI famosæ *Constitutionis civilis cleri Gallicani*, an. 1790. Hæc pontifex declaravit, brev. *Charitatis*, die 3 April. 1791.

Ut gliscenti schismati obicem opponamus.. Nos conciliis inhærentes venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, et votis obsecundantes totius episcopalis cœtus Ecclesiæ Gallicæ... Apostolica potestate in primis edicimus ut quotquot sunt cardinales, archiepiscopi, episcopi, parochi, vicarii.... qui civicum juramentum pure et simpliciter, prout a conventu nationali præscriptum fuit, emiserunt, errorum omnium venenatum fontem et originem, catholicæque Gallicanæ Ecclesiæ mœroris præcipuam causam, nisi intra 40 dies retractaverint, a cujuscunque ordinis exercitio sint suspensi, et irregularitati obnoxii, si ordines exercuerint.

Declaramus item ac decernimus nefarias eorumdem (episcoporum juxta Constitutionem civilem) consecrationes fuisse, et esse omnino illicitas, illegitimas, sacrilegas; ac proinde eosdem omni jurisdictione ecclesiastica carere; atque ab omni exercitio episcopalis ordinis esse suspensos... Pariter declaramus suspensos esse ab exercitio sacerdotalis, seu cujuscumque alterius ordinis, eos omnes qui in exsecrandis hujusmodi consecrationibus opem, operam, consensum et auxilium præstiterunt.... Qui ab ipsis fuerint ecclesiasticis ordinibus initiati, noverint suspensionis vincula se obstrictos, et si susceptos ordines exercuerint, irregularitati etiam fore obnoxios...

Quia majori, uti nobis licuit benignitate, declaravimus huc usque canonicas pœnas inflictas ut mala hactenus perpetrata emendentur.... Si fiet unquam, ut nostræ monitiones, quod Deus avertat, in irritum sint recasuræ, sciant nostræ mentis non esse illos a gravioribus iis pœnis liberare quibus per canones subjiciuntur, sibique certo persuadeant se per nos anathemati subjectum iri, nosque illos anathemate percussos Ecclesiæ universæ denuntiaturos, tanquam schismaticos, a communione Ecclesiæ, nostraque, segregatos.

Cum vero communicatio cum schismaticis in divinis iisdem etiam regulis prohibeatur ac communicatio cum hæreticis; ut illarum accommodatio ad statum ecclesiarum Galliæ tempore perturbationis Galliæ manifestior esset, Pius VI præscripsit dari episcopis, presbyteris, cunctisque fidelibus instructionem exaratam super quibusdam quæstionibus S. sedi præpositis.

IV. « Ex responsis datis in prælaudata instructione sequitur : 1. Licitum non fuisse adire presbyterum juratum pro sacramento baptismatis, nisi in casu extremæ necessitatis, in quo non erat alius valens baptizare. — 2. Non potuisse fideles adire parochum intrusum pro contrahendo matrimonio; unde si non suppeteret medium habendi presbyterum catholicum facultatibus opportunis ad hoc instructum, fideles debuerunt contrahere sine præsentia proprii parochi, adhibitis duobus saltem testibus catholicis juxta Tridentinum præscriptum. — 3. Fideles potuisse in articulo vel periculo mortis, sacramentum pœnitentiæ recipere a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochis intrusis, deficiente quovis alio catholico sacerdote.—4. Fidelibus vetitum fuisse assistere, diebus etiam Dominicis et festivis, sacrificio Missæ, aliisve officiis celebratis a presbytero, seu parocho jurato. Alia quæstio proposita erat: *Num liceret fidelibus genua flectere coram hostiis consecratis ab intrusis.* Ad quam responsum fuit *affirmative*, his vero additis: *Ne in hujusmodi cultu præstando immiscere se videantur Catholici cum schismaticis, curabunt idem Catholici occasiones declinare occursus schismaticorum, cum sacramentum deferunt.* » (Responsa data a Pio VI de consilio selectæ Cardinal. congr. 28 Maii 1793.)

§ VI. — De schismaticis resipiscentibus.

« Schismatici resipiscentes non excipiuntur nisi publice, id est coram pastore legitimo et debitis testibus, schisma ejurent, quando publice adhæserunt sectæ schismaticæ ab Ecclesia anathematizatæ; si vero non fuerint publice sectatores schismatis proscripti, sufficit ut confessarium adeant, veram contritionem profiteantur vitæ anteactæ, ac se obsecuturos auctoritati summi pontificis, et sui episcopi spondeant. » (*Prælect. jur. can.* S. Sulpitii, tom. III, pag. 285 et 286.)

CAPUT IV.

De delictis contra virtutem religionis.

Crimina, quæ in contumeliam Dei, et rerum sacrarum vilipensionem tendunt, sunt præsertim: simonia, sacrilegium, magia, injuria ordinibus regularibus illata. Initium sumitur a simonia propter ejus gravitatem; nam, ut can. fin. causa 1, quæst. 7, dicitur: *Omnia crimina ad comparationem simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.*

ARTICULUS I. — *De simonia.*

§ I. — Definitio.

Hoc crimen nomen a Simone Mago accepit, qui emere voluit ipsum Spiritum san-

ctum, hoc est gratiam sanctificantem per quam Spiritus sanctus in nobis inhabitat, et quidem ex fine capiendi inde turpissimum lucrum.

Definitur *Simonia*, quod sit *studiosa voluntas* emendi, *aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali annexum*. Ita Glossa cum communi. Est peccatum ex genere suo mortale, et gravissimum, oppositum virtuti fidei et justitiæ, sed per se et principaliter virtuti religionis, et est species sacrilegii. Ob solam parvitatem materiæ non potest esse veniale tantum.

§ II. — Quænam a simonia excusent.

Sex maxime enumerantur capita, ex quibus datio rei temporalis occasione rei spiritualis excusatur a simoniæ peccato.

I. Si temporale pro spirituali, aut contra omnino gratis sine ullo explicito, et implicito pacto datur.

II. Si post acceptum spirituale datur temporale, aut contra ex gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidorali.

III. Si temporale, quod datur ministris Ecclesiæ pro administratione sacramentorum, pro Missis, et aliis functionibus spiritualibus, iisdem detur per modum stipendii, ad honestam illorum sustentationem...

IV. Si dans, vel accipiens spirituale pro temporali laborat ignorantia invincibili vel facti, quia non advertit rem hanc esse spiritualem, vel juris, dum non existimat illicitam esse pactionem spiritualis pro temporali.

V. Si detur solum ad redimendam injustam vexam. (SCHMALZGR. *De Simonia*, n. 18.)

§ III. — Quotuplex sit simonia.

I. Duplex est, una juris naturalis et divini, altera juris positivi ecclesiastici. Simonia *juris naturalis aut divini* committitur, quando pro re temporali datur res de se vere spiritualis, aut huic annexa, uti est gratia sanctificans, et aliæ gratis datæ, sacramenta, consecratio, benedictio, ecclesia, vel calix post consecrationem, ecclesiastica jurisdictio, spirituale officium, etc. Hæc propriissime dicta simonia est, et ei proprie convenit definitio. — Simonia *juris ecclesiastici* est, quando una res spiritualis, aut spirituali annexa datur pro alia spirituali, aut huic annexa, qualis committitur ex permutatione beneficiorum ecclesiasticorum propria auctoritate facta, et in resignationibus illorum confidentialibus; imo cum venduntur, aut emuntur officia œconomi, vice domini, thesaurarii, sacristæ et similia, quæ tamen sunt res mere temporales.

II. Utraque simonia subdividitur in *internam*, quæ in sola mente, sive interno animi proposito committendi simoniam consistit; et in *externam*, quæ in actum externum exit.

III. Simonia *externa* iterum subdividitur in *mentalem* et *conventionalem*.

IV. *Simonia mentalis* committi dicitur, quando, nullo interveniente pacto expresso vel tacito, res spiritualis in compensationem temporalis, aut hæc propter rem spiritualem acceptam quasi ex debito datur. Ita simoniacus efficitur qui inservit episcopo, nullo quidem pacto, vel conventione externa verbis, vel signis facta, eo tamen animo, et intentione, ut pro mercede ei conferat beneficium; item simoniam mentalem committit qui se commendat pro collatione, vel præsentatione et simul per se, vel per alium collatori offert aliquid temporale absque ullo pacto, hac tamen interna intentione, fine, et animo, ut intuitu illius collatorem moveat, et obliget ad conferendum sibi præ aliis beneficium. Deducitur ex decreto Innocentii XI, ubi inter prohibitas, n. 45, refert sequentem propositionem : *Dare temporale pro spirituali non est simonia, si temporale non datur tanquam pretium, sed tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale.*

V. Plerumque simonia mentalis contingit ex parte dantium tantum; quia intentio prava animo retinetur; potest tamen contingere etiam ex parte utriusque, scilicet tradentis rem temporalem ex una parte, et rem spiritualem ex altera, sed casu, et non conventione, si scilicet uterque habeat pravum animum, et neuter hunc signis externis sufficienter manifestet.

VI. *Simonia conventionalis* committitur, quando intercedit aliquod pactum expressum, vel tacitum; appellatur *conventionalis* a conventione, quam superaddit simoniæ mentali; ut commissa censeatur non sufficit sola promissio rei spiritualis pro temporali, aut vicissim, sed ea promissio etiam debet esse a promissario acceptata : nam si acceptata non sit, non conventionalis, sed mentalis duntaxat erit; sed potest accipi tacite, vel expresse.

VII. Simonia conventionalis est triplex, *pura*, cum traditio ex neutra parte secuta est; *mista;* cum facta est traditio ex alterutra parte, aut mercis, aut pretii simoniaci; et *realis*, quando consummata est simonia traditione tam mercis, quam pretii; ad quod sufficit, si inchoate, seu ex parte datum sit; et hinc si quis alicui pro beneficio promisit, ex gr. 300 flor. et isto accepto, interea dat 100 vel 50 aut etiam minus, simonia realis, pœnas juris inducens, jam est completa. — Ad simoniam realem non requiritur ut res temporalis pro spirituali, aut contra mutuo simul tradatur, sed sufficit si tradatur post aliquod tempus etiam longum.

VIII. Circa beneficia ecclesiastica committi potest simonia *juris communis*, seu *simplex*, et potest committi *simonia qualificata*, jure speciali ecclesiæ introducta, quæ *confidentialis* dicitur a fiducia, quam unus in altero in quem beneficium transfert, constituit. Posterior hæc introducta est per constit. Pii IV *Incip.: Romanum*, VII Kalend. Novemb. 1584, et S. Pii V *Intolerabilis*, Kalend. Junii, 1569.

IX. *Simonia confidentialis* est, qua quis beneficium ecclesiasticum aliqui quocunque modo, v. gr. eligendo, præstando, conferendo, vel in ejus favorem resignando procurat cum expresso, vel tacito pacto, ut is, cui id procurat, post aliquod tempus idem beneficium ipsi procuranti, vel alteri resignet; aut pensionem, vel fructus ex eo præstet. — Consequenter *materia* hujus simoniæ sunt sola beneficia ecclesiastica : et hinc, quando pensio, vel quodlibet aliud jus, sub nomine beneficii proprie non comprehensum, resignatur, etiam reservato accessu, ingressu, vel regressu, committitur solum simonia communis, non autem confidentialis, nec incurruntur pœnæ, istam committentibus constitutæ. »

X. Præcipuam simoniæ confidentialis speciem constituunt collationes, et resignationes, quæ fiunt cum reservatione accessus, ingressus, et regressus. — *Accessus* reservatur quando beneficium confertur alicui ea conditione ut post aliquod tempus dimittatur in favorem alterius. — *Ingressus* reservatur ab illo, qui beneficium sibi collatum, sed nondum possessum resignat alteri eo pacto, ut ubi ipse beneficium dimiserit, ipse resignans jus habeat ingrediendi possessionem illius. — *Regressus* reservari ab eo dicitur, qui beneficium sibi collatum, et jam possessum resignat alteri, eo pacto, ut ubi istud per mortem, professionem religiosam, etc., istius vacaverit, resignans idem recuperet. »

« Causa prohibendi hujusmodi resignationes, et collationes duplex fuit, tum quod speciem hæreditariæ successionis, quam sacri canones oderunt, præbeant, tum quod ansam dent optandæ et captandæ mortis alienæ. »

§ IV. — De pactione simoniaca.

I. Nomine *emptionis*, *venditionis*, seu *pactionis simoniacæ* venit quicunque contractus onerosus, et reciprocus, et omnis conventio tam tacita, quam expressa, vi cujus spirituale pro temporali tanquam pretio detur, vel promittitur. (Ita S. Thom. 2-2, quæst. 100, art. 1, ad 5, et communis.)

II. *Ex quo sequitur* : 1. Nomen *pactionis simoniacæ* sumi late, prout complectitur etiam locationem, transactionem, permutationem, aut contractum innominatum *do, ut des*, etc., et quamvis aliam pactionem expressam, vel tacitam ; imo etiam nominatio, sive præsentatio, electio, institutio, confirmatio, renuntiatio, remissio, et similes actus, si gratis non fiant, sub nomine emptionis venditionis simoniacæ comprehenduntur. Nec actus positivi tantum, sed etiam omissio, ut si quis accepto pretio (vel ad favorem principum seu gubernii sibi conciliandum arg. ex S. Thoma, 2-2, quæst. 100, art. 5 ad 3), omittat aliquem ordinare, absolvere, eligere, instituere, etc., sub pactionem simoniacam cadit. — *Sequitur* 2. Nihil referre ad simoniam, qualecunque nomen tali pacto imponatur. — 3. Non requiri, ut interveniat pactum expressum; sed sufficit tacitum, etiam ex una solum parte inchoatum, vel intentum quo quis temporale dat aut præstat, aut præstare intendit animo, seu intentione alterum obligandi.

III. Sed ex communi sententia simonia non est dare quodcunque donum, vel obsequium temporale absque ulla recipientis obligatione ex sola spe gratitudinis, et intuitu remunerationis per spirituale donum exhibendæ; ut qui inservit, vel aliud obsequium præstat episcopo collatori gratis, et absque animo ullius obligationis illi impo-

nendæ, sub spe tamen et intentione ejus animum conciliandi, ut postea beneficium ex gratitudine, et benevolentia ei præstet, hic non committit simoniam.

IV. Item in collatione beneficii, vel præsentatione ob gratitudinis motivum, modo gratis omnino fiat, non intercedit simonia; necesse est tamen ut nullum interveniat pactum procurandi beneficium aut aliud spirituale ad obligationem gratitudinis adimplendam.

V. Sed est simonia dare temporale pro spirituali non ut pretium, sed solum ut motivum, ex damnatione 45 propositionis per Innocent. XI.

VI. Item simonia est dare, vel facere aliquid spirituale ad acquirendum temporale, seu finem aliquem, si res, vel actus spiritualis detur, aut exerceatur ob *finem temporalem extrinsecum*, vel præstetur *principaliter* propter finem temporalem intrinsecum, ex damnatione propositionis 46 per Innocent. XI quæ dicebat : *Non esse simoniam si temporale sit finis rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.*

VII. Contra, liber a labe simoniaca est, qui rem, vel actum spiritualem præstat *minus principaliter*, propter finem temporalem intrinsecum. Unde simoniam non committit beneficiatus, qui beneficio deservit propter stipendium, etc. Si isti commoda hujusmodi temporalia intendunt minus principaliter, principaliter autem veliut honorare Deum. Contra eamdem simoniam contrahent, si hujusmodi commoda habent pro fine principali.

VIII. Ad casuum solutionem tanquam principium admittendum est, « ut committatur simonia, temporale, quod datur, debet habere rationem pretii, motivi, aut saltem finis principalis respectu spiritualis, ita ut huic quodammodo adæquet temporale, vel ut res temporalis ea ratione daretur, ut simpliciter imponeretur obligatio ad opus spirituale.

IX. *Pro quali labore clerici exigere possint sustentationis stipendium?* — In compensationem laboris intrinseci peti, vel accipi nihil potest, cum æstimationem ab ipso actu distinctam non habeat, potest autem in compensationem laboris extrinseci. — Ut tamen rite fiat hujusmodi exactio pro labore extrinseco, necesse est ut labor ille non sit aliunde debitus, v. gr. ex officio, fundatione, contractu, etc. Nam hoc si fiat, et pro eo labore competens salarium, vel stipendium habeat, pro illo nequaquam aliquid ulterius exigere valet absque peccato simoniæ.. Hinc parochus, aut capellanus vel nihil, vel non plus, quam pia, et laudabilis consuetudo habet, exigere potest pro itinere, et incommoditate, quam habet, dum sanctum Viaticum portat ad infirmum parochianum, una, vel duabus horis distantem; quia ad id ex officio tenetur, et propterea redditus et stipendium habet. — Deinde cavendum est, ut non plus exigatur, quam talis labor, incommoditas, aut damnum extrinsecum a parte rei juxta prudentum æstimationem valet; secus enim haud dubie committeretur simonia. — Non minus simoniæ reos se faciunt, qui excedunt stipendium taxatum statuto, vel consuetudine; quia illud, quod hac ratione exigunt, jam non deberetur ut stipendium sustentationis, quo solo titulo aliquid exigi potest, sed ut pretium ministerii sacri; unde inferendum, a peccato excusari non posse parochum, vel alium curatum, qui redditus stolæ ipse sibi augeret exigendo plus, quam hactenus alii perceperint. Idem dicendum de alio clerico non beneficiato, si pro Missis, concionibus habendis, funeribus ducendis, etc., excederet stipendia, pro hujusmodi functionibus ex praxi diœcesis, et approbatione superiorum pendi solita. »

X. Simoniam committit etiam ille, qui temporale dat, vel promittit, non quidem illi, a quo exspectat spirituale, ex. gr. beneficium ecclesiasticum, sed alteri apud collatorem beneficii gratioso pro intercessione, commendatione, precibus interponendis. Aliud est, quando aliquis temporale dat, vel promittit ministro aut famulo episcopi, ut tantum audientiam procuret, vel aditum faciat ad ipsum, nam iste nullam hoc modo simoniam committit.

Examinari hic solent plures aliæ quæstiones, et præsertim quomodo, vel quando simonia committatur per beneficiorum renuntiationem, permutationem, transactionem ad terminandam litem super beneficii proprietate ortam; sed pro nostro scopo satis dictum est; qui plura desiderat, adeat quem huc usque abbreviavimus SCHMALZGR., lib. I *Decretal.* tit. IX, a n. 23; et tit. XXXVI, n. 10; lib. III, tit. XXIX, per totum; S. Li-

gorium, lib. IV *De simonia* ; et alios canonistas et theologos moralistas.

§ V. — De pretio simoniaco.

I. Alterum simoniæ constitutivum est pretium ; pretium hoc in jure canonico frequenter appellari solet *munus*, quo nomine hic non intelligitur donum liberale, et gratuitum, sed potius debitum justitiæ commutativæ, quod ex vi conventionis onerosæ et reciprocæ præstari, et exigi solet : adeoque gravamen aliquod est, et onus.

II. Triplex communiter dicitur, scilicet *munus a manu, munus ab obsequio, et munus a lingua*, habetur divisio ista c. *Ordinationis* 113 ; c. *Sunt nonnulli* 114, causa 1, quæst. 1 ; et c. *Salvator* 7, causa cit., quæst. 3.

1. « *Munus a manu* dicitur quæcunque res temporalis pretio æstimabilis, sive deinde sit mobilis, sive immobilis, corporalis, vel incorporalis, nam etiam jure, census, pensiones, mutuatio pecuniæ, solutio debiti, vel solutionis dilatio rationem muneris a manu habent, et pretium simoniacum constituunt. (C. *Totum* 6, causa 1, quæst. 3 ; c. *Etsi quæstiones* 18 ; c. *Tua nos* 34 ; c. *In tantum* 36, *De simonia*.) Neque refert, utrum res ista præstetur vere, an virtualiter, et equivalenter ; nam etiam, qui debitum alteri remittit, aut se remissurum promittit, ut spirituale donum consequatur, simoniacus est. (C. *Talia* 1, causa 8, quæst. 3 ; c. *Si quis* 43, *De simonia*.)

2. *Munus ab obsequio* sunt quæcunque obsequia, et servitia ex. gr. famulatus, administratio rerum, negotiorum gestio, etc., facta ex pacto, vel sub obligatione rei spiritualis conferendæ. (C. *Cum essent* 12, *De simonia*.)

3. *Munus a lingua* denique vocantur laudes, commendationes, preces, v. gr. si quis alicui, apud principem gratioso, conferat beneficium cum pacto, ut hic apud principem interponat pro conferente suas preces, commendationem, intercessionem, etc. Pro obtinendo favore, vel gratia certa, quam ipse desiderat.... Neque refert, etsi intercessio ordinetur ad aliquid spirituale, ex. gr. ad impetrandum per eam beneficium ecclesiasticum ; quia intercessio hæc in se est aliquid temporale ; ergo dum pro ea beneficium datur, jam datur spirituale pro temporali ; cons. committitur simonia : simili modo, ut recte notat Suarez, c. 40, n. 13, et Palao part. 3, n. 8, simoniam conventionalem committit, qui non vult conferre beneficium, nisi persona nobilis quam desiderat obligatam sibi habere, istud a se petat, ut sic occasionem habeat eam personam sibi demerendi ; est enim talis gratia, et favor, qui a collatore beneficii hoc casu expostulatur, pretio æstimabilis, conseq. spirituale iterum datur pro temporali.

III. Ut triplex supradictum munus sit simoniacum, necesse est ut præstetur sub conditione, aut pacto expresso vel tacito, vel cum exactione, aut animo commutandi illud pro spirituali, vel ad conferendum alterum obligandi.

Hinc simonia non est : 1. Si detur beneficium aliquod alicui intuitu solius consanguinitatis, vel amicitiæ. — 2. Non est simonia simpliciter orare, rogare, intercedere, laudem, aut commendationem offerre ad collatorem, ut sibi, vel certo alicui conferat beneficium, vel aliud quid spirituale ; item non est simonia, si intuitu solius intercessionis, commendationum, aut precum absque alio tacito vel expresso pacto collator conferat. — 3. Non est simonia dare beneficium vel aliam rem spiritualem propter preces armatas, sive gravem metum injuste incussum, si nullum interveniat pactum. — 4. Non est simonia, si collator beneficium debitori conferat timore amittendi debitum, sive ut debitum ab ipso consequi possit, modo pactum nullum intercedat.

IV. Utrum autem committit simoniam episcopus qui dat beneficium indigno propter preces alterius ? Videtur universe affirmare D. Thom. 2-2, quæst. 100, art. 5, ad 3. Quia videtur episcopus hoc facere ad favorem humanum acquirendum. Sic enim sanctus doctor ait : *Videtur ad hoc* (scilicet ad favorem humanum) *principaliter intendere qui preces pro indigno porrectas exaudit*. Et sic quidem dicendum, si revera det beneficium ad talem favorem adipiscendum : imo, ut bene addit Angelicus, hoc erit simonia, etiamsi clericus sit dignus beneficio. » (S. Ligori, lib. IV, tract. I, c. 2, *De simonia*. dub. 3, art. 1, n. 52.) — Unde videtur simoniam committere clericus, qui ad favorem civilis gubernii adipiscendum, eo fine ut ad episcopatum aut curam parœchialem a gubernio nominetur, per suas in prædicationibus vel publicis sermonibus

iteratas, continuas et deordinatas laudationes huic gubernio inservire et placere omni modo contendit, vel eodem fine per actus suos eidem gubernio obsequia præstat, præsertim quando scit et curat ut hæc omnia a gubernio resciantur, et a fortiori si habeat ex parte ejusdem gubernii ministrorum promissiones sive episcopatus, sive curæ aut alterius beneficii. Item simoniaca labe excusari posse non videtur episcopus, qui ad eumdem civilis gubernii favorem adipiscendum, clericos alios minus dignos ad beneficia nominat ex precibus ministrorum gubernii, item qui digniores ab omni officio seu beneficio repellit aut nominare omittit, quia ipsi principia justitiæ et juris naturalis, vel doctrinas Ecclesiæ sanas profiteantur, et propterea civili gubernio non placent; hujusmodi enim nominationes vel omissiones simoniacum munus ab obsequio et a lingua constituunt, quando pro fine habent favorem gubernii adipiscendi vel ut ab eodem gubernio obtineantur sive dignitates, sive pecuniæ etiam ad ædificandas vel reparandas ecclesias, sive alia. Hæc omnia patent ex sacris canonibus et unanimi theologorum et canonistarum doctrina.

V. Res vere spiritualis, extra materiam beneficialem, et cum beneficiis connexam, per se rationem pretii simoniaci non habet respectu alterius vere spiritualis. (Ita Glossa, et multi apud SCHMALZGR. *De simonia*, n. 121.)

« Hinc absque simonia, vel periculo ejus committendæ propria auctoritate commutari possent reliquiæ pro reliquiis, functio spiritualis pro alia simili functione spirituali, vasa et vestes sacræ pro aliis hujusmodi vestibus et vasis, quæ quoad materiam sunt ejusdem valoris.

§ VI. — De merce simoniaca, sive re spirituali.

I. Hic nomine rei spiritualis non intelliguntur res incorporeæ, ut Deus, angeli, anima rationalis, sed quod aliquo modo est supernaturale, et ad spiritualem animæ salutem vel ex institutione divina, vel ex destinatione Ecclesiæ est ordinatum. Nam illa bona mere spiritualia, quæ sunt ordinis supernaturalis, humano juri, ac arbitrio non sunt subjecta, nec ulla industria, aut viribus naturæ comparari possunt; nam his omnino repugnat instar humanarum, ac temporalium rerum pecunia æstimari, aut venalia exponi. »

II. « Porro spiritualia, quæ mercem simoniæ possunt constituere, quadruplicis maxime generis sunt. Nam 1. aliqua sunt spiritualia in se, et per essentiam, ut gratia sanctificans, virtutes theologicæ, et morales divinitus infusæ, dona Spiritus sancti, et gratiæ gratis datæ, quasi in habitu consideratæ, character sacramentalis, et similia. — 2. Alia sunt spiritualia causaliter; quia gratiæ sanctificantis, et aliorum prioris generis spiritualium causæ sunt, ut sacramenta, sacramentalia, et officia ecclesiastica, ad spiritualem, sive supernaturalem finem ordinata. — 3. Alia spiritualia dicuntur, quod sint effectus, sive actus a gratia, dono, et officio, ac potestate spirituali, tanquam a causa proxime procedentes, ut est baptizare, ordinare, officium divinum celebrare, prædicare verbum Dei, miracula facere, etc. — 4. Denique alia dicuntur spiritualia per connexionem seu spirituali annexa, quod licet in se spiritualia nequaquam sint, cum spiritualibus tamen connexionem habeant. »

III. De *spiritualibus primi generis* nullum est dubium, ea mercem, seu materiam simoniæ esse, sive emantur, vel vendantur secundum se.

IV. *Sacramenta* secundum se, seu prout sunt res sacræ, constituunt mercem simoniacam; sed eorumdem materia remota, ex. gr. panis, vinum, oleum, etc., secundum se spectata est res temporalis, et pretio æstimabilis. Igitur ita considerata vendi, et emi potest, si scandalum absit, nec adsit obligatio ad administrandum illam gratis, et nulla lex id prohibeat. Materia vero proxima seu ipsa actio, qua applicatur materia remota, vel pronuntiatur forma, citra simoniæ piaculum pretium nullum recipit; quia tota quanta spiritualis est. — *Sacramentalia* alia sunt *transeuntia*, prout sunt benedictiones, exorcismi, etc. Alia vero *permanentia*, ut sunt consecratio ecclesiæ, altaris, calicis, benedictio aquæ, salis, etc., et ipsæ res sic consecratæ, vel benedictæ, etc. — Utraque materiam Simoniæ constituunt; quia ordinantur ad finem surpernaturalem, et salutem animarum; ideoque, si ut tales vendantur, magna irreverentia afficiuntur, et Simonia committitur contra jus naturale et divinum. (C. *Si quis* 7, causa 1, quæst. 7.)

Attamen res, consecratione, vel benedictione ecclesiæ affectatæ, quæ jure non prohibentur, vendi possunt secundum materiam, et ejus æstimationem, ea tamen conditione : 1. Ut quando ad usus profanos, vel laicis vendantur, prius conflentur, confringantur, vel dissuantur. — 2. Ut propter consecrationem, vel benedictionem rerum istarum pretium non augeatur; hoc enim simoniacum foret.

Pro officiis ecclesiasticis, ut sunt prædicatio verbi divini, orationes, quæ ex Ecclesiæ institutione publice, privatimque fiunt, nihil exigi potest ut pretium; sed ut stipendium ad sustentationem necessarium absque simonia accipi potest, quod offertur; imo hujusmodi stipendium etiam licet exigere, et de eo pacisci.

V. *Spiritualia tertii generis*, quæ materiam simoniæ constituunt, multiplicis generis sunt. Et 1. prophetia, patratio miraculi, et similes actus. — 2. Actus ordinum, v. gr. collatio baptismi, confirmationis, consecratio, ordinatio, actus sepeliendi, etc. — 3. Actus jurisdictionis spiritualis utriusque fori, ut sunt absolutio a peccatis, et censuris, dispensatio in votis, juramentis, et canonicis impedimentis ordinum, vel matrimoniorum, in legibus ecclesiasticis, etc. — 4. Admissio ad novitiatum, et professionem religiosam. — 5. Electio, confirmatio, nominatio, præsentatio, institutio, investitura, pallii concessio, et similes actus, quibus beneficia, dignitates, et prælaturæ ecclesiasticæ obtinentur. (C. *Cum in ecclesia* 9; c. *De hoc* 11; c. *Matthæus* 22; c. *In tantum* 36; c. *Audivimus* 41; c. *Ne Dei* 43, etc., *De simonia.*) — 6. Alii actus jurisdictionis ecclesiasticæ, sive voluntariæ, sive contentiosæ.

Item nec ordinans, nec ejus ministri accipere aliquid possunt pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus ordinum susceptorum absque vitio simoniæ, ex Trident. sess. 21, cap. 1, *De reform.*, ubi tamen excipiuntur, qui in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis dimissoriis, seu testimonialibus decimam tantum unius aurei partem possunt accipere, dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, et episcopo nullum exinde emolumentum accedat. »

« Pœna dantium, et accipientium munera ab ordinatis est excommunicatio, suspensio ab officio, et exsecutione ordinum quoad ordinatos. (C. *Reperiuntur* 7, causa 1, quæst. 1.) Et extendit has pœnas, Trident. loc. cit., etiam ad dantes, et accipientes munera sponte oblata.

Ad dispensationes quoad attinet, « nulli ordinario papa inferiori permissum est exactiones facere pro dispensationibus, etiam nomine stipendii sustentationis, ob decret. Trident. sess. 25, cap. 18, *De reform.*, et sess. 24, cap. 5, *De reform.* : quibus prohibetur in dispensationis concessione quidquam quocunque titulo, præsertim in suam concedentis utilitatem exigi, vel acceptari : quibus decretis, tanquam legibus Ecclesiæ universalibus, etiam episcopi astringuntur... non tamen est deneganda episcopis licentia imponendi onus eleemosynæ in pauperes, vel pia opera distribuendæ, per modum commutationis in dispensando.

VI. *Spiritualia quarti generis*, seu spirituali annexa quæ materiam, et objectum simoniæ constituunt, triplicis generis sunt : 1. Enim aliqua sunt spirituali annexa *antecedenter*, quod ad spirituale præsupponantur, idque præcedant, ut sunt templa, altaria, calices, etc.; resque sacræ, aut benedictæ, quæ, quoad materiam ipsam suam consecrationem vel benedictionem antecedunt; item jus patronatus. — 2. Alia sunt spiritualia *concomitanter*, quod iis intrinsece sint conjuncta, ut est labor corporis, qui ipsa sacrificatione, aut alio ministerio, et functione spirituali subitur. — 3. Alia connexa sunt spirituali *consequenter*, quia spirituale tanquam causam supponunt, ut sunt beneficia, et pensiones ecclesiasticæ, decimæ, primitiæ, oblationes, spectatæ secundum jus illas percipiendi; oriuntur enim ex officio, et ministerio spirituali.

1° *De primi generis* spirituali annexis antecedenter dictum est supra; sed vendi sine simonia nequit jus patronatus. — Ipsa terra, sive locus, ad sepulturam fidelium defunctorum deputandus, vendi absque simonia potest, dummodo prout est benedicta non vendatur. Potest occasione sepulturæ aliquid exigi pro conservatione fabricæ, vel cœmeterii, pro sustentatione cantorum, et aliorum sepulturæ ministrorum, pro obligatione ad eum locum non admittendi, nisi cadavera certæ familiæ, pro concessione loci honoratioris, et emendatioris, absque

respectu tamen ad istius sanctitatem, aut fructum spiritualem.

2° Certum est primo committi simoniam juris divini, si vendatur vel ematur beneficium quatenus est jus administrandi spiritualia. Sed certum est secundo absque simonia distrahi posse a beneficiario fructus ex beneficio jam perceptos : imo etiam antequam percepti sint, eorum commoditas sine periculo simoniæ potest ab eodem locari alteri per c. *Vestra* 2, *De locat. et conduct.*; c. fin. *Ne prælati vices suas*, etc. Certum est tertio, absque simonia vendi, aut emi non posse ipsum beneficium, quatenus est jus percipiendi fructus. (Patet ex c. *Presbyter* 3, etc., causa 1, quæst. 1, et multis aliis canon.)

§ VII. — De pœnis simoniacorum, et obligatione restituendi per simoniam obtenta.

« Non hic agitur de pœnis constitutis in tubunali æterni judicis; nam in hoc certum est, per quamlibet simoniam, etiam mentalem, et mere internam, cum sacrilegii species sit, incurri reatum pœnæ æternæ. Deinde etiam sermo non est de pœnitentia injungenda in foro arcano conscientiæ; cum enim gravissimum crimen sit simonia, ejus gravitati confessarius commensurare pœnitentiam debet. Solum igitur hic agitur de pœnis, quæ propter hoc crimen vi SS. canonum, aut ipso jure, et facto incurruntur, aut per sententiam judicis ecclesiastici infligi debent, vel possunt. Plura circa has solvenda sunt.

I. Pœnæ istæ non tangunt reos simoniæ mere internæ, aut etiam mentalis. (Ita S. Thom. 2-2, quæst. 100, art. 6, cum aliis.)

II. Nulla juris et facti pœna incurritur per simoniam mere conventionalem (si confidentialem excipias), seu talem, quæ nec pretii, nec mercis traditione perfecta est, quamvis arbitrio judicis sic delinquentes coerceri debeant.

III. Non incurritur juris pœna per simoniam etiam mistam, quæ solius pretii traditione perfecta sit.

IV. An vero incurrantur hæ pœnæ casu, quo solum spirituale, v. gr. beneficium traditum est, pretium vero promissum, controversia est inter doctores.

V. Unde, juxta istos theologos, pœnæ juris incurruntur solum per simoniam realem, seu illam, quæ tam pretii quam mercis simoniacæ traditione perfecta est. Dum vero etiam ob promissam pecuniam in textibus a contraria sententia allegatis ordinationes, electiones, etc., subjiciuntur pœnis jure latis, id intelligendum volunt isti, quod his pœnis affici possint per sententiam. Alii volunt ea alternativa solum innui, quod pœnæ istæ in simonia reali incurrantur tum a promittente spirituale, quam a dante temporale. Bulla sancti Pii V tantum loquitur de simonia confidentiali, in qua hoc est speciale; vel si aliqua alia bulla de hac re edita sit, ea non videtur usu recepta. » (Schmalzgr. *De simonia*, n. 249.)

« Quod si tamen post modum pactio simoniaca, quæ prius fuerat solum conventionalis, utrinque vel in totum, vel etiam in partem fiat completa, ut si quis saltem partem aliquam etiam modicam v. gr. sex aureos det, qui 100 pro spirituali promisit, ex conventionali faciet simoniam realem, et incurret pœnas juris, quæ retrotrahentur ad tempus pactionis præteritæ; non secus, ac si illo tempore fuisset traditio utrinque facta. Et hinc si collator conferat beneficium ecclesiasticum Titio, sub pacto 100 aureorum sibi solvendorum, ante factam solutionem nondum incurritur pœna excommunicationis, et aliæ a jure latæ, nec collatio illa erit invalida. Si tamen ex intervallo etiam post annum solutio fiat, sicque utrinque compleatur simonia, jam censebitur incursa excommunicatio, et inhabilitas a Titio ad beneficium. » (Id. *ibid.* n. 250.)

VI. *Quæ pœnæ juris incurrantur per simoniam commissam circa ingressum in religionem?* — 1. Dantes et recipientes pro ea receptione ex pacto pecuniam, si personæ sint singulares incurrunt excommunicationem; capitulum vero, in receptionem ita factam consentiens, suspensionem a capitulari officio. (Extrav. *Sane* 1, *De simonia.*) Estque absolutio ab iis censuris reservata papæ, quamvis, si delictum occultum sit, vigore decreti Trident. sess. 24, c, 6, *De reform.*, eamdem impertiri possint etiam episcopi et mendicantes ex privilegio, quo absolvere possunt a casibus papæ reservatis.

2. Ita scienter aliquem recipientes et recepti, postquam de simonia convicti et condemnati fuerint, jubentur expelli e monasterio et in arctius detrudi. (C. *De regularibus* 2; c. *Quoniam* 40, *De simon.*) Nisi cum ipsis episcopus ut remanere possint dispenset.

3. Incurrunt infamiam juris extravag. *Sane. De sim.* et conseq. fiunt irregulares, saltem si crimen sit notorium notorietate juris aut facti.

Excipitur, quod pœnæ istæ locum non habent: 1° Quando ingressus per professionem consummatus non est. — 2° Quando aliquid sponte affertur, aut etiam exigitur ad sustentationem professi ex antiqua consuetudine. — 3° Ubi extrav. cit., quoad pœnam excommunicationis non est usu recepta.

VII. *Quæ pœnæ incurrantur per ordines simoniace susceptos, vel collatos?* — Qui simoniace aliquem ordinat, vel ad ordines præsentat: 1. Incurrit excommunicationem ipso facto et a nemine absolvi potest nisi a summo pontifice, etiamsi delictum occultum sit. (Extrav. *Cum detestabile* 2, *De sim.*; et Sixtus V. bull. *Sanctum* Non. Januar. 1588.) — 2. Ipso jure et facto incurrit suspensionem a collatione quorumcunque ordinum, etiam primæ tonsuræ, et omnium munerum pontificalium executione. (C. *Si quis* 45; extrav. *Cum detestabile* 2, *De simon.* et const. Sixti V.) — 3. Interdicitur ingressu ecclesiæ, et si interdictum, aut suspensionem hujusmodi violaverit, præter irregularitatem, a regimine et administratione suæ ecclesiæ, et fructuum omnium, ex beneficiis suis provenientium, perceptione suspenditur. (Const. cit.

Simoniace ordinatus: 1° incurrit ipso facto excommunicationem papæ reservatam. — 2° suspenditur ab executione suorum ordinum, saltem simoniace susceptorum. — 3. Si suspensionem istam violet, præterquam quod et ipse irregularis fiat; si sæcularis sit, incurrit privationem officiorum et beneficiorum, et ad ea inhabilitatem; si vero regularis, privationem vocis activæ et passivæ et ad eam inhabilis redditur. (Extravag. cit. et const. Sixti V cit.)

Extenduntur autem hæ pœnæ ad eos etiam, qui simoniace conferunt et suscipiunt primam tonsuram.» (Schmalzgr. *De simonia*, n. 257. et seqq.)

VIII. *Quæ pœnæ statutæ sint jure obtinentibus et conferentibus beneficia ecclesiastica per simoniam?* — 1. Sic ea obtinentes, et ii etiam a quibus, et quorum mediatione, vel cooperatione ita obtinentur, ipso jure, et facto incurrunt excommunicationem papæ reservatam. (Extravag. *Cum detestabile* 2, *De simon.*) — At hic nomine *beneficii* non veniunt quæ consistunt in nuda commissione ad nutum revocabili, nec pensiones, nec vicariæ temporales, munus inquisitoris, legati, delegati, quæ non sunt beneficia proprie dicta et hinc etsi simoniam committat, qui emit, aut vendit pensionem spiritualem, aut vicariam temporalem, non tamen excommunicationem, vel alias pœnas non referendas contrahit.

2. Electio, confirmatio, institutio, et quævis alia provisio ad beneficium, officium, dignitatem, etc., ecclesiasticam, est ipso jure nulla, ita ut per eam provisus nullum jus consequatur (Extravag. *Cum detestabile* 2, *De simon.*). Neque etiam defenditur regula de triennali possessione. — *Procedit* hoc 1°, etiamsi in electione ad beneficium, vel prælaturam unus tantum votum dedisset simoniace, majori parte eligente absque simonia. — *Procedit* 2°, etiamsi simoniam non ipsemet promotus, sed ipso ignorante, parentes ejus, cognati, amici, etc., commisissent, nisi hoc factum fuisset in fraudem, et ad præsentatum, etc. reddendum inhabilem ad beneficium: tunc enim sustinetur provisio, ne perversorum hominum malitiis, quam innocentum meritis plus tribuatur...

3. Sic promotus restituere tenetur fructus, ex beneficio ita obtento comparatos. Si vero simonia commissa sit ab alio, beneficiario ignorante, fructus quidem, quandiu manet in bona fide, ut alius bonæ fidei possessor lucratur. Et si cum bona fide per triennium in pacifica possessione perstiterit, defenditur regula de triennali, adeo ut triennio illo elapso nec fructus, nec beneficium restituere obstringatur...

4. Simoniace recipiens beneficium ad id obtinendum pro ea vice inhabilis redditur, a qua inhabilitate solus papa dispensare potest.

5. Aliis beneficiis antea legitime obtentis non est ipso jure et facto privatus, sed privari potest a judice per sententiam condemnatoriam.

IX. *Per simoniam confidentialem* incurritur: 1. Excommunicatio reservata papæ, lata in quoscunque, qui eam committunt sive dando sive recipiendo. — 2. Interdictum ab ingressu ecclesiæ, latum in episcopos, aliosque superiores prælatos. — 3. Nullitas resignationis, et collationis per

eam factæ. — 4. Privatio, per sententiam omnium beneficiorum et pensionum prius obtentorum. — 5. Inhabilitas ad idem et alia beneficia obtinenda. — 6. Denique beneficium ita simoniace resignatum reservatur sedi apostolicæ et fructus illius male percepti applicantur cameræ apostolicæ.

X. Nulla pœna ipso facto incurritur per simoniam, commissam in aliis materiis, extra beneficia, ordines ecclesiasticos, et ingressum in religionem. Sed per sententiam infligendæ statuuntur variæ. (C. *Reperiuntur* 7; c. *Si quis* 8 et seqq., causa 1, quæst. 1; c. *Si quis* 6; c. *De hoc* 11, c. *Veniens* 13, *De simonia*.)

XI. *Utrum et cui restitui debeat quod fuit simoniace receptum?* — 1. «Nihil spirituale simoniace acceptum, præter beneficium (sub quo continetur pensio, secundum Bonacin., negante Less) est restituendum. Ratio est, quia cætera vel restitui non possunt, ut sacramenta; vel non sunt restituenda ante sententiam, cum canones aliud non statuerint... Dixi *præter beneficium*, quia hoc retineri non potest, etiam ante judicis sententiam; ut patet ex c. *Si quis* 8, causa 1, quæst. 1; extravag. *Cum detestabile* 2, *De simon.* Idem dicendum pro pretio accepto pro collatione ordinum et ingressu religionis. (C. *De hoc*; c. *Veniens*, *De simon.*) Et Bonacina addit etiam fructus perceptos esse restituendos, tunc quia nullo justo titulo possunt retineri, cum adeptio beneficii simoniacæ sit ipso facto irrita: tum quia sic expresse habetur in extrav. *Cum detestabile* cit.

2. «Pretium acceptum pro beneficio, collatione ordinum, sacramentorum et sacramentalium, si notabiliter excedat id quod pro sustentatione exigi poterat, item pro admissione ad religionem jure positivo restituendum est. Hoc tamen posterius nonnisi post latam sententiam si admissus in monasterium maneat; quia plerumque ratione alimentorum retineri potest, modo in communem usum convertatur.»

3. «Acceptum pro beneficio, aliave re spirituali, non secuta collatione, jure naturæ restituendum est ei, a quo est acceptum: quia deest titulus retinendi, cum non præstetur id pro quo est datum. Si vero res tradita sit, simonia utrinque completa, probabilius est restituendum esse Ecclesiæ, et non danti, quia Ecclesia utrumque punire intendit.»

Quæritur hic: 1° qui rem spiritualem cum simonia jam tradidit, et pretium accepit, cuinam illud restituere debeat? Tres sunt sententiæ, omnes probabiles — *Prima* tenet, ante sententiam pretium restituendum esse ei qui dedit.— *Secunda* tenet restituendum ecclesiæ, in qua est beneficium. — *Tertia* dicit, ex consuetudine posse restitui etiam pauperibus.

2° Quinam autem sint restituendi fructus beneficii per simoniam acquisiti? Restituendos esse ecclesiæ docet sanctus Thomas, 2-2, quæst. 100, art. 6, ad 4; modo commodum non recipiant ex hoc qui simoniam commiserunt. Sed probabile est posse restitui etiam pauperibus, vel successori in beneficio; vel etiam eos componere posse cum pontifice pro dictis fructibus. (S. Ligor. lib. IV *De simonia*, art. 3.)

Plura vide apud Schmalzgr. *De simonia*, unde desumpta sunt quæ diximus, et apud sanctum Ligorium, lib. 4, *De simonia*; et cæter.

Articulus II. — *De sacrilegio.*

§ I. — Quid et quotuplex sit sacrilegium.

I. Sacrilegium est violatio rei sacræ sive in se sive in aliis. (Sic in re communis.)

II. «Sacrilegium est triplex, scilicet *personale*, *reale* et *locale*,

III. «Sacrilegium *personale* est, quo violatur sacra persona; committitur per omnem violentam manuum injectionem in personam sacram, scilicet in clericum sive religiosum, aut monialem, per usurpatam jurisdictionem in personas ecclesiasticas, ipsas ad tribunalia sæcularia trahendo, incarcerando et hujusmodi, vel easdem ad vectigalia obligando; item per luxuriosam violationem personæ Deo per votum castitatis sacratæ et hujusmodi.»

IV. Sacrilegium *reale* est, quo violatur sacra res, committitur cum violantur, seu injuriose tractantur, aut ministrantur sacramenta, vasa sacra, reliquiæ sanctorum, Dei et B. V. M. ac sanctorum imagines, instrumenta, seu ornamenta sacra. Item sacrilegium reale committitur per rapturam bonorum Ecclesiæ; per suppressionem piorum legatorum, per fraudationem jurium Ecclesiæ; per abusum sacrarum vestium, sacrarum cæremoniarum et sententiarum sacræ

Scripturæ ad stabiliendas hæreses, ad sortilegia, ad incantationes, ad divinationes, ad res turpes, ad adulationes, ad detractiones, ad libellos famosos, ad amatoria, ad fabulosa, ad scurrilia, et hujusmodi, imo hunc temerarium sacræ Scripturæ abusum rigorose, sub arbitrariis pœnis ab episcopis infligendis, interdicit conc. Trident. sess. 4, in decret. *De editione et usu sacr. librorum.*

V. Sacrilegium *locale* est quo violatur sacer locus; committitur per omnia quæ fiunt contra sanctitatem loci sacri, ut sunt destructio malitiosa templi vel altaris, occisio hominis, injuriosa effusio sanguinis vel seminis humani, illicita et notoria sepultura excommunicati vel non baptizati in loco sacro. Item sacrilegium locale committitur per violentam extractionem reorum e loco sacro, per actus profanos et illicitos, et repugnantes immunitati ecclesiasticæ exercitos in locis sacris, ut sunt negotiationes, seditiones, illiciti concubitus et spurcities, concilia sæcularia, stabulationes equorum, incendia, effractiones, spoliationes, mercaturæ, et hujusmodi. Item sacrilegium locale committitur per furtum, quod sacrilegium evadit tribus modis. *Primo* nempe cum quis furatur *sacrum de sacro*, id est rem sacram, ut calicem, planetam, et hujusmodi in loco sacro. *Secundo*, cum quis furatur *non sacrum de sacro*, id est rem profanam, non sacram, ut pecuniam, aut aliam rem in loco sacro repositam. *Tertio* cum quis furatur *sacrum de non sacro*, id est rem sacram, et pyxidem, calicem, et hujusmodi in loco non sacro, id est extra ecclesiam.» (Textu expresso in c. *Quisquis* 21, causa 17, q. 4.)

VI. Sacrilegium ex genere suo est peccatum mortale, nisi excuset parvitas seu levitas materiæ, aut inadvertentia et indeliberata voluntas.» (Communis; — Ferrar. verb. *Sacrilegium.*)

§ II. — Quibus pœnis plectuntur sacrilegi.

I. Excommunicatio major, papæ reservata, incurritur per sacrilegium violentiæ in personam sacram, per sacrilegium usurpationis jurisdictionis ecclesiasticæ, et bonorum et jurium ecclesiasticorum usurpationis, uti alibi fusius expositum fuit; item per violationem ecclesiæ cum effractione. Sacrilegium quo polluitur ecclesia inducit ejusdem ecclesiæ interdictum, donec reconcilietur. (Vide *De immunitate eccles.*)

II. Qui libellis famosis, seu cantilenis, injuriose insequuntur religiosos ordinis S. Francisci et S. Dominici, et societatis Jesu, incurrunt excommunicationem majorem reservatam papæ. — Qui impediunt regulares Mendicantes ne eleemosynas expostulant aut recipiant, excommunicantur, si sint inferiores episcopis; episcopi autem si admoniti retractare prohibitiones a se factas in detrimentum regularium recusent, interdicuntur ab ingressu ecclesiæ et suspensi sunt a regimine et administratione suæ diocœsis. (Const. Sixti IV, *Sacri*, an. 1479.) — Qui usurpant jurisdictionem in regulares exemptos, immediate subjectos sanctæ sedi, incurrunt excommunicationem majorem latam a Tridentino contra illos omnes qui aliorum jurisdictionem invadunt.

Articulus III. — *De divinatione, sorte et magia.*

§ I. — Quid sit divinatio.

« *Divinatio* est superstitiosa inquisitio, aut prædictio alicujus occulti per invocationem et disciplinam dæmonis; fit semper per pactum expressum vel implicitum cum dæmone, multiplicesque continet species, quæ enumerantur a canonistis et theologis.

§ II. — De sortibus divinatoriis.

Sortes divinatoriæ sunt illæ, quibus occultorum seu futurorum manifestatio, vel consilii alicujus directio petitur per media vana et impertinentia minime ad Deum relata, et consequenter ad dæmonem pacto expresso vel tacito; et hæ sortes passim sumuntur pro divinationibus, sortilegiis aut maleficiis, indeque ut vere superstitiosæ et illicitæ graviter prohibentur tum jure divino, tum jure canonico. (C. *Illud* 9, causa. 26, quæst. 2; c. 2 ad 12, causa 26, quæst. 5; c. in *Tabulis* 1; c. *Ex tuarum tenore* 2, *De sortilegiis*, et const. Sixti V, *Cœli et terræ.*)

§ III. — Quid sit magia.

Magia superstitiosa seu diabolica est ratio quædam, seu facultas operandi mira, ope et ministerio dæmonum per signa ab ipsis instituta. — Est ex genere suo peccatum mortale gravissimum, quia continet expressam, vel tacitam dæmonis invocationem, ac proinde benevolentiam erga ipsum, et

confœderationem, ac societatem cum ipso. Est autem Deo summe injuriosum quod, ipso relicto, ad dæmonem perpetuum ejus hostem recurratur et cum eo societas ineatur.» Hujusmodi magia pessima reperiri videtur practicata in multis societatibus clanculis sive illuminatorum, sive francorum muratorum, sive magnetizatorum. (Alia de hujusmodi superstitionibus vide apud theologos moralistas ; et apud FERRAR. verb. *Superstitio*, et alios canonistas.)

§ IV. — Quibus pœnis plectuntur sortilegi, divinatores et magi.

I. Sortilegi, seu divinatores et magi de jure canonico, si clerici sint, ab officio et beneficio deponi, et in arctum monasterium seu perpetuos carceres detrudi debent. (C. 4, 5, 6, causa 26, quæst. 5.) Et insuper magi degradari et curiæ sæculari tradi debent. (C. *Admoneant* 15, causa 26, quæst. 7.) — Et ad id speciales pontificiæ constitutiones habentur, et signanter const. INNOCENT. VIII, *Summis*; LEONIS X, *Honestis*; GREGOR. XIII, *Omnipotentis*; et SIXTI V, *Cœli et terræ*, quæ ultima ex integro legitur apud FERRAR. verb. *Superstitio*, n.36.)

II. Sortilegi vero, seu divinatores et magi laici de jure canonico, si servi, seu viles exsistunt, verberibus et cruciatibus castigandi sunt; liberi autem ac honestiores in perpetuum carcerem sunt redigendi. Imo si contumaces fuerint, debent etiam excommunicari, et ratione magiæ tradi possunt curiæ sæculari severius juxta suas leges puniendi. Ex iisdem juribus et constitutionibus supra cit. »

III. Sortilegi, seu divinatores et magi, tam clerici quam laici, sunt infames, ideoque a testimonio et accusatione repelluntur. (C. *Constituimus* 9, causa 3, quæst. 5.) Et si exerceant sortilegia, seu divinationes ac magias, quæ hæresim sapiant, ut invocando dæmonem per preces et sacrificia, eique tribuendo, quæ soli Deo competunt, ex constit. 13, Joan. XXII, supra sunt puniendi iisdem pœnis quibus puniendos esse hæreticos diximus.

Judex ecclesiasticus punire potest sortilegos, seu divinatores et magos etiamlaicos. FERRAR. verb. *Superstitio.*)

IV. Hic memoranda videtur encyclica quam sacr. congr. Inquisitionis ad omnes episcopos direxit, an. 1856 contra magnetismi abusus. In ista encylica sacr. congr. non condemnat magnetismum si, remota omni dæmonis invocatione, adhibeantur solum modo media physica ad finem honestum: verum animadvertit : *Compertum esse novum quoddam superstitionis genus invehi ex phænomenis magneticis, quibus haud scientiis physicis enucleandis, ut par esset, sed decipiendis ac seducendis hominibus student neoterici plures, rati posse occulta et futura detegi magnetismi arte, vel præstigio, ope muliercularum, quæ unice a magnesitoris nutu pendent.* — Et addit : *Adeo crevit malitia hominum, ut neglecto licito studio scientiæ, potius curiosa sectantes, ariolandi, divinandive principium quoddam se nactos glorientur. Hinc* SOMNAMBULISMI *et* CLARÆ INTUITIONIS, *uti vocant, præstigiis, illæ mulierculæ se invisibilia quæque conspicere effutiunt, ac de ipsa religione sermones instituere, animas mortuorum invocare, responsa accipere, ignota et longinqua detegere, aliaque id genus superstitiosa exercere, ausu temerario præsumunt... In hisce omnibus, quacunque demum arte utantur vel illusione cum ordinentur media physica ad effectus non naturales, reperitur deceptio omnino illicita et hæreticalis, et scandalum contra honestatem morum...* Suprema igitur Inquisitio id improbat tanquam nefas religioni et civili societati infestissimum, ac simul episcopos hortatur ut omnem curam impendant, qua paternæ charitatis monitis qua severis objurgationibus, qua demum juris remediis adhibitis, prout attentis locorum, personarum, temporumque adjunctis, expedire judicaverint, ad hujusmodi magnetismi abusus reprimendos et avellendos.

Quid cautissime agendum sit ex hac encyclica depromant clerici et fideles.

CAPUT V.

De delictis contra justitiam.

A criminibus, quæ Deo, ejusque cultui, et veræ religioni immediate opposita sunt, descenditur ad illa, quæ lædunt charitatem proximi : quod in triplici bonorum genere potest contingere : scilicet in bonis vitæ, famæ et fortunæ.

ARTICULUS I. — *De criminibus contra vitam proximi.*

§ I. — De parricidio (Vid. lib. v, *Decretal.* tit. x, *De his, qui filios occidunt.*)

I. Ex iis criminibus, quibus vita proximi læditur gravissimum facile est parrici-

dium. De jure *parricidium* significat homicidium in personas conjunctas impie commissum: dividitur in *parricidium proprie, et vere tale*, quod a liberis in parentes, et a parentibus in liberos commissum est; et in *improprie* tale, quando occiduntur cognati collaterales, vel affines, itemque conjuges. — Parricidii culpa et pœna porrigitur ad eum cujus mandato commissum est parricidium, ad eum, qui ad parricidium opem aliquam, consilium, vel auxilium præstitit; ad omnes conscios, et participes hujus criminis.

II. Excusantur a parricidio, 1° furiosi; 2° ignoranter occidentes parentes; 3° occidentes ex causa defensionis necessariæ, observato moderamine inculpatæ tutelæ; 4° qui occidunt in patriam perduellem.

III. Hodie de jure canonico parricidarum pœna est arbitraria, pro excessu augenda, vel minuenda. (Schmalzgr. *De his qui filios occid.* n. 21.)

Attamen ex const. Sixti V, *Ad effrenatum*, moderatam per Gregor. XV, const. *Sedes apostolica*, procurantes sive directe, sive indirecte, abortum fœti animati incurrunt excommunicationem reservatam ordinario in foro conscientiæ tantum.

IV. « Præterea tum parricidæ quam abortum procurantes contrahunt irregularitatem, sunt privati omni privilegio clericali, sunt inhabiles ad omnia officia et beneficia, tam simplicia quam curata; ipso facto excommunicantur; si beneficium, vel officium ecclesiasticum habent, ipso facto eo privantur, et tam ad idem, quam quodvis aliud perpetuo sunt inhabiles. Insuper si ita delinquens sit clericus, debet deponi, et degradari, sicque degradatus tradi curiæ sæculari puniendus juxta leges divinas et humanas. » (Schmalzgr. *ibid.* n° 31.)

§ II. — De infantibus expositis.

De infantibus expositis, dictum est alibi.

§ III.— De homicidio.

I. *Homicidium*, dictum ab homine occidendo, *est violenta exanimatio hominis, ab homine facta.* Duplex est, *voluntarium et carnale*, sive *involuntarium;* de hoc ultimo non est hæc quæstio, etsi forte culpam aliquam admiserit; attamen ex homicidio casuali culposo incurritur irregularitas.

II. « Homicidium *voluntarium*, aliud est *justum*, scilicet necessarium ac defensivum, vel est *punitivum* per publicam auctoritatem. — Aliud est *injustum* quod prohibetur lege vel naturali, vel divina, vel humana.

« Sunt autem animus occidendi, et cædes ipsa ita necessaria ad constituendam in foro externo malitiam homicidii, ut si alterutrum desit, non solum homicidium commissum esse non censeatur, sed nec ordinariæ homicidii pœnæ sit locus. »

III. *De pœnis contra homicidium.* — Homicidium voluntarium justum in propriam vitæ defensionem, servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ nullam pœnam incurrit. Item vim vi repellere, et observato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere licet non tantum in defensionem propriam, verum etiam in defensionem aliorum innocentum, quas alius vel alii injuste aggrediuntur. Ideoque qui ob sui, suorumque, aut etiam extranei defensionem injustum invasorem occidit, servato dicto moderamine, non incurrit irregularitatem. — Aliud est, si in defensione propria, aut proximi innocentis moderamen inculpatæ tutelæ non observetur, et injustus aggressor occiditur, a quo quis se defendere potuisset illum mutilando, aut debilitando tantum; nam tali casu irregularitatem incurrit occidens, cum occisio talis non necessaria, adeoque illicita et injusta sit. » (Schmalzgr., *De homicidio*, n. 30 et seqq.)

2. Propter homicidium justum, secutum ex sententia condemnatoria, incurritur irregularitas. Irregularitatem vero ex hac causa contrahunt: 1° *Judex* sententiam mortis, aut mutilationis dictans, vel proferens (C. *Aliquantas* 1, dict. 51; c. *Sæpe* 29; c. *His a quibus*, causa 23, quæst. 8; c. *Ex litteris* 10, *De excess. prælat.*; c. *Clericis* 5; et c. *Sententiam* 3, *Ne cleric. vel monach.*) — 2° *Assessores*, et alii qui judici ad ejusmodi sententiam proferendam assistunt, suoque suffragio, aut consilio eam promovent — 3° *Accusator et denuntiator.* — 4° *Advocatus* accusatoris. — 5° *Testes* deponentes contra reum in causa sanguinis. (Ex *juribus cit.*)

3° Homicidium voluntarium injustum aliud est simplex; aliud deliberatum, seu præmeditatum. Jure divino pronuntiatur in reos homicidii voluntarii injusti simplicis pœna mortis.

1° Jure ecclesiastico, homicida, si laicus sit, excommunicatur per sententiam. (C. *Ita-*

que 20, causa 24, quæst. 3.) Si clericus, ab ordine et officio est deponendus; c. *Presbyter* 12, dist. 8, et c. *Cum non ab homine* 10, *De judic.*, etc.; in arctum monasterium detrudendus. Cujus tamen loco hodie successit condemnatio ad carceres, vel triremes; nisi crimen sit iteratum, et homicida clericus incorrigibilis; tunc enim degradatus, tradendus est curiæ sæculari. (C. *Cum non ab homine* cit.)

2° Inhabilis fit ad beneficia ecclesiastica obtinenda. (*Trident.* sess. 14, c. 7 *De reform.*) Ante obtentis autem per sententiam est privandus.

3° Contrahit irregularitatem, ut quantumvis homicidium sit occultum, etiam post peractam pœnitentiam ordines suscipere, et in susceptis ministrare sine dispensatione nequeat. (C. *Minor* 4 et seq.; c. *Sicut* 6, *De homicid.* et similibus.)

4° Irregularitatem istam incurrit: *primo:* Qui per actum graviter peccaminosum occidit, etsi homicidium nec præmeditatum, nec alio modo qualificatum sit; qui procurat abortum fœtus animati. — *Secundo:* Qui dat causam propinquam efficacem mortis, licet ea post longum tempus sequatur, ut si quis præbeat venenum.— *Tertio:* Qui lethaliter alterum percussit, aut vulneravit, licet ab aliis fuerit omnino interemptus. — *Quarto:* Qui voluntarie mutilat, aut truncat membrum alienum; nam mutilatio in jure æquiparatur homicidio, et in quibus casibus irregularitas contrahitur ex homicidio, iisdem ex mutilatione inducitur. — *Quinto:* Ut quis irregularitatem incurrat ratione homicidii, vel mutilationis, non requiritur ut per se ipsum occidat, mutilet, vel abortum procuret, sed sufficit, si etiam id faciat per alium. Et hinc eam contrahit: 1. *Mandans*, si ex mandato intimato homicidium, abortus, aut mutilatio sit secuta. (C. *Si quis viduam* 8, dist. 50; c. fin. *De homicidio* in 6. — 2. *Consulens* et persuadens efficaciter. — 3. *Consentiens*, ita ut consensus efficaciter influat. — 4. *Non impediens*, cum id absque gravi suo damno et periculo posset, et ad hoc ex justitia teneretur. (SCHMALZGR. *De homicidio.*)

Quis dispensare possit ab irregularitate ex homicidio, dictum est alibi.

§ IV. — De duello.

De duello jam alibi tractavimus, sed hic aliquid addendum utile duximus

I. Duellum est certamen singulare, ex condicto susceptum et inducens periculum grave mortis aut mutilationis. — Ratio *duelli* exposcit ut fiat ex condicto, statutis loco et tempore, cum vero periculo mortis aut vulneris. Unde rixæ quæ exrepente exsurgunt, iræ et pugnæ quocunque modo, seu instrumento, fiant, quando nullum ex eis imminet periculum mortis, mutilationis, seu vulneris, non reputantur duella.

II. Duellum est graviter illicitum jure naturali, divino et ecclesiastico. Sedes apostolica sequentes propositiones proscripsit: 1. « Vir militaris, qui nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio quo se suosque sustentat, privaretur, vel promotionis, alias sibi debitæ et promeritæ, spe perpetuo carere deberet, culpa et pœna vacat, sive offerat, sive acceptet duellum. »

2. « Excusari etiam possunt, honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia, duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certo sciunt pugnam non esse secuturam, at post ab aliis impediendam. »

3. « Non incurrit pœnas ecclesiasticas contra duellantes latas, dux vel officialis militiæ acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ et officii. »

Hujusmodi propositiones tanquam *falsas*, *scandalosas*, *ac perniciosas* rejecit, damnavit et prohibuit S. Sedes et sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ et S. Pontifici reservatæ, easdem aut conjunctim aut divisim ducere, defendere, aut edere vetitum est. (Const. BENED. XIV, *Detestabilem*, 1752.)

III. Eadem constitutione, Benedictus XIV, pœnas Trident. sess. 25, cap. 19, statutas, et pluribus decretis pontificiis aggravatas, innovavit et confirmavit. Quæ pœnæ sunt: 1. Excommunicatio major ipso facto incurrenda. — 2. Omnium bonorum temporalium proscriptio. — 3. Perpetua infamia. — 4. Privatio sepulturæ, *perpetuo incurrenda etiam ante sententiam judicis a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim, indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit atque a peccatis, et censuris absolutionem obtinuerit.* — 5. Interdictum locale civitatis,

terræ, oppidi, et loci, ubi duellum, scientibus, et tacite vel expresse permittentibus dominis, vel magistratibus, commissum fuerit. — 6. Easdem pœnas subeunt, præter ipsos duellantes, patrini et socii eorum ad duellum serio provocantes et acceptantes, etiamsi pugna, ob aliquod impedimentum, secuta non fuerit; duellantium adjutores, sive consilium, auxilium, operas, arma scienter administrantes; spectatores ex industria, seu ex composito, qui nimirum ex sua præsentia videntur incitare duellantes ad pugnam. (Const. BENED. XIV cit.)

ARTICULUS II. — *De criminibus contra famam proximi, seu adulteriis, stupro et aliis luxuriæ criminibus.*

De hujusmodi criminum definitione, malitia, etc., vide theologos moralistas, et etiam canonistas; hic tantum dicemus de pœnis a jure latis.

I. « Jure canonico clericus fornicarius, præsertim si in SS. ordinibus constitutus et sacerdos sit, punitur pœna arbitraria, et pro locorum ac circumstantiarum varietate mitius, vel severius, et tales ordinarie solent esse incarceratio, mulcta pecuniaria, suspensio ab officio, et si crimen notorium, aut valde scandalosum, et clericus incorrigibilis, depositio ac beneficiorum privatio.» (SCHMALZGR. *De adulteriis*, n. 11.)

II. In concubinarios acrius animadvertitur, ut dicetur infra de pœnis.

§ I. — De stupro.

Si stuprator sit clericus, hodie præter dotis præstationem arbitrio judicis aliquando pecuniaria, aliquando incarcerationis, aliquando suspensionis, vel depositionis pœna plectitur. — Quod si delinquens laicus sit, tenetur corruptam ducere, vel si hanc pater dare renuerit, dotare. (C. *Si seduxerit* 1, et c. *Pervenit*, *De adulteriis*.)

§ II. — De adulteriis.

I. Laicis olim infligebatur pœna excommunicationis (c. *Intelleximus* 6, *De adulteriis*, etc.); hodie tamen adulterorum laicorum punitio passim relinquitur curiæ sæculari.

II. Circa *clericos* jure ecclesiastico tria sunt constituta:

1. Si adulterium in judicio confessus, vel convictus de eo est clericus, deponi ab officio et beneficio, atque insuper in monasterium ad agendam toto vitæ tempore pœnitentiam detrudi debet. (C. *Si quis clericus* 10; et c. seq. dist. 81.) Cui tamen detrusioni, cum hodie exoleverit, suffici potest pœna carceris, vel alia similis, et aliquando etiam pecuniaria.

2. Si suspectus, vel diffamatus de crimine isto, nondum autem convictus sit, eidem indicenda est purgatio canonica, in qua si defecerit, ab officio est suspendendus. (C. *Significasti* 5, *De adulter.*)

§ III. — De crimine incestus.

I. Jure canonico, si istius criminis reus sit clericus, præsertim si jungatur adulterium, est deponendus, et beneficio privandus. (Arg. c. *Si quis* 10, et seq. dist. 81.)

II. De laico eodem jure tres casus distinguendi sunt. Nam 1. In incestu quocunque perseverans, donec satisfecerit, jubetur excommunicari. (C. *De his qui* 9, causa 25, quæst. 2. — 2. Si maritus peccaverit cum consanguinea uxoris suæ, aut hæc cum consanguineo mariti, privantur jure exigendi debitum conjugale. (C. *Si quis* 6, c. *Transmissæ* 3, *De eo qui cognovit*, etc.) — 3. Qui incestas nuptias scienter contraxit, præterquam quod tale matrimonium invalidum sit, ipso facto excommunicationem incurrit (Clem. unic. *De consang.*); et a conjugio cum alia licite ineundo impeditur. (C. *Qui propinquam* 4, causa 25, quæst. 2.)

§ IV. — De carnali sacrilegio.

Jure ecclesiastico sacrilegus corruptor monialis, si laicus sit, excommunicatur: si clericus, privatur beneficio, et depositus ab ordine ad agendam pœnitentiam detruditur in monasterium. (C. *Si quis episcopus* 6, c. *Si qua monacharum* 28, causa 27, quæst. 1.) Ipsa vero monialis, se violari passa, aut detrudi debet in monasterium arctius cum rebus suis, aut mancipari perpetuo carceri. (C. *Impudicas* 11; c. *Virgines* 25; c. *Si qua monacharum* 28; c. *Si quis rapuerit* 30, causa 27, quæst. 1.) Alia carnis sacrilegia jure externo puniuntur tanquam simplicia carnis crimina.

§ V. — De sodomia perfecta et bestialitate.

I. Sodomia perfecta est coitus contra naturam inter duos non servato debito sexu; sicut contingit, quando concubit mas cum mare, femina cum femina; hæc sola jure punitur, non autem sodomia imperfecta.

I. Jure canonico flagitii istius nefandi reus, si laicus sit, a fidelium communione, donec condignam pœnitentiam egerit, peni-

tus est excludendus. (C. *Clerici* 4, *De excess. prælat.*) Et si conjugatus sit, conjux innocens non secus ac ob adulterium ab eo potest divertere. (Arg. c. *Omnes* 7, causa 32, quæst. 7.

2. Clericus vero, per cap. *Clerici* cit. beneficio privatus, et ab officio atque ordine clericali depositus, detrudendus est in arctum monasterium ad agendam pœnitentiam. Quam pœnam auxit S. Pius V, const. *Horrendam*, edita 3 Septembr. 1568: ubi statuit, ut clerici quicunque sodomiam exercentes omni privilegio clericali, officio, dignitate, et beneficio ecclesiastico privati, et per judicem ecclesiasticum degradati, tradantur curiæ seu potestati sæculari, afficiendi pœnis, quæ in laicos hujus criminis reos per leges sunt constitutæ. — Quæ pœna privationis privilegiorum clericalium tamen ut incurratur, duo requiruntur: 1° Ut sodomia sit consummata, [illegible]ue non semel, sed iterato, ut notant [illegible]ores. 2° Ut lata sit sententia condemnatoria judicis, vel saltem declaratoria criminis.— Addit Quarant. ex Tolet. et Henriq. v. *Sodomia*, dictam constitutionem quoad forum internum conscientiæ in praxi receptam non esse, sed tantum respicere forum externum. (Schmalzgr. *De adulteriis*, n. 115.)

II. « Si sodomita *notorius* sit, et interim celebret, vel ministret in ordine, quia ab exsecutione ordinis suspensus est, irregularitatem incurrit; nec poterit in hac irregularitate cum ipso dispensare, nisi solus papa. — Contra, si sit sodomita *occultus*; nam quia iste nec ab homine, nec a jure suspensus est, etsi ante peractam pœnitentiam celebret, irregularis non efficitur. » (Id. *ibid*. n. 116.)

II. *Bestialitatis rei* legibus civilibus plectuntur, sed nulla canonica pœna afficiuntur.

Notandum est ut in omnibus supradictis criminibus pœnæ et censuræ incurrantur necesse est ut crimen sit patratum, consummatum juxta strictam juris definitionem uniuscujusque criminis.

Articulus III. — *De criminibus contra fortunam seu bona proximi.*

§ I. De raptoribus.

Definitur *rapina*, quod sit *injusta ablatio rei alienæ mobilis aut se moventis, per vim facta.*

I. Raptores excommunicantur, quod fieri potest ab episcopo loci, ubi delictum commissum est. — Si ante obitum raptor non satisfecerit, vel in ipsa deprædatione interficiatur, tanquam mortuus in peccato mortali, privatur sepultura ecclesiastica, et Ecclesiæ suffragiis, ac orationibus publicis fidelium. (C. *Super eo* 2, *De raptor.*, et c. *Fures*, *De furt.*) Contra si satisfecit, scilicet restituendo cavit; tunc enim in vita, et in morte ad pœnitentiam et sepulturam admittur. (Schmalzgr. *de raptoribus* n. 70 et 71.)

II. Qui Christianos naufragium passos rebus suis spoliant, si cum possent eas non restituerint, ipso jure et facto incurrunt excommunicationem, in eos latam per concil. Lateran. Relatum cap. *Excommunicationi* 3, *De raptor*. Imo qui bona catholicorum naufragantium in mari rapiunt, incurrunt excommunicationem reservatam summo pontifici, ut habetur in bulla *Cœnæ*, cas. 4.— Præter illos, qui bona fidelium naufragorum accipiunt, excommunicationem bullæ *Cœnæ* facto ipso incurrunt latrunculi maritimi, infestantes mare ad ditionem Ecclesiæ Romanæ pertinens ut habetur in bul. *Cœnæ*, cas. 3.

§ II. — De incendiariis.

Incendiarii incurrunt excommunicationem ipso facto. (C. *Canonica*, causa 11, quæst. 3, et c. *Omnes ecclesiæ* 5, causa 17, quæst. 4.) A qua excommunicatione ante denuntiationem quidem absolvere potest episcopus, post denuntiationem vero eorum per Ecclesiam factam solus papa. (C. *Tua* 19, *De sent. excomm.*) — Præterea non sunt admittendi ad pœnitentiam, absolvendi, aut sepeliendi in loco sacro, nisi prius damna resarciant, aut de iis resarciendis cautionem præstiterint. (C. *Pessimam* 32, causa 23, quæst. 8.)

§ III. — De furtis.

Jure ecclesiastico fur notorius, aut furti condemnatus fit infamis, fitque irregularis, ut neque ad ordines promoveri neque in susceptis ministrare possit : ut colligitur ex c. *Qui in aliquo* 5, dist. 51; c. *Testes* 39, causa 2, quæst. 7 ; c. *Infamibus*, de R. J. in 6. — Si clericus in furto notabilis quantitatis, aut iterato deprehensus, vel convictus sit, ab ordine et officio clericali deponendus. (C. *Presbyter* 12, dist. 81.) Si vero non resipiscat, excommunicandus, ac tandem, si incorrigibilis evadat, curiæ sæculari tradendus est, vi constit. Clem. III, cap. *Cum non ab homine* 10, *De judic.*

§ IV. — De usuris.

II. Usuræ divino et naturali jure prohibitæ sunt; ideoque principes et gubernatores usuras facere licitas non possunt per suas leges. Patet ex Clement. unic. *De usuris*, ubi Clemens V in concilio Viennensi non tantum omnia statuta et decreta, usurarum exercitio faventia, proscribit, sed etiam in fine declarat, illos, qui in tantum errorem inciderint, ut usuras licite exerceri posse existiment, tanquam hæreticos puniendos; quo suo decreto satis indicat, circa usuras non majorem potestatem competere principibus, quam circa materiam hæresis. Ratio est, quia princeps sæcularis non potest tollere leges divinas, aut canonicas seu pontificias, maxime in his quæ continent peccatum. (Schmalzgr. *De usuris*, n. 12.)

II. Hinc merito gravissimæ pœnæ in faventes usuris per sacros canones sunt constitutæ. Et ii quidem, qui alienigenis, et non oriundis de terris ipsorum ad usuras exercendas locant, vel permittunt habere domos locatas in terris suis, aut eosdem intra tres menses non expellunt, si sint episcopi, et his superiores, pœnam suspensionis; si minores personæ singulares ecclesiasticæ, pœnam excommunicationis; si collegium aut universitas ecclesiastica, interdicti sententiam ipso facto incurrunt; si vero laici, per suos ordinarios, cessante omni privilegio, ob hujusmodi excessum per censuras ecclesiasticas compesci jubentur a Gregorio X, c. *Usurarum* 1, *De usuris* in 6.

Similiter excommunicationem ipso facto incurrunt potestates, capitanei, rectores, consules, judices communitatum, et consiliarii, vel alii quivis officiales, qui statuta condunt, ut solvantur usuræ, vel ut solutæ, cum repetuntur, non plene, ac libere restituantur; item qui ita judicant, et debitores usurarum ad usuras solvendas vitalium statutorum compellunt, aut hujusmodi statuta, modo ad hoc potestatem habeant, intra tres menses de libris ipsarum communitatum non deleverint, prout habetur Clem. unic. *De usuris*.

III. Usurarii ultra obligationem restitutionis subjacent etiam variis pœnis contra ipsos jure statutis. Quæ tamen pœnæ contra solos usurarios manifestos seu notorios jure vel facto latæ sunt, scilicet : 1. Sunt ipso jure infames. (C. *Infames* 2, causa 3, quæst. 7.) — 2. Si clerici sint, et moniti non desistant, ab officio et beneficio sint suspendendi ac deponendi. (C. *Episcopus* 1; c. *Quoniam* 2; c. *Si quis* 5, dist. 47; c. *Si quis* 4, et c. *Quoniam* 8, causa 18, quæst. 4, c. *Præterea* 6, *De usuris;* c. *Inter dilectos* 11, *De excessibus prælat.*) Et a fortiori repellendi sunt a sacris ordinibus suscipiendis, et ab officiis et beneficiis obtinendis. (C. *De Petro* 4, dist. 47.) — 3. Si laici sint, excommunicari debent usquedum debite satisfecerint. (C. *Præterea* 7, *De usuris.*) Et ipso facto irregulares exsistunt. (C. *Maritum* 2, dist. 33; c. *Seditionarios* 8, dist. 46.) — 4. Non admittantur ad communionem altaris, id est ad participationem Eucharistiæ. (C. *Quia in omnibus* 3, *De usuris.*) — 5. Quod manifestorum usurariorum oblationes non possint recipi. (C. *Quia in omnibus*, cit.) Usurarii enim æquiparantur raptoribus. (C. *Si quis* 10, causa 14, quæst. 4.) Et oblationes raptorum non sunt recipiendæ ab Ecclesia. (C. *Minor* 8, causa 17, quæst. 4; c. *De viro* 17, causa 12, quæst. 2.) — 6. Quod eorum testamentis nullus possit interesse, et quod ipsorum testamenta sint ipso jure irrita, nisi ante mortem restituerint quæ per usuras acquisita sunt, vel de eorum restitutione idoneam cautionem (per pignora videlicet, aut fidejussores) dederint. (C. *Quanquam, De usuris* in. 6.) — 7. Ut nullus usurarios manifestos, seu notorios ad confessionem admittat, aut illos absolvat (etiam ab aliis peccatis), antequam vel restituant usuras vel de satisfaciendo pro viribus suarum facultatum prædicto modo satisfactionem præstent. (Cit. c. *Quanquam* 2, *De usuris* in 6.) — 8. Quod si in eo peccato decesserint, Christiana et ecclesiastica sepultura careant. C. *Quia in omnibus* 3, *De usuris*, et c. *Quanquam* 2, cit. in 6, ubi etiam additur, quod omnes religiosi et alii qui manifestos usurarios ad ecclesiasticam sepulturam admittere ausi fuerint, pœnam in decreto Lateranensis concilii contra usurarios edito promulgatam incurrant, nempe pœnam suspensionis statutam in cap. *Quia in omnibus* 3, *De usuris;* et postea in concilio Lugdunensi, relato in Clement. 1, *De sepulturis*, statutum fuit ut qui usurarios manifestos scienter sepelire præsumunt, ipso facto sint excommunicati, nec absolvantur, nisi prius ad arbitrium diœcesani episcopi competenter satisfactionem exhibuerint.

IV. Usurarii præter supra dictas pœnas a jure statutas, etiam aliis pœnis arbitrariis, et extraordinariis puniri possunt a judice tam ecclesiastico quam sæculari, præsertim vero pecuniariis, ut in eo quo peccaverunt mulctentur.

Judex criminum usurariorum quoad; censuras, et privationes ecclesiasticorum beneficiorum est solus ecclesiasticus; judex autem criminum usurariorum quoad alias pœnas potest esse tam laicus quam ecclesiasticus, et datur locus præventioni. (Ferraris, verb. *Usura*, n. 88 et seqq. — Vide etiam Schmalzgr. *De usuris*.)

§ V. — De crimine falsi.

I. *Falsum* seu *falsitas* definitur communiter quod sit *fraudulosa imitatio vel potius immutatio veritatis, facta in præjudicium alterius.*

II. Dividitur in personale et reale. — *Personale* est, quod circa personam committitur, ut mutatio nominis, suppositio partus, testium subornatio, judicis corruptio. — *Reale*, quod committitur circa res, estque *verbale*, quod fit verbis, vel *scriptum*, quod fit scriptura, vel *simpliciter reale*, quod fit facto, aut usu, vel potius abusu rei, dum res ipsa falsatur, aut falsata dolo malo quis utitur in nocumentum alterius. — (De variis falsi criminibus *vide* Schmalzgr. *De crimine falsi* et alios canonistas.)

III. Testis falsum deponens in judicio, vel supprimens veritatem, si de eo convictus vel confessus sit, jure canonico incurrit infamiam. (C. *Constituimus* 9, causa 3, quæst. 5.) Et si clericus sit, deponendus et ad agendam pœnitentiam in monasterium detrudendus. (C. *Si episcopus* 7, dist. 59.)

Jure canonico judex ecclesiasticus, qui contra conscientiam, et justitiam, per sordes, h. e. prece, pretio, præmio, gratia, odio corruptus in gravamen partis judicavit, ultra æstimationem litis huic præstandam, incurrit pœnam suspensionis a divinis, et si his ea suspensione durante, se ingesserit, irregularitatem, prout statuitur cap. *Cum æterni* 1, *De sent. et re judic.* in 6.

IV. *Scripto.* Crimen falsi committit, qui scienter, et dolo malo testamentum, vel aliud instrumentum falsum scribit, signat, recitat, subjicit; qui signum adulterinum facit, sculpit, exprimit; qui in instrumento, vel testamento in sui, vel alterius gratiam notabilem aliquam falsitatem dolo malo admiscet, prout facit, qui in testamento sibi adscribit legatum, aut fideicommissum; qui aliena instrumenta, rationes, tabulas, in parte aliqua substantiali, et considerabili radit, immutat, lacerat, supprimit; qui alienum chirographum, manum, vel sigillum imitatur, et debitum, vel quid simile, in sui favorem, et alterius detrimentum scribit. — Pœna hujus falsitatis de jure civili est deportatio, et omnium bonorum publicatio cum infamia; — de consuetudine vero arbitraria pro qualitate personarum, et quantitate damni.

V. « Præcipue vero secundum SS. canones falsi crimen scripto committunt falsarii litterarum apostolicarum; cujusmodi censentur esse, qui litteras ejusmodi falsas conficiunt; qui confectis sigilla falsa, aut etiam vera, sine ejus ad quem spectat, consensu apponunt; qui in litteris, apostolica auctoritate confectis, radendo, abluendo, aut aliis modis tollunt, vel addunt aliquid, quo earum sensus immutetur. (C. *Licet* 5, *De crimine falsi.*) Item illi, qui ejusmodi litteras ex alterius, quam papæ, vel officialium ad hoc deputatorum manibus recipiunt. (C. *Dura* 4, eod. tit.) Porro *litteræ apostolicæ* hic vocantur quæcunque rescripta, bullæ, brevia, tam gratiam, quam justitiam concernentia, quæ nomine papæ expediuntur, et supplicationes, quæ ipsi offeruntur, et ab eo vel S. R. E. vice cancellario, eorumque vice gerentibus, aut de mandato papæ signantur. *Contra*, pro talibus non reputantur litteræ S. congreg. card. sacræ pœnitentiariæ, datarii, legati a latere, vel nuntii a sede apostolica missi, episcopi, et similium. »

VI. Falsarii litterarum apostolicarum: 1. Ipso facto incurrunt excommunicationem reservatam papæ. (C. *Ad falsariorum* 7, *De crim. falsi*, et bull. *Cœnæ*, casus 6.) Extenditur etiam ad fautores, et defensores illorum; nam et isti ipso facto excommunicationem incurrunt, quamvis non reservatam. — Quod recipiendi litteras apostolicas ab alio, quam de manibus papæ, et officialium ejus excommunicatio in desuetudinem abiit, advertit Schmalzgrueber, cum Barbosa, *De crim. falsi*, n. 29.

2. « Falsarii lit. apost. si clerici sint, omni officio, et beneficio ecclesiastico perpetuo privantur; et si falsi crimen per se exercuerint, degradandi, et curiæ sæculari tradendi sunt, ut de falsitate legitime convicti se-

rundum leges puniantur. (C. *Ad falsariorum* cit.)

3. « Qui litteras apostolicas falsas scienter impetrant, aut iis utuntur, si laici sint, ipso facto excommunicantur; si clerici, officiis, et beneficiis sunt spoliandi. (C. *Ad falsariorum* cit.)

4. « Qui litteras ejusmodi, ab aliis falsificatas, se habere cognoscunt, easque intra 20 dies non destruunt, aut resignant, excommunicationis pœnæ per sententiam ferendæ, et postquam lata est, papæ reservatæ obnoxii sunt; etiamsi iis non sint usi, neque habuerint animum utendi. » (SCHMALZGR. *De crimine falsi*, n. 29 et seq.)

Hæc de delictis cursim, brevitatis causa, relata sufficiant; qui plura desiderat, adeat canonistas et theologos moralistas.

LIBER XV. — DE POENIS DELICTORUM.

Examinavimus hactenus delicta fori ecclesiastici, et plerisque subjunximus pœnas a jure taxatas, quarum aliæ, quæ in judiciali foro externo, aliæ interno seu pœnitentiali imponuntur; utrarumque natura in hoc libro est explicanda.

Pœnarum, quas Ecclesia injungit delinquentibus, aliquæ vindicativæ, aliquæ medicinales sunt; de prioribus, in quantum attinet ad forum externum, in libro præsenti sermo præcipuus : prius tamen aliquid dicetur de pœnis in genere, sive vindicativis, sive medicinalibus, etc.

CAPUT PRIMUM.

De pœnis in genere.

§ I. — Quid sit pœna in genere

I. *Pœna est læsio, quæ punit, et vindicat, quod quisque commisit : vel est delictorum, sive criminum coercitio, sive vindicta, inducta ad disciplinæ publicæ emendationem.*

II. Ut justa sit hæc coercitio requiritur : 1. *Honestus finis :* talem habebit, si non quiescat in nudo malo alterius, sed eo tendat, ut vel reus emendetur, vel si noluerit se emendare, reddatur inhabilis ad peccandum, vel ut scandalum scelere datum exemplo pœnæ reparetur. — 2. *Auctoritas publica*, nam non expedit cuilibet privato potestatem coercendi concedere. — 3. *Proportio et æqualitas;* ut in eo gradu se contineat, in quo malitia delinquentis erat posita.

§ II. — Quotupliciter possit accipi pœna.

I. Accipi potest tripliciter : 1. Late, prout includit etiam medicinales. 2. Stricte, prout medicinales quidem excludit, includit tamen pœnas civiles. 3. Strictissime, prout includit solam vindicativam : et huic tantum illi, quæ proprie pœna solum est, convenit definitio supra data.

II. Pœna ergo *vindicativa* est, quæ ad vindictam publicam; *civilis*, quæ ad satisfactionem privatam tendit. Et hæc posterior triplex est, *legalis*, quæ a lege ; *judicialis*, quæ a judice ; *conventionalis* quæ mutuo partium consensu imponitur, et apponitur contractui, ut is firmius observetur, et quidem, quod hujusmodi pœna *conventionalis* apponi possit contractui, eoque exigi, certum est ex c. *Constitutus* 7, *De pœnis*.

§ III. — Quid sit pœna vindicativa.

I. Pœna vindicativa dividitur in personalem, realem et mistam. — *Personalis* tantum personam afficit, et talis est incarceratio, depositio, verberatio, etc. — *Realis* est, quæ in odium personæ rebus imponitur, ut cum reus privatur beneficio, cum mulcta pecuniaria ei imponitur, etc. — *Mixta* denique est, quæ partim est personalis, partim realis, ut interdictum, relegatio, etc.

II. Dividitur etiam pœna vindicativa in ordinariam et extraordinariam seu arbitrariam. — *Ordinaria* est, quæ lege, canone, vel consuetudine præscripta est. — *Extraordinaria* est, sive *arbitraria*, quæ nulla lege, canone, vel consuetudine definita est, sed judicis arbitrio, secundum personarum et delictorum qualitatem imponitur. — Ex ordinariis aliquæ infliguntur *ipso jure*, ita ut ipso facto contracto, quo crimen patratur, contrahantur etiam ante sententiam condemnatoriam judicis; aliæ *sententia judicis*, qui reum ad eam secundum leges, statuta, vel consuetudinem condemnet, indigent. »

III. Dividitur in positivam et negativam.

IV. Dividitur in capitales et non capitales. — Pœnæ non capitales sunt vel corporales, vel pecuniariæ, vel spirituales, quæ non indigent explicatione.

§ IV. — Quod alius pro alio puniri non possit.

Pœna sequitur ad culpam. Atqui hinc sequitur, quod alius pro alio, per se loquendo, puniri non possit. Dixi, *per se loquendo*; nam si subsit specialis causa, vel bonum commune hoc exigat, potest innocens secundum se, ob connexionem, quam cum nocente habet, pœna affici, et gravamen sustinere.

§ V. — Num puniendus sit reus pro unoquoque delicto seu crimine iterato.

Delinquens puniendus est toties, quoties iterat delictum. In criminibus tamen successivis, ubi delictum iteratur contra eamdem personam, ut fit in adulterio, fornicatione, concubinatu, etc., nisi interruptio interveniat, aut crimen jam semel deductum ad judicem, et ab hoc punitum sit, in ordine ad pœnam censetur esse unum peccatum, et conseq. una pœna, licet graviori, est puniendum.

§ VI. — Quid judici in infligenda pœna sit attendendum.

Judex maxime in infligenda pœna considerabit circumstantias : et 1° quidem qualitatem delicti; 2° tempus, locum, et eventum; 3° qualitatem personæ delinquentis; 4° qualitatem damni illati, et deliberationem, qua delictum commissum est; 5° qualitatem certitudinis qua delinquentem pœnæ obnoxium esse constat. 6° Denique suam ipse personam spectare judex in pœna inferenda debet.

§ VII. — Utrum judex possit mutare, vel omnino remittere pœnam.

I. Certum est principem supremum, a quo pendet lex, posse substituere aliam pœnam quam istam quæ est a jure statutam, et decernere extraordinariam, vel omnino ipsam remittere. Sed dicendum a judice inferiore, per se loquendo, reis legitime convictis de crimine, infligendam pœnam ordinariam : quia inferior potestas immutare, et corrigere nequit legem superioris; et judici non licet judicare de legibus, sed secundum illas. (C. *In istis* 3, dist. 4, c. *Canonum* 1, *De const.*)

II. Dixi *per se loquendo;* nam si per accidens circumstantiæ tales concurrant, ut judicis arbitrio ad aliorum terrorem infligenda sit pœna major ordinaria, potest illam eo casu judex infligere, et pœnam augere.... — « Similiter potest judex inferior aliquando pœnam lege constitutam minuere, si circumstantiæ crimen minuant, aut diminutionem pœnæ suadeant. » (Schmalzgr., *De pœnis*, n. 39 et 40.)

§ VIII. — An debeatur a reo pœna in conscientia ante sententiam.

I. Certum est pœnas ferendæ sententiæ non deberi ante sententiam, quia tunc lex ponit potius pœnam designandam a judice, quam designatam; igitur antequam designetur, ad eam reus non obligatur.

II. *Dubium* præcipue et primum est, an pœnæ ipso jure latæ subeundæ sint ante omnem judicis sententiam. In quo inter doctores convenit, 1° ita contrahi censuras : et hinc, qui delictum commisit, cui ipso jure inflicta est pœna excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, statim a communione fidelium, administratione beneficii vel officii, et divinorum participatione abstinere tenetur; ut colligitur ex c. *Si quis suadente* 29, causa 17, quæst. 4, et toto titulo *De sentent. excom.* et *De homicid.* — Convenit inter eosdem 2° ante omnem sententiam observandas esse varias irregularitates, et inhabilitates ad suscipiendos vel exercendos SS. ordines, ad obtinenda beneficia ecclesiastica, ad suffragium in electione ferendum, ad contrahendum matrimonium, etc.

III. « Quoad alias pœnas distinguendum est; nam si pœna sit *positiva*, de facto non constat, quod ulla ex illis in jure canonico, vel civili sic lata sit, ut ad eam, sic exsequendam in se, reus ante omnem sententiam judicis obligetur.

« At si *privativa* sit, videndum, an privet jure primum quærendo, an vero jam plene quæsito. *Si privet jure primum quærendo*, aut *nondum plene quæsito*, pœna hujusmodi jure lata delinquentem ante omnem judicis sententiam afficit. Et hinc ante omnem judicis sententiam dimittere tenetur beneficium parochiale, qui intra annum sua culpa non ordinatur sacerdos. (C. *Licet* 14, *De elect.* in 6.) Et episcopus episcopatum, si intra sex menses a die confirmationis obtentæ non consecretur. (*Trident.* sess. 23, c. 2, *De reform.*) Similiter pro ratione temporis dimittere tenetur fructus beneficii sui, qui Horas canonicas recitare negligit, ex *motu*

proprio S. Pii V. Incipit *Ex proximo*; 12, Kalend. Octobr. 1571.

« *Si vero pœna sit privativa juris jam plene quæsiti*, præter censuras, irregularitates, et privationem juris petendi debitum in conjuge incestuoso, nulla alia regulariter hodie ante sententiam omnem judicis ita afficit delinquentem, ut iste jus istud suum teneatur dimittere. » (Communis; Schmalz. *De pœnis*, n. 44 ad 51.)

CAPUT II.

De pœnis Ecclesiæ spiritualibus, et in specie de irregularitate.

§ I. — Quid et quotuplex sit irregularitas.

I. Irregularitas, sic dicta, quod deviatio sit a regula, a priscis Ecclesiæ PP. constituta pro iis, qui ad sacra ministeria admittuntur, communiter definiri solet, quod sit *impedimentum canonicum, primo, et per se impediens ordinis susceptionem, et secundario illius usum.*

Dicitur *impedimentum canonicum;* quia non ab homine, sive per judicis sententiam, sed a solo jure, non quidem particulari, sed tantum communi infligitur. Ideoque solus papa per legem suam generalem potest decernere irregularitatem.

Licet irregularitas aliquando imponatur per modum pœnæ in vindicationem delicti, non tamen est pœna medicinalis, quæ recedente contumacia, tolli debet, sed est pœna de se perpetua : præterea ipsa non tam in pœnam delicti imponitur, quam in honorem ecclesiastici status, in quem dedecet assumi illum, qui tale delictum commisit.

II. Pluribus irregularitas differt a censuris et aliis pœnis; ut facile quisque deprehendere potest.

III. Tripliciter irregularitas « communiter solet dividi. 1. In eam, quæ provenit ex delicto, et in eam quæ provenit ex alio defectu. — 2. In totalem, et partialem. — *Totalis* est, quæ cujuscunque ordinis susceptione, et susceptorum usu quocunque privat. — *Partialis*, quæ ordinum usu, seu ministerio aliquo, vel solo ascensu ad superiores privat, licet in jam susceptis ministrare non prohibeat. — 3. In perpetuam, et temporalem. — *Perpetua* est, quæ sola dispensatione tollitur : *temporalis*, quæ lapsu temporis cessat uti est irregularitas ex defectu ætatis, quæ adveniente ætate, tollitur. »

IV. *Subjectum* autem, quod affici per irregularitatem potest, solum potest esse : 1. Vir; nam femina nunquam habuit capacitatem ad suscipiendos ordines, quæ per irregularitatem tollatur. — 2. Baptizatus; nam non baptizati jure divino ab ordinibus excluduntur. — 3. Subjectus alicujus jurisdictioni; hinc incapax irregularitatis est summus pontifex; quia non subditur suis legibus quoad vim coercitivam.

V. Cum irregularitas oriatur ex delicto et ex defectu, hinc duplicis generis causæ sunt, ex quibus incurritur irregularitas.

1. *Ex delicto* irregulares sunt : 1° Iterantes baptismum. — 2° Suscipientes furtive ordinem. — 3° Ministrantes in ordine non suscepto. — 4° Violantes censuram ecclesiasticam per susceptionem ordinis, vel ministrationem in illo in excommunicatione, suspensione, interdicto. — 5° Occidentes, vel mutilantes injuste alterum, si hoc voluntarie fiat, et cum intentione expressa occidendi, vel mutilandi, quod extenditur etiam ad mandantem, consulentem, etc. — 6° Hæretici, et de hæresi suspecti, dum non purgant suspicionem. — 7° Infames infamia juris et facti, etc.

2. *Ex defectu* irregulares sunt : 1° Ex defectu animi amentes, infantes, phrenetici, etc. — 2° Ex defectu corporis hermaphroditi, carentes requisita ætate ad ordines, et quemcunque alium habentes defectum, qui congruentem ordinis usum impedit, vel notabilem horrorem seu deformitatem causat. — 3° Ex defectu natalium, illegitimi. — 4° Ex defectu sacramenti, bigami. — 5° Ex defectu libertatis servi. — 6° Ex defectu lenitatis concurrentes ad supplicium capitis, vel mutilationem etiam justam, milites occidentes in bello etiam justo, si offensivum hoc sit, etc.

De his omnibus irregularitatibus et de reliquis sparsim per cæteros libros dictum est.

§ II. — Quale delictum debeat esse illud, ob quod incurritur irregularitas.

I. Non debet esse commissum solo actu interno; nam hos actus *Dominus suo reservavit judicio*, ac proinde *non possunt humano condemnari examine*, ut traditur c. *Si quandoque* 1, causa 15, quæst. 6, et *Cogitationis pœnam nemo patiatur*, juxta can. *Cogitationis* 4, *De pœnit.* dist. 1.

II. Actus ille externus debet esse consummatus, et perfectus secundum proprietatem

verborum canonis irregularitatem inducentis. Sufficit tamen, etsi sit occultus, ut colligitur ex Trident. sess. 24, c. 6, *De reform.*

III. Actus iste debet esse delictum saltem ex objecto et materia grave. An vero si ex circumstantia aliqua excusetur a peccato mortali, eo ipso excusetur delinquens ab irregularitate, non est constans sententia. Negant aliqui. Oppositum tenent plurimi; *rationem* dant, quia irregularitas est malum gravissimum, utpote privans ordinis susceptione, et illius usu in perpetuum, et absque spe dispensationis. Ergo necessario exigit culpam, vel defectum grave; alias pœna culpæ gravitatem excederet. Quæ ratio probat non posse a pontifice irregularitatem pœnalem indici alicui ob culpam mere venialem : imo non desunt doctores affirmantes, ad quamlibet irregularitatem, ex delicto provenientem, requiri dolum, seu contemptum. » (Schmalzgr. *De pœnis*, n. 76.)

IV. « Dub. 2. *An ob causam dubiam censendus sit aliquis irregularis?* — Potest dubium hoc esse juris vel facti. *Dubium juris* est, an in jure ob tale factum imposita sit irregularitas? — *Dubium facti*, cum certum est tali facto impositam esse a jure irregularitatem ; dubitat autem quispiam num tale factum commiserit. »

« *Certum est* 1. Quodcunque sit dubium, sive juris, sive facti, debitam diligentiam imprimis adhibendam esse ad investigandam veritatem, neque sic dubitantem interea absque gravi peccato præstare posse quæ irregulari prohibentur, ut colligitur aperte ex c. *Illud* 5, *De cler. excom. ministr.*, quia manifesto periculo se exponeret violandæ irregularitatis. — *Excipitur*, nisi interim, dum dubium istud examinatur, dubitans pateretur incommoditatem gravem se irregularem reputando, ut quia præterit occasio ordinum suscipiendorum, beneficii vel alterius lucri comparandi ; nam eo casu non videtur lex in dubio ita rigide obligare, ut ob illius obligationem quis teneatur grave damnum sustinere. »

« *Certum est* 2. Si post adhibitam debitam diligentiam rationibus probabilibus quis ducatur ad existimandum, quod vel facto tali irregularitas non sit annexa, aut quod ipse non commiserit factum, cui alias de jure annexa irregularitas est, posse ipsum se reputare immunem esse ab irregularitate ; quia prudenter se gerit opinioni probabili adhærendo, neque in ea probabilitate æquum erat quemquam tam gravi pœnæ subjicere. » (Schmalzgr. (*ibid.*, n. 77 ad 79.)

« *Difficultas* igitur solum est an, si post adhibitam diligentiam debitam adhuc quis hæreat, neque valeat judicium probabile efformare, irregularitatem se non incurrisse (quod raro fiet) reputare se irregularem debeat ? Qua in re variæ sunt sententiæ. »

« Et meo judicio probabilior sententia cum Palao.... distinguit inter dubium juris et facti ; nam *si dubium juris sit*, ita dubitans nullo modo irregularem reputare se debet. Ita Sayr. Sanchez , Coninck apud eumdem Palao; et sumitur ex c. *Is qui*, 18, *De sent. excom.* in 6, ubi dicitur ob nullum factum irregularitatem incurri, nisi id jure expressum sit.... » (Schmalzgr. *De pœnis*, n. 81 et 83.)

« *Si vero sit dubium facti*, iterum distinguendum est inter dubium facti homicidii, et inter dubium circa alia facta, quibus constat irregularitatem de jure annexam esse. — Nam *in dubio facti homicidii*, cum scilicet dubitatur, an tu patraveris homicidium tua actione, consilio, vel favore, te judicare debes irregularem ; et ut talis in foro externo habendus, et judicandus es, non quidem absolute, sed quoad effectum abstinendi a celebratione, quærendique dispensationem. Ita plurimi. Ratio est, quia textus c. *Ad audientiam* 12, et c. *Significasti* 18, *De homicid.* expresse decidunt, in dubio facti homicidii obligationem esse abstinendi a celebratione, et sic dubitantem tanquam irregularem habendum.... Nullo autem modo ita dubitans censendus est irregularis quoad privationem beneficiorum, aliasque pœnas irregularibus impositas. »

« *Si vero dubium facti incidat in aliis materiis, extra causam homicidii*, dicendum est tunc neminem esse irregularem censendum. Ita multi... Sumitur ex c. *Is qui* 18, *De sentent. excom.* ubi deciditur non contrahi irregularitatem nisi in casibus a jure expressis ; atqui in jure expressum non est, in dubio facti ultra casum homicidii irregularitatem incurri : ergo, etc. *conf.* Nam in casu dubio nemo tenetur se sua libertate privare, nisi aliqua lege cogatur ad hanc privationem sustinendam ; atqui nulla adest lex privans libertate suscipiendi ordines dubium delinquentem, nisi in casu homici-

dii. Ergo, etc... » (Schmalzgr. *De pœnis*, n. 84-86.)

§ III. — Qui sint effectus irregularitatis.

I. Imprimis noto, quod nulla irregularitas privet actionibus, quæ et laicis et clericis communes sunt, nempe recipere sacramenta, præter ordinem, audire officia divina, sepeliri in loco sacro, communicare cum fidelibus, baptizare absque solemnitate ; quia irregularitas solum excludit a gremio, et regula clericorum, et consequenter ab actionibus quæ clericorum sunt propriæ : quo prænotato ad quæstionem propositam dico tres præcipue irregularitatis effectus recenseri. — 1. Est privatio ordinis suscipiendi licite.—2. Privatio beneficiorum consequendorum. — 3. Privatio beneficiorum ante irregularitatem acquisitorum.

I. Irregularitas privat ordine suscipiendo ; facit, ne licite suscipi ordo ab irregulari possit. Dixi 1° *ne licite ;* nam valide potest, quia valor receptionis non pendet a dispositione Ecclesiæ, et cons. ipsa eumdem impedire non potest, modo adsint alia requisita. — Dixi 2° *ne suscipi ordo*, etc. ; nam quando irregularitas supervenit ordini jam suscepto, videndum est an sit irregularis ex delicto, an ex defectu : *si ex delicto*, puta ex homicidio, ex iniqua ordinum susceptione, vel administratione, etc., privat ordinatum quolibet exercitio ordinis suscepti, et inhabilem reddit ad alium suscipiendum ; quia præstat omnem effectum, quem præstare potest, ut colligitur ex cap. fin *De tempor. ordin.* et c. *Inquisitionis* 21, *De accus.* et communis. — *Si vero ex defectu descendat irregularitas* , privat solum exercitio ordinis suscepti, et potestate suscipiendi ad quem per ejusmodi defectum inhabilis factus est : ut si duo digiti cum medietate palmæ abscissi fuerunt, si sacerdoti, irregularis ille fit ad celebrandum ; si diacono, ad sacerdotium suscipiendum : nequaquam tamen impediet aut diaconum a ministerio ordinis rite suscepti, neque sacerdotem a reliquis muniis sacerdotalibus, qualia sunt matrimonio assistere, absolvere a peccatis, vel alia sacramenta ministrare. Neque refert, an talis defectus culpabiliter sit contractus , necne ; quomodocunque enim supervenerit ordinato, solum impedit usum illius ordinis, quem defectuosus præstare nequit ; quare talis defectus inducet irregularitatem solummodo partialem.

II. *Quomodo irregularitas privet beneficiorum consecutione.*

Certum est, quod irregularis non possit licite accipere beneficium. (C. fin. *De cler. pugn. in duell.* ; et Trident. sess. 14, c. 7 *De reform.*) Saltem si irregularitas sit absoluta, et totalis ; nam hæc clericum a statu, et ordine clericali omnino dejicit. cons. dejicit etiam ab iis, quæ clericalem ordinem requirunt, et quæ illius sunt propria. Aliud est, si irregularitas sit partialis duntaxat, et ordinato supervenerit non ex delicto, sed ex defectu, sicut est irregularitas, quæ refertur c. *Presbyterum* 2, *De cler. ægrot.* Nam huic valide et licite potest conferri beneficium, saltem si tale sit, ut non requirat usum repugnantem defectui.

Difficultas est, an valida sit collatio beneficii, quæ facta est irregulari absolute, vel tali, qui functiones beneficii exercere licite non potest? *Negat* communis sententia... verum non obstante, adhuc probabilis est sententia, quæ negat hujusmodi collationem esse irritam; ex quo est tantum illicita et per sententiam irritanda. (Schmalzgr. *De pœnis*, n. 92-94.)

III. « An irregularitas jure ipso privet beneficiis ante irregularitatem obtentis? — Negativam sententiam communiter defendunt DD., et colligitur ex c. *Clericis* 5, *Ne cler. vel monach.;* cap. *Fraternitati* 6; et c. seq. *De cleric. excom. minist.;* c. *Ex litteris* 10, *De excessib. prælat.*, in quibus textibus ad beneficiorum privationem requiritur officium judicis.

« Addo tamen, etsi beneficiatus, in irregularitatem incidens ob delictum, retinere possit beneficium, usquedum per sententiam eo privetur, ipsum tamen debere procurare dispensationem, et interim beneficii muneri per alium satisfacere in iis actionibus, quæ ratione irregularitatis illi sunt prohibitæ; quod si autem dispensationem impetrare aut nolit, aut non possit, retinere illud non poterit; quia sic Ecclesia in perpetuum spoliaretur servitio suo; poterit tamen illud resignare, etiam in favorem, ac si nullam irregularitatem incurrisset, etiam pendente lite, et accusatione facta de irregularitate; quia usquequo accedat sententia, et condemnetur, retinet jus in beneficio.

« In jure pensionum privatio irregulari indicta non est, sed decernenda relinquitur

arbitrio judicis, spectata delicti qualitate, ut decisum a sac. cong. Card. referunt plures. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 96-100.)

IV. « Jurisdictionem fori externi, et alias functiones, quæ irregulari non prohibentur ab eodem exerceri possunt. »

V. Si irregularis munera beneficii sui per se, vel per alium exercuit, non privatur beneficii fructibus, nec venit privandus per sententiam. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 101 et 102.)

§ IV. — Quæ causa excuset ab irregularitate.

I. Certum est irregularitatem ex delicto non incurri per actum, qui non est peccatum mortale; cons. ab irregularitate excusatur omnis ille, qui excusatur a peccato mortali.

II. Probabilius excusatur ab irregularitate, qui ignoravit quod delictum, quod commisit, lege ecclesiastica specialiter sit prohibitum... Ita plurimi apud Schmalzgr. qui addit : « *Probari potest :* 1. Ex c. fin. *De const.* in 6, ubi deciditur, constitutionibus ordinariorum, quoad pœnas in his sancitas, non ligari illos, qui has ignorant; quia æquum non est æquali pœna punire transgressorem legis ex ignorantia, qua punitur transgressor ejus malitiosus, cum ignorantia a transgressione culpabili legis excuset; quæ decisio a fortiori procedit in constitutionibus pontificiis. — 2. Ex can. *Proposuisti* 2, dist. 82, ubi clerici luxuriosi, ignorantes sibi delictum istud per legem ecclesiasticam sub pœna depositionis prohibitum esse, venia digni pronuntiantur, et afficiuntur pœna mitiori arbitrio judicis; ergo ignorantia legis ecclesiasticæ excusat a transgressione, et a pœna ei annexa. — 3. Ex *ratione :* quia pœnalis irregularitas plerumque ab Ecclesia indicitur in pœnam inobedientiæ, et contumaciæ adversus Ecclesiam, siquidem superadditur violationi censurarum, quæ inobedientiam et contumaciam requirunt; atqui inobedientia et contumacia stare non potest cum ignorantia legis ecclesiasticæ : ergo, etc. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 103.)

III. E contra qui quidem scit, delictum suum esse speciali legi ecclesiastica prohibitum, probabiliter tamen ignorat irregularitatem eidem annexam, hanc irregularitatem incurrit. Hæc sententia ut communis, et in praxi recepta tenenda omnino est. Contraria tamen, quæ vult eo casu irregularitatem non incurri, adhuc probabilis est, ut docent plurimi apud Schmalzgr. *De pœnis,* n. 108.

§ V. — Quomodo irregularitas tolli possit.

I. « Irregularitas quæ oritur ex defectu natalium, in ordine ad suscipiendos ordines, tollitur per professionem religiosam. (C. *Filii* 1, *De fil. presbyter.*) Quæ tamen irregularitas perseverat in ita professo quoad dignitates et prælaturas. (C. fin. tit. cit.) Nisi religio, quam profitetur, hoc privilegium habeat, sicut habent omnes fere religiones, ut earum religiosi, etiamsi natalium defectu laborent, in prælatos possint eligi. »

« Reliquæ irregularitates, si jus commune spectetur, per professionem religiosam non tolluntur. »

II. Relaxare irregularitatem potest dispensando summus Pontifex.

III. Episcopus tum solum potest dispensare in irregularitate, quando hoc ipsi concessum est; alias, quoties dispensatio circa irregularitatem eidem concessa non est, censebitur pontifici reservata. (Communis.) Conceditur autem ei per Trident. sess. 24, cap. 6, *De reform.*, potestas in illa dispensandi, quando provenit ex delicto occulto, et ad forum contentiosum nondum deducto, excepta illa, quæ oritur ex homicidio voluntario. Requiritur autem ut is, quocum in irregularitate dispensare vult episcopus, sit ejus subditus, ut dispenset episcopus in sua diœcesi. (*Trident.* loc. cit.) Nomine episcopi hic veniunt 1° episcopi; 2° capitulum sede vacante; 3° abbates, et alii prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentes.

§ VI. — Advertenda circa relaxationem irregularitatis.

I. « Si plures sint irregularitates, de quibus impetranda sit dispensatio, necessarium est mentionem facere illarum, quæ sunt ob diversa delicta contractæ, non autem quæ sunt ob delictum ejusdem generis sæpius iteratum contractæ.

II. « Quando in privilegio, vel potestate dispensandi in irregularitatibus, data religionibus, vel episcopis, fit aliqua exceptio, ea stricte est interpretanda, et hinc si alicui concedatur potestas dispensandi, præterquam in bigamia, intelligendum hoc est de bigamia vera, non similitudinaria, si excipiatur homicidium voluntarium, intelligendum de injusto, et directe volito, non de eo,

quod commissum est ad sui defensionem, excedendo moderamen inculpatæ tutelæ, aut quod ex subita ira commissum est.

III. « Si episcopus vel prælatus conscius irregularitatis, in qua dispensare potest, admittat irregularem ad ordines, vel beneficium, censendus est cum illo dispensasse. Verum hæc dispensatio tantum valebit pro foro conscientiæ; nam in foro externo nullatenus admittitur hæc tacita dispensatio a prælato inferiore pontifice; quia in jure communi inferior pontifice dispensationem concedere nequit non præmissa cognitione causæ.

IV. « Dispensatus ad ordines etiam a pontifice non hoc ipso censetur dispensatus ad beneficia curata, dignitates et prælaturas. Dispensatus tamen ad majores ordines, hoc ipso etiam censetur dispensatus tantum ad minores ordines.

V. « Dispensatus ad ordines, si minores nondum habet, censeri debet dispensatus ad istos solos : si vero minoribus susceptis, dispensatio hæc superveniat, intelligi debet facta pro majoribus.

VI. « Si episcopus, sciens aliquem esse irregularem, ipsi tamen concedat litteras dimissorias ad ordines, eo ipso concedere censetur facultatem, ut ab ordinante dispensetur in irregularitate vel alio impedimento quod susceptionem ordinum impedit; *secus est*, si ignarus fuit irregularitatis, vel impedimenti... » (Schmalzgr. *De pœnis*, n. 122 et seqq.)

CAPUT III.

De aliis pœnis Ecclesiæ spiritualibus.

§ I.— De inhabilitate.

Post irregularitatem, inter pœnas Ecclesiæ spirituales, *primo loco* occurrit *inhabilitas* ad dignitates, beneficia, et officia ecclesiastica obtinenda. (C. *Quicunque* 2, et c. *Statutum* 15, *De hæret.* in 6.) Et privatio legitime obtentorum, c. cit. et alibi passim. Potest privatio hæc induci duobus modis, scilicet ipso jure, et per sententiam condemnatoriam judicis.

§ II. De privatione ipso jure.

Hujusmodi privatio *ipso jure* incurritur tunc, quando annexa est perpetrationi criminis, ita ut alia sententia condemnatoria non requiratur. Et tale crimen est cædes rectoris, vel beneficiati ecclesiæ, in qua beneficium obtinetur (C. *In quibusdam* 12, *De pœnis.*) Hostilis persecutio, aut captivatio alicujus S. R. E. cardinalis, vel ad eam cooperatio. (C. *Felicis* 5, eod. in 6), percussio, persecutio episcopi, etc. (Clem. 1, eod.) Violenta detentio personæ ecclesiasticæ ad effectum extorquendæ ab ea renuntiationis beneficii, vel impediendæ comparitionis apud sedem apostolicam (Clement. 2, eod.); et permulta alia, de quibus proprio loco dictum est, et videri possunt apud Azor. p. II, lib. VII, cap. 17, quæst. 1, et alios.

II. Privatio ipso jure inducta quatuor maxime effectus habet : 1. Ipso facto criminis perpetrati amittitur titulus, seu proprietas beneficii, ita ut hoc ab eo tempore vacare incipiat, et ante omnem sententiam judicis impetrari ab alio possit. (Arg. c. *Licet* 18, *De præbend.*, in 6.)— 2. Ita privatus non facit fructus suos, sed restituere tenetur fructus, a die commissi criminis ex beneficio provenientes; extravag. 3. Inter comm. *De simon.* — 3. Beneficium illud permutare, et in favorem alterius resignare non potest.— 4. Si moriatur, impetrari beneficium illius ab alio potest, non tanquam vacans per mortem, sed tanquam vacans ex delicto.

§ III. — Privatio per sententiam condemnatoriam.

I. Privatio per sententiam condemnatoriam incurritur tunc, quando, ut incurratur, opus est sententia non tantum declaratoria criminis, sed etiam injungens pœnam ademptionis beneficii. (Innocent. in c. *Qualiter* 18, *De accusat.*)

II. *Quis sit effectus privationis per sententiam condemnatoriam judicis.* — « Per hanc solum inducitur privatio tituli a tempore latæ talis sententiæ. Ex quo sequitur : 1. Quod ante talem sententiam beneficium talis criminosi non possit impetrari. — 2. Quod beneficium tale ante hujusmodi sententiam possit ex causa permutationis, vel alio modo resignari.—3. Quod fructus ante sententiam perceptos faciat suos, et restituere eos non teneatur, licet dudum ante commiserit crimen.

III. « Locus pœnæ privationis beneficii ante crimen obtenti, duntaxat est in casibus jure expressis. Casus autem isti, et crimina quæ eam merentur, in specie referri, aut sub una regula comprehendi non omnia possunt, imo in hac pœna dictanda locum esse argumento a simili, eamque imponi posse propter expressis similia, existimant plures

doctores qui tamen monent recentiora potius jura, et curiarum praxin in pœna ista dictanda, quam veteres canones a judice attendendos, quod hi ad privationis, et depositionis pœnas multo, quam nostrorum temporum corruptio, proniores sint. » (SCHMALZGR *De pœnis*, n. 128 ad 131.)

§ IV. — De depositione.

I. Potest autem hoc nomen dupliciter accipi : 1. *Magis generice*, et eatenus continet sub se etiam degradationem. — 2. *Magis specifice*, ut significet pœnam, a degradatione et suspensione distinctam, et sic accepta *depositio simplex* dicitur ad distinctionem a degradatione, quæ est solemnis depositio, quando clericus perpetuo removetur vel ab ordine, ex gr. episcopali, sacerdotali, etc. Scilicet quoad exercitium ejus; nam character, et ordo manet; vel a beneficio, ex gr. parochia, dignitate, etc., vel ab officio, ex gr. sacramentorum administratione, et jurisdictionis usu; vel ab officio, et beneficio simul; vel denique ab ordine, officio, et beneficio. Ex quo patet pœnam istam esse clericorum propriam... extenditur tamen etiam ad religiosas... et ad abbatissas : nam istæ suspendi et deponi solent.

II. Depositio simplex a beneficio differt a privatione beneficii in hoc, quod depositio simplex ultra privationem beneficii possessi, ad idem, et alia beneficia obtinenda inhabilitatem inducat.

III. Differt a suspensione in hoc, quod depositio ex natura sua sit perpetua, cum tamen suspensio vel non sit perpetua, vel si perpetua est, non ab officio, et beneficio ipsomet, prout facit depositio, sed a beneficii fructibus duntaxat, officii administratione, et jurisdictionis usu removeat. Neque obstat, quod a beneficio perpetuo suspensus id etiam amittat, cum beneficium habere non debeat, qui ejus fructuum perceptione perpetuo est interdictus; quia hæc amissio non inducitur ex vi suspensionis; et hinc suspensione relaxata, suspensus beneficium retinet sine nova collatione, quæ tamen necessaria est deposito ad ejus retentionem.

IV. Depositus retinet privilegia canonis et fori, « nisi horum privilegiorum ademptio in sententia exprimatur, ut colligitur ex can. *Cum non ab homine* 10, *De judic.* Et hinc curiæ sæculari tradi non potest, nisi crescente contumacia, propter incorrigibilitatem degradetur... Ut autem non privatur privilegio ita nec liberatur onere clericali : obligatur proin depositus non minus ac suspensus si in sacris sit, ad persolvendum pensum canonicum, ut bene notant doctores, et ratio probat. Nam obligatio ista comitatur ordinem sacrum, etiamsi obligatus nullum beneficium habeat. Ordo autem, ut jam dictum est, manet. »

V. *Ob quæ crimina a jure imposita sit pœna depositionis perpetuæ?* — « Plura referuntur a doctoribus, sed cum Abb. in c. *At si clerici* 4, *De judic.* et aliis distinguendum est inter tempora. Antiquo jure depositionis pœna vindicabantur homicidium, furtum, perjurium, adulterium, et his majora; imo et minora... Nostro autem tempore hæc pœna infligi non solet, nisi reis criminum valde enormium, sive talium, quæ non solum natura, et objecto, sed circumstantiis etiam, et adjunctis qualitatibus consideratis, publice valde scandalosa, et atrocia prudentis arbitrio reputantur, ut sunt homicidium voluntarium ac præmeditatum, adulterium, vel stuprum violentum, furtum sacrilegum rei pretiosæ, fornicationes notoriæ, et insuper habitis monitionibus continuatæ, ut bene advertunt Abb., etc.; et colligitur ex c. *Si autem* 6, *De cohabit. cleric. et mulier.* Trident. sess. 22 in *Decreto, De observat. in celebrat. miss.*—et sess. 25, c. 14 *De refor.* » (SCHMALZGR. *De pœnis*, n. 132 et seq. - Vide etiam FERRAR. verb. *Degradatio*, n. 10 et 11.)

Notandum est quod extra casus statutos a jure canonico, et a summis pontificibus, nullam habent episcopi jurisdictionem deponendi.—Præterea cum inhabilitas ad beneficia, privatio beneficii, ita et depositio, sint pœnæ ordinariæ a jure determinatæ, non tantum non possunt pronuntiari nisi in casibus jure expressis, sed etiam nequeunt indici nisi per sententiam sive declaratoriam, sive condemnatoriam in judicio formali latam et solummodo contra reos plena judiciali probatione convictos vel saltem judicialiter confessos. Proindeque hujusmodi pœnæ infligi nunquam possunt per judicis arbitrium, nec per sententiam extrajudicialem ex informata conscientia, qua quidem nequit pronuntiari nisi censura suspensionis.

VI. Certum est episcopum cum clericis, ob adulterium, et crimina eo non graviora depositis, post peractam pœnitentiam dis-

pensare, eosque in pristinum statum restituere posse; ex textu c. *At si clerici* 4, *De judic.* ibi: ***De adulteriis vero et aliis criminibus, quæ sunt minora, potest episcopus cum clericis post peractam pænitentiam dispensare. Sed non debet quemlibet depositum, pro suis excessibus (cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) judici tradere sæculari.***

§ V. — De degradatione.

I. Tertia pœna est degradatio, qua clericus ob criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem solemniter, et authentice privatur ordine, beneficio, officio, et statu clericali, ita ut transeat in potestatem sæcularem, et ab ea instar laici incarcerari, condemnari, ac puniri, secundum leges possit. — Duplex est, una verbalis, altera realis. *Verbalis*, sive, ut etiam nuncupatur, ***sententialis*** est, qua ejusmodi privationis sententia authentica solemniter promulgatur; ***realis***, quæ etiam ***actualis***, et ***solemnis*** dicitur, est qua sententiæ ita latæ fit exsecutio. Sola posterior privilegium canonis, et fori aufert; nam si degradatus sit aliquis solum verbaliter, adhuc privilegium illud retinet dum exsecutioni mandetur sententia : et in hoc degradatio verbalis convenit cum depositione. Differt autem ab illa, quod ordinetur ad degradationem actualem, ad quam a degradatione verbali sine nova sententia transiri potest; in depositione autem, ut ab hac transiri ad degradationem realem possit, opus est nova sententia.

II. Discrimen inter degradationem verbalem, et realem, est maxime triplex.

1. Degradatio enim verbalis, ut dictum est, non privat clericum privilegio canonis, et fori, privat autem degradatio realis.

2. Degradatio verbalis fieri potest ab episcopo solum confirmato, nondum consecrato, et quidem per se, vel per alium, cons. etiam per vicarium generalem, adhibitis semper adhibendis prout infra dicetur; solemnis vero a solo episcopo consecrato...

3. Actualiter depositus per solum papam restitui potest; verbaliter autem depositus per episcopum, sed non per alium inferiorem. Est igitur verbalis degradatio mitior pœna, quam realis, et hinc quando in jure, et constitutione aliqua reperitur crimini alicui imposita pœna degradationis, id intelligi debet de verbali degradatione, quippe leviori, non autem de actuali, quæ est pœna gravissima.

« Conveniunt autem degradatio verbalis, et actualis, quod per neutram tollatur clerico potestas ordinis. Unde sacerdos etiam actualiter degradatus, si debita materia et forma utatur, valide adhuc conficit sacramentum Eucharistiæ; et hinc si restitueretur per papam, non deberet de novo ordinari, sed insignia tantum restitui; nam character impressus manet, neque per hominem auferri potest, sed solum impeditur, ne licite uti degradatus potestate ordinis possit. »

III. *A quo fieri degradatio verbalis debeat, quas ob causas, et quomodo?* Ad ***primum*** sunt diversi casus : 1. Si degradandus sit episcopus, vel religiosus exemptus, secluso privilegio, vel consuetudine id quoad religiosos sibi subjectos permittente propriis prælatis regularibus, degradatio verbalis fieri potest a solo papa. (C. ***Accusatus*** 5, c. ***Quamvis*** 7, etc., causa 3, quæst. 6.)

2. Si vero inferior quidam clericus, ab episcopo proprio, vel sede vacante, a capitulo, aut horum vicario generali, vel alio ex speciali commissione episcopi, aut capituli, sede vacante, ut colligitur ex Trid. sess. 13, cap. 4, ***De reform.***

Ad ***secundum*** crimina, propter quæ infligi degradatio verbalis potest, sunt : 1° Hæresis manifesta, et multo magis apostasia a fide, saltem cum quis in illam relapsus, vel in ea contumax est. (C. ***Ad abolendam*** 9, ***De hæret.***, et c. ***Super eo*** 4, eod. in 6.) — 2° Falsificatio litterarum apostolicarum. (C. ***Ad falsariorum*** 7, ***De crim. falsi;*** et c. ***Novimus*** 27, ***De verbor. signif.***) — 3° Contumelia gravis, calumnia, crimen insidiarum, et conspirationis in proprium episcopum. (C. ***Si quis sacerdotum*** 18; c. ***Statuimus*** 31, causa 11, quæst. 1.) — 4° Assassinium. (C. ***Pro humani*** 1, ***De homicidio*** in 6.) — 5° Sodomia frequentata, hoc est non semel duntaxat, sed sæpius commissa, ex constit. S. Pii V, incipit ***Horrendum***, edit. Kalend. Septembris 1568. — 6° ***Crimen non sacerdotum***, id est, celebratio missarum, et auditio confessionum sacramentalium temere præsumpta ab eo, qui sacro presbyteratus ordine non est initiatus, ex constit. Clement. VIII, ***Etsi alias***, edit. 1 Decembr. 1601. — 7° Fabricatio et adulteratio monetæ aureæ, vel argenteæ, aut ejus adulteratæ erogatio, vel expositio in regnis, provinciis et civitatibus

Italiæ, ex const. Urbani VIII *In suprema*, edit. Nov. 1627. — 8° Adulterium, concubinatus perseverans post monitionem, simonia notoria, stuprum, incestus, furtum, perjurium, homicidium, et alia crimina gravia, quæ irregularitatem inducunt. (BARBOS. alleg. 110, n. 10; Pirhing, *De pœnis*, n. 19; apud SCHMALZGR. *De pœnis*, n. 143; et colligitur ex c. *At si clerici* 4, *De judic.*; c. *Si autem* 6, *De cohabitat. clericor. et mulier.*) — 9° Incorrigibilitas clerici post servatos aliarum pœnarum gradus. (Arg. c. *Cum non ab homine* 10, *De judiciis*. — FERRAR. verb. *Degradatio*, n. 11.)

« Notandum cum sæpe laud. episc. Maraviglia, quod extra casus statutos a jure canonico, et a summis pontificibus, nullam habent episcopi jurisdictionem degradandi; nec devenire possunt ad degradationem, et traditionem curiæ sæculari, nisi auctoritate a jure canonico expresse concessa, quæ in certis casibus nunquam intelligitur concessa. (Vide in citato auctore leges 285 et 286 *prudentiæ episcopalis*.) » — Ita FERRAR. verb. *Degradatio*, n. 11; et cum eo communis ex juribus deducta sententia.

Ad *tertium* (*quomodo facienda degradatio*:) 1° De jure antiquo degradatio verbalis episcopi fieri debuit præsentibus aliis duodecim episcopis; presbyteri præsentibus sex episcopis; diaconi vero, vel subdiaconi præsentibus tribus; cum vero degradandus erat aliquis in minoribus constitutus, sufficiebat præsentia solius episcopi proprii, et capituli cathedralis, vel duorum saltem, aut trium canonicorum, qui repræsentant capitulum, ut habetur c. *Felix* 4, c. *Si autem* 5, c. *Episcopus* 6, causa 15, quæst. 7; c. *Degradatio* 2; *De pœnis*, in 6; et docet ibid Glossa et doctores.

2° Jure autem novo Trident. sess. 13, c. 4, *De reform.* contra clericum, etiam in sacris, et ipso presbyteratus ordine constitutum, non solum ad condemnationem illius, et depositionem verbalem, sed etiam ad realem et solemnem degradationem procedi potest absque episcoporum præsentia, *adhibitis tamen, et assistentibus totidem abbatibus, usum mitræ, et baculi habentibus, si in civitate, aut diœcesi reperiri, et commode interesse possunt; alioquin aliis personis in ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.*

« Et hi quidem in tali judicio, non consultivum duntaxat, sed decisivum etiam suffragium habent : idque verum est non solum ante Tridentinum, prout patet ex c. *Non potest* 3, *De sent. et re judic.*, ibi : « Non potest quemquam a sacerdotali gradu (nisi justis ex causis) concors sacerdotum sententia submovere. » Et ibi eos judices fuisse observat glossa; sed etiam post Tridentinum, prout ex communiori docet Suarez. D. 30, *De censur.* sect. 1, n. 20; Barbosa *De offic. episc.*, alleg. 110, n. 26; Wiestner *hic*, n. 80; Reiffenstuel, n. 42. « Et quidem si degradandus sit clericus minor, apud doctores satis receptum est, quod sufficiat, si degradatio istius decernatur per majora suffragia, quia generaliter, quod a majore parte fit, ab omnibus factum censetur, nisi specialiter numerus major, vel unanimis omnium consensus jure exigatur. » (C. *Cum in cunctis* 1, *De his, quæ a major.*)

« An vero ad decernendam degradationem clerici in sacris constituti, et episcopo inferioris, numerus major sufficiat, controversia est inter doctores. Eum sufficere putant glossa in c. *Non potest* cit.; Sylv. verb. *Degradatio* n. 1 et 3, ob rationem allatam. Et confirmatur ex c. *Si quis* 1, causa 6, quæst. 6, ubi adversus episcopos requiritur unanimis judicantium consensus, quo satis innuitur, eam concordiam nec requiri ad condemnandos clericos his inferiores. *Sed verius* omnium suffragantium consensum requiri docent Marant. *De ord. jud.* p. 4, dist. 11, a n. 71; Barbosa, alleg. 110, n. 28; Wiestner, n. 81; Reiffenstuel n. 44, et sumitur ex c. *Non potest* cit., ubi de depositione clerici a gradu sacerdotali agitur, et diserte requiritur *sacerdotum sententia concors* : quo nomine, saltem cum agitur de pœna, significari videtur judicium, quo sententia, nemine discrepante, fertur. Ex Arg. c. *In causis* 30, *De eject.*, ubi *factum concorditer* opponitur *facto a majori parte*. Ex quo sequitur quod in hoc casu vim non habeat argumentum ductum a sensu contrario, ex c. *Si quis* cit., tum quia contrarium est jure expressum, tum quia versamur in materia pœnali, in qua ejusmodi argumento non est locus, per tradita a Barbosa *Commun. jur. argum.* loc. 27, n. 39; Wiestner n. 81, fin. » (SCHMALZGRUEBER, *De pœnis*, 142 ad 146.)

Ex supradictis et juribus allegatis sequitur episcopum non posse solum pœnam depositionis et degradationis alicui clerico infligere; sed ex cap. *Non potest* cit. et Trident. sess. 13, c. 4, necesse est ut secum adhibeat sive abbates, sive alias personas in ecclesiastica dignitate constitutas, ætate graves, ac juris scientia commendabiles. In Galliis vero fere in omnibus diœcesibus episcopi nequeunt ad hujusmodi causas judicandas nullos adhibere nisi canonicos, qui debent adesse plures et ex jure antiquo saltem sex. Sed « possunt ab ordinario assumi aliæ personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ et non diœcesanæ, scientia juris commendabiles. » (Annot. ad cap. 4, sess. 13 Trident.) His conditionibus de jure statutis pro sententia depositionis ferenda omissis, hujusmodi sententia videtur de jure invalida et nulla. Ex c. *Sententia* 1, tit. XXVII *De sent. et re judic.* lib. II *Decretal.* ibi : *Sententia contra leges canonesve prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure.* Unde reus qui sic ab ordinario solo deponeretur per invalidam sententiam, eam subire non teneretur.

IV. « *A quo et quomodo fieri debeat degradatio actualis?* — 1. Fieri debet a proprio episcopo, eoque consecrato, vel ex hujus commissione ab alio episcopo, qui pariter debet consecratus esse, non autem prælato regulari, etiamsi degradandus sit hujus subditus, quia sicut collatio ordinis est actus spiritualis pendens ab episcopali dignitate, ita et ordinis ablatio; nisi consuetudine aut privilegio aliud concessum sit.

2. « Fieri debet in ecclesia, vel alio loco sacro, assistentibus aliis episcopis, vel abbatibus, aut aliis, prout dictum est supra, et adhibita etiam solemnitate in cap. *Degradatio* 2, *De pœnis*, in Pontificali Romano præscripta.

3. « Sic degradatus traditur curiæ sæculari puniendus secundum leges laicorum, quorum forum sortitur post degradationem, judex tamen ecclesiasticus, dum illum judici sæculari tradit, efficaciter, hoc est serio, et ex animo intercedit pro reo, ut citra mortis periculum sententiam circa eum moderari velit, ne ejus necem expetere, vel procurare videatur. » (C. *Novimus* 27, *De verbor. signif.*) — An vero hæc intercessio pro degradato necessaria sit ad evitandam irregularitatem, non conveniunt doctores. Sed *securius* est, ut talis intercessio præmittatur, præsertim quia expresse ea præscribitur. (C. *Novimus*, cit.)

V. *Quando judex ecclesiasticus degradatum valeat tradere curiæ sæculari?* — Vide discussum apud SCHMALZGR. *De pœnis*, n. 151 et seqq.)

CAPUT IV.

De pœnis Ecclesiæ temporalibus

§ I. — De infamia.

Inter pœnas Ecclesiæ temporales, quæ animum afficit, præcipua est *infamia*.

1. *Infamia* est privatio bonæ famæ; quæ cum dignitatis, et existimationis illæsæ status, et legibus, ac moribus comprobatur, et in nullo diminutus sit.. hinc infamia ei opposita definiri poterit, quod sit *status ejusmodi, legibus, ac moribus comprobati, læsio, seu diminutio ob publicam sinistramque de persona opinionem, ortam ex vitio.* — Duplex autem infamia est, alia facti, alia juris. *Facti infamia* nascitur ex ipsa, solaque inhonesti operis, vel defectus, apud probos, et honestos viros notam afferentis, et boni nominis existimationem diminuentis, turpitudine manifesta. *Juris infamia* dicitur, quæ auctoritate legis, vel canonis, ob turpe factum decernitur. Hæc sola pœnæ rationem habet.

II. Tribus modis contrahitur infamia juris, ipso jure, sententia judicis, et genere pœnæ.

1. *Ipso jure* contrahitur, cum tale quid perpetratum est, quod ante judicis sententiam leges vel canones probro et ignominia dignum judicant. Notandum est quod jure civili infames, etiam jure canonico pro talibus habentur. (C. *Omnes* 2, causa 6, quæst. 1.) Nisi hoc jus infamiam expresse tollat, ut tamen hujusmodi crimen actu infamet, necesse est, ut illud sit publicatum; quia fama actu non diminuitur, quandiu delictum occultum manet.

2. *Judicis sententia* infames sunt, qui ob crimen vel delictum, quæ infamiam irrogant, per sententiam validam et transactam in rem judicatam, condemnati sunt. Quæ sint vero hujusmodi varia crimina infamiam irrogantia vide apud canonistas, et præsertim Schmalzgr. *De pœnis*, n. 167.

3. *Pœnæ genere* infamia irrogatur ei, qui ignominiæ causa exauctoratur militia, ordine movetur, vel honoribus interdicitur; item

deportato, vel ad tempus in opus publicum damnato; item fustibus cæso, ex justa tamen causa.

« Oritur etiam quædam juris infamia aliquando ex delicto alieno; et sic infames sunt filii, ac nepotes parentum, qui violentas manus injecerunt in S. R. E. cardinalem. (C. *Felicis* 5, *De pœnis*, in 6.) Filii perduellium, et proditorum, qui commiserunt crimen læsæ majestatis; uti et illegitime nati; sed hi pro talibus solum habentur respectu aliquorum tantum effectuum expressorum; nam licet ecclesiastico jure ab ordinibus et beneficiis repellantur, ad testimonium tamen in judicio dicendum, ad tabellionatus, et alia munera admittuntur. »

« Item nascitur quandoque infamia ex officio; hujusmodi est officium histrionum, et alicubi carnificum, lictorum quorumdam, et similium. »

III. *Qui sint effectus sive juris, sive facti?* — Excluduntur a dignitatibus et honoribus. Reg. jur. *Infamibus* 87, in 6, ibi : *Infamibus portæ non pateant dignitatibus*, præsertim ecclesiarum. — 2. Removentur ab actibus legitimis, et publicis muneribus; ut sunt officia judicis, assessoris, advocati, tabellionis, accusatoris, adeo ut neque ad testimonium dicendum sint admittendi. (C. *Testimonium* 4, *De test.* — 3. Sunt irregulares, ut neque promoveri ad ordines, neque in susceptis ministrare possint. (C. fin. dist. 51; c. *Infames* 17, causa 6, quæst. 1.) — Est tamen discrimen inter prædictos infames; nam infames infamia juris simpliciter sunt irregulares, quia irregularitas eorum perpetua est; at infames infamia facti sunt tantum irregulares secundum quid; quia irregularitas illorum vitæ emendatione cessat.

IV. *Quomodo tollatur infamia?* — *Infamia solius facti* tollitur facto contrario, sive publica et constanti emendatione, saltem si hæc per triennium continuata sit. Contra *infamia juris* durat perpetuo, nisi a principe, cujus auctoritate imposita est, aboleatur. (C. *Epiphemium* 7, causa 2, quæst. 3.) Tollere autem irregularitatem hanc potest respectu clerici pontifex, undecunque sit orta. — Si princeps, vel magistratus sæcularis aboleat infamiam jure civili indictam, irregularitas in ea fundata omnino cessat.

§ II. — De mulcta pecuniaria.

Secunda pœna temporalis est mulcta pecuniaria; nam certum est pœnam pecuniariam infligi posse a judicibus ecclesiasticis, non clericis tantum, sed etiam laicis, quando crimen est mixti fori.

§ III. — De incarceratione.

I. Tertia pœna est incarceratio; et quidem quod custodiæ causa decerni possit a judicibus ecclesiasticis contra clericos quando de fuga suspecti sunt, patet ex c. *Si clericos*, *De sent. excom.* in 6. Potestque carcer ejusmodi et solet protrahi quousque judicium durat. Non tamen debet hic carcer esse squalidus, aut sordidus, vel corporis afflictivus, sed decens, et conveniens qualitati criminis, et personæ, secundum Trident. sess. 25, c. 6 *De reform.* Et ut ad hoc procedatur, necesse est præmittere informationem de infamia, et indiciis criminis; quia incarceratio etiam sola infamiam et non facile reparabile præjudicium solet afferre. (Ita doctores.) Secus si faciat judex ecclesiasticus, et clericum carcerari injuste mancipet, pœnam excommunicationis non effugit. (Argum. cap. *Si clericos* cit.)

II. De jure clericus incarcerari etiam pœnæ causa potest; quod probat tribunalium usus; accedit expressa de hoc decisio. (C. *Quamvis* 3, *De pœnis* in 6.) — Perpetui tamen carceris pœna puniri clericus nequit, nisi in casibus jure expressis. (C. penult. et ult. *De hæret.*) Quibus scilicet de jure civili infligenda esset pœna mortis non simplex, sed atrocior, videlicet ignis, rotæ, damnationis ad bestias, lacerationis membrorum. (Ita doctores.)

« Potest autem hæc pœna carceris exasperari inclusis pro delicti qualitate, et aliquando, ita ut non nisi *pane doloris, et aqua angustiæ* sustententur. (C. *Novimus* 27, fin. *De verb. signif.* et *contra vitæ subsidium mortis solatium invocent*, juxta c. *Felicis* 5, eod. in 6). Nunquam tamen ita ut incarcerato alimenta subtrahantur, aut alia vitæ necessaria; unde si ex horum defectu mors contingeret, episcopus ita severe procedens irregularitatem incurreret. » (Ita multi, apud Schmalzgr. *De pœnis*, n. 194.)

§ IV. — De tortura.

Quarta pœna est tortura. Clericos torturæ subjici posse negant aliqui; contrarium tamen praxis demonstrat, juxta quam etiam clerici in majoribus constituti et sacerdotes subjici torturæ et quæstionibus possunt, si de enormibus criminibus diffamati, aut

graviter suspecti sint. Ut tamen tortura adhiberi clerico possit, indicia graviora, et urgentiora requiruntur, quam quæ sufficiant ad torquendos laicos, et ut his accedat aliqua delicti, vel personæ infamia.— Præterea mitius torquendi sunt quam laici, tum propter ordinis clericalis dignitatem, tum propter periculum excommunicationis, si modus excedatur.

§ V. — De confiscatione.

Quinta pœna est confiscatio bonorum juxta c. *Vergentis* 10, *De hæret.* c. *Cum secundum* 19, eod. in 6; et c. *Super* 26, *De verbor. signif.*)

§ VI. — De detrusione in arctum monasterium.

Sexta, detrusio in arctum monasterium. Quæ pœna abiit in desuetudinem, tum quia monasteria hujusmodi facinorosos homines ad pœnitentiam, intra claustra sua agendam, nolebant recipere, tum quia ne compelli possent ad eos recipiendos a diœcesium ordinariis, per privilegia apostolica erant exempta. »

§ VII. — De verberatione seu flagellatione.

Septima pœna est verberatio seu flagellatio juxta c. fin. dist. 35, c. *Qui in alterius* 1, causa 5; quæst. 1, c. *Cum fortius* 1, *De calumn.* c. *In archiepiscopatu* 4, *De raptor.* Cavendum tamen, ut citra mortis aut mutilationis periculum verbera infligantur et ne in vindictam sanguinis transire videantur. — Usus tamen istius castigationis fere ab omnibus curiis recessit; ita ut ex consuetudine adhiberi non possit. (Teste SCHMALZGR. cum multis ab eo citatis, *De pœnis* n. 204.)

§ VIII. — De exsilio.

Octava pœna est exsilium, sive relegatio, quam decernere judex ecclesiasticus potest. (C. *Cum beatus* 8, fin. dist. 45; c. *Quicunque* 13, fin. causa 26, quæst. 5.) Et quidem « episcopus relegare in exsilium potest extra suam diœcesim, archiepiscopus vero ex tota provincia. » SCHMALZGR. *De pœnis*, n. 205.)

Hæc cursim de pœnis memoravimus; nam in multis regionibus et præsertim in nostris Galliis adhiberi nequeunt plurimæ hujusmodi pœnæ temporales. Sic in Galliis episcopi nequeunt, propter leges civiles, incarcerationem, torturam, confiscationem bonorum, verberationem, contra quoscunque etiam clericos pronuntiare. Possunt tamen mulctas pecuniarias, exsilium extra diœcesim infligere; quoad exsecutionem vero nullum aliud habent auxilium, nisi censuræ ecclesiasticæ; et aliquando brachii sæcularis auxilium, quoad depositionem beneficiatorum, quibus status (*l'Etat*) sustentationis pensionem subtrahit post judicii episcopalis notificationem.

LIBER XVI. — DE CENSURIS.

SEU

DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS, SUSPENSIONIS ET INTERDICTI.

—

Supersunt pœnæ medicinales fori ecclesiastici externi, sive censuræ; de quibus antequam agamus in specie, aliqua de illis sunt præmittenda in genere.

CAPUT PRIMUM.

De censuris in genere.

§ I. — Quid et quotuplex sit censura.

1. Censura igitur ecclesiastica in genere, est correctio et pœna quædam spiritualis, ac medicinalis, privans usu aliquorum bonorum spiritualium per ecclesiasticam potestatem inflictam delinquenti, donec a contumacia recedat. — Dicitur pœna medicinalis, quia per censuram non cessat ipsa spiritualis potestas, seu habilitas ad spiritualia bona, sicut per irregularitatem, depositionem, vel degradationem, quæ privant habitu, seu potestate utendi iis bonis, ex quo suapte natura sunt perpetuæ, nec statim auferuntur etiam si delinquens sit emendatus. Censura vero impedit tantum usum bonorum, et ab ea facilius conceditur absolutio post emendationem; imo emendatione posita, statim censura est auferenda, ut cum Suar., Conink, Avila, et aliis notat Palao, apud Schmalzgr. *De sent.* etc., n. 5. — Dicitur ***privans usu aliquorum bonorum spiritualium***, quia hæc quædam sunt propria, et permanentia, quibus nemo invitus spoliari potest, ut gratia habitualis, virtutes infusæ, earumque bonæ operationes; quædam vero sunt communia,

quibus homo in pœnam privari potest quoad usum activum et passivum, ut est ministratio, et receptio sacramentorum, et participatio publicorum suffragiorum Ecclesiæ.

II. Tres tantum sunt censuræ proprie dictæ, scilicet excommunicatio, suspensio et interdictum. (C. *Quærenti* 20, *De verb. signif.*; c. *Cum medicinalis* 1; c. *Statutum* 13, et c. *Is cui* 20, *De sent. excom.* in 6.) Irregularitas autem non est proprie censura, seu pœna, sed inhabilitas quædam ad ministerium altaris, seu impedimentum quoddam accipiendi, vel exercendi ordinem; sicuti depositio et degradatio non sunt censuræ, sed pœnæ quædam contra incorrigibiles a jure canonico latæ. Item cessatio a divinis non est censura, quia non est prohibitio divinorum officiorum, sed desistentia et omissio. (Ita communiter.) Et hinc fit, quod contumaces et inobedientes, per censuras ecclesiasticas compescuntur; judex delegatus non potest rigore talis clausulæ contumaces deponere, vel degradare, sed solum illos suspendere, excommunicare et interdicere, ut advertit Graff. *Decis. aur.* part. I, lib. IV, cap. 1, n. 5; apud Monacelli tom. III *De censura in genere.* — Depositio, degradatio, irregularitas dispensatione tolluntur, censuræ absolutione.

III. «Porro censura sic explicata, et in species suas divisa subdividitur diversimode; et 1. in validam, justam et injustam. — *Valida et justa* est, quæ nullo laborat defectu. — *Injusta valida*, quæ laborat defectu aliquo accidentali, ex. gr. si ad eam procederet judex ex odio, aut in propria causa et verbotenus, nec præmissa canonica monitione, ubi ista præmitti debet. — *Censura injusta et invalida* vero, quæ substantialem defectum habet, videlicet si eam inferens non habeat potestatem sufficientem, si ferat ob causam non legitimam, si non servato ordine judiciario, etc.

IV. « Alia dicitur a jure, alia ab homine inflicta. *A jure* quidem inflicta dicitur illa, quæ per SS. canones, constitutiones et statuta ecclesiastica fertur; *ab homine* autem, quæ a judice vel prælato fertur per modum mandati, vel sententiæ judicialis. Differunt a se invicem dupliciter; nam primo censura lata a jure, auctore qui eam tulit mortuo, perseverat; quia nomine Dei, seu communitatis nunquam deficientis fertur; lata autem ab homine cum ab hujus jurisdictione, et auctoritate pendeat, et hæc cessent eo mortuo, vel ab officio remoto, etiam ipsa cessat: quod intellige, antequam incurratur, ad affectum, ut non amplius incurratur; nam postquam incursa est, perseverat. Alterum discrimen est quia censura lata a jure nunquam ferri potest pro peccatis præteritis, sed semper pro futuris; censura vero lata ab homine non solum pro futuris, sed etiam pro præteritis in earum satisfactionem et emendationem fertur.

V. « Alia dicitur ferendæ, alia latæ sententiæ. Ferendæ sententiæ censura est, quæ licet jure statuta sit, a delinquente tamen non facto ipso statim incurritur, sed per sententiam a judice est infligenda: cujusmodi censura fere denotatur per verba habentia significationem futuri temporis, v. gr.: *Excommunicabitur, suspendetur* vel *excommunicetur; prohibemus sub excommunicatione, sub pœna excommunicationis, volumus excommunicari*, etc. — — *Latæ sententiæ* autem, quam delinquens ipso facto, sive criminis perpetratione, sive alia sententia condemnatoria incurrit; et hinc c. *Pastoralis* 53, *De appell.* dicitur secum trahere exsecutionem. Ista denotatur per verba habentia significationem præteriti, vel etiam præsentis temporis, v. gr. *Excommunicamus, anathematizamus, suspendimus; qui hæc fecerit, se noverit excommunicatum, excommunicationi subjaceat*, vel *in eam incidat, prohibemus sub excommunicatione ipso jure, vel facto, aut sine alia sententia incurrenda*, etc. — In dubio an ferendæ, aut latæ sententiæ sit censura, censeri debet decretam esse censuram ferendæ non latæ sententiæ. « (Ita communis doctorum, apud Schmalzgr. *De sent. excom.* etc., n. 11.)

§ II. — Penes quem sit potestas ferendi censuras.

I. Sola potestas ecclesiastica ferre censuras potest: 1. Summus pontifex respectu totius Ecclesiæ, ut fatentur omnes Catholici, et patet ex extrav. *Unam sanctam* 1, *De maj. et obed.*, inter commun. —2. Episcopus et archiepiscopus in sua diœcesi quoad sibi subditos. (C. *Perniciosa* 1; c. *Conquerente* 16, *De offic. ord.*; c. *Cum episcopus* 7, ead. in 6.) — 3. Cardinales in ecclesiis sui tituli. (C. *His quæ* 11, *De maj. et obed.* — 4. Legati a latere in provincia suæ legationis;

c. *Novit.* 7, *De offic. legat.*; et c. *Legatus* 2, eodem in 6.) —5. Capitulum, sede vacante, hujusque vel episcopi aut archiepiscopi vicarius generalis. (Arg. c. un. *De major.* in 6; *Venerabilibus*, *De sent. exc.*; c. *Non putamus* 2, *De consuet.* in 6, ac Trident. sess. 24, c. 16, *De reform.* — 6. Prælati et præpositi ecclesiarum collegiatarum, et alii obtinentes jurisdictionem in foro Ecclesiæ externo. (C. *Quærenti* 20, *De verb. signif.*, et c. *Cum medicinali* 1, *De sent. excom.*) — Abbates, priores, et similes præpositi, ac superiores regularium, non solum generales, et provinciales, sed etiam locales, ex privilegio pontificis officio et muneri eorum perpetuo annexo. (C. *Cum in Ecclesiis* 10, *De major.* cum simil.) — 8. Concilia generalia et provincialia in sua provincia, aut natione, uti et congregationes, et capitula generalia, ac provincialia quarumdam religionum.

III. Potestate delegata, censuras ferre possunt omnes illi quibus supradicti potestatem ordinariam habentes illud commiserint; ut constat ex tot. tit. *De offic. ordin.* et c. *Cum episcopus* 7, eod. in 6. Hujusmodi potestas tamen non potest delegari nisi clericis saltem prima tonsura insignitis, et non conjugatis, et usum rationis habentibus. Potest autem Papa, ex plenitudine potestatis, viro laico, non autem feminæ, delegare potestatem censuras ferendi. (Communis; apud Schmalzgr. *De sent. excom.* n. 13 ad 16.) Potestas censurandi parocho non competit. (Communis, *ibid.* n. 19.) — Potestas censurandi acquiri potest consuetudine vel præscriptione ex cap. *Dudum* 54, *De elect.*; ex c. *Auditis* 15, c. *Cum olim* 18, *De præscript.*

§ III.—Quæ conditiones requirantur ex parte ferentis censuram, ut ferre eamdem possit.

Resp. I. Requiritur potestas ordinaria vel delegata. Unde si ferens censuram careat potestate sive per remotionem ab officio, sive alio modo, sive per appellationem ad superiorem, nulla erit censuræ impositio. Ut tamen appellatio suspendere jurisdictionem judicis a quo possit, duo requiruntur: *primo*, ut sit legitima, seu ex causa rationabili facta; ut incursionem censuræ præcedat, nam censura incursa sola absolutione tolli potest.

II. « Requiritur ut censura imponatur voluntarie, et humano modo. (C. *Cum voluntate* 54, *De sent. excom.*) Quæ voluntas aut verbis, aut signis aliis indicari debet. »

III. « Ferens censuram debet exsistere intra proprium territorium; nam extra illud exsistens etiam sibi alias subditum censura ligare non potest. » (Ita doctores et colligitur ex c. *Episcopum* 7, causa 9, quæst. 2; et Clement. unic. *De for. compet.*; c. *Novit.* 7, *De offic. delegat.*) « Excipitur 1, si notoria et manifesta sit contumacia, ita ut ferri sententia excommunicationis possit absque cognitione causæ, vel si præmissa sit jam cognitio causæ in territorio proprio; tunc enim ferri censura potest extra territorium proprium. — Excipitur 2, si episcopus a suis expulsus sit, quia eo casu, petita licentia a loci ordinario, licet non obtenta, poterit in sibi subditos censuram ferre, ut habetur Clement. unic. cit.

IV. « Ut juste et licite quis ferat censuras, non debet esse ligatus censura, neque aliqua lege, aut superioris præcepto esse interdictus. Item non debet ex pravo affectu odii, aut vindictæ duci. (Unanimis doctorum.) — Et hinc nemo potest censuram per modum judicii ferre in causa propria, quia judicans in causa propria præsumitur sinistro affectu duci... Dixi *per modum judicii*: nam per modum justæ defensionis ferri censura potest in causa propria... sicut enim vis vi repelli potest, ita licitum est injustum invasorem per censuram ab injuria arcere. Imo si causa est ita manifesta, ut nec negari posset, nec opus esset examinari, in causa propria censura ferri potest etiam per modum judicii.

V. « Censuram debet præcedere monitio, saltem quoad ligamen. Ita de censura excommunicationis expresse traditur c. *Sacro* 48, *De sent. exc.*; c. *Cum medicinalis* 1, et c. *Constitutionem* 9, eod. in 6.—De suspensione; c. *Reprehensibilis* 26, *De appell.* —De interdicto, cap. *Statutum* 13, *De sent. exc.* in 6; et universaliter pro omnibus ex omnium sententia tradunt Sot., Suarez, Layman., etc. Ratio est quia censura fertur ob contumaciam et inobedientiam actualem; at qui monitus non est a ferente censuram, non est illi rebellis et inobediens; ergo, etc. » (Schmalzgr. *De sent. excom.*, etc. n. 22 ad 26.)

Dub. I. — 1° Monitio « debet esse trina, vel una tribus æquivalens, sive complectens intervalla temporis inter monitiones interponi solita, id est triginta dies aut

ter decem dies, *nisi facti necessitas aliter suaserit*, ut loquitur Gregorius IX, c. *Constitutionem* cit. Ex defectu tamen monitionis (modo monitio adsit) censura non redditur nulla, sed injusta, prout colligitur ex c. *Romana* 5, *De sent. excomm.* in 6, ubi cavetur, ne judices ferant sententiam excommunicationis, vel suspensionis *absque competenti monitione præmissa, et si contra præsumpserint, injustas noverint esse illas:* ubi glossa ponderat dictionem *injustas*, et advertit non dixisse *nullas*. Excipitur, nisi lata sit contra participantes et communicantes cum excommunicato ab eodem judice, hæc enim ut valida sit, requirit trinam monitionem, ut expresse cavetur c. *Statuimus* 13, *De sent. excom.* in 6.

2° « Hæc monitio debet fieri in scriptis, quæ continere debent causam, pro qua censura imponitur, et tradi reo, cui illa imponitur; quod si vero judex (nisi fuerit episcopus) absque urgenti causa suo verbo, et non scripto excommunicationem intulerit, ab ingressu ecclesiæ, et divinis officiis ipso jure suspenditur per mensem, et si illo tempore se divinis ingesserit, fit irregularis, prout habetur c. *Cum medicinalis* 1, *De sent. excomm.* in 6). Sunt tamen auctores non excusantes ipsummet episcopum a suspensione per mensem. Urgente tamen causa, non solum valide, sed etiam licite verbotenus excommunicatio proferri potest, ut colligitur ex c. *Cum medicinalis* cit., quod requirit temeritatem; atqui si justa adsit causa, abest temeritas ; ergo, etc. Imo etsi omittatur absque legitima causa, et prolatio censuræ verbotenus fiat, propterea tamen probabilius valorem suum non perdet. » (Schmalzgr. *De sent. excomm.* n. 27 et 28.)

Fieri monitio debet coram testibus, qui de illa testari possint, ut traditur c. *Sacro* 48, *De sent. excom.* Item fieri debet ad rei personam, nisi iste malitiose latitet ; tunc enim citatio ejus fieri potest ad ejus domum, aut valvas ecclesiæ, vel in alio loco publico, ex quo in rei notitiam venire possit. » (C. *Quoniam* 5, *ut lit. non contest.*, Clement. *Causam* 3, *De elect.*)

Dub. 2. Monitio prævia tunc solum exigitur, quando infligitur per sententiam specialem, et ut vera censura. Atque hinc : 1° Monitione prævia opus non est, quando non infligitur, ut vera censura, sed magis est pœna vindicativa... Porro suspensio et interdictum aliquando sic infliguntur, excommunicatio autem nunquam infligitur nisi ut vera censura. — 2° Non opus est monitione speciali, quando censura a jure vel per sententiam generalem pro futuris culpis lata est; tunc enim ipso facto incurritur. — 3° Non requiritur monitio, si delictum, et ipsa etiam delinquentis non resipiscentis contumacia publica, et notoria foret.

Dub. 3. Si quis commiserit delictum, cui ipso jure annexa censura est latæ sententiæ, judex eum demabsque prævia monitione declarare, et denuntiare potest, tanquam ligatum censura ; modo delictum publicum sit, et notorium, neque delinquens ejusdem pœnituerit. Si vero delictum non fuerit notorium, ea declaratio illicita esset contra jus naturæ et juridicum ordinem procedendi. Si reus pœnituerit et absolutionem a censura postulaverit, non est denuntiandus, sed potius absolvendus, juxta textum cap. *Qua fronte* 21, *De appell.* cum finis censuræ obtentus sit, quia est delinquentis correctio et emendatio. (Schmalzgr. *ibid.* n. 27 et seqq.)

§ IV. — In quos ferri censura possit.

I. Ferri solum potest in fideles baptizatos, rationis et doli capaces, viatores, sive deinde sint laici, sive clerici, modo subjecti sint jurisdictioni ferentis censuram.

Hinc ferri nequit contra non baptizatos, nec contra infantes, furiosos, et alios usu rationis carentes : nec contra eos, qui jurisdictioni ordinariæ, vel delegatæ ferentis censuram non subjecti sunt. (c. *A nobis* 2 *De sentent. excomm.* et c. *Cum inferior* 16 *De major.* ; ita omnes.)

II. « Hinc censura nullatenus ligari potest : 1. Summus pontifex ; quia superiorem in terris non habet, et leges ab ipso latæ eumdem quoad vim saltem coactivam non obligant.. — Excipitur, si papa deprehendatur devius a fide (tanquam homo particularis); tunc enim concilium posset eum per censuras cogere ut pareat. (C. *Si papa* 6, dist. 49; Lacroix tom. VIII, lib. vii, n. 22 ; videatur Bellarm. *De pontifice*, lib ii, quæst. 30, quæstionem istam fuse pertractans.) -- 2. Archiepiscopus ferre censuram non potest in subditum episcopi suffraganei, nisi visitet actu, vel ad ipsum devolvatur causa per appellationem. (C. *Venerabilibus* 7, *De sen-*

tent. excomm. in 6.) — 3. Episcopi ex speciali privilegio juris non ligantur censura suspensionis, et interdicti generaliter lata, nisi mentio ipsarum expressa fiat. (C. *Quia periculosum* 4, *De sentent. excomm.* in 6.) Ne, ut *ibid.* dicitur, impediantur in exercitio officii sui. Secus videtur dicendum de censura excommunicationis; quia de hac in cap. cit. non fit mentio nec in positivis valet argumentum a pari. » (Lacroix. n. 34; et apud hunc Suarez, Dicast, Gibalin.) Unde excommunicationem a jure latam incurrere possunt episcopi, etsi de ipsis non sit in lege vel canone specialis mentio. — 4. Rex et imperator ob eorum supremam dignitatem hodie censurari non possunt ab episcopis, sed id sibi reservat summus pontifex. (Avil. p. 2, *De censur.*cap. 4; dist. un. dub. 4; Palao, p. 6, n. 3; Wiestner, n. 9, fin.; Reif. n. 20; Lacroix, n. 33.) — 5. Nemo incurrit censuram a se latam; quia nemo tenetur suis legibus. Potest tamen quis occasione censuræ a se latæ incurrere censuram ab alio latam, ut si quis converse tur cum alio a se excommunicato; nam talis incurret excommunicationem minorem, a papa in communicantes cum excommunicato latam, sicut qui celebrat in ecclesia a se interdicta, probabilius fit irregularis. » (Lacroix. loc. cit. — Schmalzgr. *De sent. excomm.* n. 35 et seqq.)

Dub. 1. « Censuræ latæ a jure impuberes rationis compotes capaces sunt. » (Id. *ibid.* n. 42.)

Dub. 2 Censura excommunicationis communitas ligari nequit, sed tantum illi de communitate, qui specialiter sunt culpabiles. (C. *Romana* 5, *De sentent. excomm.* in 6.)

Quoad censuram suspensionis dicendum eam quidem in communitatem ferri posse, et tenere, licet in hac aliqui sint innocentes; talis vero suspensio membra innocua quidem afficit quoad functiones et jura communitati qua tali collective competentia, non vero quoad functiones, et jura quæ singulis sigillatim competunt.

Interdictum autem id habet singulare, quod integram communitatem, et in hac etiam innocentes obstringat, si generale sit. (C. *Si civitas* 17, *De sent. excomm.* in 6. *ibid.* n. 43 *ad* 46.)

Dub. 3. « Episcopus ferre potest censuram in peregrinum in sua diœcesi commorantem. (Arg. ex cap. fin. *De for. compet.*) Hinc, ut Lacroix, tom. VIII, lib. vii, n. 32, cum Gibalino docet, et declaratione cardin. confirmat Pignat. tom. I, consult. 170, n. 8, episcopus potest ferre censuram in alium episcopum, imo etiam in archiepiscopum in territorio sui episcopi suffraganei commorantem, et delinquentem; quia quamvis sint pares, aut etiam superiores dignitate, tamen ratione delicti sunt subditi illius territorii. » (Schmalzgr. *ibid.* n. 47 et 48.)

Dub. 4. « Qui commisit delictum extra diœcesim, vel territorium superioris sui statuentis censuram, eam non incurrit, si prohibitio facta sit per statutum territoriale; secus est si episcopus per sententiam, vel speciale præceptum alicui sub tali censura prohibuit delictum; hanc enim incurreret absens quamvis contra eum extra diœcesim non posset cum strepitu forensi institui actio. » (Id. n. 49.)

Ob diversas causas potest aliquis diversis censuris ejusdem rationis ligari. (*Ibid.* n. 52.)

§ V. — Quam ob causam ferri in aliquem censura possit.

I. Conveniunt doctores: 1. Censuram non posse ferri nisi ob culpam. 2. Hanc culpam debere esse proportionatam censuræ; alias committeretur injustitia, ut colligitur ex c. *Felicis* 5, *De pœnis* in 6.—3. Culpæ isti debere accedere contumaciam in ecclesiam aliquid præcipientem, vel prohibentem sub censura, quia ad hanc maxime puniendam et corrigendam infligitur. (C. *Parte* 23, *De verb. signif.* et c. *Cum medicinalis* 1, *De sent. exc.* in 6.) Hinc censuræ obnoxium non est peccatum prohibitum solo jure naturali vel divino.

Dub. 1. Ex omnium sententia, certum est excommunicationem majorem, suspensionem, et interdictum, prout communiter feruntur, ob culpam venialem injungi non posse, et colligitur ex c. *Nemo* 41; c. *Nullus* 42, etc. causa 11, quæst. 3; et Trident. sess. 24, c. 3, *De reform.* Hinc sequitur, casu quo quis per ignorantiam, inadvertentiam vel aliam causam excusatur a culpa gravi cui excommunicatio, suspensio, vel interdictum annexum est, eum etiam excusari ab his pœnis, ne illos incurrat... Consonum namque est non privare subsidiis regni cœlestis, qui per peccatum se non privavit, ut

dixit S. Thomas, in addit. part. III, quæst. 21, art. 3.

II. Excommunicatio autem minor lata a jure in omnium sententia propter peccatum veniale incurritur. (SCHMALZGR. *De sent. excomm.* n. 55 ad 59.)

Dub. 1. Actus pure internus ad censuram incurrendam non sufficit, ut est verior et communior sententia. (Ex can. *Cogitationis* 14, *De pænit.* dist. 1.) — Imo ut incurratur censura, peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quæ in præcepto, seu lege infligente censuram continentur. (Ita doctores, et colligitur aperte ex c. *Perpetuo* 7, *De elect.* in 6.)

Dub. 2. Infligi nequit censura propter peccatum mere præteritum, sive quod omnino cessat, et cum inobedientia, vel contumacia præsente non est conjunctum.

Dub. 3. Censura imposita contra facientes, seu committentes aliquod delictum, probabilius non comprehendit mandantes et consulentes committi, nisi exprimantur.

§ VI. — Quæ causæ excusent ab incurrenda censura.

I. Causæ excusantes a censura sunt hæ : 1. Defectus jurisdictionis ex parte ferentis censuram. — 2. Si actus, sive peccatum, sub censura prohibitum, in suo genere consummatum, seu completum non sit. — 3. Si consentiat is, in cujus favorem lata censura est. — 4. Si ignorantiam censuræ habeas, modo hæc non fuerit crassa, et supina. (Ita doctores et habetur aperte cap. fin. *De const.* in 6.) Idem dicendum, quando dubitas, an censura adversus aliquod delictum lata sit, vel an factum tale sub censura comprehendatur, et facta aliquali diligentia, dubium vincere non potuisti. — 5. Si rem sub censura prohibitam gravi metu inductus efficis. — 6. Denique excusatur a culpa, qui vere innocens est; cum enim censura nemini imponi possit absque culpa, qui ab hac liber est, erit etiam a censura liber.

II. *Dubium est*, quando innocentia excuset. Potest enim contingere ut aliquis non tantum in foro interno conscientiæ quoad Deum, sed etiam in externo excusetur a culpa:

Primo hoc casu, conveniunt omnes, sic innocentem censura ligari non posse; quia eo casu judex sua potestate abutitur et cons. sententia illius nulla est, et non timenda. (C. *Solet* 2, et c. *Venerabilibus* 7, *De sent. excomm.* in 6.)

Secundo casu, potest contingere, ut culpam quidem habeat, illa tamen exterius non sit probata. Iterum tunc affici censura non potest, esto crimen judici privatim notum sit; quia censuram judex ferre non potest ob scientiam privatam (ne quidem ex informata conscientia), sed publicam, utpote quæ est actus publici, et forensis judicii; alias nulla erit sententia; intelligi autem hoc debet de censura hominis, seu ab homine per sententiam particularem lata. Aliud est de censura, quæ ipso jure incurritur; tunc enim in foro conscientiæ ea afficietur, qui delictum patravit, etiamsi hoc in foro externo probari nequeat.

Tertio casu, potest contingere, ut culpa quidem non adsit, probetur tamen adesse. Quoad hunc casum non conveniunt doctores. Alii affirmant hoc casu innocentem ligari censura; sed dicendum, probabilius hoc casu innocentem censura non ligari *ex multis*.

III. Tria tamen hic advertenda sunt : 1. Sic condemnatum obligatum esse judicis præceptum exsequi, quando illud absque scandalo non potest subterfugere; hoc autem non vi præcepti, quod nullum est, sed vi juris naturalis, quod obligat, ne potestati publicæ, juste, et juridice præcipienti, resistatur, etsi, quod præcipit, minus justum sit. Qui tamen eo casu inobediens fuerit etiam publice, per hoc non incurret censuram; quia non delinquit adversus præceptum, cui judex censuram annexuit, sed contra præceptum juris naturalis non resistendi potestati juste, etiam non justum, judicanti. — 2. Is, quem judex hunc in modum censura affecit, in foro animæ, et coram Deo ob ejusmodi censuram non est privatus communione fidelium, Ecclesiæ suffragiis, jurisdictione spirituali, etc. Quia hi effectus censuræ veræ annectuntur, et non existimationi illius : in foro tamen externo his omnibus bonis privatus est; quia in eo foro vere censura ligatus reputatur. — Et hinc 3, ita censura percussus obligatur in publico abstinere ab omnibus actibus, qui per censuram prohibentur; sed hoc ex vi præcepti naturalis, non autem vi censuræ; quia illa censura est nulla, conse-

quenter nullum ponit impedimentum. » (SCHMALZGR. *De sent. excomm.* n. 75 ad 84.)

§ VII. — Quis possit absolvere a censura.

I. A censuris specialiter latis ab homine absolvere solum potest ille, qui tulit illam, et ejus successor, superior, vel delegatus, et nullus alius. Ita communiter et colligitur ex c. *Verbum* 51, *De pœnit.* dist. 1, c. *Pastoralis* 11, *De offic. ordin.* et favet Reg. jur. 1, ibi : *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Et extenditur, etiamsi reus domicilium mutet (arg. c. *Proposuisti* 19, *De for. compet.* 2); etiamsi appellationem interposuerit. — Attamen si pontifex ex certa scientia censuram ab ordinario latam confirmet, eo ipso absolutionem sibi reservat. Addidi *a censura specialiter lata*; nam si generaliter lata sit, omnes possunt absolvere, qui possunt absolvere a censura lata a jure.

II. A censura juris, si non sit reservata, a quocunque lata sit, possunt absolvere sibi subditos omnes illi, qui jurisdictionem in foro externo habent, atque adeo non tantum episcopi, sed etiam abbates, guardiani, rectores, priores, etc., respectu sibi subditorum.

Item parochus et alius sacerdos potens absolvere a peccatis mortalibus, potest absolvere a censura juris non reservata. (Ita multi et colligitur ex c. *Nuper* 29, *De sent. excomm.*)

Si autem censura reservata sit, nullus alius ab auctore censuræ, vel ejus successore, superiore, aut delegato potest absolvere, nisi in certis casibus a jure determinatis, ut dictum est in suis locis.

§ VIII. — Quæ sit forma præscripta pro absolutione censuræ.

I. Nulla forma in jure præscripta est pro absolutione censuræ.

Ex parte absolventis requiritur : 1. Potestas absolvendi; nam sine hac nulla est absolutio. — 2. Libertas a coactione, et metu; nam coacte, et metu facta invalida est. (C. unic. *De his, quæ vi et met.*) — 3. Ne absolvens in causa principali decipiatur.

Ex parte absolvendi regulariter requiritur : 1. Absolutionis petitio; attamen ex rationabili causa absolutio censuræ concedi invito potest. — 2. Requiritur, ut prius satisfecerit parti læsæ, nisi sit impotens; tunc enim præstita cautione saltem juratoria absolvi potest.

II. Præsentia rei, dum absolvitur, absolute necessaria non est, quia sicut absens per litteras excommunicari potest, ita et absolvi : regulariter tamen expedit eum esse præsentem. — Præcipuus modus absolvendi a censura est simplex, et absolutus. — Secundus absolutionis modus est conditionatus, cum absolutio sub aliqua conditione datur, ita ut ea conditione deficiente, corruat absolutio. — Tertius modus absolvendi a censura vocatur *ad cautelam*, quando ignoratur an vere censura incursa fuerit. — Quartus modus, et satis frequens, est absolutio *ad reincidentiam*, eo quod absolutus in eam iterum incidat, si opus sub censura præceptum non exsequitur. Porro omnes isti modi absolvendi a censuris præstari possunt in foro interno et externo.

III. « Si in foro interno tantum fiat absolutio, non potest sic absolutus publice se immiscere actibus per censuram prohibitis, et si contra faciat, a judice, quamvis huic constet de absolutione, puniri poterit, tanquam transgressor censuræ, mitius tamen, quam si vere transgressor esset : imo si velit, poterit prædictam absolutionem judex pro foro externo admittere, et a punitione supersedere, nisi a parte urgeatur. » (SCHMALZGR. *De sent. excomm.* n. 106.)

IV. Censura semel incursa non potest tolli alia via, quam absolutione. Si tamen feratur censura, quousque satisfecerit reus, verius est, posita satisfactione, ipsum pro absoluto habendum.

CAPUT II.

De excommunicatione.

§ I. — Quid et quotuplex sit excommunicatio.

I. Excommunicatio communiter a doctoribus definitur, quod sit *censura ab Ecclesia instituta, separans excommunicatum a communione fidelium.* Et colligitur ex c. *Omnis Christianus* 32, et *Canonica* 107, causa 11, quæst. 3. — Aliæ censuræ non separant a communione fidelium. Hinc patet excommunicationem esse omnium pœnarum ecclesiasticarum gravissimam, utpote quæ privat maximis bonis spiritualibus. Et colligitur ex c. *Cum non ab homine* 14, *De sent. excomm.*; et Trident. sess. 25, c. 3, *De reform.*, monet ne ecclesiastici judices hac

censura utantur, nisi quando jam nullum aliud remedium superest.

II. Excommunicatio alia est justa, alia injusta. — *Justa* est, quæ infertur a legitimo judice, propter peccatum contumaciæ, et servato juris ordine. — *Injusta* est, cui aliquid horum deficit. — Injusta rursum duplex est, quædam *valida*, quædam *invalida*, ac nulla. — *Valida*, quamvis injusta, excommunicatio est, cui tantum deest circumstantia debiti finis, vel quædam solemnitas accidentalis ad substantiam excommunicationis non pertinens. — *Invalida* vero nullum effectum habet, nec obligat, nisi aliquando ratione scandali, ut quia fertur a non habente potestatem, vel contra alicujus privilegium, vel post legitimam appellationem, vel quando continet errorem intolerabilem.

Dividitur in excommunicationem a jure latam, vel ab homine, ut satis dictum est in capite superiori.

IV. « Celeberrima divisio excommunicationis est in majorem, et minorem. *Major* est, quæ excommunicatum privat simpliciter omnium bonorum, inter fideles communium, participatione. — *Minor* vero tantum privat usu sacramentorum passivo, id est, eorum receptione. Ex quo sequitur, quis sit effectus utriusque excommunicationis; nam effectus directus excommunicationis minoris est unicus, scilicet privatio passiva sacramentorum; majoris vero duodecim enumerantur, qui tamen ad quatuor classes deduci possunt. *Prima*, concernit suffragia fidelium, sacramentorum usum, et alias actiones spirituales. *Secunda*, beneficia, et officia ecclesiastica, quibus privat. *Tertia*, officia civilia. *Quarta*, communicationem politicam cum excommunicato. »

V. *Anathema* maledictionem, seu exsecrationem significat. In usu Ecclesiæ significatur hac voce excommunicatio major.

Vox *excommunicatio* absolute prolata in lege vel canone, de majori semper intelligenda est, ut decisum est a Gregorio IX in c. *Si quem*, *De sent. excom.*

§ II. — Quinam sint excommunicati vitandi.

I. Jure antiquo quicunque excommunicatione majori ligati, erant vitandi, eo solum discrimine, quod ii, quorum excommunicatio publica et notoria erat, publice; ii vero, quorum excommunicatio publice nota non fuit, a cæteris fidelibus ejus consciis privatim tantum vitandi essent. (C. *Cum non ab homine* 14, *De sentent. excomm.*) Postea tamen ad excludenda varia scandala et peccata, in conc. *Constant.* a Martino V, *Const. extrav.* incip. *Ad evitanda*, Christifidelibus indultum fuit, ut nemo deinceps a communione alicujus, quacunque censura, sive a jure, sive ab homine lata, ligati abstinere, eumdemque vitare teneretur, nisi sententia contra personam, etc., certam a judice specialiter et expresse publicata fuerit, vel nisi eum per sacrilegam injectionem manuum in clericum excommunicationem a canone latam adeo notorie incurrisse constiterit, ut factum non possit aliqua tergiversatione celari, aut aliquo suffragio excusari.

II. Non censurati cum censuratis vitandis non denuntiatis communicare non tenentur; sed possunt, si velint, a communione cum ipsis privatim, imo publice, casu, quo excommunicatio illorum publice notoria est, abstinere : ac proinde possunt recusare imperium prælati excommunicati, recedere a missa parochi censurati, opposita exceptione declinare judices, repellere actorem, procuratorem, testem excommunicatum, absque istorum injuria... Quia favore sibi indulto nemo cogitur uti arg. reg. *Invito* 69, ff. reg. *Quod ob gratiam* 61, in 6.

II. Excommunicati tolerati non possunt communioni fidelium se ultro ingerere; nisi a fidelibus non excommunicatis requirantur: quia a laudato concil. Constant. directe nullus favor censuratis, sed aliis duntaxat indultus est, prout patet ex cit. extrav. ibi : *Per hoc tamen hujusmodi excommunicatos, non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.*

§ III. — Quibus rebus divinis et sacris excommunicatum privet excommunicatio.

I. Privat *communibus Ecclesiæ suffragiis*, quæ ex publicis officiis et sacrificiis proveniunt, item fructu satisfactionum per indulgentias; constat ex variis textibus relatis, causa 11, quæst. 3; c. *A nobis* 28; c. *Sacris* 38, *De sent. excom.* Et hoc ita verum est ut, licet minister Ecclesiæ velit indulgentias Ecclesiæ applicare excommunicatis, publicas Ecclesiæ orationes pro iis fundere, missæ sacrificium offerre, secundum valorem ab Ecclesia provenientem, applicatio nullius sit valoris... Dixi *suffragiis communibus Ecclesiæ*, seu quæ præstantur nomine Ecclesiæ;

nam quæ præstantur nomine singulorum fidelium, et ab ipsis Ecclesiæ ministris, ut particulares personæ sunt, iis Ecclesia excommunicatos non intendit privare, cum Ecclesiæ bona non sint, nec ejusdem dispositioni subjaceant. Et hinc pro excommunicatis, etiam denuntiatis, possumus proprio nomine, et privata intentione orare, bona opera pro ipsis exercere, et sacrificii actum offerre. Ita multi apud SCHMALZGR. *De sent. excom.* n. 126.

Privat *sepultura ecclesiastica; non denuntiati* tamen, si quidem decedentes signa contritionis dederint, sepeliri in loco sacro possunt, quamvis deceat eos prius absolvi ab excommunicatione; *Denuntiati* vero, etsi pœnitentes obierint, sepultura tamen ecclesiastica gaudere non possunt, sed necessario, antequam in loco sacro sepeliantur, absolvi debent. (C. *Sacris* 12, *De sepultur.*)

III. Privat *usu passivo sacramentorum*, quatenus dum in excommunicatione sunt, sacramenta ipsis non licet recipere. (C. *Cum illorum* 32, et cap. *Si quem* 59, *De sent. excom.* cap. fin. *De cler. excom. ministr.* Excipitur periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum. Si extra hos casus necessitatis sacramenta excommunicatus recipit, graviter peccat, non tamen ex tali illicita receptione pœnam incurrit, excepto sacramento ordinis, quem qui excommunicatione ligatus recipit ab executione ordinis suscepti suspenditur; c. *Illorum* cit. — Ministri tamen Ecclesiæ, si excommunicatis vitandis aliquod sacramentum ministrent, antequam absolvantur, præter peccatum mortale incurrunt excommunicationem, et interdictum ab ingressu ecclesiæ. (C. *Episcoporum* 8, *De privileg.* in 6.) Et quidem, si a pontifice nominatim excommunicati, et denuntiati fuerint, incurrunt excommunicationem reservatam papæ. (C. *Significavit* 18, *De sentent. excomm.* et Clem. 3, eod.) Accedet suspensio ab officio, si excommunicatus fuit ob hæresim, aut quia fautor istorum fuit; nec restituendus est officio absque papæ dispensatione. » (C. *Excommunicamus* 14, § *Credentes, De hæret.*)

IV. Privat *usu etiam activo sacramentorum*, seu potestate illa conferendi, et celebrandi Missam. (C. *Latores* 4, et c. fin. *De cler. excomm. ministr.*) Sacramenta tamen ab excommunicato administrata, sunt valida, excepto sacramento pœnitentiæ; sed excommunicatus ita ministrans, fit irregularis.

V. « Privat *sacrificio missæ*, ita ut, nisi ob ignorantiam, vel necessitatem vitandi scandali, aut alicujus gravis damni excusetur, peccet mortaliter excommunicatus, etiam toleratus, assistens sacrificio missæ, vel notabili ejus parti.... quod si denuntiatus etiam sit, vel manifestus percussor clerici, monendus est, ut exeat; quod si noluerit, incurret novam excommunicationem Pontifici reservatam, et expellendus est etiam vi, si opus fuerit. Si vero nulla ratione expelli possit, missæ sacrificium, si canon nondum incœperit, abrumpendum, vel si facta sit consecratio, subjungenda sumptio, et tum recedendum ad sacristiam non dictis orationibus solitis, et aliis, quæ post sumptionem dici solent. (C. *Is cui* 20, *De sent. excomm.* in 6, Clement. 2, eod.) Quod si autem sacerdos coram excommunicato scienter celebraverit, ultra peccatum, et excommunicationem minorem interdicitur ab ingressu ecclesiæ. (C. *Episcoporum* 8, *De privileg.* in 6.) Cæteri vero fideles coguntur recedere. Si tamen non recedant, culpa ista, ut Palao, part. IX, n. 3, existimat, probabiliter venialem non excedit. »

VI. Prohibetur excommunicatus vitandus assistere *aliis divinis officiis;* a privata tamen recitatione horarum, si ad id teneatur, non eximitur.

VII. Privatur excommunicatus, saltem si vitandus sit, facultate concionandi, legendi in theologia, interpretandi jus canonicum publice.

VIII. Prohibetur excommunicatus *ab ingressu templi*, tempore quo divina ibidem celebrantur; tunc enim per ostiarios debet expelli. Aliis tamen temporibus optime potest ibidem assistere, et privatim, ac separatus ab aliis fidelibus preces ibidem fundere. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 127 ad 131.)

Dub. 1. » *An, et quomodo ministri Ecclesiæ possint orationes publicas, et sacrificia applicare, et offerre pro excommunicatis.* — Certum est illicite eos agere, saltem si in particulari publicas preces pro excommunicato fundant. (PALAO, dist. 2, part. VI, n. 4.) Ratio est quia Ecclesia, privans ipsos his spiritualibus bonis, consequenter fidelibus interdicit ne ea ipsis applicent, maxime cum

hæc applicatio inutilis sit atque frustranea.

Difficultas est, an in genere, et in communi licitum sit, pro his orationes publicas, et missæ sacrificium offerre?—« Variant doctores. Pro *vitandis* orationes publicæ, et missæ sacrificium etiam in genere, et in communi licite offerri nequeunt. Ratio est quia Ecclesia eos suis bonis privavit, et tamen non essent magis privati a suffragiis Ecclesiæ, quam alii fideles non excommunicati.—*Neque obstat* quod Ecclesia in die Parasceves publice oret pro hæreticis, et schismaticis; nam id facit eo die, ut significet, Christi passionem tunc repræsentatam, quantum ex se est, ad omnes se extendere; imo quod eo die pro illis oret publice, et nullo alio, clare indicat, se aliis temporibus nolle pro ipsis preces directe fieri. Interim tamen pro hæreticis, et quibuscunque excommunicatis preces fieri possunt indirecte, dum orationes publicæ instituuntur ad exstirpationem hæreseum, fidei dilationem, unionem Ecclesiæ.

« Quoad *excommunicatos non vitandos* non pauci cum Sot., Bellarm., Suarez, Vasquez, Avila, putant nec pro ipsis offerri sacrificium missæ, aut publicas preces posse. Rationem dant: 1° Quia concil. Constant. fidelibus tantum, non autem excommunicatis etiam non denuntiatis, favorem indulsit. — 2° Idem concilium expressit nolle se favere excommunicatis; faveret autem, si orationes publicas et sacrificium pro ipsis offerri permitteret. — 2° Excluduntur excommunicati a communibus Ecclesiæ suffragiis, oblationibus et sacrificio. Ergo contra Ecclesiæ intentionem facit, qui in his illos participes facit. Hæc sententia licet admodum probabilis sit, est, teste Suarez, vera loquendo de facto, quidquid sit de absoluta Ecclesiæ potestate. — Nihilominus non improbabiliter alii docent, permissum esse fidelibus pro excommunicatis toleratis orationes publicas, et sacrificium offerre. » (SCHMALZGR. *De sent. excom.*, n. 134 ad 138.)

Dub. 2. In casu extremæ necessitatis, cum absolvendus est moribundus, et copia alterius confessarii deest, excommunicatus licite et valide administrare sacramentum pœnitentiæ potest, et idem dic de baptismo.—Extra hunc casum, ut toleratus licite administret, sufficit sola fidelium petitio, quando ille in statu gratiæ est, et absolutionem a censura prius obtinere non potest. Rarius excusatur non toleratus, et tum solum, quando si sacramentum non ministraret, incurreret periculum mortis, mutilationis, infamiæ, gravis jacturæ bonorum.

« *Difficultas est*, cum sacramentum pœnitentiæ ægroto ministratum est. Negant, eo casu aliud sacramentum ægroto ab excommunicato vitando posse conferri, Avil. et alii. Plures tamen concedunt ab excommunicato vitando eo casu ministrari ægroto posse Eucharistiam; at sacramenta extremæ unctionis, et confirmationis ægroto, qui sacramenta pœnitentiæ et Eucharistiæ jam recepit, nequaquam ab excommunicato vitando conferri debent; quia non reputantur sacramenta necessitatis. »

§ IV.—Quomodo excommunicatio privet beneficiis et officiis ecclesiasticis.

I. Per excommunicationem excommunicatus fit incapax consequendi aliquod beneficium ecclesiasticum et consequenter electio, præsentatio, nominatio, qua excommunicatus ad beneficium tale promovetur, omnino nulla et irrita est. Ita omnes, et deducitur c. *Postulastis* 7, *De cleric. excom. ministr.* Extenditur etiam ad excommunicatum toleratum, et quamvis excommunicatus sit ignarus censuræ; quia ignorantia, etsi excuset a culpa, inhabilitatem tamen, a censura provenientem, non tollit, cum nec censuram tollat.

II. Certum est non valere collationem pensionis ecclesiasticæ, quæ datur clerico ob aliquod munus spirituale exercendum, uti est, quæ designatur vice rectori, vicario episcopi, etc.

Quoad fructus beneficii legitime obtenti ante excommunicationem verius docent multi excommunicatum ipso jure et ante sententiam privatum non esse fructibus, et proventibus beneficii rite acquisiti.

Ipso autem beneficio, ante excommunicationem obtento, ob excommunicationem non privatur excommunicatus, licet privari possit, si forte in excommunicatione insordescat, et contumacia gravis sit.

II. *Certum est* quemlibet excommunicatum privatum esse jurisdictione ecclesiastica, ita ut licite eam exercere non possit.

Difficultas est utrum excommunicato, durante excommunicatione, jurisdictio sit omnino adempta, an solum prohibitus illius usus? Conveniunt doctores omnes jurisdictionem ecclesiasticam excommunicato vi-

tando esse omnino ademptam : atque hinc invalidi sunt omnes actus jurisdictionis, quos talis faceret. (*C. Audivimus* 4, causa 24, quæst. 1, c. *Ad probandum* 24, *De sent. et re judic.* cum similibus.

Sed dicendum, excommunicato tolerato nullatenus ademptam esse jurisdictionem, sed illius actus ipsum valide exercere, quandiu a fidelibus contra ipsum non excipitur. (Ita doctores, et sumitur ex c. *Exceptionem* 12, *De except.*, et c. *Piæ* 1, eod. in 6.) Ex quo sequitur, si fideles excommunicationem objiciant, et ob illius causam contra excommunicatum excipiant, eumque a se repellant, nullius valoris esse actus ab excommunicato factus; ut vero exceptio hujusmodi teneat, excipiens excommunicationis speciem, et ejus auctorem manifeste debet probare intra octo dies. (C. *Piæ* cit.) Si non probet excipiens, vel si nullus excipiat, excommunicatus toleratus officium tam judicis, quam parochi valide exercere potest. (Schmalzgr. *De sent. excomm.* n. 147 et seqq.)

§ V. — Quot modis excommunicatio fidelium communicatione privet in civilibus.

I. Modi sunt tres : 1. Privat excommunicatum communicatione forensi. — 2. Usu quocunque officii politici. — 3. Quacunque obligatione civili, et contractu. Quæ evoluta vide apud Schmalzgr. *De sent. excom.* n. 167 et seqq. et apud moralistas.

Dub. 1. *Sub qua culpa fidelibus communicatio cum excommunicato, et excommunicato cum fidelibus non excommunicatis prohibita sit?* — Resp. mortaliter peccari : 1° Si communicatio fiat in rebus divinis, et officio divino saltem publice dicto. — 2° Si communicetur cum excommunicato a summo pontifice; tunc enim communicans, præter peccatum mortale, incurrit etiam excommunicationem majorem, ut colligitur ex c. *Significavit* 18, *De sent. excom.* — 3° Communicans in crimine criminoso, id est in crimine ob cujus causam aliquis excommunicatus est, præter peccatum mortale, incurrit etiam excommunicationem majorem. (C. *Nuper* 29, c. *Si concubinæ* 55, *De sent. excomm.*; et c. *Statuimus* 3, eod. in 6.) — 4° Si communicet aliquis cum excommunicato post latam sententiam contra participantes; nam hic, præter quod peccet mortaliter, etiam incurrit excommunicationem majorem, uti constat ex cap. *Quod in dubiis* 30, *De sent. excom.*; debet tamen ut incurrat dictam excommunicationem, monitione trina moneri. (C. *Statuimus*, cit.)

II. Extra hos casus solum sub culpa veniali prohibetur communicatio cum excommunicato, incurritque communicans tantum excommunicationem minorem.

Dub. 2. Ab excommunicatione cum excommunicato denuntiato communicantem excusat : 1. *Utilitas* tam spiritualis, quam corporalis. — 2. Lex matrimonii. — 3. Humilitas subjectionis erga parentes, dominos et vice versa. — 4. Ignorantia et necessitas. — (Quæ evoluta *vide* apud Schmalzgr. *De sentent. excom.* n. 178 ad 194.)

§ VI. — Quinam sint effectus remoti excommunicationis.

Triplex est : nam ex primo effectu, excommunicatus, si per annum perseveret in excommunicatione, specialiter lata ab homine, fit suspectus de hæresi, eo quod præsumatur male sentire de potestate Ecclesiæ. (*Trident.* sess. 25, c. 3, *De reform.*) Hæc tamen suspicio levis est; sufficit tamen ad indicendam purgationem. Quam si subire noluerit, citari iterum debet sub pœna excommunicationis; si vero post hujusmodi citationem adhuc parere neglexerit, et in contumacia per annum perseveraverit, nullo allegato impedimento, ut hæreticus condemnari debet. (C. *Cum contumacia* 7, *De hæret.* in 6.) — *Secundus* effectus est probatio delicti, seu causæ, ob quam lata est excommunicatio; nam in ea perseverans per annum, nullo ostenso impedimento, aut satisfactionis signo, pro convicto, et confesso haberi debet. (C. *Rursus* 36 et seqq. causa 11, quæst. 3.) — *Tertius* effectus est privatio beneficiorum; nam excommunicatus triennio perseverans in excommunicatione, indurato animo, a judice privari debet beneficiis omnibus. (C. *Cum bonæ* 8, *De ætat. et qualit.*)

§ VII. — De directis et indirectis effectibus excommunicationis minoris.

I. Effectus directus excommunicationis minoris unicus est, scilicet privatio passiva sacramentorum. (C. *A nobis* 2, *De except.*, c. fin. *De cleric. excom. ministr.*, c. *Si quem*, 59, *De sent. excom.*) Hinc graviter peccat, qui excommunicatione minori innodatus sacramentum suscipit. Sacramenta tamen a tali excommunicato suscepta valida sunt.

II. Hujusmodi excommunicatus poterit administrare sacramenta, licet indecens

sit. Indecentia tamen hæc probabilius non attingit peccatum mortale. Ex Arg. c. fin. *De cleric. excom. ministr.* Ubi pontifex de eo, qui in excommunicatione minori celebrat, dicit eum graviter peccare; de illo autem, qui confert in ea excommunicatione sacramenta ecclesiastica, tantum dicit, eum peccare, omittens adverbium *graviter*, quasi manifeste indicans, in collatione sacramentorum grave peccatum non esse.

III. Effectus indirectus excommunicationis minoris est privatio electionis, præsentationis et collationis ad beneficia. (C. fin *De cleric. excom. ministr.*) Sed probabilius hujusmodi electio, præsentatio non est irrita ipso jure, sed per sententiam irritanda venit.

§ VIII. — Quis possit ab excommunicatione minori absolvere.

Ab excommunicatione minori absolvere in foro externo potest, qui jurisdictionem in eo habet. In foro interno pœnitentiæ absolvere ab ea potest episcopus, vel proprius ipsius excommunicati sacerdos, et etiam sacerdos cui delegatur potestas absolvendi a peccatis mortalibus. Parochus etiamsi sacerdos non sit ab hac excommunicatione absolvere etiam potest. (SCHMALZGR. *De sentent. excom.* n. 195 et seq.)

§ IX. — Quis possit absolvere ab excommunicatione majori.

Excommunicationes reduci possunt in quatuor classes; nam aliæ nulli, aliæ episcopo, aliæ pontifici per bullam *Cœnæ*, aliæ eidem extra bullam *Cœnæ* reservantur.

§ X. — Excommunicationes reservatæ episcopis.

P. Busenbaum sequentes refert :

. Quæ contrahitur ex levi percussione clerici, vel gravi si sit mulier.

II. Lata in eos qui, postquam in articulo mortis a censura, vel peccato habente censuram annexam ab aliquo, qui alias non poterat, absoluti sunt : postquam convaluerunt, superiori se non præstant.

III. Lata in fratres minores, si admittant in suis ecclesiis ad officia divina fratres tertii ordinis.

IV. In eos qui communicant in eodem crimine cum excommunicatis ab episcopo.

V. Eæ omnes, quas ferunt episcopi per statuta propria, et sibi reservant; de quibus videnda statuta cujuslibet diœcesis. — Ab his nemo absolvere potest nisi papa et episcopus, vel ab ipso delegatus, et sede vacante capitulum.

§ XI. — Excommunicationes papæ reservatæ in bulla *Cœnæ*.

In hanc excommunicationem reservatam incurrunt :

I. Hæretici, et schismatici, illorumque credentes, defensores, receptatores, legentes libros hæreticos.

II. Qui ab ordinationibus, seu mandatis papæ appellant ad futurum concilium universale, vel appellationi hujusmodi auxilium, vel favorem, præstiterunt.

III. Piratæ, seu qui ex intentione deprædandi discurrunt per mare pontificium, et horum receptatores, ac fautores.

IV. Subripientes bona naufragorum.

V. Imponentes in terris suis nova pedagia, vel antiqua augentes, præterquam in casibus permissis.

VI. Falsarii litterarum apostolicarum.

VII. Deferentes arma, et alia usui bellico idonea ad infideles.

VIII. Impedientes, ne Romanæ curiæ deferantur victualia, vel alia necessaria.

IX. Qui offendunt accedentes, vel recedentes a Romana sede, vel in curia commorantes.

X. Qui offendunt romipetas, et peregrinos accedentes ad urbem, vel in ea commorantes, aut ab ipsa recedentes.

XI. Qui interficiunt, mutilant, vulnerant, percutiunt, capiunt, carcerant, detinent S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, sedis apostolicæ legatos, vel nuntios.

XII. Qui offendunt recurrentes ad curiam Romanam pro suis negotiis.

XIII. Appellantes a gravamine, et executione litterarum apostolicarum ad potestatem laicam.

XIV. Qui causas a judicibus ecclesiasticis avocant, vel earum cursum, et executionem litterarum apostolicarum, impediunt.

XV. Qui trahunt, vel procurant trahi personas ecclesiasticas ad tribunal sæculare, et qui condunt statuta libertati ecclesiasticæ præjudicantia, eisque utuntur.

XVI. Qui impediunt, ne prælati ecclesiastici sua jurisdictione utantur.

XVII. Usurpatores, et sequestratores redituum, fructuum et proventuum, ad pontificem, sedemque apostolicam, vel alias

personas ecclesiasticas pertinentium, si hoc fiat sine legitima superiorum licentia

XVIII. Imponentes decimas, collecta, et alia onera personis ecclesiasticis.

XIX. Judices sæculares, et exsecutores, qui causis capitalibus seu criminalibus clericorum se interponunt.

XX. Occupantes bona et terras Ecclesiæ Romanæ, ejusque supremam jurisdictionem usurpantes. (SCHMALZGR. *De sent. excomm.* n. 213.)

§ XII. Excommunicationes summo pontifici reservatæ extra bullam *Cœnæ*.

I. *Contra prælatos Ecclesiæ.* — 1. Prælatos vexantes censuris commorantes in servitio papæ. (Extravag. 3, *De privileg.* —2. Cardinales contravenientes in electione pontificis. (Bulla 3 JULII II, *Cum tam divino.*—3. Cardinales revelantes ea, de quibus papa eis silentium indixit. (Bulla 7 LEONIS X; et PIUS V, const. *Romani.*—4. Cardinales ambientes per simoniam papatum, aut qui cum aliquo tractant de eligendo pontifice, dum actu vivit pontifex. (PAUL. IV, const. *Cum secundum.*) — 5. Cardinales simoniacos in beneficiis. (Bulla Pii V 85, *Hodie in consistorio.*)—6. Episcopos, aliosque beneficiorum collatores conferentes beneficia ecclesiastica post suspensionem contractam, admittendo eorum resignationes extra casus designatos et ultra formam præscriptam (PIUS V, const. *Quanta est Ecclesia Dei*).—7. Prælatos trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale. (MARTIN. V, const. *Ad reprimenda.*)—8. Administratores episcopatuum, et inferiores episcopis publicantes indulgentias cum amplis privilegiis, et cum suspicione simoniæ. (PIUS V, const. *Quam plenum.*)—9. Episcopos, et inquisitores eorumque substitutos, qui faciendo, vel omittendo contra diffamatos de hæresi, delinquunt in officio. (Clement. *Multorum, De hæret.*)—10. Prælatos, et gubernatores civitatum, et locorum status ecclesiastici recipientes munera præter comestibilia. (PAUL. II, const. *Munera*).—11. Prælatos et officiales pœnitentiariæ recipientes pro expeditione aliquid etiam sponte oblatum a partibus (S. PIUS V, const. *In omnibus rebus.*) — 12. Prælatos et ministros cameræ apostolicæ non reddentes integre computa, ejusdem PAUL. III const. *Cum sicut.*

II. *Contra clericos sæculares et regulares.* — 1. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum ecclesiis. (Clement. *Cupientes, de pœnis.*) — 2. Participantes in divinis cum excommunicato a papa. (C. *Significavit*, *De sent. excom.*) — 3. Retinentes beneficia in confidentiam. (PIUS IV, const. *Romanum pontificem;* et PIUS V, const. *Intolerabilis.*) — 4. Doluse procurantes alienationes bonorum Ecclesiæ.) PAUL. II, const. *Cum in omnibus.*) —5. Prædicatores non servantes decreta pro eis lata in concilio Lateranensi, quique Scripturæ sensum a doctorum interpretatione alienum, circa tempus Antichristi, et extremi judicii, aliaque similia revelata prædicant. (LEO X, const. *Supernæ.*) — 6. Procurantes eligi in successorem Papæ. (LEO X, in *Concil. Lateran.* sess. 5; JULIUS II, const. *Cum tam divino.*) — 7. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus bullæ *Cœnæ*, vel ordinariis reservatis. (Decret. sacr. congr. Episc. et Regul. a Clemente VIII approbatum 1602.) — 8. Consentientes usurpationibus bonorum ecclesiasticorum. (*Trident.* sess. 22, cap. 11, *De reform.*) — 9. Trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale (MARTIN. V, const. *Ad reprimendas.* — 10. Parochos et beneficiatos non adimplentes juramenta de residendo. (PIUS IV, const. *Inter multiplices.*)

III. *Contra regulares.* — 1. Administrantes sacramenta extremæ unctionis et Eucharistiæ infirmis, vel matrimonia solemnizantes sine licentia parochi. (Clement. 1, *De privileg.*) — 2. Absolventes sub prætextu privilegiorum a casibus bullæ *Cœnæ*, vel ordinariis reservatis. (Decret. CLEMENT. VIII, ut supra.) — 3. Euntes ultra mare sine licentia suorum superiorum. (Extravag. *Ad nostrum, De regul.*)—4. Mendicantes transeuntes ad non mendicantes. (Extravag. *Viam ambitiosæ, De regul.*) — 5. Moniales exeuntes de claustra absque licentia. (Bulla PII V, 8, *Decori* .) — 6. Superiores non denuntiantes religiosos qui sunt suspecti de hæresi, inquisitoribus, vel ordinariis locorum. (PAUL. V, const. *Romanus pontifex.*)— 7. Minores de observantia subornantes vota in electionibus. (Bulla PII V, *Pastoralis.*) — 8. Claustrales recipientes minimos sine licentia Papæ. (JUL. II, const. *Virtute conspicuos*, extra Bullarium.) — 9. Tertiarios portantes habitum minorum. (LEO X, const. *Licet alias*, extra Bullarium.) — 10. Minores admittentes in eorum ecclesiis tempore interdicti ad divina, fratres et sorores tertii

ordinis. (Clement. *Cum ex eo, De sent. excom.*) — 11. Minimos subtrahentes se ab observantia correctorum. (PAUL. III, const. *Cum sicut.*) — 12. Clericos regulares societatis Jesu discedentes sine licentia a societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium ordinem, eorumque receptatores, Chartusianis exceptis. (GREGOR. XIII, const. *Ascendente.*) — 13. Clericos regulares congregationis de Somascha, transeuntes ad arctiorem sine licentia superioris (exceptis Cappuccinis, et Chartusianis) illorumque receptores. (SIXTUS V, bulla 3, *Æquum.*) — 14. Subornantes, et procurantes vota in electionibus et complices, ac simpliciter scientes et non revelantes. (CLEMENT. VIII, const. *Nullus omnino.*) — 15. Dantes et recipientes ob ingressum religionis. (*Extrav. comm.* 1, *De Simonia.*) — 16. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda sepultura in eorum ecclesiis. (Clement. *Cupientes, De pœnis.*)

IV. *Contra dominos temporales.* — 1. Dominos temporales qui in terris eorum suppositis interdicto cogunt celebrare, et audire divina. (Clement. *Gravis, De sent. exc.*) — 2. Judices et officiales laicos trahentes personas ecclesiasticas ad forum laicale. (MARTIN. V, const. 10, *Ad reprimendas.*) — 3. Officiales ac dominos temporales, bannientes, seu facientes, et mandantes banniri, personas ecclesiasticas. (Bulla URBANI IV, *Quia sicut.*) — 4. Officiales, judices, et dominos temporales percutientes, vel bannientes episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. (Clement. 1, *De pœnis.*) — 5. Prohibentes subditis, ne vendant ecclesiasticis. (C. fin. *De immunitate Eccles.*) — 6. Tractantes de novo papa eligendo, vivente alio, stipulationes, promissiones, conventiones, et pacta facientes, eorumque complices, et fautores, etiamsi imperiali et regali fulgeant dignitate. (PAUL. IV, const. *Cum secundum.*) — 7. Principes et dominos temporales concedentes locum, vel permittentes duellum in terris suis. (*Conc. Trid.* sess. 25, *De reform.*, c. 19; et CLEMENS VIII, const. *Illius vices.*)

V. *Contra omnes sive prælatos, episcopos, sive clericos, sive regulares, sive laicos.* — Percutientes clericum vel monachum. (C. *Si quis suadente*, causa 17, quæst. 4) — 2. Falsarios litterarum apostolicarum. (C. *Falsariorum, De crimine falsi.*) — 3. Habentes litteras apostolicas falsas, et illas non destruentes. (C. *Dura, de crim. falsi.*) — 4. Perseverantes per annum in excommunicatione lata a delegato papæ. (C. *Quærenti, De off. delegati.*) — 5. Incendiarios a judice excommunicatos et denuntiatos. (C. *Tua nos, De sent. exc.*) — 6. Sacrilegos effractores ecclesiarum. (C. *conquesti, De sent. excom.*) — 7. Communicantes in crimine cum excommunicato a papa. (C. *Nuper, De sent. excom.*) — 8. Absolutos ab excommunicatione, sub conditione, et non implentes. (C. *Eos qui, De sent. excom.* in 6.) — 9. Vexantes eos, qui censuram in aliquos tulerunt. (C. *Quicunque, De sent. excom.* in 6.) — 10. Eligentes potentem insignem in senatorem Romanum. (C. *Fundamenta, De elect.* in 6.) — 11. Violantes interdictum modis prohibitis. (Clement. *Gravis, De sent. excom.*) — 12. Offendentes cardinales. (C. *Felicis, De pœnis.*) — 13. Exigentes tributa a personis ecclesiasticis. (C. *Clericis, De immunit.* in 6.) — 14. Falsificantes monetam regis Franciæ. (Extrav. JOAN. XXII, *Prodiens, De crim. falsi.*) — 15. Exenterantes corpora defunctorum. (Extrav. 2, *De sepult.*) — 16. Conspirantes in personam pontificis. (Extrav. *Etsi Dominici, De pœnis et remiss.*) — 17. Violantes interdictum sedis apostolicæ; extrav. *Etsi Dominici*, cit.) — 18. Offendentes rectores, seu præsides provinciæ Marchiæ Anconitanæ. (Extrav. JOAN. XXII, *Dierum, De pœnis.*) — 19. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione B. M. V. (Extrav. *Grave, De reliq.*; et post definitionem hujusce dogmatis per bullam Pii IX, *Ineffabilis*, damnantur ut hæretici.) — 20. Simoniacos in ordine, et beneficio. (*Extrav. com.* 2, *De simon.*) — 21. Dantes et recipientes ob ingressum religionis. (*Extrav. com.* 1, *De simon.*) — 22. Occupantes bona cardinalium, tempore conclavis. (LEO X, const. 16, *Temerariorum.*) — 23. Impedientes exsecutionem litterarum sacræ Pœnitentiariæ. (JUL. II, const. *Rationi congruit.*) — 24. Dantes et recipientes pro gratia, aut justitia apud sedem apostolicam. (GREGOR. XIII, const. *Cum ab ipso pontificatus*; et extrav. 1, *De sent. excom.*; ALEXAND. VII, const. *Inter gravissimos.*) — 25. Simulantes, et fingentes se alios esse pro obtinendis beneficiis a dataria. (PAUL. IV, const. *In eligendis.*) — 26. Mentientes personas in litteris apostolicis, ut earum expeditionem gratis assequantur.

(INNOCENT. VIII, const. *Cum sicut;* et LEO X, const. 27, *Inhærendo.*) — 27. Mittentes litteras, aut nuntium in conclavi, vel inde recipientes. (PIUS IV. const. *In eligendis.*) — 28. Ambientes papatum, ejusque causa simoniam committentes. (PAUL. IV, const. *Cum secundum Apostolum.*) — 29. Committentes duellum, et illud consulentes. (Trident. sess. 25, *De reform.* c. 19; PIUS IV, const. *Ea quæ;* GREGOR. XIII, const. *Ad tollendum;* CLEMENT VIII, const. *Illius vices.*) — 30. Occupantes bona ecclesiarum, montium pietatis, et locorum piorum, vel impedientes ne ab iis ad quos jure pertinent percipiantur. (*Trident.* sess. 22, *De reform.* c. 11. — 31. Suadentes papæ, ut alienet, vel infeudet loca status ecclesiastici. (S. PIUS V, const. *Admonet nos.*) — 32. Capientes, et retinentes Christianos habitantes inter Turcas, et eorum bona diripientes, aut remigare cogentes. (S. PIUS V, const. *Licet omnibus.*) — 33. Non revelantes conspiratores, et insidiatores, contra cardinales. (S. PIUS V, const. *In felicis.*) — 34. Committentes simoniam confidentialem. (S. PIUS V, const. *Intolerabilis.*) — 35. Publicantes indulgentias, et facultatem dantes eligendi confessarios iis, qui aliquid solvunt. — (S. PIUS V, const. *Quam plenum.*) — 36. Violantes ecclesiasticam et ecclesiarum immunitatem. (GREGOR. XIII, const. *Cum alias nonnulli.*) — 37. Extrahentes frumentum, blada, legumina, et oleum extra statum ecclesiasticum sine licentia.) PAUL. V, const. *Inter gravissima.*) — 38. Diripientes animalia, vel alia bona, vel illa furata ementes ex statu ecclesiastico. (GREGOR. XIII, const. *Non sine gravi.*)—39. Docentes posse fieri confessionem sacramentalem in absentia per litteras. CLEMENT. VIII, const. *Sanctissimus.*) — 40. Impugnantes institutum societatis Jesu. (GREGOR. XIII, const. *Ascendente.*) — 41. Facientes jurare illicita, et contraria libertati ecclesiasticæ. GREGOR. XIII, const. *Inter apostolicas.*) — 42. Accipientes, et retinentes fructus beneficii vacantis, vel impedientes beneficii possessionem non solventibus dulciaria, vel aliam solutionem. (S. PIUS V, const. *Durum nimis.*) — 43. Docentes aut defendentes etiam disputative opiniones damnatas. (Decret. sacr. congr. S. Officii annis 1665. 1666, 1679, 1690 emanata.) — 44. Feminas ingredientes clausuram monasteriorum regularium. (S. PIUS V, const. *Regularium.*) — 45. Feminas, sive masculos ingredientes septa monasteriorum monialium prætextu licentiarum in casibus non necessariis. (GREGOR. XIII, const. *Ubi gratiæ.*) — 46. Examini se supponentes pro alio, ut beneficium impetret. (PAUL. IV, const. *Inter cæteras.*) — 47. Furto subtrahentes ex bibliothecis ordinis S. Francisci de observantia, libros, quinterna, et folios. (S. PIUS V, const. *Cum sicut accepimus;* et SIXTUS V, const. *Cum sicut.*) Et hanc incurrunt subtrahentes etiam ex bibliothecis aliorum regularium. — 48. Extrahentes libros et mobilia monasterii SS. Fabiani et Sebastiani extra muros Urbis. (CLEMENT. XI, const. *Cum sicut.*) — 49. Extrahentes vasa, et ornamenta sacra ex sacristia et ecclesia ejusdem monasterii. (CLEMENS. XI, const. *Cum sicut.*) — 50. Extrahentes libros et scripturas ex publica bibliotheca a Clemente XI instituta in conventu fratrum ordinis Minorum conventualium civitatis Urbini. CLEMENS. XI, const. *Cum nos.*) — 51. Extrahentes libros bibliothecæ conventus S. Mariæ Majoris Tiburis ordinis fratrum Minorum de observantia. (CLEMENS. XI, const. *Cum sicut.*)

Notandum quod ab excommunicationibus papæ reservatis nemo potest absolvere nisi papa, et illi quibus a pontifice facultas concessa fuit; attamen in casibus in quibus casus papales fiunt episcopales, absolvere etiam possunt episcopi, ut dictum est alibi. Tandem in articulo mortis omnes sacerdotes possunt absolvere. Qui vero, absque facultate pontificia, absolveret ab excommunicationibus papæ reservatis, incurreret excommunicationem bullæ *Cœnæ*, ut dictum est supra.

§ XIII. — Excommunicationes nemini reservatæ.

I. *Contra episcopos et nuntios.* — 1. Venientes ad urbem clanculo, et inde recedentes sine licentia papæ. (Extrav. 2 et 3, *De major. et obed.*)—2. Episcopi usurpantes prælaturam in civitate diversarum linguarum. (C. *Quoniam, De offic. ordin.*) — 3. Permittentes habitum Fraticellorum. (Extrav. *Sancta Romana*, JOAN. XIII, *De relig. domib.* — 4. Litteras a regibus, et principibus impetrantes ad dignitates obtinendas. (PIUS V, const. *Et sit Roma.*)

II. *Contra clericos.* — 1. Contrahentes

matrimonium, si sint in sacris. (Clement. unic. *De consang.*) — 2. Audientes medicinam, aut legem, si sint sacerdotes, vel personatum habentes. (C. *Super specula, Ne clerici vel monachi.*) Hodie tamen consuetudo et usus etiam Romæ videtur contrarium statuisse saltem pro clericis; et intelligendum est dummodo non audiant ex professo. — 3. Usurpantes munus sacramenta administrandi in civitate diversarum linguarum et rituum. (C. *Quoniam, De offic. ordin.*) — 4. Impugnantes in concionibus vel disputationibus montes pietatis. (Leo X, const. *Inter multiplices.*) — 5. Ficte resignantes vel permutantes beneficia. (S. Pius V, const. *Quanta Ecclesiæ.*) — 6. Interessentes agitationibus taurorum, si sint in sacris, vel beneficia obtineant. (S. Pius V, const. *De salute.*) — 7. Sacerdotes recipientes præfecturas sæculares, et non desistentes ab illis post monitionem. (C. *Clericis, Ne clerici vel monachi.*) — 8. Procurantes ut alii occupent jura et bona ecclesiarum vacantium. (C. *Generalis, De elect.* in 6.) Et hæc excommunicatio videtur papæ reservata, ex Trident. sess. 22, c. 11, *De reform.*) — 9. Alienantes bona ecclesiarum, vel locantes ultra triennium. (Extrav. *Ambitiosæ, De rebus Eccles. non alienand.*) — 10. Se ingerentes in alterius episcopatu , priusquam a proprio episcopo adsciscantur. (C. *Quoniam, De offic. ordin.*)

III. *Contra regulares.* — 1. Instituentes novum ordinem sine licentia papæ. (C. unic. *De relig. domib.*) — 2. Professos temere habitum dimittentes. (C. 2, *Ne clerici vel monachi.*) — 3. Adeuntes curias principum, ut suis religiosis damnum inferant. (Clement. *Ne in agro, De statu monach.*) — 4. Tenentes arma intra claustra sine licentia. (*Ibid.*) — 5. Mendicantes recipientes novas domos , et receptas alienantes. (Clement. *Cupientes, De pœnis.*) — 6. Non servantes interdictum sive a papa sive ab ordinario positum , quando observatur ab Ecclesia principali loci. (Clement. 1, *De sent. excom.*) — 7. Usurpantes decimas ecclesiis debitas, seu non permittentes, vel dissuadentes illas solvi. (Clement. 1, *Decimis.*) — 8. Delinquentes in visitatione monasteriorum monialium contra const. Alexandri VII, *Felici sacrarum virginum.* — 9. Minores transeuntes ad Capuccinos , et hos illos recipientes absque licentia sedis apost. (Sixtus V, const. *Pro ea.*) — 10. Cruciferos requirentes favores pro dignitatibus consequendis. (Clemens VIII, const. *Quoniam.*) Et circa hoc advertendum est quod etiam alii regulares habent speciales constitutiones. (Imo idem Clemens VIII, const. *Nullus omnino*, pro reformatione regularium, § 35, relinquendo in suo robore censuras et pœnas contra hujusmodi ambientes ab aliis pontificibus inflictas, addit ultra ipsas pro omnibus regularibus pœnam privationis officiorum, et perpetuam inhabilitatem ad futura, reservando sibi et suis successoribus dispensationem. — 11. Audientes, vel legentes extra claustra leges, et physicam seu medicinam. (C. *Non magnopere,* et c. *Super specula, Ne clerici vel monachi.*)

IV. *Contra dominos temporales.* — 1. Prohibentes subditis, ne quidquam vendant ecclesiasticis, aut emant aliquid ab eisdem, neque eis bladum molant, coquant panem, aut alia obsequia præstent. (C. *Eos qui, De immunit. Eccles.* in 6.) — 2. Retinentes nomen vicarii imperatoris vacante imperio. (Extrav. Joan. XXII. *Si fratrum, Ne sede vacante.*) — 3. Impedientes episcopos, vel inquisitores in officio inquisitionis. (C. *Ut inquisitionis, De hæret.* in 6.) — 4. Concedentes repræsalias contra ecclesiasticos. (C. 1, *De injuriis* in 6.) — 5. Permittentes agitationes Taurorum in suis terris. (S. Pius V, const. *De salute.*) — 6. Non servantes statuta in c. *Felicis, De pœnit.* in 6, contra persecutores cardinalium. (S. Pius V, const. *Infelicis.*)

V. *Contra magistratus et judices.* — 1. Facientes servari statuta et consuetudines contra libertatem ecclesiasticam. (C. *Noverit, De sent. excom.*) Sed ex bulla *Cœnæ*, § 15, hæc excommunicatio reservata est papæ. — 2. Negligentes reddere justitiam ecclesiasticis post tertiam monitionem. (C. *Administratores*, causa 23, quæst. 5. — 3. Extorquentes pecunias prætextu officii inquisitoris. (Clement. 2, *De hæret.*) — 4. Potestates et officiales communitatum usuras foventes et approbantes. (Clement. unic. *De usuris.*) — 5. Permittentes portare arma breviora tribus palmis in statu ecclesiastico. (S. Pius V, const. *Cum vices.*) — 6. Non parentes cardinalibus inquisitoribus in officio ipsorum. (S. Pius V, const. *Sanctissimus*)

— 7. Rectores universitatum promoventes ad doctoratum, vel professores ad cathedras, non facta prius fidei professione. (S. Pius V, const. *In sacrosancta.*) — 8. Auxilium non præstantes episcopis pro conservanda clausura monialium. (*Trident.* sess. 25, c. 5, *De regular. et monial.*)

VI. *Contra omnes.*—1. Vexantes ecclesiasticos, vel eorum consanguineos, quia non elegerint eum pro quo rogabantur. (C. *Sciant cuncti, De elect.* in 6.) — 2. Præsidentes et directores monialium ponentes vel nutrientes discordias in electione. (C. *Indemnitatibus, De elect.* in 6. — 3. Magistros et scholares Bononiæ conducentes domos alterius scholastici vel doctoris ante tempus conductionis elapsum. (C. 1, *De locato.*)—4. Habentes ratas ordinationes factas a schismaticis. (C. *De schismat.*) — 5. Extorquentes revocationem, vel absolutionem a censuris per vim et metum. (C. 1, *De iis, quæ vi et metu*, in 6.)—6. Judices accedentes ex causa ficta ad mulieres pro excipiendo testimonio. (C. 2, *De judic.* in 6.) — 7. Procurantes ut conservatores regularium se intromittant in aliis causis, quam in manifestis injuriis et violentiis. (C. fin. *De offic. delegat.* in 6.) — 8. Occupantes, et usurpantes, prætextu defensionis, bona ecclesiæ vacantis, vel titulo regaliæ. (C. *Generali, De elect.* in 6.) — 9. Alloquentes secreto cardinales, dum sunt in conclavi. (C. *Periculum, De elect.* in 6.) — Impedientes sequestrum factum ab ordinario super beneficia, vel fructus occupantes. (Clement. unic. *De sequestr. posses.* — 11. Mandantes interfici Christianum per assasinos. (C. 1, *De homicid.* in 6.) — 12. Sepelientes hæreticos scienter in loco sacro. (C. *De hæret.* in 6.) — 13. Sepelientes tempore interdicti, vel nominatim interdictos, publicos excommunicatos, aut usurarios manifestos, scienter in loco sacro. (*Clem.* 1, *De sepult.*) — 14. Compellentes ecclesiasticos, ut submittant laicis jura Ecclesiæ. C. 2, *De rebus eccles. non alienand.* in 6.) Hæc autem excommunicatio reservata est papæ, ex bulla *Cœnæ*, et Trident. sess. 22, c. 11, *De reform.* — 15. Exigentes pedagia ab ecclesiasticis personis. (C. *Quanquam, de cens.* in 6.) Item reservata papæ ex bulla *Cœnæ.*—16. Doctores, sive magistros docentes legem, vel medicinam, religiosos. (C. 2, *Ne clerici vel monachi.*) — 17. Concedentes repræsalias vel concessas extendentes contra ecclesiasticos. (C. unic. *De injur.* in 6.) — 18. Profitentes falsam religionem Fraticellorum. (Extrav. Joan. XXII, *Sancta Romana, De religios. domib.*) — 19. Impedientes visitatores monialium. (Clem. *Attendentes, De statu monach.*) — 20. Vexantes sanctum officium. (S. Pius V, const. *De protegendis.*)—21. Cogentes, vel impedientes feminas ingredi monasteria. (*Trident.* sess. 25, c. 18, *De regul.*) — 22. Raptores mulierum, et fautores. (*Trident.* sess. 24, c. 6. *De reform. matrim.*) — 23. Cogentes injuste matrimonium. (*Trident.* sess. 24, c. 9, *De reform. matrim.*)—24. Pingentes, vel colorantes agnos Dei. (Gregor. XIII, const. *Omni certe studio.* — 25. Imprimentes libros absque licentia superiorum. (*Conc. Lateran.* sub Leon X, const. *Inter sollicitudines.*) Ex eadem vero constitutione superiores libris imprimendis approbationem concedere *gratis* et *sine dilatione, sub excommunicationis sententia*, tenentur.—26. Edentes glossas in concilium Trident. — 27. Asserentes non esse necessariam confessionem (mortalium) ante sumptionem Eucharistiæ. (*Trident.* can. 11, sess. 13, *De sacram.*) — 28. Assumentes statum Beguinarum. (Clem. 1. *De religiosis domib.*) — 29. Contrahentes matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum moniali. (Clement. unic. *De consanguinit.*) — 30. Impugnantes litteras papæ non coronati. (Extrav. ultim. *De sent. excom.*) — 31. Falso affirmantes matrimonia filiorum familias sine consensu parentum contracta esse irrita, ac parentes ea rata, vel irrita, facere posse. (*Trident.* sess. 24, c. 1, *De reform. matrim.*)— 32. Abortum fetus animati procurantes. (Gregor. XIV, const. *Sedes apostolica.*) — 33. Non denuntiantes S. Officio vel ordinario hæreticos, magos, sortilegos, et alios utentes rebus, verbis, et characteribus continentibus pactum expressum vel tacitum cum dæmone. —34. Non denuntiantes eos, quos audiverunt blasphemare hæreticaliter Deum, beatam Virginem, et sanctos. (Idem edictum.)

Notandum; et has excommunicationes ex Monacello et Ferraris, enumerasse sufficiat, cæteris prætermissis, quæ vel singularium locorum, vel religionum causæ serviunt; vel non sunt amplius in usu. Quæ reservatæ non sunt, quis absolvere possit, dubium oritur.

Una enim sententia tenet, quod a censuris latis jure nemini reservatis, absolvere

possint non tantum episcopi, et alii prælati jurisdictionem habentes in foro externo, sed etiam parochi, et alii sacerdotes potestatem habentes absolvendi a mortalibus : et hanc per textum in cap. *Nuper, De sent. excom.* Sequuntur Navar., Sebast., Medic., Bonacin., Barbos., Fagnan., Pirhing., etc.

« Alia sententia (quæ securior et tutior est) sustinet, quod solus episcopus, vel ejus vicarius absolvat; et hanc amplectuntur Sayr., Graff., et alii.. » (MONACELL. tom. III, *De excom.*)

CAPUT III.

De suspensione.

§ I. — Quid et quotuplex sit suspensio.

I. Secunda censura est suspensio, per quam persona ecclesiastica privatur usu seu exercitio ordinis, officii, aut beneficii ecclesiastici, quod illi competit ratione alicujus potestatis ecclesiasticæ, in totum, vel in partem, ad tempus, vel in perpetuum, ob suam culpam. »

« Hæc censura ferri non potest, nisi ab habente jurisdictionem ecclesiasticam exteriorem. (C. *Dudum* 1, *De elect.*) Dicitur ibi *persona ecclesiastica*, ad differentiam excommunicationis, et interdicti, quæ etiam in laicos feruntur. Dicitur ibi *ob suam culpam*, quia, quatenus est censura, ferri non potest absque propria culpa saltem veniali, et ad differentiam interdicti, quod ferri potest etiam pro culpa aliena. »

II. « Suspensio dividitur in totalem, et partialem.

Totalis est simul ab officio et beneficio, cujus exemplum habetur in cap. *Tuarum* 11, *De privileg.* et in Clement. 1, *De dec.* Item vel est suspensio totalis ab officio, eaque dicitur, per quam aliquis ab omni officio spirituali, tum ordinis, tum jurisdictionis, et ecclesiasticæ administrationis prohibetur. Totalis vero suspensio a beneficio est, per quam aliquis ab omni beneficio ecclesiastico, quoad ejus administrationem, et fructuum perceptionem suspenditur. Et hinc est quod, quando quis suspenditur determinate ab officio, sive a jure, sive ab homine, non censetur suspendi a beneficio, nisi id exprimatur : quia suspensio ab officio et a beneficio sunt diversæ species suspensionum, ita ut una non contineatur sub altera, nisi utraque exprimatur, ut patet ex cap. *Tam litteris* 33, *De test.*; c. *Tuarum* 11, *De privileg.*; c. 1 *De secund. nupt.*; c. *Quia in omnibus, De usur.*; c. ult. *De clandest. desponsat.*; c, *Cum in cunctis, De elect.*, in quibus juribus una ab altera distinguitur. »

« Partialis suspensio fit, vel a certo tantum officio, aut parte ejus, v. gr. ab ordine tantum, per quam prohibetur ordinatus exercere aliquem actum suo ordini deputatum, et æquipollet suspensioni a divinis (potest autem facere, quæ facit laicus); vel a certo ordine, per quam prohibentur omnes functiones illius ordinis, v. gr. sacerdotalis, vel a certa functione, sive actu ordinis, v. gr. ab audiendis confessionibus, vel celebratione missæ, vel a jurisdictione tantum, ita ut nullum actum jurisdictionis suspensus possit exercere; aut a certo tantum actu jurisdictionis, v. gr. a collatione beneficii, vel voce suffragii in electione, vel demum a certa parte tantum fructuum beneficii, aut distributionum, ut tradunt communiter doctores.» (MONACELLI, *Formularium*, tom. III, *De suspensione*.) Notandum quod suspensus a certo ordine potest alios ordines, a quibus non est suspensus, exercere; item suspensus a certa functione alicujus ordinis, potest alias ejusdem ordinis functiones, a quibus non est suspensus, exercere; idem dic de partiali jurisdictionis vel beneficii suspensione.

III. Præterea quælibet ex prædictis suspensionibus vel est temporalis seu determinata, vel est perpetua seu absoluta. Temporalis seu determinata, quæ potius delicti pœna est, elapso termino pro quo imposita est, cessat absque alia absolutione. Perpetua vero non tollitur nisi per absolutionem. — Alia est *a jure*, alia *ab homine*. Suspensionem *a jure* latam solus conditor juris fert. Suspensionem vero *ab homine* is qui potestatem habet excommunicandi, ferre plerumque potest. Olim episcopus sine capituli consensu non poterat censuram ferre in presbyteros, præsertim c. *Pervenit* 1, *De excess. prælat.* Dispositio autem c. *pervenit* cit, consuetudine abrogata est; videmus enim passim episcopos, non requisito consensu capituli, pœnam suspensionis ferre in clericos.» (SCHAMLZER. *De sent. excom.* n. 271.)

IV. *In quem ferri suspensionis censura possit.* — Suspensio proprie dicta non potest cadere, nisi in clericos. (Communis.) Quilibet clericus, quacunque dignitate fulgeat, suspendi potest, excepto summo

pontifice, adeoque feriri hac censura possunt, 1. Episcopi; sed hi quando decretum suspensionis est universale, illo non comprehenduntur, nisi de ipsis fiat expressa mentio. (C. *Quia periculosum* 4, *De sent. excom.* in 6.) Et idem cavetur de interdicto; porro privilegio isto probabilius gaudent etiam episcopi solum confirmati, non consecrati. — 2. Feriri censura hac possunt religiosi, si clerici sint, et primam saltem tonsuram habeant; nam si istam non habeant, hujus censuræ capaces non sunt. — 3. Suspendi potest communitas clericalis; et hoc verum est sive spectetur, ut est talis communitas, sive quoad personas singulares; exstantque plures ejusmodi suspensiones in jure. Semel suspensus iterum potest suspendi, non solum quando suspensiones sunt diversæ, sed etiam quando sunt ejusdem rationis, si multiplicentur causæ et tituli, sicut de excommunicatione dictum est.» (Id. *ibid.* n. 274 *et* seqq.)

V. *Ob quam causam suspensio in aliquem ferri possit.* — Ut communiter fertur, neque a judice ob culpam levem infligitur, neque in jure ob eamdem solam imposita est. Ita verior sententia. Ratio est, quia suspensio ex se grave malum est, et consequenter gravem culpam supponere debet. — Dixi, *ut communiter fertur;* nam aliquam suspensionem ad breve tempus probabile est a judice infligi posse ob culpam levem, ut plurimi doctores notant. — Suspensio in aliquem ferri nequit ob culpam alienam. Colligitur ex c. *Satis perversum* 7, dist. 56, et cap. *Cognoscentes* 2, *De const.*; ex c. *Quæsivit* 2, *De his quæ fiunt a maj. part. capit.* Ratio est, quia iniquum est innocentem pœnas nocenti debitas sustinere.» (Id. *ibid.* n. 282 et seqq.)

§ II. — Quæ forma servanda sit in ferenda suspensione.

Resp. non esse certam verborum formam præscriptam, sed ex ea requiruntur, quæ sufficienter declarent hunc effectum. — Ut rite feratur, præcedere debet monitio; quia Ecclesiæ constare nequit de contumacia, et inobedientia alicujus, nisi prius illum moneat. Intellige, si inferatur ad correctionem delinquentis; nam si feratur in puram pœnam delicti commissi, monitione non indiget, uti constat ex c. *Tam litteris* 33, *De test. et attest.* et colligitur ex cap. *Romana* 5, *De sent. exc.* in 6. — 2. Debet ferri in scriptis, et exprimi ibi causa ob quam imponitur, insuperque instrumentum debet dari suspenso, si illud expostulet. (Arg. c. *Cum medicinalis* 1, *De sent. excom.* in 6.) Quod si judex hanc constitutionem temere violet, per mensem ab ingressu ecclesiæ, et officiis divinis ipso jure suspenditur; superior vero ad quem recurritur, sententiam sine difficultate relaxare debet, et latorem suspensionis ad expensas et omne interesse condemnare, atque alia animadversione condigna punire. Si sic suspensi celebrant ut prius, fiunt irregulares; nec absolvuntur ab alio quam a papa, (C. *Cum medicinalis* cit.)

§ III. — Quos effectus habeat suspensio.

1. *De suspensione ab officio.*—Potest suspensio ab officio absolute ferri, et potest ferri non absolute, sed determinate ad aliquam materiam; *si hoc secundo modo feratur,* extra illam materiam non extenditur; quia pœnæ non sunt extendendæ ultra verborum proprietatem, et hinc suspensus ab ordine sine alia limitatione potest omnes actus jurisdictionis exercere, qui actualem usum ordinis non requirunt. Consequenter episcopus suspensus ab ordine tantum, potest delegare alteri potestatem absolvendi, quamvis ipse audire confessiones, et a peccatis absolvere nequeat.

Supensus ab ordine episcopali potest tamen exercere actus qui jure ordinario sacerdotibus competere, vel sine pontificalibus exerceri possunt.

Suspensus ab ordine superiore non ideo suspensus est ab ordine inferiore. Suspensus ab ordine inferiore, non obinde prohibetur ab exercitio ordinis superioris, nisi actus istius actum ordinis inferioris, a quo suspensus est, includat, prout actus celebrandi missam in se includit actum canendi Epistolam vel Evangelium; consequenter suspensus ab ordine diaconatus, vel subdiaconatus non potest celebrare missam, ne quod ei una via prohibetur, ad illud alia admittatur contra. Reg. jur. 84, in 6. Contra sacerdos suspensus ab ordine diaconatus potest solemniter baptizare, confessiones audire, benedicere, etc., quia hi actus actum ordinis inferioris, a quo suspensus est, non includunt. »

« Quod si autem *primo modo* seu absolute suspensio feratur ab officio, et nulla interponatur restrictio, suspendit ab omni officio tam ordinis, quam jurisdictionis; quia

hæc omnia nomine officii veniunt. » (SCHMALZGRUEBER. *De sent. excom.*, n. 290 et seq.) Ideoque nullos actus nec ordinis nec jurisdictionis exercere potest; ita suspensus nequit eligi ad beneficium ecclesiasticum; potest tamen retinere et administrare beneficium jam obtentum.

Suspensus ab officio, ordine vel jurisdictione in uno loco, ubique suspensus est, ita ut nullibi possit exercere actus illius potestatis a qua suspensus est, donec absolvatur, quia censura afficit immediate personam, ideoque eam comitatur etiam extra territorium ferentis, nisi aliunde de contrario constet. (Ita doctores apud MONACELLI, t. III *De suspensione*, n. 103.)

Suspensus a minori ordine non potest ad majores ascendere, nisi absolvatur, quia videretur promotus per saltum.» (Id. *ibid.* n. 104.)

Suspensus, nominatim denuntiatus, est vitandus in eo, a quo est suspensus, et in actibus deputatis suis ordinibus, peccatur mortaliter. » (ID. *ibid.* n. 101.)

II. ***Effectus suspensionis a beneficio.*** — Suspensio a beneficio non privat beneficio, sed tantum illius fructibus. Hinc onera beneficii apud suspensum manent, non obstante suspensione; quia illa non ex fructibus perceptis, sed ex beneficio consequuntur.

Si suspensio a beneficio sit absolute lata, suspendit beneficiarium, ab omnibus beneficiis quæ actu possidet, nisi ex intentione ferentis, vel alia circumstantia contrarium colligatur...

Omnium sententia est, suspensum a beneficio privari administratione illius; ideoque omnes actus administrationis, ut vendere fructus, locare, etc., ab ita suspenso facti, nulli sunt et invalidi; quare solet eidem dare œconomum, qui redditus colligat, et eosdem jussu episcopi piis causis applicet, reservatis suspenso alimentis necessariis juxta judicis designationem. Suspensus tamen privabitur fructibus etiam necessariis, si suspensio lata sit in contumaciam, et ipse suspensus delicti pœnitens possit ab ea liberari; tunc enim voluntarie privationem eam sustinet. (SCHMALZGRUEBER. *De sentent. excom.* n. 299 et seqq.)

§ IV. — Quod peccatum committat violans suspensionem, et quam pœnam incurrat.

I. Certum est committere peccatum ex genere suo mortale; quia contemnit Ecclesiæ præceptum, et gravem illius censuram. Dixi *ex genere suo;* nam 1. aliquando ex parvitate materiæ, transgressio potest esse peccatum veniale, ut si suspensus a jurisdictione recipiat unum testem, qui si suspensus ab ordine exerceat officium ordinum minorum; cum enim frequenter istud præstetur etiam a laicis, non videtur grave delictum esse, si fiat a suspenso. — 2. Eximitur a peccato suspensus ab officio non denuntiatus, si ad petitionem aliorum fidelium exerceat officium, a quo suspensus est; nam eo casu, si a suspensione prius absolvi nequit, licite potest ea officia ministrare petentibus ob extrav. *Ad evitanda* Martin. V, in concil. Constant. Aliter se habet cum suspenso denuntiato; nam iste extra urgentissimam causam, etsi a fidelibus postuletur, ea officia, a quibus suspensus est, exercere nequit, cum talis petitio iniqua sit utpote inductiva ad peccatum. (SCHMALZGR. *De sent. excom.* n. 306 et 307.)

II. *Ad secundum* dicendum, ob solam violationem (culpabilem) suspensionis ab ordine, ejus officium solemniter exercendo incurri irregularitatem; quia non habetur in jure, quod incurratur ob violationem suspensionis a beneficio, jurisdictione, etc. et irregularitas non incurritur, nisi in casibus jure expressis. Atque hinc irregularis non fit : 1. Suspensus a jurisdictione, si hanc exerceat, si beneficium conferat, ad illud eligat, sententiam in causa proferat : si parochus matrimonio assistat, etc, quia hæc omnia sunt actus jurisdictionis, vel quasi jurisdictionis, non ordinis exercitium. — 2. Irregularis non est, qui violat suspensionem a beneficio.

III. Alia pœna est, « quod suspensus ab ordine, vel beneficio, scienter (et culpabiliter) violans suspensionem, præsertim celebrando, in perpetuum ab officio et beneficio deponendus est, ut deciditur c. *Statuimus* 1, *De elect.* in 6, et c. *Clerici* 3; c. *Lator* 4, tit. XXVII *De cleric. excom. ministr.*, lib. V, *Decretal.* Imo quod sit excommunicandus, propter actus celebrandi dignitatem, ex pluribus probat Sayr. *De censur.* lib. IV, cap. 11, 12, 13 et 14. » (MONACELLI, tom. III, *De suspensione*, n. 102; et habetur in c. *Si quis presbyter* 2, tit. XXVII, lib. V *Decretal.*)

IV. Præter irregularitatem violantibus suspensionem statutum est, ut actus a suspenso præstitus sit nullus et irritus. Pœna autem hæc locum duntaxat habet in iis quæ ab Ecclesia pendent, uti est juris-

dictio, et beneficium : in his ergo suspensus, si beneficium administret, et jurisdictionem exerceat, invalidum actum facit, modo denuntiatus sit tanquam suspensus; quia facta denuntiatione, privatur potestate omnimoda actus illos exercendi ; unde non potest eligere, et est incapax beneficii ecclesiastici, et provisio ei facta nulla est. (C. *Cum dilectus* 8, ibique gloss. *De consuet.*, etc.) Ante denuntiationem solum impeditur ab illorum exercitio, dum a fidelibus non requiritur; quando autem a fidelibus requiritur, valide et licite illos actus exercet, ideoque necessarium est ut jurisdictionem retineat. » (SCHMALZGR. *De sentent. excom.* n. 309.) — Actus tamen ordinis exerciti a suspenso denuntiato validi sunt (excepta absolutione sacramentali, quæ jurisdictionem requirit) quia horum actuum valorem Ecclesia impedire non potest, si debito modo agantur.

§ V. — Quomodo tolli suspensio possit.

I. Suspensio lata pro determinato tempore, vel sub aliqua conditione, si lapsum sit tempus, aut impleta conditio, cessat absque ulla absolutione. — Intermedio autem tempore, seu ante impletam conditionem tolli suspensio talis per dispensationem potest ab eo, qui eam tulit, vel ab hujus superiore, aut successore, non autem ab inferiore. Adeoque si lata sit a jure communi ad certum tempus tollere illam, aut relaxare solus pontifex potest ante tempus finitum. Ratio est, quia alias intentio pontificis frustraretur.

II. Suspensio a jure absolute lata ad comprimendam alicujus contumaciam, seu in illius correctionem, relaxari seu absolvi potest ab episcopo, vel ejus vicem gerente, modo pontifex absolutionem sibi non reservaverit, et suspensus recesserit a contumacia. (Ita ex c. *Nuper* 29, *De sent. excom.;* et apertius ex c. *Ex litteris* 11, *De constit.*) — Suspensio absolute a jure lata in puram delicti pœnam absque temporis determinatione, ab episcopo tolli non potest, juxta gravissimos doctores. — Benignior tamen, et forte probabilior est contraria sententia, quam etiam docuit Glossa in Clement. 1, *De hæret.*, etc.; et in praxi est sequenda, juxta Monacelli, tom. III, *De suspens.* n. 109. Poterit igitur ab hac suspensione absolvere. Imo de jure novo Trident. sess. 24, c. 5, *De reform.* possunt episcopi per se, vel per suos vicarios a qualibet suspensione a jure, vel ab homine generaliter lata absolvere, vel dispensare, modo ex delicto occulto proveniat, neque ad forum contentiosum deducta sit. Similem facultatem habent ex privilegio aliqui confessarii regulares.

III. A suspensione lata ab homine regulariter absolvere potest solus ille qui eam tulit, vel ejus successor, aut delegatus, ne ejus auctoritas contemnatur. Excipiuntur duo casus; et 1° quidem, si inferior sententiam tulit absque solemnitate requisita. (C. 1, *De sent. excom.* in 6.) Quia eo casu potest superior prædictam sententiam relaxare, si ad ipsum recursus fiat. — 2° Si appellatio facta sit ab inferioris sententia. (C. *Ad reprimendam* 8, *De ordin.;* c. *Per tuas* 40, *De sent. excom.;* c. *Venerabilibus* 7, eod. in 6.) — (SCHMALZGR. *De sent. excom.* n. 314 et seqq.)

IV. A suspensione reservata pontifici, nemo absolvere potest nisi papa, aut ab eo delegatus.

V. Ex necessitate, seu præcepto nulla est determinata forma absolvendi a suspensione, sed illa sufficiens erit, quæ sufficienter absolventis intentionem exprimit. Communiter usitata est : *Ego te absolvo a vinculo suspensionis, quam incurristi ob talem causam, et restituo te executioni ordinis, officii, vel beneficii in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

V. Quoad suspensionis validitatem, justitiam, etc., vide quod dictum est supra de validitate vel invaliditate censuræ, etc.

§ VI. — Suspensiones a jure latæ et ipso facto incurrendæ.

I. *Contra episcopos.* — 1. Ordinantes ad sacros ordines religiosos non professos. (S. PIUS V. const. *Romanus pontifex.*) — 2. Ordinantes monachum sine licentia abbatis. (C. *Si quis*, dist. 58.) — 3. Ordinantes non subditum absque licentia ordinarii, suspensi sunt a collatione ordinum per annum. (*Trident.* sess. 23, c. 8, *De reform.*) — 4. Conferentes ordines simoniace, suspensi sunt a collatione ordinum per triennium. (C. *Si quis* 45, *De simon.*, lib. v *Decretal.*) — 5. Conferentes clericalem tonsuram infanti, aut illitterato vel conjugato, per annum a clericalis tonsuræ collatione suspenduntur. (C. *Nullus* 4, tit. IX, lib. I, in 6.) —

6. Conferentes ordines suspenso propter malam promotionem : *Ordinationis jus ulterius non habebunt*. (C. *Si qui episcopi* 43, causa 1, quæst. 1.) — 7. Privantes beneficiis eos qui in Romana curia commorantur, ipso facto excommunicantur, suspenduntur et interdicuntur et nequeunt absolvi, nisi a Romano pontifice. (Extrav. *Divina* 3 Eugen. IV, *De privilegiis*, inter com.) — 8. In proprium usum convertentes bona beneficiorum vacantium pertinentium ad eorum provisionem, interdicuntur ab ingressu ecclesiæ quousque restitutionem fecerint. (C. *Præsenti* 9, tit. xvi, lib. i *Decretal.* in 6.) — 9. Submittentes laicis bona et jura Ecclesiæ absque consensu capituli et sedis apostolicæ licentia, ipso facto ab officio et administratione triennio suspensi sunt; et clerici hujus Ecclesiæ qui scientes contra inhibitionem prædictam aliquid esse præsumptum id superiori (id est papæ) denuntiare neglexerint, a perceptione beneficiorum quæ in Ecclesia obtinent sic gravata triennio etiam suspensi sunt ipso jure. (*Conc. Lateran. general.* sub Gregor. X, relat. in cap. *Hoc consuetissimo* 2, tit. ix, lib. iii *Decretal.* in 6.) — 10. Alienantes bona Ecclesiæ ultra triennium, ab ingressu ecclesiæ sint penitus interdicti, et si per sex menses immediate sequentes, sub interdicto hujusmodi perseveraverint, lapsis mensibus eisdem, a regimine et administratione suæ ecclesiæ in spiritualibus et temporalibus sint eo ipso suspensi. (Extrav. *Ambitiosæ* Paul. II, in septim. *Decretal.* lib. i, tit. vii.) — 11. Admittentes resignationes beneficiorum contra formam præscriptam in const. sancti Pii V *Quanta*, in c. 3, tit. xiv, lib. i *Decretal.* in septimo. A beneficiorum et officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione, et institutione, tandiu suspensi remaneant, donec remissionem a Rom. pont. meruerint obtinere; et qui nihilominus sic suspensi, conferre, eligere, etc., ausi fuerint, excommunicantur ipso facto. — 12. In causa alienationis bonorum Ecclesiæ male utentes delegata potestate. (Paul. II, const. *Cum omnibus*.) — 13. Intromittentes se in causis spectantibus ad electionem episcoporum, postquam appellatum est ad papam, suspensi sunt per annum ab episcoporum confirmatione et consecratione. (C. *Quamvis* 10, et c. *Provida* 44, *De electione*, in 6.) — 14. Negligentes procedere contra simoniacos duobus mensibus excommunicationi subjaceant. (C. *Quidquid* 101, causa 1, quæst. 1.) — 15. Foventes usuras, et usurariis locantes domos suas, ipso facto suspensi sunt. (C. *Usurarium* 1, tit. v, lib. v *Decretal.* in 6.) — 16. Delinquentes contra clericorum immunitatem, procurantes capi viros ecclesiasticos, vel ut citati non vadant ad curiam, præter pœnam excommunicationis, a perceptione fructuum suarum ecclesiarum triennio sint suspensi. (C. *Multorum* 2, tit. viii, *De pœnis*, lib. v *Clement.* 6.) — 17. Accedentes ad ecclesias, ad quas fuerunt promoti, nondum expeditis litteris apostolicis suæ promotionis, præter suorum actorum nullitatem, privantur ecclesiarum proventibus, et suspensi sunt a beneficiorum perceptione donec super hoc apost. sedis gratiam meruerint obtinere. (C. *Injunctæ* 1, *De elect.* tit. iii, lib. i *Extravag. com.*) — 18. Abutentes munere inquisitorum in causis fidei vel malitiose insontibus pravitatem imponendo, vel omittendo procedere contra quemquam, ubi fuerit procedendum, suspensionis ab officio per triennium sententiam eo ipso incurrant. (Clemens V, in concil. Viennensi, relatum in cap. *Multorum* 1, tit. iii *De hæret.* lib. v *Clementin.*) — 19. Non servantes extravagant. 2, *De elect.*, quoad perceptionem fructuum 1 vel 2 anni, eo ipso a pontificalibus et ingressu ecclesiæ sint suspensi. (Extrav. Joan. XXII, *Suscepti* 2, *De elect.*) — 20. Relaxantes incendiariis pœnam contentam in jure, damnum restituant, et per annum ab officio episcopali abstineant. (Innocent. II, cap. *Pessimam* 32, causa 23, quæst. 8.) — 21. Publicantes simoniace populo indicem casuum, gratiarum et indulgentiarum. (S. Pius V, const. *Quam primum.*) — 22. Concubinarios a synodo provinciali admonitos, et non se emendantes, ipso facto sunt suspensi. (*Trident.* sess. 25, cap. 14, *De reform.*) — 23. Non visitantes limina apostolorum statutis temporibus, ab ingressu ecclesiæ, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, necnon a perceptione fructuum suarum ecclesiarum a capitulis earum interim libere exigendorum,... ipso facto, elapso respective termino tandiu sunt suspensi, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis a sede apostolica merue-

rint obtinere. (SIXTI V const. *Romanus pontifex.*) — 24. Ingredientes monasteria monialium sine necessitate, et non cum paucis, iisque senioribus ac religiosis personis, uti expresse præscribit Gregorius XIII, const. *Dubiis*, in qua transgressores pro secunda vice, munere pontificali et a divinis suspendit. — 25. Publicantes indulgentias et facultatem eligendi confessarios solventibus aliquid. (PIUS V, const. 99.)

II. *Contra capitula seu capitulares.* — 1. Recipientes prælatos, eisque obedientes absque litteris pontificiis. (Extrav. *Injunctæ* 1, *De elect.*) — 2. Recipientes ex pacto in ingressu ad religionem ab admisso prandia, pecunias aut jocalia. (Extrav. *Sane*, *De simon.*) — 3. Occupantes bona a prælato dimissa vel vacationis tempore obvenientia. (C. *Quia sæpe*, *De elect.* in 6.) — 4. Recipientes ad professionem ante annum probationis. (C. *Non solum*, *De regularibus*, in 6.) — 5. Non facientes conscientiam pœnitentibus de solvendis decimis. (Clement. *Cupientes*, *de pœnis.*) — 6. Recipientes ad ordines sacros non professos. (S. PII V const. *Romanus pontifex.*) — 7. Introducentes mulieres in monasteria. (S. PII V const. *Regularium.*) — 8. Non observantes in resignatione beneficiorum contenta in const. S. PII V, *Quanta.* — 9. Usurpantes decimas sibi non convenientes. (Clement. 1, *De decimis.*)

III. *Contra clericos.* — 1. Recipientes ordines sacros ante legitimam ætatem suspensi sunt usque ad ætatem legitimam. (C. *Vel non est compos* 14, tit. II, lib. I *Decretal.*) — 2. Recipientes tales ordines extra tempora absque dispensasione. (S. PIUS V, const. *Cum ex sacrorum.* — 3. Recipientes ipsos ordines, non servatis interstitiis sine dispensatione, donec a sancta sede restitutionis gratiam consequantur. (C. *Cum quidam* 8, et cap. *Litteras* 13, tit. XI, lib. I *Decretal.*) — 4. Recipientes ordines ab alieno episcopo sine licentia proprii a susceptorum ordinum exsecutione quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sint suspensi. (*Trident.* sess. 23, c. 8 *De reform.*) — 5. Recipientes sacros ordines ab eo qui renuntiavit episcopatui exsecutionem officii non habebunt. (C. *Requisivit* 1, tit. XIII, lib. I *Decretal.*) — — 6. Recipientes ordines a proprio episcopo in aliena diœcesi sine licentia episcopi loci, ab exsecutione ordinum sint ipso jure suspensi. (*Trident.* sess. 6, cap. 5 *De reform.* — 7. Recipientes ordines ab episcopo titulari absque licentia proprii episcopi, etiam prætextu familiaritatis, ab exsecutione ordinum sic susceptorum, donec suo prælato visum fuerit, ipso jure sint suspensi. (*Trident.* sess. 14, cap. 2 *De reform.*) — 8. Recipientes ordines a schismaticis suspensi sunt donec absolvantur. (C. 1 et 2, *De schismat.* lib. V *Decretal.*) — 9. Recipientes ordines scienter ab excommunicato vel suspenso, suspensi sunt donec absolvantur. (C. 1 et 2, *De schismat.* lib. V *Decretal.*) — 10. Recipientes ordinem sacrum post matrimonium ratum, etiam non consummatum, nec in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines provehi, nec ad aliquod beneficium vel officium ecclesiasticum valeant promoveri, nisi aliquam de religionibus probatis canonice profiteantur, quo casu diœcesanus super præmissis cum eis dispensare valet. — (C. *Antiquæ*, tit. VI *De voto*, extravag. JOAN. XXII.) 11. Recipientes ordines dum sunt excommunicati, suspensi aut interdicti, suspensi sunt et nequeunt absolvi nisi a sancta sede. (C. *Cum illorum* 32, tit. XXXIX *De sent. excom.* lib. V *Decretal.*) — 12. Ordinati sine vel ficto titulo, sine dispensatione, absolute suspensi sunt. (C. *Neminem* 1; et c. *Sanctorum* 2, dist. 70.) — 13. Ordinati in majoribus cum litteris dimissoriis capituli. sive ejus vicarii sede vacante, infra annum ab exsecutione ordinum, ad beneplacitum futuri prælati, sint ipso jure suspensi. (*Trident.* sess. 7, c. 10, *De reform.*) — 14. Promoti per saltum, si non ministraverint cum eis, episcopus ex legitima causa potest dispensare. (*Trident.* sess. 23, c. 14 *De reform.*) Si ministraverint, ob irregularitatem ad S. sedem recurrendum est. — 15. Objicientes in personam electi, et postea deficientes in probatione, a beneficiis ecclesiasticis triennio noverint se suspensos. (C. *Statuimus* 1, *De elect.* lib. I *Decretal.* in 6.) — 16. Celebrantes coram excommunicato, vel interdicto; vel tales admittentes ad sacramenta et sepulturam ecclesiasticam, ab ingressu ecclesiæ interdicuntur, donec satisfecerint competenter, ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt. (C. *Episcoporum* 7, tit. VII *De privileg.*, lib. V, in 6.) — 17. Parochi non prohibentes matrimonia clandestina vel contra interdictum Ecclesiæ, per triennium ab officio suspenduntur. (C. *Cum inhibitio* 3,

tit. III, *De clandest. spons.*, lib. IV *Decretal.*)— 18. Parochi vel sacerdotes quicunque jungentes sponsos alterius parochiæ sine licentia, suspensi ipso jure tandiu maneant, quandiu ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvantur. (*Trident.* sess. 24, cap. 1, *De reformat.*) — 19. Tradentes sepulturæ publicos usurarios, vel ad communionem eosdem admittentes, donec ad arbitrium episcopi sui satisfaciant, ab officii sui maneant exsecutione suspensi. (C. *Quia in omnibus* 3, tit. XVIII *De usuris*, lib. V *Decretal.*) — 20. Abutentes vestibus contra statuta a jure, per sex menses a perceptione fructuum beneficiorum, suspensi sint, et si non fuerint beneficiati, per idem tempus eo ipso inhabiles sint ad beneficium ecclesiasticum obtinendum. (C. *Quoniam* 2, tit. I, lib. III, Clementin.) — 21. Occupantes bona ecclesiarum vacantium, vel a prælatis ipsarum defunctis relicta, eo ipso sint, et tandiu maneant ab officio et beneficiis quibuscunque suspensi, donec plene restituerint, quidquid de bonis perceperint supradictis. (C. *Quia sæpe* 40, tit. VI, *De elect.* lib. I *Decretal.* in 6.) Et videntur etiam cadere sub pœnis casus sequentis. — 22. Occupantes bona, census, etc., ecclesiæ, beneficii vel alterius pii loci, et occupantibus consentientes, anathemati tandiu subjaceant, quandiu jurisdictiones, bona, res, etc., integre restituerint, ac deinde a Romano pontifice absolutionem obtinuerint; necnon quibuscunque beneficiis privati sint, et ad quæcunque alia beneficia inhabiles efficiantur, et a suorum ordinum exsecutione, etiam post integram satisfactionem et absolutionem, sui ordinarii arbitrio suspendantur. (*Trident.* sess. 22, cap. 11, *De reform.*) — 23. Electores episcoporum non præsentantes electionem electo intra octo dies, ab omnibus beneficiis suis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium eo ipso sint suspensi. (C. *Cupientes* 16, *De elect.* lib. I, in 6.) — 24. Eligentes indignum ad episcopatum vel curam animarum, ab ecclesiasticis beneficiis et eligendi potestate triennio suspensi sunt. (C. *Cum in cunctis* 7, tit. VI *De elect.*; lib. I *Decretal.*) — 25. Postulantes in prælatos cathedralium minores XXVIII annis, ab eligendi potestate privati, ac beneficiis per triennium suspensi sint. (Extrav. com. *Dispendiis*, tit. II *De postulat.*) — 26. Compromissarii scienter eligentes indignum, a beneficiis triennio suspensi sunt. (C. *Si compromissarius* 37, tit. VI *De elect.* lib. I, in 6.) — 27. Celebrantes electionem per abusum sæcularis potestatis, ab officiis et beneficiis penitus suspenduntur per triennium, eligendi tunc potestate privati, et sic electus ineligibilis est ad quamcunque dignitatem, si consentiat hujusmodi electioni. (C. *Quisquis* 43, tit. VI *De elect.* lib. I *Decretal.*) — 28. Inferiores episcopis recipientes in visitationibus procurationem in pecunia, vel in victualibus, visitationis officio non impenso, ab officio et beneficio suspensi sunt, quousque de duplo plenariam satisfactionem impendant. (C. *Exigit* 2, tit. XX *De censibus*, lib. III *Decretal.* in 6.) — 29. Facientes in judicio per sordes aliquid contra justitiam et conscientiam in gravamen partis, condemnandi sunt parti læsæ in æstimationem litis, et per annum sunt suspensi et perpetuo, si medio tempore ingerant se divinis, nisi papa cum ipsis dispenset. (C. *Cum æterni* 1, tit. XIV *De sent. et re judic.* lib. II, in 6.) — 30. Conferentes beneficia eorum, qui serviunt vel manent in curia, vel eadem recipientes, excommunicati, suspensi et interdicti sunt ipso facto, et nequeunt absolvi nisi a papa. (C. *Divina* 3, tit. VII *De privilegiis*, lib. V *Extrav. com.*) — 31. Conservatores regularium se intromittentes in aliis quam manifestis injuriis, eo ipso per unum annum ab officio sunt suspensi. (C. *Hac constitutione* 15, tit. XIV *De offic. delegat.* lib. I, in 6.) — 32. Gravantes alienis debitis ecclesias sibi commissas, etiamsi sint prælati, ab administratione spiritualium et temporalium absolute sunt suspensi, et ecclesia non tenetur. (C. *Si quorumdam* 2, tit. XXIII, *De solutionibus*, lib. III *Decretal.*) — 33. Concubinarios notorios, suspensi sunt et vitandi. (C. *Quæsitum* 10, tit. II *De cohabit. cleric. et mulier.* lib. III *Decretal.*) — 34. Sodomiam exercentes. (S. PIUS V, const. 5 et 72 *In ordine.*) — 35. Consequentes ordines simoniace, et simoniam aliter committentes. (S. PIUS V, const. *Cum primum*, et extrav. PAULI II, *De simonia.*) — 36. Provocantes ad duellum vel illud acceptantes de rigore juris sunt merito deponendi; poterit tamen cum eis circa habendum beneficium dispensari. (C. 1 et 2, tit. XIV, *De cleric. pugnant. in duello*; lib. V *Decretal.*) — 37. Sponte jurantes de tenendo schismate, a sacris or-

dinibus, et dignitatibus manent suspensi. (C. *Quod a prædecessore* 1, *De schism.* lib. v *Decretal.*) — 38. Raptores mulierum et ad raptum auxilium præbentes « de proprio gradu decidant. » (*Trident.* sess. 24, c. 6, *De reform. matrim.*) — 39. Disputantes de immaculata conceptione B. M. V. (S. Pii V, const. *Super specula*); aut impugnantes illam (Gregor. XV, const. 29, *Sanctissimus*); et post Pii IX, bullam *Ineffabilis*, tanquam hæretici puniuntur. — 40. Recipientes et admittentes prælatos promotos a sede apostolica eisque obedientes sine litteris papæ, tandiu sunt a beneficiorum suorum suspensi, donec super hoc sanctæ sedis gratiam meruerint obtinere. (C. *Injunctæ* 1, tit. III *De elect.* lib. I *Extravag. comm.*) — 41. Superiores ecclesiarum non exigentes singulis annis rationes de adimplemento onerum missarum. (Innocent. XII, const. *Nuper a congregatione.*) — 42. Celebrantes missam, et in ea non communicantes, a communione anno uno suspensi sunt. (C. *Relatum* 11, dist. 2, *De consecrat.*)—43. Non perficientes sine gravi causa missam jam inchoatam, a sacro corpore et sanguine Domini nostri J. C., sint suspensi. (C. *Nullus episcopus* 57, dist. 1, *De consecrat.*)

IV. *Contra religiosos.* — 1. Recipientes alumnos ad professionem ante annum probationis. (C. *Non solum* 2, *de regular.* tit. XIV, lib. III, in 6.) — 2. Non deferentes habitum a regula statutum. (Clement. 1, *De statu monach.*) — 3. Apostatas in apostasia ordines suscipientes. (C. fin. *De apostat.*) — 4. Non professos recipientes ordines sacros. (S. Pii V const. 75.) —5. Ejectos a religione. (Urban. VIII, const. 26, § 10.) — 6. Introducentes mulieres intra clausuram conventuum. (S. Pii V, const. 20.) — 7. Appropriantes sibi et usurpantes decimas ipsis non convenientes. (Clement. 1, *De decimis.*) — 8. Superiores concedentes redditus aut possessionem monasteriorum alicui ad vitam, seu aliud certum tempus, nisi necessitas exposcat. (Clement. *De rebus Eccles. non alien.*) — 9. Superiores non exigentes singulis annis a deputatis pro libris missarum rationem de adimplemento totali onerum earumdem. (Innocent. XII, const. *Nuper a congregatione.*) — 10. Superiores, ad quos occasione excessuum suorum religiosorum bona aliqua pervenerint, non satisfacientes personis damnificatis. (Clement. 1, *De privilegiis*, § *Quibus.*)

CAPUT IV.

De interdicto.

§ I. — Quid et quotuplex sit interdictum.

I. Tertia censura est interdictum, per quem prohibetur participatio certorum sacramentorum, omnium divinorum officiorum, et ecclesiasticæ sepulturæ, ut colligitur ex c. *Non est vobis* 11, tit. I, *De sponsal. et matrim.* lib. IV *Decretal.*; c. *Quod in te* 11, tit. XXXVIII *De pœnit. et remiss.* lib. V *Decretal.*) quod dividitur in locale et personale.

II. *Locale* est, quo immediate locus ipse interdicitur, ne ibi divina celebrentur, vel audiantur, sive ab indigenis, sive ab alienigenis. Et subdividitur in generale, et particulare.

Generale est, quo interdicitur locus generaliter, id est plura loca complectens, ut regnum, provincia, civitas, castrum, juxta c. *Cum in partibus* 17, tit. XL, *De verbor. signifìcat.* lib. V *Decretal.* In hoc interdicto generali, interdicuntur omnes ecclesiæ etiam cathedralis, omnes capellæ, et omnia loca sacra; si interdicitur civitas, interdicuntur etiam suburbia illius, et ædificia continentia, quando ita propinqua sunt, ut pro audiendis divinis absque gravi difficultate populus eo se recipere possit. (Schmalzgr. *De sent. excom.* n. 326.)

Interdictum vero *locale particulare* est quo interdicitur locus unus particularis, vel plures, v. gr. ecclesia parochialis, vel plures ecclesiæ particulares; tunc enim virtute sunt plura interdicta particularia cum non interdicatur unus locus communis. Sed, interdicta aliqua ecclesia, interdictæ censentur capellæ illius, et cœmeterium contiguum. Interdicto autem cœmeterio, vel capella per speciale aliquod interdictum, nullatenus censeri debet interdicta ecclesia. (Id. *ibid.* n. 329.)

Interdictum locale omnes tam sæculares quam regulares, tam incolæ, quam exteri, tam exempti quam non exempti observare tenentur, si speciali privilegio super eo non sint muniti. (C. *Auctoritate* 4; et c. *Licet* 11, tit. VII *De privileg.* lib. V *Decretal.* in 6.) Imo illud observare debet etiam is, qui interdictum locale apposuit. (Schmalzgr. *ibid.* n. 332.) — Interdictum locale semper secum fert interdictum personale, illorum

scilicet qui causam dederunt interdicto; nam hi specialiter sunt interdicti, ita ut neque in loco interdicto, neque alibi divina participare possint, cum tamen alii, qui interdicto locali causam non dederunt, interesse divinis extra locum interdictum possint, ut habetur c. *Si sententia* 16, *De sent. excom.* in 6.

III. interdictum personale est, quo immediate interdicuntur ipsæ personæ, non locus, et tunc illæ personæ nec hic nec alibi possunt percipere sacramenta, nec exercere functiones sacras per interdictum prohibitas. Similiter dividitur in generale et particulare; *generale* est, quo interdicitur aliqua communitas, prout est unum corpus politicum, v. gr. populus unius provinciæ, civitatis, vel pagi: item universitas, collegium, capitulum, sub quo comprehenduntur omnia membra et innocentes, nisi specialiter eximantur, vel a loco interdicto discedant. — Interdictum vero *personale particulare* est cum persona particularis interdicitur, vel etiam plures personæ, v. g. omnes et singuli qui consulem occiderunt, vel aliud facinus patrarunt, quanquam ignoti sint.

Excipiuntur autem ab interdicto generali personaliter lato: 1. Episcopi, nisi de ipsis fiat expressa mentio. (C. *Quia periculosum* 4, *De sent. excom.*, in 6.) — 2. Infantes doli nondum capaces et amentes. — 3. Qui a populo recedunt alibi domicilium constituri. — 4. Exteri, etsi diu in populo habitent, ut scholastici et mercatores. — 5. Interdicto populo, clerus non censetur interdictus, nec contra, interdicto clero, populus. — Interdicto clero alicujus ecclesiæ non hoc ipso talis ecclesia interdicta censetur: ut proinde id non obstet, quominus in tali ecclesia divina celebrare alii clerici, eaque audire laici possint. (Glossa, in c. *Si sententia* 16, *De sent. excom.* in 6.

IV. Item datur interdictum mistum, quo immediate, et locus, et personæ interdicuntur, v. gr. civitas, et ejus incolæ.

§ II. — Quis possit interdictum ferre.

I. Hæc quoque censura interdicti, vel fertur a jure, vel ab homine. Sed minister interdicti est, qui jurisdictionem in foro contentioso habet: et regulariter, qui sententiam excommunicationis et suspensionis ferre potest, etiam interdicere potest. — In specie interdicere possunt: 1. Papa, ejus legatus, nuntius, delegatus, subdelegatus. — 2. Episcopus etiam non consecratus, et quicunque alii qui jurisdictionem quasi episcopalem in subditos suos habent. — 3. Capitulum sede vacante, medio vicario a se electo juxta Trident. sess. 24, cap. 16 *De reform.* — 4. Prælati religiosorum, cum limitatione tamen; nam etsi religiosos sibi subditos ligare possint interdicto personali, non tamen locali loca sibi subjecta.

III. Interdictum generale, personale, vel locale, nullo modo in jure fertur, nec ferri ab alio potest, quam a pontifice, ob culpam quantumvis gravem alicujus privatæ personæ, nisi ea culpa sit culpa capitis, vel communitatis. (Arg. cap. *Non est vobis* 11, *De sponsal. et matrim.* lib. IV *Decretal.*)

In aliis casibus interdictum ferre possunt omnes supradicti, modo non sint suspensi vel excommunicati, nam si suspensi vel excommunicati, non denuntiati quidem illicite, denuntiati vero etiam invalide, sententiam interdicti ferunt, eo quod post denuntiationem careant jurisdictione. Præterea non possunt ferre interdictum nisi in personas et loca, quæ suæ jurisdictioni subjiciuntur.—Ut autem episcopus clericos sibi subjectos interdicto subjicere possit, de juris rigore debet habere consensum capituli, ut colligitur ex c. *Pervenit* 1, *De excessibus prælat.*; c. *Novit* 4, et seqq. *De his, quæ a præl.*; c. *Cum in cunctis* 1, *De his quæ a major. part. capitul.* — Consuetudine tamen ubique recepta nunc capituli consensus etiam ad interdicendos clericos non requiritur. (SCHMALZGR. *De sent. excom.*, n. 342.)

§ III. — Ob quas causas ferri possit interdictum.

I. Finis interdicti est culpæ emendatio, seu punitio. Culpa autem ista debet esse peccatum mortale, quia interdictum est pœna gravissima, et cum etiam innocentes quandoque feriat, gravior aliquo modo, quam excommunicatio: et hinc ob solum peccatum veniale ferri non potest. — Intelligi autem hoc debet, si interdictum sit absolutum, et integrum; nam si partiale, et ad breve tempus, ob culpam venialem injungi potest; quia est levis pœna, et facile amovibilis. (SCHMALZGR. *De sent. excom.* n. 346.)

II. Pro delicto a capite vel communitate commisso in retinendo ære alieno non potest interdictum locale nec *generale* nec *partiale* ferri absque speciali summi pontificis licen-

tia; quia ita expresse cautum est in extravag. 2), *Inter communes, De sent. excom.*, quam confirmavit Clemens VIII in bulla *Licet ea*, edita IX Kalend. Junii 1530.)

Interdictum *generale personale* probabilius nec ipsum ob æris alieni retentionem, a capite communitatis factum, imponi potest.— *Speciale personale* pro debito pecuniario ferri quidem potestate ordinaria potest in personam quæ est in culpa; nam contrarium nullibi cautum est. (SCHMALZGR. *ibid.* n. 347 et 348.)

§ IV. — Quæ sit forma servanda in impositione interdicti.

Resp. nullam esse præscriptam; conseq. ea sufficit, quæ voluntatem imponentis exprimat. Ut vero licite imponatur, debet ferri in scriptis, et ibi exprimi causa ob quam fertur, et exemplar tradi intra mensem, si petierit; alioquin interdicens ab ingressu Ecclesiæ per mensem erit ipso jure suspensus.

§ V. — Qui sint effectus interdicti.

Quatuor enumerantur:

I. *Primus effectus* est privatio activa et passiva sacramentorum. (C. *Responso* 43, *De sent. excom.*, et cap. *Si sententia* 16, eod. in 6.) Unde, extra periculum mortis, prohibitum est tempore interdicti sacramentum Eucharistiæ recipere aut ministrare, exceptis iis, qui speciale privilegium habent; et sententia communior tenet, quod non licet etiam clericis sumere Eucharistiam in Paschate, quamvis in illa die, concessum sit divinis interesse. — Sacramentum extremæ unctionis, tempore interdicti, nec administrari nec recipi posse, colligitur ex c. *Quod in te* 11, tit. XXXVIII, *De pœnit. et remis.* lib. V *Decretal.*, nisi haberet quis speciale privilegium. Sicuti certum est sacramentum ordinis conferri non posse. (C. *Non est vobis* 11, tit. I *De sponsal. et matrim.*, lib. IV *Decretal.*)

Sed sacramenta baptismi, confirmationis, et pœnitentiæ licite conferri et recipi possunt tempore interdicti, uti colligitur ex c. *Quoniam* 19, c. *Alma mater* 24, tit. XI, *De sent. excomm.* lib. V, in 6. Ad illa tamen recipienda non admittuntur hi qui dolo, fraude, vel culpa sua, causam dederunt interdicto, vel consilium dederunt, vel præbuerunt favorem ad patrandum delictum propter quod interdictum est impositum, neque illi qui personaliter et specialiter sunt interdicti; iis, inquam, non conferuntur, nisi prius pro delicto satisfaciant, vel de satisfaciendo pignoratitiam vel fidejussoriam dent cautionem; ut præcipitur ex c. *Alma mater* cit., sacramentum matrimonii valide et licite contrahitur tempore interdicti, sed benedictio nuptialis non datur. Neque etiam ministri Ecclesiæ specialiter interdicti possunt ullum sacramentum administrare extra casum necessitatis, nisi prius absolvantur. (MONACELLI.) *De interdicto* tom. III; SCHMALZGR. *De sent. excom.* n. 351 et seqq.)

II. *Secundus effectus* est privatio activa divinorum officiorum. (C. *Permittimus* 57 *De sent. excom.* lib. V *Decretal.*) Divina officia, quæ tempore interdicti prohibentur; sunt quæ sacro ordini annexa sunt, et præsertim celebratio publica missæ, orationes publicæ ab Ecclesia institutæ, ut sunt horæ canonicæ in choro (etiam pro monialibus), quæ nomine ecclesiæ a clericis cantantur, vel recitantur; exsequiæ funerales; processiones publicæ cum cruce et superpelliceis, cum solitis precibus a presbyteris recitandis: omnes sacræ benedictiones ab Ecclesia institutæ, et quæ ejus nomine, et ritu præscripto fiunt a suis ministris, ut sunt sacramentalia, videlicet, benedictio solemnis episcopi, solemnis aspersio aquæ lustralis, benedictio nuptiarum, templi, vasorum sacrorum, corporalium, fontis baptismi, collatio primæ tonsuræ, professio solemnis in religione, etc.

Estque notandum, quod, licet tempore interdicti generalis, possint a clericis celebrari missæ, aliaque officia divina, submissa voce, januis clausis, et non pulsatis campanis, juxta permissum c. *Permittimus*, cit. et c. *Alma mater*, *De sent. excom.* in 6, cit., non tamen possunt, nec debent admitti ad audiendas missas, et alia officia divina laici, quamvis essent domestici clericorum, quia illis nihil est concessum, etiamsi tales laici non sint personaliter interdicti, et est sententia communis, nisi sacerdos celebraturus non posset habere ministrum clericum; tunc enim posset adhibere ministrum laicum specialiter non interdictum.

Possunt tamen laici in ecclesia preces privatas fundere, ubi divina officia non fiunt; et in festivitatibus Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, et Assumptionis B. Mariæ Virginis (exclusis specialiter interdictis, et his, qui causam dederunt inter-

dicto) licite interesse divinis, non tamen Eucharistiam sumere. (Ex c. *Alma mater* cit.) — Notandum secundo, quod non omnes clerici tempore interdicti, admittendi sunt ad divina: nam admitti non debent, qui aliquo modo fuerunt culpabiles, et causa interdicti, quia isti specialiter interdicti sunt. Item non debent admitti clerici conjugati.

III. *Tertius effectus* est privatio activa et passiva ecclesiasticæ sepulturæ. (C. *Quod in te* 11, *De pœnit. et remissione;* c. *Cum et plantare* 3, *De privileg.*; et c. *Episcoporum* 8, eod, in 6; et c. *Alma mater*; c. *Si civitas, De sent. excom.*, in 6.) Certum est, tempore interdicti generalis, aut specialis, personalis, aut localis, si simpliciter latum sit absque restrictione, ecclesiasticam sepulturam in loco sacro fidelibus prohiberi, et etiam clericis interdictis. — Clerici tamen specialiter non interdicti, qui interdictum servaverunt, nec illi causam dederunt, nec illicita divini officii celebratione illud violarunt, possunt in cœmeterio, ac etiam in ecclesia sepeliri ; cum silentio tamen, sine pulsatione campanarum, et absque ulla solemnitate; ex juribus allatis.

IV. *Quartus effectus* est privatio ab ingressu ecclesiæ. (C. *Sacro* 48, *De sent. excom.* lib. v *Decretal.* ; c. *Is cui* 20, eod. in 6.) « Ille, cui interdictus est ingressus ecclesiæ, non potest, ubique reperiatur, ecclesiam ingredi tempore officiorum, neque divina facere, nec officiis divinis assistere in festis concessis in c. *Alma mater*, *De sent. excom.* in 6; neque dum divina celebrantur sacramenta sumere, nec aliis ministrare; imo nec alteri divina celebranti, neque ut clericus, neque ut laicus inservire, nec orationes privatas fundere : et si durante interdicto moriatur, nisi pœnituerit, neque in ecclesia, neque in cœmeterio poterit sepeliri. Hoc tamen interdictum in articulo mortis per quemcunque sacerdotem tolli potest, et relaxari, ut tradunt Sayr, Bonac. » (Apud Monacelli, *De interdicto*, tom. III, n. 134.)

« Episcopus autem ab ingressu ecclesiæ interdictus, durante interdicto, non potest in ecclesia celebrare, nec sacramenta ministrare, nec aliquem sacri ordinis actum exercere, nec audire divina officia, nec psallere, nec orare, nec, si interim moriatur, in ecclesia, vel cœmeterio sepelitur : et si hoc interdictum non servet, fit irregularis, ut aliis allegatis tradit Passerin., in c. *Quia pontificali*, num. 13, *De officio jud. delegat.* in 6. Poterit tamen extra ecclesiam celebrare, ex Passer. *ibid.* » (Monacelli, tom. III, *De interdicto*, n. 135.)

§ VI. — Quæ sit pœna violantium interdictum.

I. Nullum interdictum loci obligat, nec servari debet, nisi sit nominatim denuntiatum, sicut nec interdictum personæ; ita ut non prohibeamur communicare cum interdicto, eumque non teneamur excludere a divinis, in sacro non sepelire, nisi nominatim sit denuntiatus. Et propterea personaliter interdicti, sive clerici sint, sive laici, si denuntiati non sint, nec moriantur impœnitentes, possunt in loco sacro non interdicto sepeliri : quia quibus vivis communicavimus, etiam mortuis communicare possumus, ut inquit canon *Sane* 6, causa 24, quæst. 2. (Navar.. Pirhing., Nicolius, etc.

II. Laicis violantibus interdictum nulla certa pœna ipso jure posita est, præter quatuor casus ex Clement. *Gravis* 2, *De sent. excom.* Unde laicus violans interdictum semper peccat mortaliter, quoties sit generaliter interdictus, id est de populo interdicto, sive specialiter interdictus ; si vero interdictum sit locale, illud violans, excluso contemptu et scandalo, peccabit saltem venialiter. At si aliquo modo sit causa, aut fomentum præstet violationi interdicti localis, etiam tunc peccabit mortaliter. (Sayr. *De censur.* lib. v, cap. 14, num. 1, 2 et 3, ubi addit, quod si contemnat, possit excommunicari, et a suo judice ad requisitionem Ecclesiæ exsilio condemnari... Si autem alios cogeret, aut impelleret ad illud violandum, vel divina celebrandum, vel monitus ab Ecclesia exire non pareret, excommunicationem papæ reservatam incurreret. (Clement. *Gravis* cit. — Monacelli, tom. III; *De interdicto*, n. 131 et 132,)

III. Clerici autem, tam sæculares, quam regulares, sacris ordinibus initiati, violantes interdictum, peccant mortaliter, sive sit interdictum personale, sine locale. Præterea, « circa hos statutum est : 1. Ut si personaliter vel generaliter interdicti, vel in loco interdicto celebrent, vel alium actum ordini sacro annexum exerceant, irregularitatem ipso facto incurrant. (c. *Cum æterni* 1, *De sent. et re judic.* lib. II; c. *Cum medicinalis* 1 ; c. *Is qui* 18 ; c. *Is cui* 20, tit. XI,

De sent. excom. lib. v, in 6.) — 2. Mitius agitur cum non interdicto, si in loco non interdicto celebret, et ad divina sacramenta, et sepulturam admittat interdictos ; nam hic ab ingressu ecclesiæ arcetur, donec ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempsit, satisfaciat competenter. (C. *Episcoporum* 8, *De privileg.* in 6.) Irregularitatem tamen non incurrit, quia nullibi constat hanc pœnam ob delictum istud esse impositam. » (SCHMALZGR. *De sent. excom.* n. 394.)

II. Ex probabiliori sententia dicitur clericos violatores interdicti localis, ab officio ac beneficio esse tantum suspendendos, ex cap. fin. *De excess. prælat.* — 3. Iidem clerici interdicti violatores non gaudent privilegio, vi cujus in loco sacro sepeliri possunt tempore interdicti, per textum c. *Is cui* cit. et argumento a contrario c. *Quod in te* 11, *De pœnit. et remiss.*) — 4. Clericus, vel religiosus, etiam monialis, violans interdictum locale redditur inhabilis ad electionem tam activam, quam passivam. (C. *Is cui* cit.) Extenditur pœna hæc a plerisque doctoribus etiam ad violatores interdicti personalis. — 5. Religiosi, qui interdictum generale loci, quod ab ecclesia matrice observatur, in suis ecclesiis non observaverint vel celebrando, vel admittendo alios ad divina officia, ultra prædictas pœnas excommunicationem incurrunt. (Ita doctores.) — 6. « Qui vero violant interdictum admittendo aliquem ad sepulturam ecclesiasticam in loco interdicto, vel interdictum in loco non interdicto, extra casus jure permissos, incurrunt excommunicationem majorem. (Clement. *Eos qui* 1 tit. VII *De sepulturis*, lib. III.) Requiritur tamen ut interdictus sit denuntiatus. » (SCHMALZGR. *ibid.* n. 395 ad 397.)

§ VII. — Quomodo interdictum cesset.

I. Si interdictum pro certo tempore, vel sub conditione aliqua appositum est, eo tempore finito, vel conditione posita, cessat, absque alia absolutione. (Ita Glossa in cap. *Non est vobis* 11, *De sponsal.*, et doctores.) Ante finitum tempus vel conditionem positam, absolutione vel dispensatione indiget, quam præstare nemo alius potest, præter illum qui interdictum tulit, vel ejus superior. — Idem dicendum de interdicto lato in puram pœnam; quia est sententia judicis, quam inferior mutare nequit. Ex facultate autem, per Trident. sess. 24, cap. 6 *De reform.* concessa, poterit ab hoc personali interdicto absolvere episcopus, si delictum, ob cujus causam appositum est, occultum fuerit. »

II. « Quod si interdictum latum sit absolute, interest an sit locale, vel personale. Si *locale* est, ut si latum sit in ecclesiam, illa destructa, cessat; nisi tamen locus ecclesiæ interdictus sit : tunc enim interdictum manebit affixum solo, seu pavimento... Si *personale* est in communitatem latum, cessat, exstincta communitate, quæ interdicta est . quod verum est, etiamsi aliquis ex ipsa communitate subsistat; quia interdictum communitatis ligat personas privatas, quatenus pars communitatis illius sunt. *Excipitur,* nisi persona, quæ sublata communitate subsistit, interdicto causam dedit; nam hujus interdictum non solum commune est, sed speciale personale. »

III. « Quodlibet autem interdictum cessare potest absolutione, vel dispensatione facta ab eo, qui potestatem ad istud habet. Et quidem si interdictum sit locale, sive generale, sive speciale, non reservatum, relaxare illud nullus alius potest, præter eum qui jurisdictionem episcopalem habet in eum locum... Idem dicendum de interdicto *personali generali*.... et hoc verum est, ut etiam religiosi ex privilegio ipsis concesso in ordine ad absolutionem a censuris, interdictum locale, et personale generale tollere nequeunt; quia absolvere tantum possunt in sacramento pœnitentiæ, cui nec locus nec communitas subjiciuntur. »

IV. « Si interdictum sit personale *speciale*, interest an reservatum illud sit, vel non. — Si *primum*, absolvere ab illo nullus alius potest, præter ipsum cui est facta reservatio, vel illius superior. — *Si secundum*, relaxare illud potest episcopus, et religiosi habentes privilegium absolvendi a censuris; et probabiliter, etiam parochus, vel alius proprius sacerdos; quia etiam ab excommunicatione non reservata potest absolvere. Sic sentiunt Suarez., Coninck., Filluc., Bonacina, Palao, Pirhing, Wiestner, Lacroix... » (Apud SCHMALZGR. *De sent. excomm.*, num. 398 ad 401.)

§ VIII. — Quæ sint interdicta a jure lata.

I. *Interdicta localia generalia.* — 1. Contra reges et principes impedientes legatos

vel nuntios pontificios ne fungantur suo officio, in quo casu omnes ditiones ipsius impedientis sunt eo ipso tandiu interdictæ, quandiu in hujusmodi contumacia duxerit persistendum. (Extravag. com. *Super gentes*, uniq. *De consuet.*) — 2. Contra civitatem, excepta Roma, quæ hostiliter insequitur cardinales, vel insecutoribus consilium, auxilium, aut favorem præstat. Ista civitas pontificali est eo ipso dignitate privata, et nihilominus remanet interdicta. (C. *Felicis* 5, tit. IX, *De pœnis*, lib. V, in 6.) — 3. Contra civitatem quæ delinquit percutiendo injuriose proprium episcopum, vel ipsum capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri; et contra territorium cujus dominus deliquit percutiendo injuriose, capiendo, banniendo, seu mandando hæc fieri in quemcunque pontificem; tunc enim ista civitas, et illius domini loca subjacent interdicto usque ad condignam satisfactionem. (Clement. 1, *De pœnis*, lib. V.) — 4. Contra civitatem in qua mortuus est papa, et ibi novus est eligendus, et rectores ejusdem non observantes nec observare facientes præscripta in c. *Ubi periculum* 3, *De elect.* in 6. Ibi enim habetur expresse : *Civitas autem prædicta non solum sit interdicto supposita, sed et pontificali dignitate privata.* — 5. Contra civitatem admittentem alienigenas ad fenerandum; hujus civitatis vel communitatis terræ ipso facto, et quandiu in eis iidem usurarii commorantur ecclesiastico subjacent interdicto. (C. *Usurarum* 1, tit. V *De usur.* lib. V, in 6.)

II. *Interdicta localia particularia.* — 1. Contra universitates et collegia exigentes juramenta illicita, vel contra libertatem ecclesiasticam. (GREGOR. XIII, const. 39, *Inter apostolicas.*) — 2. Contra ecclesiam in qua scienter sepultum fuerit cadaver hæretici. (C. *Quicunque* 2, *De hæret.* in 6.) — 3. Contra ecclesias regularium et clericorum sæcularium inducentium aliquem ad jurandum vel promittendum eligere sepulturam in illis, vel ad non mutandam electionem jam factam, si postea de facto in eis jurantes vel promittentes sepeliantur. Ecclesiæ ipsæ et cœmeteria earumdem eo ipso sunt et tandiu manent ecclesiastico suppositæ interdicto, donec ab eis facta fuerit restitutio plenaria tam corporum ita sepultorum, quam etiam omnium quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem. (C. *Animarum* 1, tit. XII *De sepulturis*, lib. III, in 6.)

III. *Interdicta personalia generalia.* — 1. Contra universitates, civitates, castra, et alia loca, exigentes tributa ab ecclesiasticis; nam ipso facto interdicti sententiam incurrunt, a qua relaxationem non obtinent, donec exacta plenarie restituerint, et de transgressione satisfecerint competenter. (C. *Quanquam* 4, tit. XX *De censibus*, lib. III, in 6.) — 2. Contra universitates concedentes vel extendentes repræsalia contra ecclesiasticos. (Cap. unic. tit. VIII *De injuriis*, lib. V, in 6.) — 3. Contra universitates, capitula, et collegia a papa ad futurum concilium appellantia. (C. 2 bullæ *Cœnæ.*) — 4. Contra universitates, capitula, et collegia non servantia constitutionem Joan. XXII, circa fructus beneficiorum vacantium. (*Extravag. com.* tit. III, c. *Suscepti regiminis.*) — 5. Contra capitula cathedralium dimissorias infra annum a die vacationis sedis concedentia. (*Trident.* sess. 7, cap. 10, *De reform.*) — 6. Contra universitates et civitates habitationem usurariis locantes, aut usuras publice exercere permittentes. (C. *Usurarum* 1, tit. V *De usur.*; lib. V, in 6, prout supra.)

IV. *Interdicta personalia particularia.* — 1. Contra cardinales aliosque Ecclesiæ prælatos recipientes beneficia et pensiones cum simonia confidentiali. (PIUS IV, const. *Romanum pontificem.*) — 2. Contra metropolitanos de non residentia suffraganeorum, et contra antiquiores episcopos de non residentia metropolitanorum post annum a die absentiæ eorumdem non certiorantes pontificem intra tres menses : sub pœna interdicti ingressus ecclesiæ eo ipso incurrenda. (*Trident.* sess. 6, c. 1 *De reform.*) — 3. Contra promotos ad ecclesias cathedrales, etiamsi sint cardinales, in Romana curia existentes, intra unum mensem a die eorum promotionis et consecrationis, itineri non se committentes ad faciendam residentiam. (*Trident.* sess. 23, c. 2, *De reform.*, URBAN. VIII, const. *Sancta synodus.*) — 4. Contra episcopos usurpantes bona vel fructus ecclesiarum aut beneficiorum vacantium, ab ingressu ecclesiæ quousque restitutionem fecerint. (C. *Præsenti* 9, tit. XVI *De offic. ordinar.* lib. I, in 6.) — 5. Contra episcopos vel abbates qui bona Ecclesiæ, non servata forma, extravag. *Ambitiosæ*, *De*

reb. eccl. non alienand., alienant. — 6. Contra episcopos aliosque superiores prælatos qui in visitatione procurationem excessivam recipiunt, contra constitutionem Innocentii IV, relatam in cap. *Romana* 1, tit. xx *De censibus*, lib. iii, in 6; c. *Exigit* 2, eod. *ibid.*; et *Trident.* sess. 24, c. 3 *De reform.* — 7. Contra prælatos edentes commentarios in concil. Trident. inconsulto Romano pontifice. (Pius IV, const. confirmatoria ejusd. concilii.) — 8. Contra eos qui episcopatum, abbatiam, vel aliam ecclesiasticam dignitatem de manu laici recipiunt (c. *Si quis deinceps* 12), et non sunt episcopi, nec abbates, nec, etc., præterea excommunicantur. (C. *Si quis* 16, causa 16, quæst. 7.) — 9. Contra clericos in sacris constitutos in crimine fornicationis perseverantes. (C. *Si qui sunt* 15, dist. 81.) — 10. Contra ordinarios qui privant beneficiis commorantes in urbe, et eos qui illa recipiunt. (Extravag. 3, *De privileg.*) — 11. Contra non servantes formam a jure præscriptam in ferendis censuris. (C. *Sacro* 48, tit. xxxix, *De sent. excomm.* lib. v *Decretal.*) Istud interdictum ab ingressu ecclesiæ per unum mensem, incurrunt etiam prælati, ex summario citati capitis. — 12. Contra violantes interdictum locale, et contra eos qui, excommunicatos publice, vel interdictos ad divina officia, ad sacramenta, et ad ecclesiasticam sepulturam admittunt; ab ingressu ecclesiæ interdicti sunt, donec de transgressione ad arbitrium ejus, cujus sententiam contempserunt, satisfecerint competenter. (C. *Episcoporum* 8, tit. vii, *De privilegiis*, lib. v, in 6.) — 13. Contra eos qui dant causam interdicto locali. (C. *Si sententia* 16, tit. xi *De sent. excomm.* lib. v, in 6.) — 14. Contra omnes ecclesiarum sæcularium rectores et ministros recipientes onera perpetua missarum sine licentia ordinarii loci, ac etiam contra recipientes pecunias talium legatorum, et eos non deponentes penes personam idoneam. (Urban. VIII, const. *Cum sæpe contingat.*)

CAPUT V.

De cessatione a divinis.

I. « De cessatione a divinis, quæ affinis est interdicto; pauca hic sunt addenda. Hæc enim est ecclesiastica prohibitio, ob quam clerici cessare debent in certo loco, a divinorum officiorum celebratione, et sacramentorum administratione, et est quid facti, et omnes tam nocentes quam innocentes respicit, et solum ab homine imponitur.

« Cessatio igitur a divinis duplex est : Alia *generalis*, qua prohibentur divina in loco universali, ut in regno, civitate, castro, villa; alia est *particularis*, ut in una, vel pluribus ecclesiis. — Differt ab interdicto locali, *primo*, quia cessatio a divinis non est censura, sed simplex prohibitio, quæ, et suspensio organorum (scilicet laudis divinæ) nuncupatur, facta in signum gravissimi doloris, quem Ecclesia concepit, ob enormem aliquam injuriam sibi, aut honori divino illatam. — *Secundo* quia cessatio a divinis non afficit personam secundum se, sicut afficit interdictum. — *Tertio*, quia clericus violans cessationem a divinis, licet graviter peccet, non tamen incurrit irregularitatem, quam incurrit si violet interdictum per exercitium sui ordinis. »

II. « Tempore cessationis a divinis, non persolvantur publicæ horæ canonicæ; non celebrantur missæ, nisi semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam. Possunt tamen conferri sacramenta baptismi, confirmationis et pœnitentiæ, tam sanis quam infirmis. Eucharistia vero infirmis tantum, extremæ unctionis sacramentum nulli, ordinis, nisi urgente necessitate, conferri non potest. Matrimonium contrahi potest, benedici tamen nequit. Clerici omnes sepeliri possunt in cœmeterio : laici vero ecclesiasticæ sepulturæ non sunt dandi. »

III. « Violantes autem cessationem generalem a divinis, impositam ab ordinario loci, vel a sede apostolica, vel a concilio provinciali, vel ab alio auctoritatem habente, si eam servet cathedralis, vel matrix, seu parochialis loci, religiosi exempti excommunicationem ipso facto incurrunt, ut habetur Clem. 1, *De sent. exc.* Cæteri vero graviter peccant, etiam violando particularem. »

IV. « Utitur autem Ecclesia cessatione a divinis ob injuriæ susceptæ propulsationem : quæ injuria debet esse gravis, notoria, et manifesta, et cum contumacia conjuncta, ut quos aliis censuris, et mediis vincere, corrigere, et ad pœnitentiam inducere non potuit, saltem tam ingenti doloris sensu, rebelles exterreantur. »

V. Porro, qui interdictum, is etiam cessationem a divinis potest indicere, ac etiam alius, cui id ex privilegio vel consuetudine præscripta habet, in quo tamen casu, requi-

ritur episcopi consensus, et concursus requisitorum, quæ habentur in c. *Irrefragabili*, § *Cæterum*, *De offic. ordin.*; et c. *Si canonici*; c. *Quamvis*, eod. tit. in 6.) Nam qui non habet jurisdictionem ordinariam ad ferendas censuras, nec cessationem a divinis potest inducere, nisi servatis conditionibus, in citatis juribus contentis. In cessatione autem ab episcopo jure ordinario imposita, solum sufficit, quod causa sit gravis, ut præmissum est. »

« Forma autem verborum, qua imponenda sit cessatio a divinis, est similis formæ interdicti localis, nimirum : *Nos, etc., ob talem causam, civitatem, villam, aut ecclesiam talem, a divinis officiis cessare præcipimus.* — Forma vero tollendi cessationem non reperitur a jure præscripta, sed sufficit quod judex ecclesiasticus, qui eam indixit, vel ejus superior, aut successor, verbis suam voluntatem explicet. Nam cum hæc prohibitio non sit a jure, sed ab homine feratur simpliciter, debet etiam simpliciter tolli. »

VI. « Causa materialis proxima, et sufficiens ad imponendam cessationem potest esse, editio statuti contra libertatem ecclesiasticam, impositio talleæ seu collectæ clericis, detentio presbyteri per judicem sæcularem, et alia delicta laicorum similia, quæ arbitrio judicis ecclesiastici gravia et sufficientia censeantur. » (SAYR., BONAC.; apud MONACELLI. *De cessatione a divin.* t. III.)

« Antequam tamen ob prædictas causas judex ecclesiasticus, cessationem a divinis imponat, debet admonere illum, ob cujus culpam ferenda est cessatio, ut pareat, et satisfaciat Ecclesiæ. Sicut enim admonitio requiritur in ferendis censuris, ita etiam necessaria videtur in ferenda cessatione, quæ fertur ut reus recedat a contumacia. » Hæc de cessatione a divinis tradunt, (SAYR., BONACIN.. GUAZIN., NICOL., PIRHING..., etc.)

Quibus adde quod qui privilegium habet audiendi divina officia tempore interdicti, non ei suffragabitur, ut tempore cessationis a divinis illa audire possit : quia magis cessandum est tempore cessationis, quam interdicti. Neque qui privilegium habet illa audiendi tempore cessationis particularis, ut tradunt iidem auctores. » Hucusque MONACELLI, tom. III, *De cessat. a divinis.* — *Vide* etiam SCHMALZGR. in tit. XXXIX *De sent. excom.* lib. V *Decretal,* § 6, *De cessatione a divinis*).

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM IN DUOBUS TOMIS CONTENTARUM.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

ORDO RERUM

QUÆ IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS.

Parisiis. — Ex typis MIGNE.

04 / continued
in utroque foro
expresse decisum
textu expresso
ubi id reperitur clare expressum
342 tribunalia regum sunt subjecta
potestati sacerdotali
Obtemperandum est episcopo ab omnibus in diocesi
Episcopus non debet subesse sed
praesse principibus
34? Conc. IX, Papa a pauper ouer
princes.
1118 l... note
1102 Cancellaria within process
... note
372 "
i.s.c. 1102 / Papa facit jus de eo
quod ~~erat~~ non erat jus

1107 a certain act is plano jure ~~irrita~~ [written above: irrita] et nulla (cf nullius momenti 347 K 5)

See 347 Canones praevaleant legibus civilibus in certain ~~thing [only]~~ ~~things~~ things [only]

Jus civile debet interpretari per jus canonicum et huic cedere

Jus pontificium est potentius et dignius jure caesareo

data contrarietate juris civilis et canonici

In certain cases where canon statuit aliquid contra jus civile, canon debet servari in illa materia etiam in foro civili

Constitutiones principum non praeeminent ecclesiasticis constitutionibus sed obsequi

Constitutiones contra canones nullius sunt momenti.

In certain materia jus canonicum derogat totum juri civili

derogamus ac nulla volumus

generaliter derogandum

lex civilis dubia debet intelligi secundum determinationem juris canonici

Jus pontificium est majoris autoritatis quam consuetudo.

II ut sic jura juribus concordentur ... declarationum